DUBIA REGULARIA, SIUE ACCURATA BREUISQUE DISCUSSIO...

Lorenzo Portel

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
8
4 H.
48
VITTORIO EMANUELE

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

31 - F - 1

31.2.28 31 F 28

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DVBIA REGVLARIA, SIVE

ACCVRATA BREVISQVE DISCVSSIO DIFFICVLTATVM CIRCA RELIGIOSAM personam atque familiam; ac etiam circa Sacerdotem regularem, Confessiones sæcularium excipientem.

AVTHORE F. LAVRENT. DE PORTEL
Ordinis Minorum de Obseruantia, Prouincia Algarbiorum in Portugalia : eiusdem Prouincia quondam Prouinciali Ministro, ac Lectore Theologo.

Opus antehàc gemina Additionum in calce locatarum accessione, lectori incommodum : Nunc omnibus Additionibus in suam sedem repositis, prope nouum.

Coll: Rom:
Soc: Jesu.
B. S. card:
Inger:

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXX.
CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

DICATVR OPVS SERAPHICO PATRI FRANCISCO.

IVRE Tibi, Beatiſſime Pater, offero Dubia Regularia. Te enim adhuc in terris agentem, pro dubiis reſoluendis conſuluere doctiſſimi multi, tanquàm Doctorem, non humana, ſed diuina ſapientia prorſus affluentem. Deciſionẽ tuam in re difficili litteraria petiit doctiſſimus tunc Cardinalis Oſtiẽſis poſtea Gregorius IX. Decretalium collector, tanquã ab ore Angeli tuũ reſponſum accipiens. Refert etiam filius tuus D. Bonauentura cap. II. tuæ hiſtoriæ, quod cùm in vrbe Senarum Doctor Theologus in quæſtionibus difficilibus te cõſuleret, & miram tuam reſponſionem audiret, admirans dixit: Verè Theologia patris iſtius

Digitized by Google

puritate,ac contemplatione, tanquam alis in altum ſubuecta,eſt Aquila volás: noſtra verò ſcientia ventre graditur ſuper terram. De te deniq;,ô Doctor idiota,idem Doctor Seraphicus(ſed te inferior)affirmauit,quod quamuis non haberes litterarum ſacrarum peritiam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus ſcripturarũ profunda, miro intellectus ſcrutabaris acumine: & myſteriorum abſcondita penetrabas. Quid ergo Regularia dubia non tibi dicentur tanta dexteritate dubia reſoluenti, vt tua hodie maiori luce, ac ſapientia irradiata pateſcant? At maiori alio titulo, tuũ eſt hoc tãtillum opuſculum:ſcitũ eſt enim apud Doctores, acquiſita à Monacho deberi Prælato, ac Monaſterio; ſicut à ſeruo obtenta,ſub Domini manent repoſita dominio. Accipe igitur,quod tuũ eſt,in domo tua, ab indigno, & inutili ſeruo acquiſitũ. Et per tua ſacra vulnera precor, vt me indignum ſeruum tuum numero, facias coram Deo in merito minimum recenſeri. Amen.

PRÆ

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

REM puto notissimam apud omnes, quantum his vltimis sæculis Franciscani Doctores laborauerint in Regularium priuilegiis colligendis, & explicãdis. Primus huic operi incubuit doctissimus Fr. Alfonsus de Cazarubias, qui varia priuilegia antiquorum Pontificum sparsim, & in confusa congerie seposita multo labore collegit, ordine alphabetico disponens; propria etiã scholia inserens aliquibus locis; quod opus per Antonomaziam Mendicantium compẽdium dici promeruit. Secundus fuit sapientissimus Corduba Minorita, qui difficiliora loca eiusdem compendij eruditis commentariis illustrauit. Tertius, Fr. Hieronymus à Sorbo Capucinus, qui retento ordine alphabetico eiusdem compẽdij, recentia Breuia Pontificia suis locis apponens,

Digitized by Google

perdoctis etiam proprias adhibuit notationes. Quartus fuit priuilegiorum indefessus indagator Emanuel Rodriguez, qui tribus præcipuè tomis materiam prosecutus, tot, ac tanta dixit, vt nihil videatur posse amplius desiderari. Clausit tandem opus Pater Miranda duobus tomis de eadem materia non postremis. Quorum tot, ac tantorum virorum attentis, laboribus, & scholiis, & commentariis, temerarium quasi foret, aliquid addere, vel sperare nouum pro Regularium dubiis resoluendis: Quia tamen prolixitas, multitudo, ac diffusio, intellectus electionem obnubilant, legendi fastidium causant, & memoriæ retinentiam impediunt: in gratiam Regularium, non inutile iudicaui, imò profuturum credidi, omnia, & præcipua à prædictis omnibus Doctoribus sparsim, ac diffusè tradita in hoc breue compendium, seu Manuale redigere, additis multis ex aliis Doctoribus, meo labore collectis, quò possint à legentibus & facilius inueniri, & in memoria retineri. Omisi, fateor, aliqua in illis Doctoribus contenta, quæ, quamuis docta, & erudita, directè tamen, & necessariò ad intentum Monasticum compen-

diosum

dioſum non inſeruiunt; vt in aliquibus prædictis Doctoribus digito poſſem oſtendere : cùm multas quæſtiones diſputant, vel Regularibus non omnino neceſſarias ; vel ita prolixè , ac diffusè poſitas , vt multò paucioribus verbis, & poſſent reſolui , & facilius penetrari. Et huius rei teſtes, ac iudices ipſos legentes appello. Adde, quod non omnes , tot, ac tam grandes libros poſſunt emere , nec perlegere : neque in tam ampla ſegete , vel area granum purum colligere. Quamuis autem vt plurimum compendij breuitatem profiteor : in aliquibus tamen , ſed paucis , compendij limites tranſilio, coactus vel rei neceſſitate, vel nouitate , vel contradictione. Huiuſmodi eſt quæſtio de Abbatiſſa vidua, de Indulgentiis reuocatis, & alius paucis, ob cauſas prædictas, in quibus tantiſper à compendio digredior ob cauſas proximè dictas. Imò, & vt plurimùm timens illud , breuis eſſe laboro , obſcurus fio : ſerè ratiunculas appono , ſemper tamen compendij breuitati intendens. Sed medium tenere quis poterit, vt , & prolixitatem , & ieiunitatem vitans, medium purum attingat ? Cogita, Lector , quod magnæ vrbes non poſſunt ſine de-

fectu in vngue ſolo depingi: parce igitur rudi pictori in tam parua materia tantam priuilegiorum, & materiarum copiam delineanti. Si autem hanc breuitatem pertæſus, reſpueris: conſule illos quinque Doctores fontes irriguos, latéque fluentes, in quorum latiſſimis libris fusè poteris euagari. VALE.

Alia Dedicatio, & Præfatio pro Additionibus.

DEDI

Digitized by Google

DEDICATVR OPVS ADDITIONVM DIVO ANTONIO PADVANO.

SOLENT, vt plurimum, librorum Authores opera sua dicare alicui personæ insigni, tamquam patrono, cuius potẽtia, fauore, & auxiliis protegantur, tum à linguis mordentium, tum à cæteris hominum, ac temporum calumniis occurrẽtibus. Ego personam insignem, cui fidam non habeo: & ferè cum languido illo piscinæ vellem verè dicere, hominem non habeo, neque ad hoc intentum volo habere. Te solum Beatissime Antoni habere cuperem, & ob causas duas sequentes habiturum me confido. Notissima est tua prærogatiua, seu interceſſio particularis, per quá tamquam Patronus communis inuocaris ab omnibus, non solùm, vt res iam

perditæ compareant; ſed etiam ne perdátur in periculoſo itinere, néve in aliis periculis pereant: ídque cum proſpero paſſim euentu, vt fatentur, & experiuntur etiam aliquando infideles, & barbari, maximè in noſtra India Orientali: in qua, vt à perſonis fide dignis accepi, etiam infidelibus te pro rebus perditis inuocantibus, ſæpiùs eaſdem res amiſſas reſtituis. Præterea hoc opus, licèt tantillum, (quantum bene ſcio) res eſt Patris tui, ac noſtri Franciſci, cùm ſit ſerui Religionis illius, pro qua tu in illius exordio tamquam zelator indefeſſus multa ſatis, ac dura ſuſtinuiſti. Ob has igitur cauſas, quia ſcilicet rerum amiſſarum reparatores, vel eiſdem ne perdantur inuigilas; tum quia opus Patris tui eſt, ſeu Religionis ipſius; tam opus, quã Author operis tuo patrocinio cõmẽdátur, & cõmittũtur, ne pereãt. Vt qui aliquándo, etiã rebus infideliũ cuſtodiẽdis aſſiſtis, hoc etiã opus, & eius Authorẽ, Diuino beneficio Catholicum, ac de te bene ſperantẽ, tuo ſolito patrocinio tuearis.

AMEN.

PRÆ

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM,

In operi adiunctas Additiones.

EX dictis à Theologis in materia de Angelis, constat, quòd licet Angeli in sua prima creatione receperint à Deo species intelligibiles infusas, per quas poterant intelligere omnia individua naturalia creata, illorúmq; proprietates; nihilominus per tales species non aduerterunt, neque discursũ formarunt simul circa omnia illa obiecta naturalia per illas species repræsentata; ita vt vnica vice, seu intuitu simul cognoscerent omnia in illis repræsentata. Fortassis enim, viribus tantùm naturalibus vnico intuitu non poterant aduertere ad tam multam, ac tam variam cognoscibilium multitudinem. Id ergo fecerunt per interualla, & discursu temporis, vtentes prædictis speciebus ad libitum pro rebus quarum cognitioni se applicabant. Si verò hoc Angelis contigit habentibus species tam excellentes congenitas, vt non omnia simul aduerterẽt, non omnia simul intelligerent: quid mirum si miser homo carens talibus speciebus, & pauculas, & confusas à rebus creatis magno cum labore emendi-

cans,

Digitized by Google

cans, non ſimul cognoſcat, non ſimul aduertat omnia concernentia materiam, de qua diſputationem ſuſcepit? Hac de cauſa multi, & graues Doctores poſt primam libri alicuius Impreſſionem, ſecundam auctiorem addiderunt, etiam cum titulo Additionum, vt quæ poſtea ſibi occurrerunt, pro bono communi publicarent. Fecit hoc inter alios nuper noſter doctiſſimus Rodriguez, qui ad priorem Summam moralem, quam prius ſufficientem credidit, poſteà duos tomos addidit ſub titulo Additionum. Hoc idem mihi contigit. Feci, vt potui, in prima editione, Summam Dubiorum Regularium, maximè circa priuilegia Pontificia, quam pro tunc ſufficientem credidi: poſtea ſciai illam aliquibus viſam fuiſſe nimis ieiunam, ſeu plus debito ſuccinctam, ne dicam, in aliquibus ſperatis mancam. Scio etiam multis illam non diſplicuiſſe; adeo vt mihi certo conſtiterit illius primæ editionis Impreſſionem ſecundò intentari, vel parari in alio Regno. Alij fortè, (quod ignoro) irriſerunt, quorum nihil timeo. Sed potius, vt omnibus morem geram, & meis Fratribus Religioſis obſequar, antiqui compendij formæ inſiſtens: hanc ſecundam editionem publicare decreui, ſub titulo, Additionum ad prædicta, & antiqua dubia Regularia. Quamuis autem in illo priori tomo poſita ſint potiora, & frequentiora Dubia Regularia: in hoc ſecundo, vt puto, non continentur inania, neque parua, ſed valdè vtilia, & neceſſaria, & eiſdem Religioſis ſatis inſeruiant. Suppoſito verò,

verò, quod certò scio, impossibile esse me omnibus placiturum. Hoc tantùm dico, quod qui hac, & priori editione non fuerit contentus, vnum eligat ex duobus: vt vel spatiosos tomos adeat Rodriguez Mirandæ, & aliorum multorum, sicut dixi in prima editione, si fortè cum illis quietus, & contentus maneat. Vel secundo aliam recopilationem talium dubiorum edat, & promulget ad gloriam Dei, & Religiosorum obsequium: pro qua ego gratias agam; & vtraque manu, sicut dicit adagium, tamquam discipulus libenter amplectar.

VALE.

LICEN

LICENTIA.

LIbrum, in quo *Dubia Regularia, ſingulari eruditione reſoluta*, continentur, compoſitum à doctiſſimo Patre Fratre Laurentio de Portel, ſacri Ordinis Seraphici Patris Franciſci profeſſore, ea diligentia qua potui perlegi, nihilque in eo reperi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidei contrarium, aut Reipubl. offenſiuum, quin potius multis argumentis digniſſimus eſt, quod Typis excudatur, ad communem omnium Religioſorum vtilitatem, & inſtructionem. Habet enim quamplurima documenta egregia, quæ ex ſententiis Patrum, diuerſorúmque Authorum, quaſi in vnam catenam contextis, pulchro artificio coaptauit. In Monaſterio D. Bernardi, 7. Februarij, Anno 1618.

Fr. Melchior de Abreu.

Idem cenſuit Fr. Vincentius à Reſurrectione, 15. Martij 1618. & Fr. Ioannes à Septa Lector Theologiæ, 16. Cal. Ianuar.

FRater Emanuel ab Angelis Algarbiorum Prouinciæ in Luſitania Prouincialis Miniſter, & ſeruus. Reuerendo admodum Fr. Laurentio de Portel eiuſdem Prouinciæ meritiſſimo Patri & alumno, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam. Cùm munerís & officij noſtri ſit, non tantùm proſequi amore eos qui ex noſtris pro Dei Eccleſia in honorem Religionis Seraphicæ laborant, ſcribendo, & in lucem edendo opera præclara ſui ingenij, verùm etiam eis modis omnibus fauere. Per præſentes facultatem tibi concedo, vt typis mandare poſſis librum quendam à te elaboratum, cui titulus eſt, Dubia Regularia

laria vtriusque fori tam ad subditos, quàm ad Prælatos attinentia. *Quod quidem opus, spero & communi Religiosorum, & aliorum vtilitati maximè profuturum esse. Dat. in nostro Conuentu Deiparæ Virginis de Enxabregas, die 27. Ianuarij, anno à Christo nato* 1618.

Fr. Emanuel ab Angelis, Minist. Prouinc.

EÆdem facultates, præmissis Doctorum Approbationibus, concessæ sunt pro *Additionibus* postea editis anno 1623. Habetur namque in illius editionis vestibulo, Approbatio F. Francisci Olyssiponensis, & licentia Ministri Prouincialis F. Ioannis Olyssiponẽsis, vtraque data anno 1621. Item Approbatio Doctorum Feliciani Moutel & Georgij Cabral: ac licentia ordinarij, & Inquisitionis, ac Regiorum Ministrorum. Sed quod hæ facultates & Approbationes, similes planè sint iis quas hic damus, non est visum illas hîc apponere.

QVod Author opus suum gemina fœtura editum variis Diuis nuncupatum voluerit, nos tametsi in vnicum volumen omnia compegerimus, nullum Tutelarium Diuorum honore suo fraudatum voluimus. Itaque hanc quoque secundam nuncupationem, adiungere, operæpretium duximus.

Digitized by Google

APPROBATIO.

ET vtilis multis eſt & erit tractatus iſte, qui *Dubia Regularia* proponit, ita & vtiliter, in multorúmque commodum in Galliis prodire poterit in lucem, ſicut & alibi prodiit. At verò nihil abſurdum dicit. Ita teſtor, & cenſeo. Lugduni 23. Februarij, 1628.

Fr. Robertus Berthelot Epiſc. Damaſci.

LICENCIA.

FRatris *Laurentij de Portel* Dubia Regularia *per Compendium reſoluta, quæ iam in lucem prodiere ſumptibus Georgij Rodriguez Bibliopolæ Olyſiponenſis, prælo hac in vrbe ſubiici Laurentij Durand impenſis, ego Regis in Lugdunenſi Præfectura, Conſiliarius & Procurator non impedio. Die 25. Februarij,* 1628.

PVGET.

PErmittitur impenſis Laurentij Durand Bibliopolæ Lugdunenſis prælo ſubiicere *Dubia Regularia* per Compendium reſoluta à Fratre Laurentio de Portel. Factum die 29. Menſis Februarij 1628.

AVSTREM.

DVBIA REGVLARIVM VTRIVSQVE FORI.

ABBAS, PRIOR, GVARDIANVS, & ſimiles Superiores Conuentuales.

Vide infra ver. *Benedicere*; ver. *Diſpenſare*; & ver. *Prælatus.*

1 HI Omnes poſſunt ſibi ſubditos excommunicare. *cap. cùm in Eccleſiis. extra, de maioritat. & obedientia.* Sot. *in 4. diſt. 22. quæſt. 2. artic.* 1 & eſt communis, etiam ſi ſit Rector Collegij. Henriquez *tom. 2. lib. 13. cap. 24.* Habent enim iuriſdictionem fori externi & conuocant ad Capitulum. Minorita Guardianus in tribus caſibus prohibetur excommunicare, videat ſua ſtatuta generalia verbo *Excommunicatio.*

2 Abbas Benedictinus confert ordines Minores ſuis ſubditis, *c. quoniam. diſt.* 19. Et Iulius II. *Bulla* 25. Neque hoc reuocatur in Conc. Triden. *ſeſſ. 23. cap.* 10. pro ſuis ſubditis, ſed pro aliis.

Vide infra ver. *Tridentinum Concil. titulo ſeſſ. 23.*

3 Abbates Ciſtertienſes poſſunt conſecrare altare cum oleo ſacro. Rodrig. *tom. 3. Addit. Sum. cap. 19. num. 2. ſeu concluſ. 2.*

4 Patres Societatis Ieſu in Indiis conſecrant calices, Henriq. *tom. 2. lib. 9. c. 28. n. 2. lit. H. gloſſ.*

5 Nomine *Monachi* in fauorabilibus intelligitur Abbas, non tamen in odioſis. Nauar. *libr. 3. conſil. tit. de Regularibus conſilio 75. dub. 15.* Similiter nomine *Monachi* in odioſis non intelligitur Canonicus Regularis, bene tamen in fauorabilibus. Nauar. *Commentar. 1. de Regul. n. 8.*

6 Prior Dominicanus, & proinde communicantes habent erga ſuos ſubditos in foro conſcientiæ tãtum, & per ſe ipſos tamen, omnem authoritatem abſoluendi, & diſpenſandi, quam habent Epiſcopi erga ſuos ſubditos: quæ eſt magna conceſſio, facta à Pio V. Habetur in Bullario Rodrig. *fol. 920.* Et idem conceſſit Gregor. XIII. Fratribus Sancti Bernard. in Hiſpan. illorum Compend. ver. *Abſolutio quo ad fratres. §. 11.* Excipit tamen ibi hæreſim, & homicidium voluntarium, ſed conceſſio Pij V. nihil excipit.

7 Neque hi prælati conuentuales, imò nec Generalis Ordinis, poſſunt dare profeſſionem Nouitio, qui non habet pro ſe maiorem partem communitatis ſuffragantem. Et ſi contra fecerint, profeſſio eſt nulla. Nauar. *libr. 3. conſil. tit. de Regular. conſil. 62.* Mirand. *tom. 1. quæſt. 15. artic. 2.* Ludouicus Beia *in 4. par. reſp. moral. caſu 7. §. quartò quia.* Si verò Rodrig. oppoſitum dixit *in Sum. ver. Nouitius cap. 8. num. 8.* de hoc ſe retractat *tomo 3. quæſtionar. quæſt. 17. art. 7. & artic. 3. eiuſdem quæſtionis. §. aut nullitas.*

8 Omnes Prælati Conuentuales, etiam Guardiani, poſſunt eſſe Iudices conſeruatores, ſi eligantur. Habent enim omnes dignitatem Eccleſiaſticam. Rodrig.

1.tomo quæstionar.quæst.65.art.3.

9 Hi omnes possunt se ipsos licentiare, seu vti omnibus illis licentiis, & quasi dispensationibus, quas possunt concedere subditis. Miranda *tom.2. quæst.19. art.7.*ex Corduba,& Caet.& Sanches *libr.8. de Matr. disput.3.concl.4.*vbi probat posse Prælatos conuentuales secum dispensare in illis in quibus dispensant cum subditis.Licèt verò de his prælatis dicatur communiter quod possunt eligere sibi Confessorem eiusdem Ordinis:aduertit Rodr. *Addit. Sum.2.par cap.67.*quod non potest esse talis electus Sacerdos simplex, sed oportet vt sit approbatus à superiore potente approbare,& citat ad hoc declarationem Cardinalium.

10 Hi omnes absque licentia Prouincialis possunt dare licentiam suis subditis vt possint esse testes, & iurare coram iudice sæculari,vel ecclesiastico. Rodr. *tom.2.quæstionar.quæst.10.art.4.& 5.*Si verò subditi iurent absque licentia, testimonium valet: quidquid sit de suo peccato.Rodrig. *Addit.Sum.2.par.cap.151. num.2.*

11 Possunt hi omnes dare licentiam suis subditis vt in die festo instante necessitate laborent manibus, tanquam prælati illorum. Azor.*tom.2. libr.1. capit.28. quæst 5.* Hoc tamen non possunt concedere sæcularibus etiam seruitoribus suis, quia non sunt prælati illorum.

12 Vtrum hi Prælati, & illorum superiores possint subditos in foro conscientiæ absoluere à casibus Bullæ Cœnæ,variant Doctores. Negat Sayrus *libr.3. de censur. capit.25. numer.5.* & alij multi dicentes priuilegia Regularium reuocari in Bulla Cœnæ, & alibi.Sed quod possint (exceptis quatuor vel quinque) tenet Rodrig.*tom.1.quæstionar. quæst.20.articul.9.* dicens sic responsum esse ab aliquibus Doctoribus Salmanti-

censibus. Idem repetit *in Addit. Sum. prima parte c.6. num.3.* dicens ita cõcessum esse à Gregorio XIII. Generali, & Commissario Generali Minorum: & proinde iuxta Rodriguez saltem hi possunt. Tenet cum Rodr. Vega Minimus *1.par.Sum.cap.49.casu 1.* Ambo tamen excipiunt hos casus: hæresim, schismaticum, falsificantes litteras Papæ, & portantes arma ad infideles. Et quintò excipit Rodrig. *proximè citato loco Summæ* conspirationem factam contra Papam, & manus violentas contra Prælatum. In hac quæstione Suarez *tom.de censur.disput.21.sect.3. num.4.* ait attenta Bulla Cœnæ Sixti V. & Clement. VIII. solùm reuocari priuilegia absoluendi in generali à casibus prædictæ Bullæ: non verò reuocari ea priuilegia quæ in specie concedunt casus Cœnæ Domini. Vt si alicui Ordini concedatur in specie absoluere pyratas, vel surripientes bona naufragii, vel alia ibi contenta. Hæc inquam innuit Suarez specificatè concessa, non reuocari. Elige quod placuerit. Et vide infra ver. *Bulla Cœnæ.*

Hoc vnum scio, quod si Procuratores Ordinum Romæ post lectam Bullam Cœnæ Domini, statim recurrunt ad D. Papam petentes nouam priuilegiorum Ordinis confirmationẽ voce tenus vniuersalem (prout credo audiui illos facere, vel debere facere) tunc illa obtenta, nihil dubito posse Prælatos omnes absoluere subditos ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ. Reualidatur enim priuilegium concessum à Pio V. & Gregor. XIII. supra num.6. contentum, per quod possunt cum subditis omnia quæ possunt Episcopi cum suis: & Episcopi absque dubio in foro interno possunt absoluere à casibus Bullæ Cœnæ, vt infra dicam ver. *Episcopus.* Consonat cum hoc Collector priuilegiorum Minorum ver. *absolutio ordinaria quo ad fratres. §.13. littera B.C.* & Capucinus *2.par.Compendij*

fol.

*fol.*328.dum conſulunt vt Procuratores Ordinum poſt Bullam Cœnæ publicatam petant nouam confirmationem priuilegiorum:& tunc dicunt poſſe.

ADDITIO.

Vide ver. Confeſſor à num. 13.

1 VNuſquiſque iſtorum, non ſolùm poteſt excommunicare ſuos ſubditos, vt dictum eſt; verùm etiam poteſt ſibi reſeruare excommunicationem à ſe illis impoſitam per communem ſententiam, quod ſcilicet, qui poteſt excommunicare, poteſt ſibi ſuam excommunicationem reſeruare. Suarez *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 1. *n.* 2.

2 Poteſt etiam quiuis iſtorum ſuis ſubditis imponere veram cenſuram interdicti, & ſuſpenſionis. Henriq. *tom.* 2. *lib.* 13. *de excom. cap.* 24. *n.* 3 Et ex conſequenti, qui cenſuras violauerit manebit ſuſpenſus, & irregularis. Quod verò has duas cenſuras poſſit ferre Prælatus conuentualis, patet, quia plus eſt excommunicare, quàm interdicere, vel ſuſpendere; priuat enim excommunicatio pluribus, & maioribus bonis, quàm cæteræ cenſuræ: ac proinde ſi Prælatus conuentualis poteſt ſubditum excommunicare, quod eſt maius: poterit etiam interdicere, & ſuſpendere, quod eſt minus. *Reg.* 53. *de Reg. iur. in* 6. cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus. At Parochus, ſiue Prior parochianus non poteſt ſuis ſubditis imponere aliquam ex his tribus cenſuris, quia caret iuriſdictione fori externi, & quia teſte Henriq. *vbi ſupra*, hoc illis interdictum eſt per Concil. Trid.

3 Dixi quondam Pium V. conceſſiſſe Prouincialibus, & Prioribus Ordinis B. P. Dominici, vt erga ſuos ſubditos reſpectiuè per ſe ipſos poſſint omnia, quæ poſſunt Epiſcopi erga ſuos ſubditos ex conceſſione

Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 6. de reform.* dispensando scilicet cum illis & absoluendo in casibus reseruatis, irregularitate, suspensione, quando hæc sunt occulta, & non deducta ad forum contentiosum. Circa hæc claritatis, & consolationis gratiâ, accipe sequentia.

1 In illis quæ ibi conceduntur Episcopo, & ad Sedem Apostolicam solent reseruari, continetur sequentia. Primò, peccata reseruata, vt simonia in beneficiis. Secundò, censuræ reseruatæ, quæ sunt tres in specie, Excommunicatio, Interdictum, Suspensio. Tertiò, Irregularitates. Quartò, Priuatio officiorum, vel beneficiorum iam obtentorum. Quintò, Inhabilitas qua quis ob culpam grauem inhabilitatur ne in posterum possit aliquod officium, vel beneficium obtinere: Hæc verò tria vltima irregularitas, priuatio officiorum, & inhabilitas non sunt censuræ, sed pœnæ, & tamen Trident. *citato loco* concedit Episcopis illa quinque vt possint illa omnia absoluere, vel dispensare, quando sunt reseruata Sedi Apostolicæ, & sunt occulta. Quamuis autem ibi Concilium solùm exprimat casus reseruatos, irregularitates, & suspensiones, & non exprimat priuationes officiorum, & inhabilitates: tamen ibi per suspensiones intelliguntur etiam priuationes officiorum, & inhabilitas, quæ lato modo sunt suspensiones, & includuntur in verbo, *Suspensio*. Hæc enim in significatione ampla, sed vsitata, comprehendit etiam pœnas priuationis, & inhabilitatis, vt tenet Rodriguez in expositione motus proprij Pij V. de ingressu mulierum in monasteria religiosorum *num.* 54. Cum ergo Tridentinum ibi concedat Episcopis absolutionem, & dispensationem istorum quinque, sequitur, quod hæc omnia possunt Prælati Dominicani, & cum illis communicantes circa suos subditos, modo supra exposito per se scilicet, & respectiuè.

2 Sed

2 Sed quoniam ibi Tridentinum limitat, dummodo hæc sint occulta, & non deducta ad forum contentiosum: Primò nota, non requirere Concilium vt illa quinque, vel aliquod illorum, sint omnino occulta, ita vt à nemine sciantur. Quamuis enim ab vno, imo & à multis sint cognita, adhuc poterit Episcopus, & proinde Prælatus Regularis absoluere, vel dispensare, si non sint deducta ad forum contentiosum. Pro quo accipe sequentia.

3 Ibi delictum occultum, non intelligitur ita occultum, vt ad iudicium deferri nequeat. Sed accipitur occultum vt distinguitur contra publicum: ac proinde etiam si delictum ab aliquibus sciatur, & possit probari in iudicio, adhuc dicetur occultum, si in ratione delicti non est publicum. Erit autem publicum si in maiori parte viciniæ, Collegij, vel Monasterij, vel Parochiæ sit cognitum: dummodò saltem decem personæ inueniantur in illa vicinia, cæterisve congregationibus. Hæc & sequentia tradit Sanches *l.2. Decalog. c.11. à n.18. & seq.* cum ibi citatis.

4 Delictum alibi publicum, si sit occultum in loco vbi petitur absolutio, nec sit spes vt in loco publicetur, ait Sanches contra Suarez *ibi citatum*, posse ab Episcopo absolui, vel dispensari, idque poterit Prælatus regularis. Et refert Sanches *citato loco* sic fuisse responsum à Doctoribus Salmantic. ea de re consultis.

5 Delictum deductum ad forũ contentiosum (quod prohibet Tridentinum ab Episcopo dispensari) tunc dicetur, quando saltem per vnum testem iam ad iudicem delatum est siue iustè, siue iniustè. Requiritur tamen vt reo sit intimata ista delatio: si enim non sit illi intimata à iudice, non dicetur eius delictum deductum ad forum contentiosum.

Digitized by Google

6 Si delinquens iam delatus ad forum contentiosum fuerit absolutus siue per veros, siue per falsos testes, per sententiam absolutam diffinitiuam, non dicetur tale crimen iam impedire quin possit Episcopus, vel Prælatus regularis dispensare; sed poterunt dispensare, etiamsi reus sit iniuste absolutus.

7 Si hoc delictum occultum, & reseruatum, fuit commissum à duobus complicibus, & vnus tantùm delatus est ad iudicium, alter complex non delatus, poterit absolui, si delictum non est publicum modo supra iam dicto.

8 Si tamen iam alicubi delictum deductum est ad forum contentiosum, & delinquens fugiat, iam non poterit Episcopus, vel Prælatus cum illo dispensare; quia vbicumque delictum deductum est ad iudicium, simpliciter dicitur deductum ad forum contentiosum, & proinde non potest Episcopus dispensare. Et hoc de delatione delicti ad iudicium intellige siue sit iudiciũ Episcopi, siue iudicis sæcularis: omnia enim illa tribunalia habent verum forũ contentiosum. Addit tamen Sanch. *loco citato*, quod si delictum fuit delatum ad forum contentiosum, & ibi fuit punitum per sentẽtiam, post transactam punitionem poterit Episcopus, & proinde Prælatus absoluere, dispensare, vel habilitare subditum. Et citat Armill. Gutierrez, & alios. Vide infra ver. *Confessor aperiens literas Summ. pœnitentiariæ, num.* 14.

9 Nota verò quòd *citato loco Trident.* excipitur irregularitas orta ex homicidio voluntario, cuius dispensatio ibi Episcopo denegatur. Licèt verò ibidem concedatur Episcopis vt possint absoluere ab hæresi occulta, multi Doctores dicunt hanc facultatem fuisse postea reuocatam à Gregor. XIII. De quo infra verb. *Episcopus.* Circa quæ duo aduerto dispensationem in

irregu

irregularitate orta ex homicidio voluntario ibi negatam Episcopis, concedi aliàs Prælatis Religiosis erga subditos si sit occulta non per citatam concessionem Pij V. factam Dominicanis: sed per aliam Martini V. de qua dixi in prima editione ver. *Dispensare.* & infra redibit sermo. Nota præterea quod absolutio ab hæresi ibi concessa Episcopo à Tridentino, non conceditur Prælatis Ordinum per illam concessionem extensiuam Pij V. qua extendit concessionem illam Tridentini circa Episcopos, ad Prælatos Dominicanos, vt tenent communiter Doctores, maximè Suarez *tom. de censur. disp. 41. sect. 2. n. 7.* & alij.

10 Quæris: Episcopus per citatam concessionem Tridentini potest absoluere ab omnibus aliis casibus Bullæ Cœnæ (excepta hæresi secundùm aliquos) vt tenet inter alios Viuald. *Candelabro in expositione Bullæ Cœnæ num.* 141. & alij: verbi gratia possunt absoluere legentes libros prohibitos, & similes delinquentes cõtra dictam Bullam si sint occulti. Cùm ergo Pius V. illam eandem facultatem concesserit Prælatis Dominicanis circa suos subditos modo supra dicto, & aliis Prælatis cum eisdem communicantibus: quæris, inquam, an hi Prælati possint absoluere suos subditos à prædictis casibus Bullæ Cœnæ, excepta hæresi? Credo quod possunt in foro conscientiæ, & cum illis dispensare. Moueor primò, quia licèt in Bulla Cœnæ reuocentur priuilegia Religiosorum, explicat tamen Pater Antonius Sousa Consultor sancti Officij *in Relect. Bullæ Cœnæ disput.* 100. *numer.* 2. (licèt aliud agens) quod prædicta reuocatio potest intelligi, vt non reuocentur omnes concessiones factæ ad absoluendum à prædictis casibus, & censuris absolutè; sed solùm quando casus illi publici sunt: secus si sint secreti. Nam si sint secreti, & aliàs detur priuilegium absol-

uendi tales casus secretos, non videntur derogari hæc priuilegia præcedentia per illam reuocationem generalem Bullæ Cœnæ, nisi quo ad absolutionem in casu publico. Probat citatus Author, quoniam per regulam iuris in 6. beneficium Principis (quale est priuilegium) debet esse mansurum, & perpetuum. Et frustra Religiones peterent confirmationem suorum priuilegiorum à quouis Summo Pontifice, si statim illa singulis annis deberet reuocare. At Religiosi per citatam concessionem Pij V. & per alias concessiones habent facultatem absoluendi subditos ab istis casibus reseruatis, si sint occulti: Ergo non est credendum talia priuilegia reuocari à Papa quotidie: ac proinde possunt Prælati Regulares absoluere subditos à prædictis casibus Bullæ Cœnæ, si sint occulti. Hoc idem tenet clarè Franciscus Longus Capucinus *in libr. de Casibus reseruatis à Clemente VIII. 1. part sect. 1. art. 23. à num. 2. vsque ad 5 fol. 63. & 64.* & ait esse probabile, Vega *1. par. Sum. cap. 49. vers. casus reseruati. casu* 1. citãs Graffis, & Morgoueio, & Rodriguez: licèt ibi excipiat quatuor casus Bullæ, videlicet, hæresim, schismaticum, falsarium litterarum Papæ, & portantem arma ad infideles. Et confirmatur, quia Bulla Cœnæ, non obstante sua rigorosa reuocatione non tollit quominus valeant priuilegia Bullæ Cruciatæ ad absoluendum à casibus Bullæ Cœnæ, exceptis illis qui exprimuntur in Bulla Cruciatæ, vt fatentur omnes Doctores; alias fideles deciperentur in illius receptione, quod non est dicendum. Ergo cùm priuilegia concessa Religiosis non sint minoris valoris, quàm priuilegia Cruciatæ, cùm Cruciata non tollat priuilegia Religiosorum, iuxta communem sententiam: sequitur priuilegia Religiosorum in foro conscientiæ non tolli per reuocationem generalem Bullæ Cœnæ quo ad casus in illa con

ontentos si sint occulti, excepta hæresi, & proinde oterunt absoluere subditos ab illis si sint occulti, excepta hæresi.

11 Quia verò tam crebrò facimus exceptionem absolutionis ab hæresi, dicentes, numquam Prælatos Regulares posse absoluere subditos ab hæresi, etiam occulta: causam reddimus; nam tribunal sancti Officij habet multa priuilegia specialia, per quæ reuocantur alia priuilegia in communi concedentia absolutionem ab hæresi. Addo ex Sanches *lib. 2. Decalog. cap. 12. num. 10.* extare priuilegium, seu motum proprium Gregorij XIII. specialiter hoc prohibentem: qui motus proprius ponitur ad litteram à Rodrig. *addit. ad Bullam Cruciatæ ad §. 9. num. 66. fol. 492.* quamuis (vt dicam quod sentio) prædictus motus proprius ibi positus à Rodrig. solùm declarat per Bullam Cruciatæ non licere Confessoribus absoluere ab hæresi, vt patebit legenti. Ex dictis tamen ibidem satis colligitur mens Pontificis, quod nolit hæresim absolui per quodcunque aliud priuilegium: & ita Doctores communiter asserunt. Vide quæ dixi supra *in 1. Editione* hoc eodem ver. *Abbas*. In Bullario Rodrig. *fol. 816.* ponitur concessio per quam Paul. III. concessit Abbatibus, Prioribus, Præsidentibus, & aliis Prælatis congregationis sancti Benedicti Valisoletani: *Vt annis singulis prima die Lunæ quadragesimæ omnes, & singulas vtriusque sexus personas Religiosas, ac Donatos, & Eremitas præfatæ congregationis suò eorum curæ existentes possint absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, & pœnis pro tempore incursis, etiam in casibus quantumcumque Sedi Apostolicæ reseruatis, prout iam ista facultate vsi fuerunt: & attento quòd absolutio ista est pro foro conscientiæ tantùm, & pro personis Religiosis.* Sic ibi. Nota omnia verba: est enim ampla, & magna concessio, licèt:

pro

pro vna tantùm die duret. Sed nullum casum excipit, & potest hoc inseruire etiam ad supradicta. Verùm hæc concessio fortè amplius in sequentibus explicabitur.

ABBATISSA, Priorissa.

1 NON imponit præceptum spirituale Monialibus, caret enim potestate Ecclesiastica. Imponit tamen præceptum ciuile: & in materia graui tanquam mater familias obligat ad mortale pro bono graui Conuentus. Sot. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 4. cum communi.

2 Vota Monialium non dispensat, neque commutat: validè tamen irritat sicut mater carnalis erga filiam. Rodrig. *tom.* 1. *quæstion. quæst.* 25. *art.* 7. Neque peccat vota irritans sine causa, si illa facta sunt absque illius licentia: secus si facta sunt de illius licentia, prout infra ver. *votum.*

3 Vt possit eligi Abbatissa debet habere 40. annos ætatis, & 8. professionis cum vita laudabili. Si verò talis non reperitur in illo Conuentu, sitque incõueniens extraneam adducere, potest eligi alia eiusdem Conuentus quæ sit ætatis annorum supra triginta, & quinque professionis. Tridentin. *sess.* 25. *capit.* 7. *de Regular.*

4 Abbatissæ quæ sunt Cistercienses, & Sanctæ Claræ durant solum per triennium, quo finito non possunt continuare. Gregor. XIII. in Bulla propria, & Sixtus V. in alia anno 1587. At Gregor. XIII. pro sola Italia id præcepit circa omnes Abbatissas. Et Sixtus V. pro solis Abbatissis Sanctæ Claræ. Vnde notat Rodrig. *Addit. Sum. tom.* 3. *c.* 3. *num.* 6. posse extra Italiam

Italiam Abbatiſſas non Clariſtas finito triennio continuari,& reeligi.

In Portugallia verò Abbatiſſæ S. Claræ in prouincia Algarbiorum, & Portugalliæ debent vacare per ſex annos prout Paulus V. ſpeciali Bulla decreuit, quam ego vidi. Et intra ſexennium reeligi non poſſunt.

5 In electione Abbatiſſæ non poteſt dare ſuffragium niſi Monialis habuerit tres annos habitus, vel circa. Compend. ver. *Abbatiſſa.* §. 5. loquitur tamen ſolùm de Abbatiſſa S. Claræ, & cùm hoc non ſit ſtatutum Ordinis ſed Bulla Papæ,in hoc non poterit diſpenſare niſi qui poteſt diſpenſare in Bullis Pontificiis. At per ſtatuta Generalia Franciſcana Romæ anno 1612.non poteſt ſuffragium dare in electione Abbatiſſæ niſi habuerit quatuor annos profeſſionis.

6 Poteſt eligi Abbatiſſa deſcendens ex Iudæis,hæreticis, &c. Item illegitima, idque ſine diſpenſatione. Miranda *tom.*1.*quæſt.*6.*de Monial. art.*2. *&* 3. Quod ſi diſpenſatio neceſſaria foret, poſſunt illarum Prælati diſpenſare.*ibidem*: & Rodrig.*tom.*1.*quæſt.*10.*art.*21.*&* 22.*& quæſt.*14.*art.*13.

7 Abbatiſſa admittens ſeculares intra clauſuram indebitè,ſi illos admittit virtute licentiarum Papalium reuocatarum per Gregor. XIII. Sixtum V. & alios, peccat mortaliter, & incurrit cæteras pœnas ibi contentas. Si verò Abbatiſſa, vel Monialis alia admittat intra clauſuram ſeculares indebitè, non virtute prædictarum Bullarum, ſed ad libitum; peccant mortaliter, ſed non incurrunt excommunicationem, neque alias pœnas, neque manent priuatæ officiis. Rodrig. *tom.*1. *quæſtionar. quæſt.*47. *artic.*1. §. *obſerua etiam.* & Miranda *tom.*1. *quæſt.*2. *de Monial. artic.*10. *concluſ.*1.

8 Non

8 Non obstante quod Sixtus V. citata sua Bulla de triennio Abbatissę dicat, non posse fieri Vicariam illam quę desiit esse Abbatissa in illo triennio, neque habere aliud officium regiminis, si tamen vsus obtinuit vt finito officio, Abbatissę fiant Vicarię, vel quid simile, potest tolerari, & tale regimen obtinere infra Abbatissam. Rodrig. *Addit. ad Sum. tom. 3. c. 3. concl. 7.* & hic vsus introductus est in prouincia Algarbiorum in portugallia, vbi vidi hoc bis fieri.

9 In electione Abbatissę suffragium dare potest prælatus ordinarius præses electionis, vt prouincialis, & similes superiores: sunt enim caput illius communitatis, & Prælati cum Monialibus faciunt vnum corpus morale ad eligendum. Probatur ex praxi multorum Episcoporum suffragantium in electionibus suarum Abbatissarum vt pro certo scio in hoc Regno portugalliæ, & facit exemplum in Ordine Minorum: nam illorum Generalis eo quòd per Bullam Apostolicam est prælatus Tertiariorum viuentium in Congregatione, quando præsidet in electionibus Tertiariorum habet suffragium verè sicut prælatus, licèt Tertiarij sint alterius Ordinis: ergo à simili licèt Moniales sint alterius Ordinis, & sexus, id non prohibet quin illarum prælatus in illarum electionibus suffragetur. Dixi *Prælatus ordinarius*, quia si præses electionis sit delegatus, vel Commissarius, tale suffragium non habet, quia in rigore non est prælatus ordinarius.

10 Abbatissa prima fundatrix alicuius Cõuentus potest continuari in officio Abbatissæ per viginti annos apud Claristas. Miranda *in expositione Reg. S. Claræ.* & statuta S. Claræ. Mirand *citata expositione fol.* 290. potest etiam extendi vltra triennium illa Abbatissa quæ non fit per electionem, sed per præsentationem; vel, si

est

est prælates fœminarum non Monialium, vulgo, *das Donas*. Rodrig. *citat. c. 3. n. 6.*

Vide infra ver. *Moniales n. 1.*

AN MONIALIS QVÆ FVIT vidua possit esse Abbatissa.

TOTA dubitatio est an Monialis non virgo, seu vidua, possit esse Abbatissa, in Conuentu vbi non est mos vt consecrentur velo virginitatis? Absolutè negat Miranda *tom. 1. quæst. 7. de Monial. art. 6.* & negauit olim Rodrig. *2. locis quæstion. Reg. mox citandis*, citat Miranda multa *cap. & gloss. iuris*, multos item DD. de quo infra. Et hanc solam rationem afferunt, quia si licet non bene potest hortari ad virginitatem illa vidua quæ virginitatem non seruauit.

Posse tamen viduam fieri Abbatissam tenet Rodr. *Addit. ad Summ. tom. 3. cap. 3. ver. Abbatissa num. 9.* vbi retractat se de opposito quod tenuerat in *quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 64. artic. 4. & tomo 2. quæst. 54. art. 3. & citato loco Sum.* ait videre se praxim in oppositum per quam viduæ fiunt Abbatissæ. Hoc etiam innuit clarè Comitolus *in Respons. Moral. lib. 4. quæst. 19.* vbi cùm distingat quinque vela Monialium, professionis scilicèt, virginitatis, prælationis, ordinationis, &c. ait fœminam non virginem intrantem Ordinem, omnia vela posse suscipere excepto velo virginitatis: & proinde concedit clarè posse habere velum prælationis, quod est Abbatissę. Idem innuit ea de causa, Syluest. ver. *consecratio virginum.* Et non dissentit glos. *cap. illud autem 20. quæstion. 1. ver. velamen.* Et alij DD. dum loquentes de quinque velis Monialium solùm dicunt non posse velari velo virginum, illam quę est non virgo: & proinde sentiunt posse non virginem

velari

velari velo prælationis. Denique huic ſententiæ ſubſcripſit, & ſcripto firmauit P. Fr. Suarez dum viueret, cuius ſubſcriptionem retineo, in qua dicit, neque eſſe de iure diuino, neque naturali, neque Eccleſiaſtico quod Abbatiſſa ſit virgo.

Poteſt afferri tex. pro hac ſententia: nam *cap. nemo presbyter. diſt.* 78. ſic habetur: *Nemo inter Diaconiſſas conſecretur, quæ minor ſit* 40. *annis, vel ad ſecundum matrimonium peruenerit.* Vbi, ſi per Diaconiſſam intelligitur Abbatiſſa, vt Miranda, & alij volunt, cùm exceptio firmet regulam, & ibi excipiatur à Diaconiſſa illa ſolùm quę bis nupſit: ſequitur non excipi ab Abbatiſſa illam quę ſemel nupſit: & ſic non eſt inauditum in iure quod vidua ſit Abbatiſſa. Secundò probatur, quia Concil. Triden. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 7. vbi ex profeſſo ponit qualitates eligendę in Abbatiſſam; ſolum ponit illas quę ſunt poſita ſupra *num.* 3. & nihil loquitur de virginitate: quod vtique debuit exprimere, ſi virginitas requireretur. Imò ibidem citat Concilium iura antiqua ad marginem in quibus continentur qualitates Abbatiſſæ ibi expreſſæ à Concilio: & non citat aliquem textum pro virginitate: qualis inter alia citatur à contrariis, *cap. iuuenculas, de quo infra.* 3. Ratio congruens ſuadet, quod aliàs benemeritæ viduæ non excludantur ab hoc officio; ne fortè ſuboriatur murmur quod reiiciantur, ſicut olim *Actor.* 6. factum eſt murmur Græcorum eò quòd viduæ illorum deſpicerentur in miniſterio. Dixi *aliàs benemeritæ*: imò aliquando magis emeritę, quia viduæ cæteris paribus callent melius regimen domus ob praxim quam ante habuerunt, qua carent vt plurimum Moniales virgines, aliquando conuentum ſeptennes ingreſſę: imò & viduæ expertæ, & pertæſæ vanitates ſæculi ex accidente plus illas abominantur.

Vt

Vt verò vltimam rationem adducam, ſuppono vt certiſſimum ex Doctoribus Theologis & Canoniſtis, quod lex etiam Papalis tolli poteſt per contrarium vſum, vt fit quotidie. Et ad hoc, aliqui dicunt ſufficere decennium; aliqui dicunt ſufficere aliquando attentis circumſtantiis tempus breuius quàm decennium. Qui verò tempus amplius extendunt, dicunt per 40. annos ſufficientiſſimè legem tolli per contrarium vſum. Vide inter alios Suarez *tom. de legibus, libr. 4. cap. 16. à num. 9.* Hoc poſito contendo probare quod dato & non conceſſo, quod aliqua lex canonica prohibuit viduam fieri Abbatiſſam, talis lex eſt abrogata per contrarium vſum, & praxim multis ab hinc ſæculis. Affero triginta exempla pro diuerſis ætatibus: & ex libr. mox citandis vidi 23. viduas Abbatiſſas, quarum omnia nomina breuitatis gratia ſi omittam videat qui voluerit citatis modò locis, quæ omnes Abbatiſſæ fuerunt viduæ, vel coniugatæ. Ergo Surius *tom. 1. fol.* 375. ponit Leam. & *tom. 1. fol.* 725. ponit Paulam. & *tom. 4. fol.* 673. Athamſiam. Bern. de Brito in Chronica Ciſter. *fol.* 366. ponit Vrracam, & *fol* 459. ponit aliam. Baron. *in Calenda. 9. Octob.* ponit Publiam. Heribertus *de vitis patrum. fol.* 893. ponit Damianam. Arnoldus *lib. de ligno vitæ, ſeu ordine S. Benedicti tom 2. lib. 4. cap. 3.* ponit vnam, *cap. 4.* ponit duas. & *cap. 14.* ponit quinque. & *cap. 15.* ponit duas. & *cap. 29.* ponit vnam. & *cap. 36.* ponit vnam. & *cap. 37.* ponit aliam, & *cap. 39.* ponit duas, quarum nomina vide ibi. Tritemius *lib. 3. de viris illuſtribus Ordin. S. Benedicti c. 38.* ponit vnam. Carrilus *in libr. fundationis Capucinarum Madriti fol.* 58. ponit vnam, & ſic ſunt viginti quatuor, & in Portugallia recenter in Conuentu Matris Dei Olyſſipo. 1enſ. quinquaginta ad hinc annis fuerunt tres viduæ Abbatiſſæ, & in Conuentu de Sacauem duæ, & hodie

quando hoc ſcribo Olyſſipone in Conuentu ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Dominicano eſt alia Comitiſſa olim do Vimioſo, vltra alias quæ nolo recenſere in Portugallia, & alias quæ in Regnis Caſtellæ recenter debuerunt inueniri, propter quod Rodrig. tanta praxi confuſus dictum retractauit, in vltima ætate, vt dixi, neque in libris citatis, neque pro recentibus lego, aut ſcio fuiſſe obtentam diſpenſationem, neque credibile eſt tot fuiſſe procuratas vel datas diſpenſationes, maximè cùm multæ illarum eſſent Religioſæ perfectæ virtutis. Si ergo lex canonica abrogatur per contrarium vſum, vt dixi: dato quod lex vlla hoc prohibuerit, nonne per tot annorum ſpatia iam euanuit? Sed ſoluamus loca in contrarium adducta.

Citant ergo pro parte contraria, *c. ſi quis omnem §. nouimus 1. quæſt. 7.* vbi dicitur; *Nouimus peccatricem Mariam, poſt conuerſionem, quamuis ſancta, & caſta, inter Diaconiſſas, non eſt computata.* Sed hæc verba nihil probant. Primò quia ibi adducuntur in exemplum, & adducta in exemplum non faciunt legem, vide ibi clare. Secundò ibi per Diaconiſſam non intelligitur Abbatiſſa: tempore enim Magdalenæ nec fuerunt Abbatiſſæ, nec Moniales trium votorum, ſed ibi per Diaconiſſam intelligitur officium particulare fœminarum, vel legendi homilias, & inchoandi Antiphonas in Choro, vel aliquid diuerſum; pro quo vide Baronium *tom. 1. Annal. anno 34. cap. 255.* & Lorinum *ad cap. 6. Act.*

2 Citant *cap. finale 26. quæſt. 1. cum ibi citatis.* Sed illa quæſtio vnum tantùm caput habet loquens de ſortilegiis, & nihil de Abbatiſſis, & proinde falſo citatur.

3 Citant gloſſ. *in cap. quomodo, 31. quæſt. 1. ver. eligatur*, ſed ibi gloſſ. nec dicit aliquid ex ſe, neque aliquid nouum,

nouum, sed solùm se remittit ad *c. iuuenculas*, de quo statim.

4 Citant glos. *Clementinæ attendentes. de stat. Monachorum* §. *statuimus, ver. Rationabilis*, vbi glos. sic ait. (*si corrupta promota esset, per eum qui posset, non benediceretur*) sed ibi verbum, *non benediceretur*, non significat, quod non confirmaretur in officio Abbatissæ; sed solùm, quod non consecraretur velo virginitatis. Patet clarè in tex. vbi Papa cogit electam in Abbatissam intra vnum annum petere munus benedictionis; quod munus benedictionis non est cõfirmatio officij Abbatissæ, iam enim per annum erat in illo confirmata. Erat ergo munus consecrationis per velum virginitatis, de quo non loquimur, & sic glossa conformans se textui, bene dicit, quod corrupta non consecraretur seu benediceretur. Non verò per *benediceretur* intelligit, confirmationem in officio Abbatissæ.

5 Citant *cap. penult. 26. dist. vna tamen*, in quo glossa innuit quòd vidua non potest esse Abbatissa, eò quòd non potest bene hortari ad virginitatem, quam non seruauit. Sed, primò quidẽ, Textus ibi nõ est Papæ alicuius, sed solum D. Ambrosij, & proinde non facit legem. Secundò ibi Ambros. non loquitur de Abbatissis, sed de bigamis. Tertiò non loquitur de hortatione ad virginitatem, sed ad viduitatem: ait enim, quod non poterit bene hortari ad viduitatem bigamus, qui coniugia frequentauit. Vnde glossa colligit suo iudicio, quod non poterit vidua bene hortari ad virginitatem, quam non seruauit. Sed ego hìc dico quod non est necesse quod Abbatissa hortetur ad virginitatem, quia Moniales non promittunt virginitatem sed castitatem: & hanc vidua bene seruat, & potest ad illam hortari, vt infra dicam, & saltem semel vidua, non frequentauit coniugia, vt bigamus, de quo loquitur Amb-

brosi. & sic saltem semel vidua poterit esse Abbatissa, & confirmatur, quia viduus vir ex vno tamen coniugio non repellitur à sacerdotio, quod est maius: ergo neque semel vidua ab officio Abbatissæ, quod est minus.

Vltimò citant. *cap. iuuenculas* 20. *quæst.* 1. vbi Greg. Papa sic præcipit cuidam Episcopo. *Iuuenculas fieri Abbatissas vehementissimè prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua nisi sexagenariam virginem velari permittat*, & ibi velari suppono *quod sit velo prælationis.*

Pro responsione noto primò quod ibi principale, imo & solum intentum Papæ, vt patet ex verbis positis in principio, est quod Abbatissæ non fiant iuuenculæ, sed in ætate matura, & vltimum verbum, *virginem*, videtur ibi accessorium.

Pro quo noto secundò, quod aliquando Papa post definitionem fidei addit aliquod verbum vel sententiam, pro exemplo, vel pro ratione assignanda: & tunc sententia addita post definitionem non est definitio fidei. Tenet hoc Lorinus super 2. *Epistol. Petri cap.* 1. *vers.* 21. §. *accedit*, nisi alias illud additum sit contentum in Scriptura sacra, vel definitione, ponit Suarez exemplum *tom.* 2. *de Incarn. quæst.* 27. *disput.* 4. *sect.* 4. §. *dicendum est ergo.* Nam in Concil. Trid. *sess.* 6. *canon.* 23. definitur de fide, neminem in vita posse vitare omnia venialia, absque priuilegio Dei: & additur: (*sicut de B. Virgine tenet Ecclesia*) hoc verò ibi additum de Bo Virgine, non est ibi definitio fidei (licèt alias in alio Concilio fuerit definitum) sed ibi in Tridentino affertur tantùm in exemplum. Si ergo aliquando vna sententia addita alicui definitioni, non habet vim definitionis, sed additur vt exemplum, & accessorium: Maiori iure poterimus colligere quod aliquando

vnum

vnum tantùm verbum additum alicui legi, vel in fine illius non pertinet ad essentiam legis, sed ponitur vt accessorium, & declaratiuum.

His positis dico quod quando citato *cap. inuenculas.* statuitur, vt Abbatissa sit sexagenaria virgo: verbum, *virgo*, non facit partialem legem, vel conditionem legis; sed est solum accessorium, idem valens quod sexagenaria Monialis. Non enim ait quod sit sexagenaria, & virgo: vel sexagenaria, quæ sit virgo: sed sine puncto, seu sine virgula, ponitur, *sexagenaria virgo*: tanquam adiectiuum ad substantiuum, & tanquam accessorium ad principale. Vt nihil aliud sit quàm sexagenaria Monialis: appositio nomine *virginis*, pro communiori significato: quia scilicet communiter loquendo Moniales sunt virgines. Neque ista expositio videri potest violenta: violentior enim est expositio glos. *ibi ver. sexagenaria*; cùm ait posse ibi per sexagenariam intelligi non annis sed moribus. Cùm tamen ibi intentum principale, & literale per sexagenariam intelligatur de annis ætatis. Si ergo glossa sic explicat verbum principale *sexagenariam*: quid si nos explicemus hoc modo verbum, *virginem*, quod est accidentale?

Quod si ista expositio non placeat, & dictum *cap.* vellet obligare vt Abbatissa sit virgo (quod non admitto) saltem per tam longam praxim tot annorum, in tot sæculis quæ citauimus, quis neget esse abrogatum per contrarium vsum in tot exemplis adductis vltra alia, quæ facile esset inuenire? Quæ exempla si fortè Doctores oppositi scirent, vel aduerterent, omnino dictum cum Rodrig. retractarent.

Ad rationem pro parte contraria quod scilicet vidua Monialis non potest bene hortari Moniales ad virginitatem; dico primò quod si illa valeret, etiam

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

vir viduus Monachus non posset esse Prælatus Regularis,quia non bene hortaretur ad virginitatem quam absolutè non seruauit. Hoc tamen nullus Doctor asseruit. Secundò dico,quod Moniales non promittunt virginitatem sed castitatem, vt patet, & proinde illarum Abbatissa non debet hortari ad virginitatem:vidua verò æquè bene potest hortari ad castitatem,quia illam seruat. Tertiò dico, quod bene potest aliquis hortari ad virtutem quam non seruauit. Papa enim vt plurimum non seruauit obedientiam, neque paupertatem: & tamen efficaciter hortatur omnes Religiosos decretis suis ad paupertatem, & obedientiam. Et confirmatur,quia Dauid post adulterium,& homicidium,offert se Deo in prædicatorē *Psalm.*50. *Docebo iniquos vias tuas.*Et Salomon vanitatibus antea deditissimus pro vt de se fatetur *Ecclesiast.*2.postea hortatur omnes vt fugiant vanitates dicens,vanitas vanitatum,& omnia vanitas.Et Sanctus Romualdus prius fuit homicida cum patre:& postea fundator Camualduensium.Et Guillelmus Dux in Gallia fuit prius homicida, adulter, & schismaticus, vt ipse confessus est coram Summo Pontifice apud Surium *tom.*1. *fol.* 966. & postea reformauit Eremitas S.Augustini.

ADDITIO.

1 DIxi olim hoc eodem verb.in electione Abbatissæ non posse ferre suffragium quæ non habuerit tres annos habitus,vel circa. Et in Ordine Minorum per statuta generalia ad hoc requiri quatuor annos. Dixi item illud primum decretum de tribus annis esse decretum Papale Eugenij IIII. in Compendio ibi citato.Nunc addo idem decreuisse Nicolaum V. apud Rodrig.*tom.*2.*qq. Reg.q.*54.*art.*1. vnde ibi dixi

non posse in hoc dispensare, nisi illum cui specialiter concessum fuerit posse dispensare in Bullis Pontificiis. Quocirca collectores, & Nuntij Apostolicæ Sedis, viderint si hanc specialem facultatem habent. Hoc vnum scio mihi dictum fuisse ab Auditore vnius Collectoris, seu Nuntij, prædictum Collectorem non posse dispensare in Bullis Pontificiis. Hoc ipsum tenet Rodrig. in simili casu mox citando *in Sum. capitul.* 105. *verb. Electio. prope finem.* At poterit idem Nuntius vel Collector Apostolicus dispensare in statuto illo Minorum, requirente quatuor annos in Moniali, ad dandum suffragium in electione Abbatissæ. Quomodo verò hi anni sunt intelligendi, seu computandi, an requirantur completi, vel sufficiant inchoati vide infra ver. *Annus*.

2 *Citato proximo loco Sum.* ait Rodrig. quod si Papa, vel potens valide dispensare, dispenset cum Moniali, vt reeligatur in Abbatissam ante finitum terminum vacationis præfixum à Sixto V. ob præteritam prælaturam, talis dispensatio ante triennium vacationis debet intelligi pro vna tantùm vice: & sic non poterit bis reeligi virtute illius primæ dispensationis, nisi id exprimat dispensatio, quia (ait Rodrig.) illa electio est odiosa, & proinde est restringenda ad vnam tantùm vicem, & citat ad hoc duos ibi Doctores.

3 Paulus III. in Bullar. Rodrig. *fol.* 820. *num.* 8. concessit Commissario tunc Romanæ Curiæ, vt Abbatissa Monialium Sanctæ Claræ de Obseruantia possit dispensare cum suis Monialibus circa ieiunium suæ Regulæ, & circa esum carnium, & lacticiniorum, seu ouorum, quando viderit prædictas Moniales propter debilitatem talia ieiunia, vel obseruantias non posse commodè obseruare: & non solùm exprimit propter debilitatem, sed addit: *vel ob aliam legitimam causam.*

Vbi noto primò hanc non esse propriè dispensationem manantem à iurisdictione Ecclesiastica: nam fœmina illius non est capax, vt omnes affirmant. Sed est tantum declaratio Prælatæ, cui tunc standum esse Papa permittit. Secundò noto, non ibi Papam exprimere causam morbi vel ægritudinis manifestæ: hæc enim dispensatione non indiget; sed ad vitandos scrupulos etiam exprimit debilitatem, vel aliam causam legitimam.

4 Poterit Prouincialis absens in electione Abbatissæ, quam iussit fieri per aliquem delegatum, mittere suum suffragium per scriptum secretum, vel constituere procuratorem, qui suo nomine ibi suffragium ferat, ità Azor *tom.* 1. *libr.* 13. *cap.* 10. *quæst.* 2. loquens expresse de electione Abbatissæ facta per Episcopum absentem. Et probatur, quia cùm Prouincialis habeat suffragium in electione illa sicut cæteræ Moniales, vt probaui *in* 1. *Edit. ver. Abbatissa, num.* 9. idque possit facere quando est præsens, poterit idem facere quando est absens per scriptum, vel procuratorem. Et hoc dicit ibi Azor. fuisse declaratum Romæ à Cardinalibus, & contineri in priuilegiis Minimorum verbo *Concilium*. Vnde pro Minoritis colligi videtur, quod si Prouincialis committat alicui Religioso speciali vt celebret electionem alicuius Abbatissę, poterit Prouincialis tali Religioso tamquam suo procuratori committere, vt pro se, Prouinciali absente, suffragium ferat in dicta electione Abbatissæ, argumento illorum quæ dicam infra ver. *Commissarius*, de generali Ordinis mittente Commissarium delegatum vt præsens sit in Capitulo prouinciali, vel congregatione, cui potest tunc Generalis committere, vt tamquam suus procurator suffragium ferat in electionibus illius Capituli, vel Congregationis. Id tamen oportet vt Prouincialis

expri

exprimat, & clarè committat. At Reginaldus *tom.2. libr.3.num.193.*concedit cum Azorio posse electorem absentem mittere procuratorem, qui suo nomine suffragium ferat. Negat tamen posse mittere suffragium per scriptum secretum: idemque tenet Sylvest. ver. *Electio 1.quæst.3.*& confirmat ex *cap.si quis.de electione in 6.* Vnde securiùs puto quòd Prouincialis id faciat per procuratorem, & non per scriptum. Nam de illa declaratione Cardinalium dicente id posse fieri etiam per scriptum, non mihi constat, nisi ex solo dicto Azorij. Aduerto adhuc in libro Declarationum Cardinalium, impresso Duaci, Anno 1618. *fol.344.* referri declarationem Cardinalium ibi,§. *Aut alios:*in qua dicitur fore nullam electionem, si elector in mandato committat procuratori,vt eligat certam, & determinatam personam, assignat rationem, quia iam tunc electio non erit facta per suffragium secretum. Cùm enim procurator ille debeat ostendere litteras testimoniales suæ procurationis,si in illis litteris ponatur quod ferat suffragium pro certa persona: iam suffragium erit publicum, & notum. Vnde colligo, quòd si in litteris procurationis non dicatur vt ferat suffragium pro certa persona; in secreto autem, verbo tenus,id dicat procuratori ita vt solus procurator audiat tunc non impedietur electio, quia adhuc suffragium secretum est.

4 Noua quæstio est, vtrum in Ordine Minorum sit valida electio Abbatissæ facta à Prouinciali ad cratres, non per scriptum, seu per schedulas obsignatas, sed audiendo tantùm suffragia voce tenus coram Secretario,& testibus: vt permittit Concilium Tridentinum Episcopo *sess.25. cap.7. de Regular.* Rodriguez *in Sum. tom.1. cap.105.* & in addit.ad *Sum.ver. Abbatissa concl.12.ad finem,*tenet quòd talis electio in Ordi-

ne Minorum est irrita. Probat, quia Sixtus V. pro Ordine Minorũ constitutione propria ordinauit: *Quod electiones quorumcumque superiorũ, & Officialium per fratres celebrandæ fiant per schedulas scriptas, & clausas.* Et postea addit irritum fore quidquid in contrarium factum fuerit à quocumque. Habetur hæc Bulla in statutis generalibus Minorum Rebolledi *fol.* 187. *pag.* 2. Et in Bullario Rodrig. *fol.* 1136. cùm ergo Abbatissæ sint etiam superiores Monialium, & illarum electio per Minores Fratres celebretur, sequitur fore nullam, si celebretur sine schedulis obsignatis.

Ego tamen credo talem electionem in Ordine Minorum fore validam, neque in illa peccari, si fiat cum causa. Probo primò, quia Concilium Tridentin. *citato loco* prædictum modũ suscipiendi suffragia ore tenus solùm audiendo, non solùm concedit Episcopo, sed etiam superioribus Religionum. Sic enim ait Concilium: *Episcopus siue alius Superior non ingrediatur, sed ante fenestellam vota audiat, vel accipiat.* At Sixtus V. in illa sua Constitutione non dixit se reuocare Concilium Trident. quod oportebat dicere, si vellet reuocare concessionem ibi factam prælatis Regularibus. Imò potius in fine prædictæ constitutionis exprimit Sixtus V. se illa concedere, vel decernere pro Minoritis, dummodò non contradicant Concilio Tridentino: ergo noluit in aliquo derogare Concilio Tridentino: ac proinde concessio ibi facta à Concilio, vt prælatus etiam Regularis recipiat suffragia ore tenus in electione Abbatissæ non est reuocata. Nam iuris reuocatio maximè vitanda est præsertim Concilij Tridentini celeberrimi, vt tenet Suarez *lib.* 5. *de Legibus, cap.* 33. & Sanches 1. *de Matrim. disput.* 54. *numer.* 5. Secundò facit declaratio Cardinal. posita in libr. impresso Duaci supra citato, qui *fol.* 343. §. *in electione,*

sic

ſic ait, *Abbatiſſarum vota ore tenus accipi poſſunt à Superioribus cum duobus teſtibus.* Vbi ponitur in plurali, *Superioribus*, id eſt, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Regularis prælatus. Tertiò probo ex verbis Sixti V. in citata conſtitutione: ibi, *Electiones Superiorum.* Nam per Superiores ſolùm intelligit Superiores Fratrum, cum quibus ibi loquitur in principio, & quorum ſtatuta confirmat: at Abbatiſſæ non ſunt ſuperiores Fratrum, vt patet: imò neque in vſu communi loquendi Eccleſiæ illæ dicuntur ſuperiores cùm careant iuriſdictione Eccleſiaſtica. Quartò probatur ex illo verbo Bullæ, *Et officialium.* Nam ſi hoc verbum intelligeretur de officialibus etiam Monialium, peccarent quotidie prælati Minoritæ eligentes officiales Monialium, (vt Ianitrices, Magiſtras, Nouitiarum, &c.) verbo tenus abſque ſcripto, & tamen has officiales quotidie eligunt valide ſine ſchedulis, ſolùm ore tenus: quòd non faciunt in electione officialium Minorum Fratrum vt in electione Diffinitorum, Cuſtodum, &c. Ergo ibi Sixtus V. per Superiores, & officiales, ſolum loquitur de Fratribus, & illorum electionibus, non verò de electionibus Monialium. Et fauet ſtatutum Congreg. generalis Segouiæ, *titulo de election.* §. *Verum cum.* vbi de ſchedulis ſecretis electionum loquens, ſolas Fratrum electiones ſpecificat.

DE ABBATISSA ADMITTENTE *ſæculares intra clauſuram abſque licentia.*

Vide infra verbo Clauſura Monialium, *num.* 5.

1 DIxi hoc loco in 1. *Editione*, *verb. Abbatiſſa*, *num.* 7. Abbatiſſam, & Moniales admittentes intra clauſuram ſæculares indebitè, vel etiam fœminas ſeculares, talem Abbatiſſam, & Moniales peccare

mor

mortaliter, sed non incurrere pœnas Motus proprij Pij V. & aliorum Pontificum, nisi quando tales personas sæculares admittunt virtute licentiarum reuocatarum à prædictis Pontificibus: sic enim affirmat Rodrig. & Miranda *locis ibidem à me citatis.* Et denuo potest pro eadem sententia adduci Suarez *tom. de Censur. disp.* 22. *sect.* 6. *num.* 11. vbi explicans easdem Bullas Pij, & Greg. ait prælatos, & fratres admittentes fœminas intra claustra Conuentus non incurrere pœnas illorum Motuum, nisi quando tales fœminas admittunt virtute licentiarum Papalium reuocatarum ab illis duobus summis pontificibus: si verò illas recipiant non virtute licentiarum reuocatarum, sed ad libitum, vel ad malum finem, tunc non incurrere ex vi talium Bullarum, sed standum esse statutis, & pœnis decretis in sua Religione. In quo Suarez concordat satis cum mente Rodrig. & Mirandæ *citata quæstione*; propter quæ hodie non discedo omnino ab iis, quæ citato loco dixi secutus Rodrig. & Mirandam.

2 Postea tamen incidi in Azorium, & Ludoicum Beja, quorum ille *tom.* 1. *Sum. lib.* 13. *cap.* 8. *quæstion.* 10. hic verò 1. *p. Resp. Moral. casu* 30. *fol.* 48. & 49. tenent oppositum dicentes prædictam Abbatissam, & Moniales sic admittentes sęculares intra clausuram, etiam non virtute licentiarum reuocatarum, incurrere pœnas dictarum Bullarum: & ex consequenti eisdem pœnis ligari personas sæculares sic admissas, & intrantes. Citant ambo hi Doctores Nauarrum in *cap. statuimus* 19. *quæst.* 3. *numer.* 61. Vbi dicit Nauar. quòd post prædictas Bullas, ambo pontifices Pius V. & Gregorius XIII. declararunt suam mentem fuisse quod etiam incurrerent prædictas pœnas illæ Moniales, quæ admittunt sæculares intra clausuram indebitè, non

solùm

solùm virtute licentiarũ reuocatarum, sed ad libitum quouis modo illicito. Quo dato, satis dubia manet responsio Rodrig. Mirandæ, & Suarez. Neque hi tres Doctores videntur vidisse Nauarrum *citato loco*. Nam authoritas tanti viri, qualis est Nauar. Romæ illo tempore præsens, idque referens de duobus illis Pontificibus cogit nos vt credamus sic contigisse, & sic declarasse: & proinde opinio Nauar. Azorij, & Beiæ militat contra tres priores Doctores. Congerit Beia *citato loco* multas rationes pro sua opinione tuenda.

Ego in re tam graui, ac difficili, pro opinione Rodrig. & Mirandæ duo solùm profero. Primum est, quòd Miranda post Nauar. multos annos suum Manuale prælo dedit Romæ, ibique suum opus fuit examinatum à censore Fidei, seu examinatore librorum, qui debuit Romæ scire praxim circa illam materiam, & præcedentes declarationes Pij V. & Gregorij XIII. si extarent: & tamen opinio Mirandæ ibi non fuit correcta, sed tolerata. Secundò dico, idem quod in simili materia dicit Pater Soza in sua Relectione Bullæ Cœnæ *disput.* 100. *num.* 7. §. *Ad fundamentum*. vbi respondens ad alias duas declarationes Pij V. & Greg. XIII. adductas, seu relatas contra opinionem quam ibi sequitur vt probabiliorem (posse scilicet hodie Episcopos absoluere ab hæresi occulta) per quas dicti duo Pontifices dicuntur oppositum declarasse, seu decreuisse: Ait nihilominus Soza, prædictas declarationes Pij, & Gregor. non extare authenticas: & credibile est quòd prædicti Pontifices tales declarationes in re tam graui toti Ecclesiæ diuulgarent. Sed quoniam (ait ille) non est res certa de talibus declarationibus, teneri potest illa opinio, quæ asserit posse hodie Episcopum per Tridentinum absoluere ad hæresi occulta; non

obstante quòd dicitur illos Pontifices oppositum declarasse, cùm id non certò constet. Hoc ipsum ego applico ad nostrum casum de Monialibus admittentibus sæculares intra clausuram indebitè: cùm enim sint tres Doctores graues, & rationes claræ pro sua opinione, id est, satis probabiles, quibus probatur prædictas Moniales non incurrere pœnas, quas affert Rodrig. *citato loco*: defendi potest illorum opinio saltem pro foro interno, quamuis dicatur oppositum declarasse duos illos Pontifices; quorum declaratio non extat authentica, nec fuit Ecclesiæ promulgata.

Pro vltima resolutione dico, quòd opinio Nauar. & cæterorum est tutior in conscientia: At non condemnarem illum qui sequi vellet oppositam. Illud saltem certissimum iudico cum Beia *citato loco*, quòd saltem intrantes indebitè clausuram non virtute licentiarum reuocatarum, incurrunt excommunicationem positam à Concil. Tridentino, *sess. 25. cap. 5. de Regular.* contra ingredientes indebitè clausuram Monialium. Ibi tamen Concilium solùm excommunicat dictos sæculares ingredientes indebitè; & Moniales egredientes indebitè: non verò excommunicat Moniales indebitè admitttentes dictos sæculares.

DE VIDVA ABBATISSA.

IN prima Editione, in quæstione de Abbatissa vidua duobus, vel tribus locis, dixi legem Pontificiam, siue Canonicam posse abrogari per contrarium vsum intra spatium decem annorum, etiam ignorante Pontifice: eidem dixi ver. *Lex*, *n.* 11. pro quo citaui Suarez. Nunc declaro quòd ista doctrina intelligenda est de lege in principio suæ publicationis; si enim per primos decem

decem annos fuit vsu recepta, sed contra illam communiter practicatum est, lex censetur abrogata per contrarium vsum, etiam ignorante legislatore. Si verò lex iam fuit vsu recepta per decem annos, & radicata, tunc vt abrogetur per contrarium vsum, nõ sufficiunt anni decem, sed requiruntur quadraginta anni, vt explicat Suarez *citato ibi lib. 4. de Legibus, cap. 16. à num. 9.* Et ratio est quia lex in principio, quandiu est adhuc minus radicata minus tempus requirit vt abrogetur per contrarium vsum: At postquam est iam recepta, & magis radicata, petit longius tempus vt destruatur per contrarium vsum, videlicet quadraginta annorum: & sic communiter tradunt Doctores.

Quando Pontifices dicunt Abbatissam debere esse tantùm triennalem, quales debeant esse hi tres anni completi scilicèt, an sufficiant quòd excedant per aliquod tempus? Vtrum etiam tres anni quibus iubentur vacare debeant esse completi? Vide infra verbo *Annus.*

ABORTVS.

Vide ver. *Dispensare.*

QVoniam Sixtus V. in sua rigorosa constitutione contra procurantes, consulentes, & auxiliantes ad abortum, bis nominat Regulares, & illorum priuilegia omnino reuocat: & in Bulla Gregor. XIIII. moderatrice prædictæ Sixtianæ, video, vel timeo aliqua ab aliquibus non seruari, vel non obseruari, visum fuit breuiter ad hoc spectantia summare.

1 Ergo Sixtus in prædicta Bulla sequentia decreuerat. Primò vt quouis modo procurans abortũ incurreret omnes pœnas quæ per leges ciuiles, & canonicas impo

imponuntur homicidæ : ſiue abortus eſſet fœtus animati ſiue inanimati. Secundò ſi eſſent Clerici , vltra prædictas pœnas , priuati erant ipſo facto omni officio,& beneficio,& dignitate Eccleſiaſticis obtentis,& inhabiles manent ad prædicta omnia in futurum obtinenda. Si verò eſſent ſæculares redduntur inhabiles ad ordines ſacros,&c.obtinendos. Tertiò eaſdem pœnas extendit ad omnes procurantes , vel conſulentes quouis modo , vt fœminæ alicui daretur potio,vel remedium quoduis ad ſterilitatem , vel ad non concipiendum.Quartò committit cuiuis iudici ſæculari,vel eccleſiaſtico vt poſſit cauſam præuenire,& contra prędictos procedere,pœnas prædictas infligendo.Quintò omnibus prædictis imponit pœnam excommunicationis , à qua per nullum priuilegium, etiam Regularium, neque per Iubilæum, poſſit quis abſoluere. Et vltimò dicit,quod neque poſſit aliquis diſpenſare cum prædictis in irregularitate inde contracta virtute cuiuſcumque priuilegij , etiam ſi crimen occultum ſit, neque in foro conſcientiæ.

2 At Gregor. XIIII. illius ſucceſſor,prædictam Bullam in duobus præcipuè reſtrinxit,dicens primò:quod quilibet Sacerdos ab Ordinario approbatus pro confeſſore,& ad hoc ſpecialiter deputatus, poſſit abſoluere à peccato abortus,& ab excommunicatione ibi impoſita : ſiue peccatum fuerit factum ante Sixti V. Bullam, ſiue poſt illam Gregorianam. Secundò decernit Gregor. XIIII. quod ſi fœtus non fuit animatus, vel ſi ſolum datum ſit poculum vel remedium,ad non concipiendum, ſterilitatemve cauſandam , tunc non incurrantur pœnæ ſtatutæ à Sixto;ſed ſolùm tunc reguletur delictum per ius cõmune canonicum; vel Conc. Tridentini.Tertiò ait Gregor. quod Bulla Sixti quo ad alia in ipſa contenta,maneat in ſuo robore,& vigore,

vndo

vnde multa licet,& oportet colligere.

3 Primò quod hodie procurans,vel conſulens abortum fœtus inanimati neque incurrit excommunicationem,neque irregularitatem:quia ius commune tales pœnas huic crimini nõ inflixit;imò neque pœnam homicidij,vt ſuppono notiſſimum, & tenet inter alios Azor.*tom.2.lib.2.c.26.§. iure canonico.* peccauit tamen ſupradictus mortaliter & grauiter.

4 Secundò neque prædictas pœnas incurrit dans remedium ne fœmina concipiat, vel vt ſterilis fiat:quia ius commune illasnon imponit:peccatum tamen graue eſt.Et ob eandem cauſam,non incurrit illas pœnas qui animo impediendi conceptum prolis ſeminaret extra vas,vel cohiberet alio modo,quia ius commune hoc non plectit illis pœnis, vt tenet, & innuit Sayro *tom.de cenſuris lib.3.c.35.n.27* peccatur tamen ibi ſicut in ſupradictis.

5 Tertiò qui hodie procurant abortum fœtus animati,ſortito effectu, incurrunt excommunicationem. Nam Gregor. XIIII. ait in ſua moderatoria, quod ab excommunicatione ibi incurſa abſoluat Sacerdos modo ſupra iam dicto. Vnde clarè ſupponit manere excommunicationem impoſitam taliter facienti,licèt non ſit reſeruata Papæ. Circa quam excommunicationem adhuc manentem idem approbat Vega *in Sum.Morali 1. par.caſu 4. ver. Aborſos.* Imò noto pro confeſſoribus Clericis, quod licèt ſint approbati, non tamen poterunt abſoluere ab iſta excommunicatione niſi fuerint ad id ſpecialiter deputati ab Epiſcopo.quia Gregor.XIIII. ait debere eſſe confeſſores ad id ſpecialiter deputatos, & idem credo ſecurius eſſe dicendum erga confeſſores Regulares, vt ſcilicet non poſſint ab iſta excommunicatione abſoluere, niſi ſpecialiter per ſuos Prouinciales deputentur; ſicut opus eſt deputen-

tur ad diſpenſandum cum coniugatis pro petendo debito, quando impediuntur voto, vel coitu inceſtuoſo. Moueor, quia vt dixi, Gregor. XIV, vltra approbationem confeſſoris, requirit ſpecialem deſtinationem ſui ſuperioris vt videtur. Niſi forte dicas poſſe id facere confeſſorem Regularem per priuilegia per quæ poteſt abſoluere ſæculares à cenſuris reſeruatis Papæ, vel Epiſcopo, de quo infra verb. *Confeſſor*. Erga ſæculares, & erga Fratres minus poſſunt de ordinario. Vide ibi per totum. Sed tamen adhuc oppoſitum iudico probabilius & ſecurius propter ſpecialem deſtinationem requiſitam à Greg. XIV.

6 Quartò circa peccatum abortus, quod Gregor. ait poſſe abſolui, aduerto quod ſi fœtus erat animatus, non poteſt confeſſor ſæcularis illud abſoluere, quia iam eſt homicidium: & homicidium iure communi eſt reſeruatum Epiſcopo. Poterit tamen illud abſoluere confeſſor Regularis erga perſonas ſæculares, per ſua priuilegia de quibus infra. Dixi erga perſonas ſæculares, quia ſi pœnitens delinquens ſit perſona Religioſa, videndum eſt an in ſuo ordine homicidium voluntarium ſit caſus reſeruatus, maximè per acceptationem caſuum reſeruatorum Clementis VIII. vel ſuarum conſtitutionum, vt communiter reſeruatur: & tunc confeſſor Regularis non poterit tunc abortum abſoluere in Religioſo, niſi habuerit ſpecialem licentiam.

7 Quintò. Notiſſimum eſt quod ſi fœtus erat animatus delinquens quicumque incurrit irregularitatem ortam ex homicidio voluntario, vt omnes fatentur. Et proinde etiam hodie per talem abortum fœtus animati, vt plurimum incurritur caſus reſeruatus, excommunicatio, & irregularitas. Dixi ſupra *effectu ſecuto*; quia ſi datum eſt remedium ad faciendum abortum

Digitized by Google

tum fœtus animati, & tamen non est secutus effectus, sed partus viuus exiit in lucem, neque excommunicatio incurritur, neque irregularitas, quia ius commune tali delicto has pœnas non imponit: & iuxta Iuristas, Conatus (tenet Iulius Clar. *in pract. crim. quæst.* 92. cum multis latè) solus ad crimen non punitur pœna ordinaria. At per sextum casum reseruatum à Clem. VIII. tunc, etiam effectu non secuto incurritur casus reseruatus à procurante, seu auxilium, & consilium dante.

8 Sextò colligo procurantem vel consulentem abortum animatum secuto effectu ipso facto manere priuatum officio, beneficio, & dignitate Ecclesiastica: & cessante scandalo, teneri se abstinere à tali officio, &c. modo infra dicendo ver. *eligere*, & ver. *officia Ordinis*: eundem etiam dico manere inhabilem ad officia Ordinis in posterum obtinenda. Quod patet, quia has omnes pœnas imponit ibi Sixtus Ecclesiasticis. Et Gregor. XIV. dixit dictam Bullam Sixti manere in suo robore quoad alia: & circa has pœnas priuationis, & inhabilitatis Gregor. nihil innouauit. Ita tenet Rodr. *Addit. ad Sum. tom. 3. cap. 13. num. 4.* citans Quarantam pro eodem.

9 Septimò infero quod contra procurantem abortum animatum effectu secuto, & probato delicto possunt hodie procedere iudices Ecclesiastici vel sæculares vsque ad traditionem brachij sæcularis: vt tenet Rodr. *tom. 2. quæst. q. 33. art. 4. in fine.* & patet, quia Greg. circa hoc nihil innouauit.

10 Tota dubitatio est, an possint hodie prælati Regulares dispensare cum subdito in irregularitate contracta ex abortu animato, secuto effectu? Negat Rodr. *citato proximè artic.* probat ex casu à simili per Nauar. *tom. Consil. tit. de homicidio lib. 5. consil. 4.* vbi Nauarrus

ait; illum, qui occidit Clericum: & petiit diſpenſationem à Papa ſuper irregularitate, ſolùm exprimendo quod occiderit hominem, tacendo circumſtantiam Clerici occiſi: ait Nauar. hunc non manere diſpenſatum; quia homicidium Clerici eſt magis calificatum; ſi enim circumſtantia Clerici exprimeretur, ſaltem difficilius Papa diſpenſaret. Quem caſum applicat Rodrig. ad homicidium pueri occiſi in vtero: eſt enim homicidium nimis calificatum, eo quod & perditur corpus, & damnatur anima; quod non fit in homicidio ordinario adulti, cuius anima per contritionem poteſt ſaluari: ac proinde cùm hoc homicidium fœtus animati ſit valde calificatum, licèt Prælati ordinum per priuilegia poſſint diſpenſare in irregularitate homicidij voluntarij hominis adulti occiſi (ait Rodrig.) non poſſe Prælatos in hac irregularitate diſpenſare, ſed ſolum Papam.

Hoc non obſtante, ego dico (ſi crimen ſit ſecretum) poſſe Prælatos in hoc hodie diſpenſare: cùm enim poſſint diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio voluntario (vt infra dicemus ver. *Diſpenſare*) etiam poſſunt in iſta orta ex voluntario abortu animato. Probo primò, ex deſtructione fundamenti adducti à Rodrig. Nam Sanches *lib.* 8. *de Matrimon. diſp.* 21. *num.* 22. *& num.* 18. tenet quod prædicta diſpenſatio obtenta ab illo qui occidit Clericum, non expreſſo nomine, & circunſtantia Clerici, ait fuiſſe validam ob multa quæ dicit *num.* 18. & *num.* 22. ponit hanc rationem: nam irregularitas non ponitur ab Eccleſia ob grauius peccatum: non enim ponitur pro blaſphemia, pro periurio, hæreſi, & ſimilibus grauiſſimis, ſed ad libitum Eccleſiæ, maximè in crimine vbi deficit lenitas, & manſuetudo: licèt ergo vnum crimen ſit grauius alio, non ſequitur quod illud grauius vel habeat

beat irregularitatem annexàm, vel quod eius irregularitas sit indispensabilior. Maximè quia vt ait *n.* 18. ibi taciturnitas Clerici, non irritet dispensationem: quod in nostro casu inseruit. Addo primò quod etiam, vt plurimum, multi occisi adulti pereunt in corpore, & damnantur in anima pœna damnatorum: quod est maius damnum, quàm illatum puero intra viscera, qui non damnatur pœna ignis. Et nemo dicet non posse Prælatos Regulares dispensare cum subdito irregulari, occidente hominem adultum damnatum ad infernum: qualiter moriuntur multi, qui in rixa occiduntur, cùm occisi forte fuerunt aggressores, cum animo vindictæ: vel habentes alia mortalia, de quibus ibi rarò habetur contritio. Addo secundò quod, vt plurimum, ratione damni dati magis calificatum peccatum est homicidium viri adulti, quàm infantis in vtero. Primò quia vita infantis adhuc incerta est propter abortum naturalem, partum periculosum, &c. Vnde moraliter ob hæc, vita infantis, & matris reputatur vna tantùm vita. Quod non fit in vita hominis adulti. Secundò, quia occiso infante intra vterum, non infertur damnum tertio, videlicet parentibus, filiis, vxori, familiæ, fratribus, sicut infertur vt plurimum ex occisione adulti. Tertiò, quia quando lex non distinguit, neque nos debemus distinguere, vt habet Corduba *super compend. ver. Dispensare* in casu simili, extendendo priuilegium Martini V. quo concessit solùm in cõmuni vt Prælati Regulares dispensarent in homicidio in communi: extendit Corduba ad casuale, & voluntarium: quia lex, vel priuilegium non distinguit: ergo à simili cum lex non distinguat de abortu, vel homicidio adulti: neque nos debemus distinguere. Adde quod priuilegia Religionum sunt ample interpretanda, vt Doctores communiter dicunt.

Maius argumentum pro Rodriguez videtur, ad probandum non posse Prælatos Regulares hanc irregularitatem dispensare: nam Sixtus V. dicebat in sua Constitutione illam non posse dispensari à Prælatis Regularibus per sua priuilegia, quæ reuocauit: & Gregor. XIIII. nihil temperauit circa irregularitatem: sed quo ad illam reliquit Bullam Sixti in suo robore. At nihilominus dico posse hodie Prælatos Regulares illam dispensare: quamuis enim ibi Sixtus V. reuocauerit priuilegia Regularium: postea tamen Clemens VIII. confirmauit priuilegia Minorum ex certa scientia: vt infra dico verbo *Confirmatio priuilegij*: & iuxta ibidem dicta, confirmatio priuilegij ex certa scientia reualidat priuilegia etiam reuocata ab antecessoribus: & proinde possunt omnes communicantes cum Minoribus in priuilegiis, in illa dispensare. Pari modo dico posse Prælatos dispensare cum subditis in ista inhabilitate posita à Sixto propter abortum animatum incursam: nam licet Sixtus V. expresserit ne dispensaretur in irregularitate, & proinde hanc reseruauerit: non tamen reseruauit inhabilitatem ibi positam. Sicut eodem ex capite ait Rodrig. *tom. 1. quæstion. quæst. 24. art. vltimo*, posse Prælatos Regulares dispensare cum subditis in illa inhabilitate quam contrahunt Religiosi admittentes fœminas intra clausuram suorum Conuentuum: licèt enim Pius V. & Gregor. XIII. taliter peccantes puniuerint excommunicatione, & inhabilitate similibus: tamen in sola ibi excommunicatione posuerunt reseruationem: & non posuerunt circa inhabilitatem. Adde quod ex priuilegio concesso Ministris infirmorum in Italia, per Greg. XIV. post Sixtum V. possunt Prælati habilitare suos subditos, & absterge re ab omni inhabilitate; pro vt refert Capucin° verbo *Absolutio ordinaria quo ad Fratres. fol. 27. §. Gr. XIV.*

11 Pro consolatione Religiosorum addo primò quod si Religiosus habés aliquam huiusmodi irregularitatem, vel inhabilitatem à quibus illius Prælatus potest dispensare, si, inquam, talis Religiosus præsens fuerit in Capitulo Visitationis, vel Prouinciali, in quibus Prælatus dicit in generali, *Absoluo vos ab omni censura: & dispenso vobiscum in omni irregularitate, & habilito vos ad omnia:* si inquam hæc dicat: ille qui præsens fuerit, si sit irretitus aliquo ex illis tribus, manet absolutus à censura, irregularitate, & inhabilitate. Nã talis absolutio datur ab habente potestatem, & sortitur effectum. Ita in terminis Nauarrus *in Sum. Latina. cap. 26. num. 13.* sic dicens: *Quod Religiosi notare debent, qui ab irregularitate, & aliis censuris generaliter absoluuntur in Visitationibus à Superioribus, nam esto tunc non meminerint illa, sublata censentur, nec tenentur aliam absolutionem quærere.* Sic ille.

12 Quæris adhuc an Prælatus Conuentualis, vel Prouincialis potentes dispensare prædictam irregularitatem, & inhabilitatem fœtus animati, possint hanc potestatem delegare, & proinde committere vni confessori subdito vt hæc dispenset in foro conscientiæ cum delinquente? Credo quod possunt ita delegare, & committere. Nam quicumque habens potestatem ex priuilegio supremi Principis, habet illam vt ordinariam, vt probat Sanchez ex multis Iuristis *lib. 2. de Matrimon. disp. 40. num. 14.* Excipe nisi in priuilegio dicatur quod per se faciant, vt dixit Pius V. in priuilegio concesso Dominicanis: de quo sup. verbo *Abbas num. 6.* At qui habet potestatem vt ordinariam, potest illam delegare. *cap. cùm Episcopus. de officio ordin. in 6.* cum aliis adductis per Sanchez *libr. 3. de Matrimon. disput. 31. num. 1.* Iam verò hæc potestas ad dispensandum in irregularitate orta ex homicidio voluntario

data Prælatis Religioſis eſt ex priuilegio Martini V. vt infra dicetur; & proinde eſt ordinaria, ac delegabilis. Et hæc duo dicta in hoc *numer.* 12. & 11. *præcedente* applicare memento ad infra dicenda in ver. *Diſpenſare*, & ver. *Prælatus.* vbi agitur an poſſint delegare.

13 Dixi ſupra Prælatos Regulares in hac irregularitate diſpenſare, ſi ſit occulta. Nam ſi ſit publica non poteſt ab illis diſpenſari, vt infra dicemus. Quamuis Corduba in *Summa Morali, quæſt.* 34. & Vega cum illo in *Summa Morali, par.* 2. *cap.* 15. *caſu* 6. tenet probabile eſſe quod ſi homicidium eſt occultum apud ſæculares, & manifeſtum apud Fratres, poterunt Prælati in illo diſpenſare, & citat Corduba vnum text. ex iure Canonico fauentem, in fauorem Religionis: & quamuis Corduba dicat ibi, ſecurius eſſe, ac melius quod tunc in notorio apud Fratres, recurratur ad Papam: tamen Vega ait etiam probabiliter tunc etiam poſſe Prælatos. Elige ſecurius, ſed partem negantem, non poſſe ſcilicet quando eſt notorium, ita vt poſſit probari in iudicio, tenet Miranda *tom.* 2. *q.* 8. *art.* 10. *concl.* 2.

14 Rodrig. *in Summ.* 2. *editionis tom.* 1. *cap.* 5. *ad finem* ait, patrem fœtus animati, cui mater dixit ſe velle procurare abortum, ſi pater ſolum taceat, nihil aliud faciendo, incurrere omnes pœnas à nobis ſupra dictas; quia tenebatur ex officio reſiſtere; vide quæ olim dixi in *tract. de caſibus reſeruatis Clementis VIII. caſu* 6.

ADDITIO.

VLtra illa quæ hac de re dixi in prima Editione ſub eodem verbo: circa inhabilitatem incurſam à Clerico cauſante abortum animatum. Vide infra ver. *Inhabilitas.*

1 Circa irregularitatem incursam à Clerico causante abortum animatum: nota quòd in dubio, an fœtus fuerit iam animatus, vel non, debet talis Clericus se reputare irregularem. Ita Sanches in terminis tenet *lib. 1. Decal. cap. 10. num. 43.* citans decem graues Doctores. Vnde si ex signis materiæ eiectæ, vel ex die coitus, vel aliunde id non possit deprehendi, ita vt pellatur omnis dubitatio, stante dubio de animatione fœtus, debet se reputare irregularem. Idem verò Sanches *eodem cap. num. 45.* limitat hoc sic esse intelligendum, vt talis irregularis debeat se reputare irregularem solùm quo ad Ordines non recipiendos, vel in illis non ministrandum: hæc enim duo non potest admittere seu facere, quoniam hæc duo intrinsecè, & clarè includuntur in irregularitate. At iste sic irregularis non tenetur se reputare irregularem quo ad alias pœnas annexas irregularitati, qualis est priuatio officij, vel beneficij, & inhabilitas ad hæc duo. Nam (vt ait Sanches) pœna ordinaria statuta delicto certo non est imponenda delicto dubio, sed extraordinaria pro dubij qualitate. Priuatio verò, & inhabilitas non imponuntur delicto dubio: imponitur verò irregularitas etiam delicto homicidij dubij. Citat ad hoc multos, & graues Doctores, quos ibi vide, si placet. Vnde si ex materia eiecta in abortu dubitetur an sit masculus, vel fœmina, putandum est esse masculum, & stante hoc dubio se debet reputare irregularem. In aliis verò irregularitatibus contractis ex aliis capitibus; quæ non sunt homicidij, si detur dubium iuris, vel facti, non est quis censendus irregularis cum tali dubio. Vide Sanches *citato loco n. 47. & 48.* & applica ad dicenda infra verb. *Irregularitas.*

2 Ponit exemplum Sanches *citato cap. num. 44.* de illo qui dubitat, an consilium à se datum fuerit causa

homicidij,vel abortus,eo quòd facta diligentia manet adhuc dubius, an alter habuerit animum resolutum faciendi etiam absque illo consilio, & resoluit stante tali dubio debere se reputare irregularem modo supra explicato. Et per hoc iudicabis de similibus casibus explicatis, & explicandis, in quibus dubium est; an quis concurrerit ad abortum, vel homicidium. Stante enim hoc dubio (quod dicitur dubium facti)debet se reputare irregularem circa prædicta, *numero præcedente.*

3 Qui approbauit, seu ratum habuit abortum factum suo nomine(etiam si ante non iusserit,nec consuluerit)& approbauit post iam factum,peccauit mortaliter, vt patet, sed non incurrit irregularitatem,nec cæteras pœnas impositas à Sixto V. Nam iste non fuit homicida,cùm ad mortem iam illatam non sit cooperatus. Secùs foret si approbaret percussionem,vel occisionem Clerici factam suo nomine, etiam si approbaret postquam iam est facta, tunc enim incurreret excommunicationem, & cæteras pœnas, quæ apponuntur à iure approbanti, percussionem iam factam in Clerico suo nomine. Non verò ponuntur in iure approbanti percussionem hominis ordinarij iam factam suo nomine. Dixi, *si approbauit abortum factum suo nomine iam factum*:quia si approbauit abortum antequam fieret,dicens,paranti abortum, *Bene facis*, secuto abortu incurrit pœnas Sixti V. quia iam concurrit ad occisionem fœtus animati.

4 Qui dixit fœminæ vt causaret abortum,vel illum procuraret, & hoc illi dixit tempore quo nondum fœtus erat animatus, intendens vt abortiret ante fœtum animatum; fœmina verò dilatans adhibuit medicinam post fœtum animatum, & abortiuit; talis consulens incurrit irregularitatem,& cæteras pœnas.

Iam

Iam enim suo consilio, vel mandato causauit abortum, & debuit suum consilium, vel mandatum explicare, vel reuocare cum efficacia, ne fieret abortus post fœtus animationem. Vide infra verb. *Homicidium*. Et colligitur clarè ex *cap. vltim. de homicidio in 6.*

5 Qui dedit consilium, vel medicinam, vt fieret abortus fœtus animati, etiam si remedium fuerit applicatum, si tamen effectus non est subsecutus, non incurrit irregularitatem; neque alias pœnas, quoniam verba legis sunt accipienda cum effectu secuto, quem legislator intendit punire, vt ait Nauar. *lib. 5. Excommunicat. consilio 60.* Et præterea conatus solus ad culpam non meretur pœnam ordinariam legis effectu non secuto vt fatentur communiter Doctores.

6 Quæ verò medicinæ possint applicari fœminæ ægrotanti cum periculo abortiendi fœtum inanimem, vel animatum, & quo modo hoc liceat, dixi olim in expositione casuum reseruatorum à dicto Papa Clemente VIII. Vide hac de re inter alios Comitolum *lib. 4. Responsa moral. q. 13.*

7 Vltimò aduerto quòd Prælatus dispensans cum subdito in pœnis incursis propter abortum debet iniungere pœnitentiam condignam pro tanto crimine: quod verò possit Prælatus Regularis dispensare cum subdito causante abortum fœtus animati quoad irregularitatem, & alias pœnas, dixi, ac probaui in prima editione hoc eodem verbo *Abortus*. Debet etiam Prælatus similiter iniungere condignam pœnitentiam quando dispensat cum subditis in quouis alio delicto per sua priuilegia: aliàs peccabit grauiter omittens condignam pœnitentiam.

AB

ABSOLVERE.

Vide infra verbo *Confessor* per totum, & verbo *Prælatus*, & verbo *Dispensare*.

ACCVSATIO.

1 SAltem in re graui danda est in scriptis subscribente accusatore, ne postea resiliat à pœna imposita contra malè accusantes. D. Thom. 2.2. *quæst.* 68. *art.* 2.

2 Accusator si non probet, iuxta multas leges incurrit pœnam talionis. Sed nota quod si solùm probauit indicia criminis, vel diffamationem; excusatur à pœna talionis, vel calumniæ; sufficit enim probare aliquid ex illis duobus, & non requiritur, quod plenè probet. Iulius Clarus *quæst.* 62. *numero* 8. *practic.* & Repert. Inquisitorum verbo *Calumnia* & practica Inquisitorum, ver. *Accusare*, & alij.

ÆDIFICARE.

Vide infra verbo *Monasterium*.

ALIENARE BONA ECCLESIÆ.

Vide infra verbo *Restitutio, numer.* 1. & 20. & verbo *Pactum*: & verbo *Canonica portio*.

1 VT alienatio bonorum Ecclesiæ, vel Conuentus debitè fiat, debet interuenire consensus Prælati, & consensus maioris partis Conuentus simul: neque sufficit consensus Prælati sine consensu Conuen-

uentus, neque è contra: & hoc debet fieri in bonum clarum Conuentus, vel Eccleſiæ. Rodrig. *tomo* 1. *quæſt.* 27. *per totam.* Et Moniales ad hoc non ſolùm Prælatæ, ſed etiam Prælati debent haberè conſenſum, alias factum non tenet, & facientes oppoſitum manent excommunicati, & ſuſpenſi ab officio. Rodrig. *citat. quæſtione art.* 10. Et pro Monialibus hodie nimis conducit. Vide etiam Rodrig. *ibi art.* 2. § *infertur* 2. *& art.* 9. *in medio.*

2 Prior, & Fratres Conuentus Beatæ Mariæ de Monte Martha S. Hieron. in Hiſpan. habent priuilegium vt Conuentus cum Priore poſſint alienare hæreditates, poſſeſſiones, redditus, & ſimilia inutilia Conuentui, ita vt illorum pretia in alia bona Conuentui vtiliora, & immobilia conuertantur. Et hac conceſſione gaudent communicantes. Rodrig. *cit. quæſtion.* 27. *art.* 2.

3 Si alienatio fiat abſque ſolemnitate iuris, & tamen ſit euidenter in bonum Monaſterij alienantis, valet alienatio, quidquid ſit de peccato facientium, Rodrig. *cit. q. art* 9.

4 Nullus contractus factus per Guardianum Minoritam, vel Abbatiſſam, etiam de conſenſu ſui Conuentus, eſt validus, niſi de conſenſu Prouincialis, vel Generalis, ob multa citata à Rodrig. *cit quæſt.* 27. *art.* 3. vide tamen infra verbo *Canonica portio.* At facilis modus alienandi circa Minoritas eſt recurrere ad Syndicum, qui eſt Procurator Generalis Papæ, & habet amplam conceſſionem iuxta ſibi in Bullis, & litteris Commiſſoris datam. Et hoc circa bona ſaltem mobilia Conuentus.

5 Benedictus XIII. conceſſit Patribus S. Hier. Hiſp. vt poſſint de bonis immobilibus, (dummodo non ſint data pro fundatione Conuentus, vel à Papa, vel

à Regibus) alienare de consensu Conuentus, & Prælati vsque ad centum florenos auri, dummodò alienatio cedat in bonum Conuentus. Compend. D. Hieron. ver. *Alienare.* §.1. *& ibidem* §.2. extenditur concessio vsque ad ducentos florenos, dummodo pecunia conuertatur in vtilitatem euidentem Conuentus. Et *ibidem* §.4. quod possint bona legata, vel donata, quæ commodè administrari non possunt, alienare, dummodo pretium conuertatur in alias possessiones pro Conuentu.

ADDITIO.

1 POenæ impositæ in iure Canonico contra alienantes bona Ecclesiæ obligant etiam Prælatos Regulares. Constat clarè ex priuilegiis Pontificiis, per quæ conceduntur à Papa licentiæ alienandi bona Conuentus certo modo, quod non possent facere absque prædictis licentiis. Et patet ex *cap. Abbatibus.* 12. *quæst.* 2. Intelligitur verò dicta prohibitio tam de bonis mobilibus, quàm de immobilibus. Addo prædictis pœnis multo magis obstringi Prælatos Minoritas, quia minus dominium habent in rebus mobilibus suorum Conuentuum, quàm habeant cæteri Prælati Regulares in bonis suorum Conuentuum respectiuè. Ratio est, quia bona Minorum Fratrum particulari decreto sunt posita in dominio Papæ, & proinde cùm sint bona Sedis Apostolicæ, minus possunt in illis Minoritæ, siue sint mobilia, siue immobilia, quàm possunt cæteri Prælati in bonis immobilibus suorum Conuentuum. Si verò Syndicus Minorum inscio Prælato alienauerit bona Conuentus, talis Prælatus Minorita non incurret, quia Syndicus est Procurator Sedis Apostolicæ, & proinde soli Syndico imputabitur, si omnino Prælatus nesciuit.

2 Pœ

2 Pœnæ autem impoſitæ in iure Prælatis indebitè alienantibus bona Eccleſiæ, ſunt excommunicatio,& præterea actus annullatio,ſeu annullatio alienationis, *cap.ambitioſæ cupidit.in Extrauag. communibus de rebus Eccl. non alienandis.& cap. quicunque Epiſcoporum* 17. *quæſt.*4. vbi additur alia pœna,quod deiiciatur ab honore;id eſt,maneat ſuſpenſus. Vide Rodrig. *tom.*1. *qq. Regularium q.*27.

3 Quæris : an ſi ſeruus relinquitur Conuentui Religioſorum ſub conditione,ne poſſit vendi,vel alienari, & in caſu quo alienetur pertineat ad hæredes teſtatoris vel donatoris:quęris,inquam,an ſi ſeruus ſic relictus euadat inutilis, vt ſi fiat ebrioſus,furioſus,notabiliter inhoneſtus , vel latro , poſſit alienari per Prælatum, non obſtante conditione teſtatoris , vel donatoris ? Reſpondeo primò, ſecundùm ius Canonicum talem ſeruum , (non relictum ſub conditione ne vendatur) poſſe alienari à Prouinciali. Habetur in *capit. fugitiui* 12.*quæſt.*2. vbi conceditur quòd ſerui Eccleſiæ ſi ſint fugitiui, poſſint alienari. Et eadem ratio erit ſi ſint ebrioſi,latrones & inhoneſti;eſt enim eadem omnino ratio , & proinde curret eadem diſpoſitio iuris. Oneroſum enim valde eſt Conuentui,imò indecorum talem ſeruum poſſidere.Quod verò attinet ad clauſulam poſitam à teſtatore, vel donatore, quod ſcilicet ſi vendatur , ad hæredes pertineat, vel quid ſimile, conſului virum doctiſſimum in iure Cæſareo , qui mihi dixit,in tali caſu non poſſe vendi ſeruum:quòd ſi vendatur tradi debet hæredibus teſtatoris iuxta conditionem appoſitam : niſi fortè Rex diſpenſet in clauſula, vel conditione appoſita,& iubeat,vt illa non obſtante, diuendatur : ſed id debet fieri petitione ſpeciali exhibita Regi.Et idem dico ſi ſeruus relictus fuit ſub conditione, ne vendatur.; tunc enim neceſſaria eſt Regis

diſpen

diſpenſatio.

3 Præter alienationem bonorum Eccleſiæ, prohibẽtur etiam ſub eiſdem pœnis bona Eccleſię, pignorari, *cap. ea enim* 10. *quæſtion.* 2. §. *hoc ius*. Sed illa lex non eſt lex Eccleſiaſtica, ſolùm eſt lex Imperatoris ſæcularis, & ibi exponit Gloſſ. quod fuit lata pro ſola Eccleſia Conſtantinopolitana. At in noſtro Regno Portugaliæ, *lib.* 2. *Ordinat. tit.* 24. decernit lex pro omnibus Eccleſiis, vt nullus ſub pignore accipiat aurum, vel argentum, ornamenta, vel vaſa Eccleſiæ alicuius, etiam Regularis, & etiam Franciſcanæ. Si verò tanta fuerit Eccleſiæ neceſſitas, & aliter illi nequeant ſubuenire, niſi pignorando, aut vendendo, ad Regem ipſum Prælati recurrant pro licentia impetranda. Eos verò qui contra huius legis præſcriptum res Eccleſiæ alicuius ſub pignore acceperint, vel pretio emerint abſque expreſſa Regis licentia, iubet vt amittant valorem rerum dictarum cum exceſſu nouem partium: Et res ſic pignoratæ, vel emptæ reddantur Eccleſiæ abſque vllo pretio ſoluto, ab Eccleſia. Sic lex illa valde pia, & in fauorem Eccleſiæ ſatis ordinata.

APPELLARE.

1 POſſunt appellare Religioſi ad ſuperiorem, non à correctione ordinaria inflicta per Regulam, vel ſtatuta: ſed à ſententiis particularibus quando iuxta prudentis arbitrium illis infertur grauamen iniuſtum: & hoc per modum querelæ. Eſt enim defenſio naturalis ipſa appellatio iuſta: ita vt iudex non recipiens appellationem iuſtam peccet mortaliter. Nau. *in Sum. cap.* 25. *numer.* 3. Ex dictis patet quod ſi Religioſus Prælatus puniat delictum ſubditi cum pœna taxata in ſua Regula, vel ſtatutis, non poteſt ſubditus

appel

appellare; ibi enim interuenit iusta correctio iuxta statuta, vbi non potest iudex argui de excessu. Excipe tamen si in commissione delicti interuenit aliqua circunstantia valdè minuens pœnam statuti; vel in totum relcuans : tunc non poterit appellare à tota pœna.

2 Appellationi friuolæ non tenetur iudex deferre, sed tenetur repellere. Est autem appellatio friuola, illa quæ ponitur sine causa legitima, vt quando quis appellat non grauatus iniustè : vel dilatandi causa: vel quia sperat superiorem iniustæ amicitiæ gratia fore mitiorem,&c. Rodriguez *tomo 1. quæst.8. artic.13.&* Diuus Thomas *2.2.q.69.art.3.* & sic appellans peccat mortaliter.

3 Minoritis prohibuit Greg.XIII. sub excommunicatione ne appellent ad sæcularia tribunalia. Et Congregatio Cardinalium declarauit modum appellandi à Minoribus hunc esse seruandum: vt scilicet à Guardiano appelletur ad Prouincialem:ab hoc ad Generalem : ab hoc ad Protectorem Cardinalem : ab hoc ad Papam.Capucinus in Compend. verbo *Appellare.* At his non obstantibus potest Religiosus omissis illis mediis statim ad Papam seu Nuntium appellare.*c.ad Romanam 16.q.6.*& Couarr.*in practic.quæstion.cap.4.n.9.* & praxis obseruat.

4 A iudice arbitro non licet appellare, & hoc in pœnam inconstantiæ : inconstantia est enim diffidere de illo quem elegisti. Mirand. *in Ordine iudiciario q. 30.art.5.*

5 Appellatio duos habet effectus. PRIMUS est deuoluere causam ad superiorem iudicem : secundus est ita suspendere primi iudicis authoritatem, vt illius mandatum post appellationem non liget; etiam si iubeat sub censuris. Gloss.*in cap.ad reprimendum.de off.*

Ordinarij.ver.Conqueſtus,& communis:vide tamen infra *num.8.*

6 A ſententia interlocutoria communiter non licet appellare,vt habetur *l.1.ff.de appell.* Excipitur caſus ſi in tali ſententia continetur damnum irreparabile, qualis eſt tortura, ab hac enim , vel à ſimili poteſt appellari,niſi friuolè appellet; quia hoc modo non licet:*l.ante ſententiam ff.de appellat.*

7 Appellari poteſt à ſententia declarationis,qua quis declaratur excommunicatus , vel alterius cenſuræ. Sylueſt *ver. appellatio num.7.* Et ab ipſa excommunicatione lata ſub conditione poteſt appellari ante impletam conditionem , quia ante illam impletam non ligat,Sà ver. *Excommunicatio.num.1.*

8 Fuit aliquis electus legitimè:noluit præſes confirmare, appellauit electus:ſtante appellatione quæ prohibet amplius procedere , poteſt nihilo minus præſes confirmare, & valet confirmatio. Rodriguez *tom.1. quæſt.11.art.6.* & ſimiliter poteſt iudex à quo appellatum eſt ob cenſuram, poſt appellationem ab ipſo, ab illa abſoluere appellantem. Suarez *tom.de cenſur.diſp. 7.ſect.3.num.23.*

ADDITIO.

1 APpellatio non ſolùm poteſt interponi contra ſententiam latam à iudice præcedente proceſſu iuridico;ſed etiam poterit interponi contra mandatum quoduis Superioris iniuſtum , & grauans, non præcedente proceſſu.Poteſt etiã quis appellare contra electionem ne fiat indebitè ſi ſit de corpore Capituli: vt ſi præſes electionis omiſit vocare illos,quos vocare tenebatur, vel ſi omittat aliquam ſolemnitatem ſubſtantialem iuris,poterit, inquam,tunc appellari, vel à nocumento proprio ſibi ſperato,vel inferendo contra bonum

bonum commune, ſed illa prima appellatio facta contra ſententiam latam præcedente iudicio, dicitur appellatio iudicialis, id eſt, contra ſententiam latam in iudicio. Secunda verò appellatio facta à mandato grauante dicitur appellatio extraiudicialis. Ita Miranda *in Ordine iudic. quæſt.* 30. *artic.* 2. citans Textus, & Doctores.

2 Iulius II. prohibuit Fratribus Prædicatoribus, ipſorumque Monialibus, ne poſſent appellare à quouis ſuperiore amouente ſubditum ab officio Prouincialis, Prioris conuentualis, vel quouis alio: ſi dictus ſuperior ad talem amotionem, vel abſolutionem faciendam habuerit poteſtatem. Si verò appellauerit, etiam prætextu grauaminis, quocunque modo appellatio interponatur, talis ſubditus, vel ſubdita Monialis ipſo facto cenſeantur abſoluti, & priuati ab officio abſque vlla declaratione. Refert Capucinus *addit. ad compend. ver. Appellare.* Ipſi Patres viderint quod circa hoc ſoleant practicare. Ego non poſſum non laudare tantum Pontificis zelum: & tantam ſubditorum obedientiam pro ambitionis etiam vmbra reſecanda. Doleo verò è contra videns alicubi tot appellationes aliquando interpoſitas pro iuſta officiorum priuatione cum clamore cœlum, ac terram implente, quaſi prædicta officia paterna hæreditate fuerint comparata.

3 Gregor. XIII. ſub excommunicatione prohibuit Minoritis, ne appellarent ad ſæcularia tribunalia: habetur inter Conſtitutiones Gregorianas 34. Quæris; an Minorita grauatus (vt putat) à ſuo Prælato recurrat ad præſidem ſæcularis tribunalis, Regem ſcilicet, Proregem, Gubernatorem, vel ſimiles petens ab eis remedium contra illud grauamen, an iſte talis incurrat illam cenſuram: Reſpondeo, quòd ſi iſte recurſus fit ſo-

lùm rogando vt prædictus præses roget prælatum vt desistat ab iniusto grauamine, tunc Religiosus non incurrit, quia rogare non est appellare, sed intercessorem quærere, & intelligo hoc etiam si talis Religiosus per modum querelæ id roget. Quod etiam probo ex eo quod aliqui Sum. Pontifices prohibentes Religiosos appellare, eisdem permittunt vt possint facere querelam. Si autem prædictus Minorita recurrat ad præsidem sæcularem, rogando vt mandet prælato imperiosè, & authoritatiuè, vt desistat, credo quòd incurret prædictam censuram: hoc enim in substantia est appellare. Nihil enim ad rem facit si appelletur verbo, dicendo, Appello: an verò appelletur opere, seu facto aliquo. Nam Rodrig. *tom.* 1. *qq. quæst.* 30. *art.* 3. innuit Religiosum grauatum ab inferiori, & adeuntem superiorem pro remedio, sentit illo suo discessu appellare; cùm tamen coram inferiori verbo non appellauerit. An verò prædictus Minorita solùm rogans præsidem sæcularem, vt roget Prælatum pro pœna sibi minuenda, vel tollenda, incurrat aliam excommunicationem dicti Pauli V. impositã Minoritis recurrẽtibus ad sæculares pro officiis sibi dandis, vel pœnis tollendis, &c. dicam infra verb. *Officia Ordinis.* in expositione prædicti Motus proprij citati Pontificis. Si verò subditus vim patiatur iniustè à Prælato, & non habet recursum ad superiorem, an pro vi iniusta tollenda possit recurrere ad potestatem sæcularem, non vt sit iudex in causa principali, sed solùm vt vim tollat, & faciat dari iudices superiores pro sola vi tollenda, idque absque incursu Bullæ Cœnæ? posse hoc fieri, fauet Suarez *tom. de Cens. in disp.* 21. *sess.* 2. *excom.* 13. Et Antonius Soza supra Bullam Cœnæ, *disp.* 75. *concl.* 1. & tenet Fuscus *de visisset. libr.* 2. *c.* 23. *n.* 5. &, Valasq. *consul.* 100. *n.* 2. & Zeuallus *lib.* 4. *comm. q.* 1. *n.* 102.

4 Miranda *in Ordine iud. quæst.* 30. *art.* 5. *concl* 4. asserit eandem excommunicationem incurrere omnes alios Religiosos cuiusuis Ordinis appellantes ad sæcularia tribunalia, siue ad ipsum Regem: citat Miranda Aragonem dicentem hanc censuram pertinere ad Bullam Cœnæ Dominiin qua prohibetur in *casu* 15. causas Ecclesiasticas tractari coram iudice sæculari. Asseritque Miranda id Religiosis prohiberi etiam si recurrant, vt Rex, vel præses sæcularis Religiosum liberet à vi iniustè illata. Per hæc autem non est mihi mens disputare an princeps, vel Rex possit suam authoritatem, vel potentiam interponere cognoscendo de causis personarum Ecclesiasticarum vt illis succurrat, liberando à vi iniustè illata per iudices Ecclesiasticos. De hoc, inquam, nihil curo: solùm dico, Religiosi hoc esse interdictum sicut Miranda testatur *citato loco*, dicens per alias Bullas Pontificias idem eisdem Religiosis prohiberi. Vide illum *citato loco*.

5 In *Clementina 1. de statu Monachorum*, §. *quia verò*, excommunicantur Monachi, qui sine prælatorum licentia vadunt ad Curiam principum sæcularium animo inferendi damnum prælatis, vel Monasteriis. Vbi nota pro hac censura incurrenda, primò requiri vt subditus vadat sine licentia. Secundò vt vadat cum animo nocendi. Tertiò vt nocumentum intentatum sit contra prælatos, vel Monasteria. Vnde si vadat aliàs cum licentia: vel intendat nocere Religioso particulari, qui nõ sit prælatus, non incurret hanc censuram. Est enim pœna, & proinde restringenda. Addo verò quòd si vadat sine licentia cum animo taliter nocendi, incurret duas excommunicationes, vnam positam in ista Clementina, alteram positam contra Apostatas, exiens enim sine licentia est Apostata.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

1 PRimò aduerto (maximè pro Minoritis) in illorum ſtatutis generalibus Segouienſ. *cap.* 6. ver. *Appellare*: diſtinctionem fieri de illo, qui recurrit ad tribunalia, vel iudices ſæculares: ac de illo qui appellat ad tribunal ſæculare. In illo priori membro (quod minus reputatur) prohibetur peti fauorem, auxilium, vel conſilium, à iudice, Principéve ſæculari, vel Eccleſiaſtico, etiam per modum querelæ: & ita huic culpæ ſolùm imponitur pœna arbitraria Prælati; quia in hoc non appellatur iuridicè tanquam ad verum iudicem: ſed ſolùm illius fauor, vel quaſi brachiũ implo-ratur, abſque forma appellationis iuridicæ. In ſecundo verò membro, quando ſcilicet appellatur in forma iuris ad tribunal ſæculare, imponitur pœna excommunicationis ipſo facto per Bullam Gregorij XIII. citatam ad marginem ſtatuti prædicti, per quam id expreſsè prohibuit Minoritis. Imò & hæc excommunicatio coincidit cum excommunicatione Bullæ Cœnæ in *excommunicatione* 13. *vel* 14. per quam excommunicantur omnes qui appellant à iudice Eccleſiaſtico ad ſęcularem, vel laicam poteſtatem: vel à grauamine præſenti, vel futuro litterarum Apoſtolicarum, vel auocant, vel faciunt auocare cauſas à iudice Eccleſiaſtico ad iudicem ſæcularem. De quo vide Suares, & Reginal. *in explicat. Bullæ Cœnæ ad Cenſuram* 13. & 14. & 15.

2 Ex dictis ſequitur, quod religioſus, qui non appellauerit in forma iuridica ad tribunal ſæculare, ſed ſolùm à Principe, vel Prælato Eccleſiaſtico petierit auxilium, vel fauorem, non incurret (vt mox dicemus) cenſuram Bullæ Cœnæ, ſi tamen fuerit Minorita, incurret

curret aliam excommunicationem D. Pauli V. latam contra Minoritas petentes fauorem à sæcularibus vt intercedant coram Prælatis Ordinis pro sibi remittenda aliqua pœna, vel fauore faciendo, cuius motum proprium supra explicauimus in isto libro, ver. *Officia ordinis*. Hic etiam religiosus, si fuerit Minorita, implorans fauorem extra ordinem, subiacebit pœnæ arbitrariæ Prælati secundùm statutum Segouiense citatum.

3 Tota dubitatio est, quam sup. ver. *Appellare*, obiter, & cũ timore tetigimus, an scilicet religiosus, vel quiuis alius vim patiens iniustè à suo superiore, siue per sententiã, siue per mandatum simplex, possit recurrere ad principem sæcularem, non appellando tanquã ad iudicem verum: sed solum inuocando eius auxilium tẽporale, ac petẽdo, vt ipsum defendat à præsenti vi & grauamine iniustè illato à suo Prælato: ita vt princeps sæcularis suadeat, vel iubeat, vt Prælatus abstineat à tali grauamine iniusto, vel alios iudices assignet, qui de grauamine iudicent, vel saltem vt Prælatus recipiat appellationem subditi ad suum superiorem. An, inquam, hoc possit subditus facere sine incursu Bullæ Cœnæ, vel alterius Bullæ, vel statuti regularis.

4 Materia est valde difficilis & grauis, & de qua recentiores variè loquuntur. Ego saluo meliori iudicio, & sub correctione Matris Ecclesiæ, cum doctoribus infra citandis: credo, quod nunquam religioso hoc est licitum si per appellationem ad superiorem Prælatum, vel alia via intra ordinem potest vitare præsentem vim iniustè illatam; cùm enim per appellationem, quæ suspendit omnia, vel alia via intra ordinem id poterit facere, incurret prædictas censuras, vt patet quæ clarissimè contrarium iubent, & prohibent omnem appellationem ad iudicem sæcularem, si appel-

letur à iudice Eccleſiaſtico. Si verò neque ſit locus appellationi, vel illa non recipiatur, & ſuperior, ad quem poſſit recurrere, longè diſtat, ita vt non poſſit illum adire inſtante grauamine, vel iam cæpto, & ſit iniuſtè illatum arbitrio boni viri: tunc credo poſſe religioſum, vel clericum recurrere ad Principem ſæcularem qualis eſt Rex, non tanquam appellantem ad iudicem competentem: ſed ſolùm vt ſibi ſuccurrat illo grauamine iniuſto tollendo vim ſibi factam modo quo licitè poteſt, imperando ſcilicet vel ſuadendo prælato vt vel abſtineat à vi iniuſta, vel det locum appellationi, vel iudices nouos aſſignet: & per hoc Religioſus recurrens ad Principem ſæcularem cum prædictis circunſtantiis nullam cenſuram Bullæ Cœnæ, vel alterius Bullæ incurret. Hoc imprimis practicatur in hoc Regno Portugalliæ, & puto quod in tota Hiſpania, in qua Rex Hiſpaniæ per Bullam propriam Papæ dicitur eſſe iudex vis, & grauaminis iniuſti, quæ fiunt Clericis à ſuis iudicibus Eccleſiaſticis. *Id eſt, Que he juyz das forças dos Eccleſiaſticos.* Huius Bullæ meminit Bannes *in ſuo tract. de inſt. & iure, quæſtion. 67. concl. 6.* Quamuis autem Azor. *1. p. ſuæ Sum. libr. 5. c. 12. §. vnum eſt*, dicat, quod cùm ipſe Romæ exiſteret, diligenter inquiſiuit de tali Bulla relata à Bannes: & in nullo regiſtro fuerit reperta: hoc non probat quod Rex Hiſpanię illam non habeat, potuit enim talis Bulla, vel non regiſtrari in indice aliarum: vel potuit ille author aliquod regiſtrum alicuius Notarij nõ inquirere. Quamuis autem Azor. *citato loco* cum multis citatis ibidem neget Regem, vel Principem ſæcularem poſſe ſe intromittere in cauſa Clerici, vel Religioſi pro vi iniuſta tollenda, & ſuccurrenda: id tamen vltrà praxim prædictam, tenent multi, ac graues Doctores Catholici, etiam recentiores. Hi ſunt Ioann. Chochier *in Theſaur.*

polit.

polit. aphor. libr. 2. cap. 4. Fuscus *de Visisset libr. 2. cap. 23. num 5.* Valascus *consil. 100. num. 2.* Zeuallus *libr. 4. commun. q. 1. a numer. 100.* Menoch. *de recuperand. remed. 15. num. 114.* Bouadilla *lib. 2 cap. 18. num. 104.* & idem tenet Nauar. (quando non est facilis recursus ad Papam, vel Superiorem.) Vide Nauar. *cap. cùm contingat. remed. 4. num. 13.* Ioseph. Sese, *de inhibit. iniustitia cap. 8. num 71. & seqq.* § 3. Couar. *Pract. q. cap. 35. numer. 3.* Fauet Nauar. *in Summ. cap. 27. num. 71. §. 3.* Fauet Suarez *tom. de Censuris in Expositione 14. censuræ Bullæ Cœnæ,* & *in excommun. 13.* eiusdem Bullæ in fine vtriusque, quatenus hoc remittit ad Papam: idem denique affirmat cum prædictis circunstantiis Fr. Antonius de Soza *in Explicatione Bullæ Cœnæ disput. 75. numero 3. & seqq.* Et dicunt aliqui Doctores hanc etiam praxim vigere in aliquibus Regnis Christianis, maximè in Gallia.

5 Non desunt rationes pro ista praxi, & opinione. Primam ponit Bannes *citata quæstion. §. Vnde sequitur:* nam ius Pontificium non derogat iuri naturali vt patet. at ius naturale dictat vt quiuis defendat innocentem iniustè oppressum, imò & ad illum defendendum tenetur si potest: ergo Princeps sæcularis poterit defendere Ecclesiasticum iniustè oppressum à suo Prælato, si de præsenti vim sibi illatam aliter nequit effugere. Secunda est: quia non est nouum in iure Canonico vt ad principem sæcularem recurratur pro grauamine facto Ecclesiæ. Nam *c. filiis, vel nepotibus 16. q. 7.* diffinitur, vt quando Ecclesiastici, Episcopi, vel Metropolitani bona Ecclesiæ defraudauerint, intimetur id Regis auribus. Vbi gloss. ver. *Regis,* ait id faciendum esse vt Rex Ecclesiasticum corrigat, quia per Ecclesiasticum iudicem corrigi non potest, iuxta *cap. petimus 11. quæst. 1.* Tertia, quia quando est periculum in

mora à regulis iuris recedendum eſt, *l. de pupillo, §. ſi quis riuos, ff. de nou. oper. nunciat.* Argum. *cap. baptizari. diſt. 5* Eſt enim mora vitanda vbi timetur periculum, *c. ne quod abſit. de conſecr. diſt. 4.* Quarta, quia Princeps ſæcularis eſt primus defenſor Reipubl. teſte Ariſtotele *Politic. 5. cap. 10.* Et facit *l. ſi quis in hoc, Cod de Epiſcopis, & Cler.* vbi ſic ait Iuſtinian. *Sitque cunctis laudabile factas Sacerdotibus aut miniſtris iniurias veluti crimen publicum proſequi.*

6 Hinc colliges quod Minorita, & quiuis alius Religioſus, ſi recurrerit ad tribunal, vel Principem ſæcularem, non appellando tanquam ad iudicem, ſed inuocando auxilium vt ſe defendat à vi, vel grauamine iniuſto illato per Prælatum inferiorem, pro cuius liberatione non habet aliud remedium in præſenti: colliges, inquam, hunc talem Religioſum, neque incurrere Bullæ Cœnæ cenſuram, neque aliam alicuius Sum. Pontificis; neque ſubiacere pœnæ arbitrariæ impoſitæ per ſtatuta generalia Ordinis Minorum, vel alterius Religionis. Cauendum tamen eſt ne quis fallatur, an grauamen ſit graue, iniuſtum, & alia via euitabile, videlicet per appellationem, ſi acceptetur. Neque rationes pro parte oppoſita adductæ ab Azor. *citat. cap. 12.* ſunt inſolubiles, in quarum ſolutione non immoror, quoniam breuitatem profiteor: & ad noſtrum intentum tot Doctores, ac rationes ſufficiunt. Vide citatos pro nobis Doctores, & Sozam *citat. diſp. 75.*

7 Obiicis, D. Paul. V. in ſua Bulla Cœnę *excommunicatione 13. (aliàs 14.)* dum prohibet ſub excommunicatione, ne appelletur à iudice Eccleſiaſtico in cauſa Eccleſiaſtica, ad ſæculares, id prohibet etiam ſi fiat, *Prætextu violentiæ prohibendæ.* Sunt verba expreſſa Bullæ. Ergo Rex Hiſpanię non eſt iudex violentię factæ perſonis Eccleſiaſticis, vt illas ab ea defendat contra

ed by Google

tra iudices Eccleſiaſticos. Reſpondeo primò, quod citata proximè verba, ſunt iam poſita in Bulla Cœnæ Gregor. XIII. ferè quinquaginta abhinc annis, vt videre eſt in Summ. Nauarr. *c.* 27. vbi explicat Bullam Cœnæ latam à Gregor. XIII. vbi iam poſuit illa verba: *Neque prætextu vitandæ violentiæ.* Et nihilominus à Gregor. XIII. vſque in hunc diem, tot ac tales viri doctiſſimi non formidant tenere opinionem ſupra relatam cum Couar. & aliis poſterioribus. Secundò, quis audebit damnare tam pios, ac Catholicos Reges quales ſunt Rex Franciæ, & Hiſpaniæ, practicantes hanc opinionem in ſuis Regnis, idque per officiales, ac miniſtros ſuos timoratos, doctos, & Catholicos, vt credat illos non curare de Bulla Cœnæ? Tertiò, quis credat Papam ignorare Romæ hanc opinionem publicè practicari in Gallia, & in Hiſpania tot abhinc annis. Si autem Papa ſcit, & tolerat per tot annos, vtique conſentit, ac proinde licitè fit. Quartò, quia prædicta excommunicatio clarè ligat illos qui appellant ad poteſtatem laicam: quę verba poſſunt intelligi ſolùm de illis qui appellant ad iudicem laicum tanquam ad iudicem cauſæ Eccleſię vt iudicet proceſſum factum à iudice Eccleſiaſtico. Qui verò grauatus vi iniuſta à iudice Eccleſiaſtico recurrit ad regem cum ſupradictis conditionibus, petens liberari à violentia iniuſta, non appellat in rigore tamquam ad iudicem; ſed ſolùm recurrit ad brachium, vel gladium Regis, petens vt ipſe ſe defendat à vi iniuſta, & faciat per iudices non ſæculares, ſed per Eccleſiaſticos ſibi miniſtrari iuſtitiam: quod videtur poſſe facere per rationes ſupra adductas, ſub cenſura Eccleſię, & Doctorum.

8 Quando quis appellat à ſententia ſolùm interlocutoria, vel à grauamine facto extraiudicialiter, tenetur ſtatim reddere cauſam ſuæ appellationis, aliàs

Iudex

Iudex regularis non tenetur illam admittere si non allegetur causa,verbi gratia:Iubet Prælatus incepto iam processu, vt fiat talis diligentia pertinens ad sententiam diffinitiuam:vel extra processum iubet vt subditus faciat certum quid, quod subditus iudicat sibi nociuum: in tali casu si subditus appellet ad Superiorem, debet statim allegare causam appellationis coram iudice inferiore, dicendo, ob talem, vel talem causam. Quam causam si non exponat non tenetur appellationi deferre. Habetur expresse *cap. 1. de appellat. in 6. in principio*, cum gloss. *ibidem*. Et in gloss. *cap. constitutio. de elect. in 6.* ver. *anteriora*, in Additione eiusdem verb. ex Ioann. Andræa. Et iubetur appellans in tali interlocutoria causam exprimere, quia cùm iudex per interlocutoriam nondum sit functus suo officio, nec iurisdictionem amiserit, adhuc est iudex vt iudicet de illa appellatione ab interlocutoria, quam si friuolam, & inanem iudicauerit, poterit illam repellere, & ad diffinitiuam procedere.

9 Secus dicendum est si subditus appellet à sententia diffinitiua: tunc enim non est necessarium vt causas appellationis statim exprimat, sed sufficit vt dicat; appello ab ista sententia, quam puto iniustam: & causas appellationis exprimam coram Superiore ad quem appello. Ita habet gloss. vtriusque capitis proximè citati: & ratio esse potest,quia in sententia diffinitiua iam iudex functus est officio suo:neque potest examinare causas appellationis. Excepto si appelletur de re parui momẽti:vel quãdo reus confessus est crimen in iudicio, eique solùm est impolita pœna statuta à lege,vel si crimen sit euidenter probatum:tunc enim non admittitur appellatio.*cap. cum speciali. de appell. §. porro.*

10 Iudex à quo appellatur etiamsi officio functus sit in principali, adhuc tamen potest interdicere parti appellanti ne faciat illud propter quod appellauit, vel id quod sequitur Gloss. *cap. 2. de matrimon. contract. contra interdictum Ecclesiast.* verb. *districtius interdixit.* & colligitur clarè ex textu *ibidem.*

11 Si appellaui ab aliquo Prælato in aliqua causa, & appellatio fuit iusta, & admissa, nihilominus maneo subditus illius in aliis causis, & potest me de alio crimine citare, & punire: secus si illum recusaui iuste, & probaui mihi esse suspectum ob aliquam causam in aliquo processu, tunc enim mihi manet suspectus in quacunque causa. Ita Gloss. *in cap. Pastoralis. de appellat. verb. ad tempus.* Et colligitur ex tribus capitulis ibi citatis, maximè ex *cap proposuit. de appellat.* Vbi Papa dicit iudicem suspectum in vno, posse nihilominus inquirere de aliquo crimine eiusdem recusantis quando crimen est adeo notorium vt de illo non possit reus respondere, neque excusari. Declarat tamen ibi Papa, & gloss. *citato cap. Pastoral.* quod pendente appellatione non potest iudex à quo cognoscere de alio crimine appellantis, quia pro tunc est suspectus: finita verò appellatione poterit. At si semel probatum fuit iudicem esse suspectum causa odij, vel consanguinitatis, & similium pro omni causa sequenti manebit suspectus.

12 Dixi *in prima editione hoc ver.* non posse appellari à iudice arbitro. Nunc declaro iudicem arbitrum esse duplicem: alius est arbiter iudex datus à iure quãdo scilicet ipsa lex iubet, vt Prælat° recusatus det iudices arbitros ad causam decidendam: & dicuntur arbitri iuris, quia dãtur à iure, vel à iudice recusato (de quo statim:)

ſtatim:) & hi arbitri iuris ſi ferant ſententiam poteſt ab illis appellari: habetur expreſsè, *cap. ab arbitris, de off. & poteſt.* &c. *in* 6. cum Gloſſ. *ibidem*, & eſt communis opinio. Alij ſunt arbitri qui dicuntur compromiſſarij, qui ſolùm eliguntur à partibus vt cauſam dubiam diffiniant, ac reſoluant, eo pacto vt vtraque pars compromittat quod ſtabit determinationi illius, vel illorum. Et ab hoc arbitro compromiſſario non poteſt appellare pars condemnata, vt dixi *citato loco*, & tenet Gloſſ. citat. *cap. ab arbitris. ver. appellandum*: pro quo citat duos textus, vnum iuris Canonici, alterum iuris ciuilis. Verùm per legem Portugallię in *Ordination. libr. 3. titul. 16. §. 1.* etiam ab his arbitris compromiſſariis poteſt appellari, ſi ſententia ſit iniuſta, & hoc licèt ambæ partes prius ſe obligent ad ſtandum ſententię ſub certa pœna ſoluenda ab eo qui reſilierit. At Religioſi debent ſeruare in hoc legem iuris Canonici non Portugallię, ſicut & clerici tenentur ad ius Canonicum. Nihil tamen ibi lex loquitur quid ſit dicendum ſi vtraque pars prius iuret quod ſtabit ſententię arbitri compromiſſarij. Et ego dico quod prędcedente tali iuramento, etiamſi pars aliqua ſe lęſam dicat, non poterit appellare; quia tunc tenetur ex iuramento quod poteſt ſeruare ſine diſpendio animę: & de tali iuramento iudicandum eſt ſicut de illo qui ob metum iurauit ſe daturum latroni 200. aureos, obligatur enim iuramento, iuxta communem.

EXCEPTIO CONTRA IVDICEM, ſeu recuſatio Iudicis.

13 SOlent aliquando ſubditi recuſare iudicem Prælatum dicendo illum ſibi eſſe ſuſpectum. In hoc caſu prima regula ſit. Taliter recuſans Prælatum

tum vt ſuſpectum debet coram eodem Prælato allegare cauſas exceptionis, qui Prelatus ſi viderit cauſas eſſe friuolas, & inanes, poterit per ſe ipſum illas repellere, & in cauſa procedere; habetur expreſsè *in c. cùm ſpeciali. de appellat.* iuncta ibi gloſſ. verb. *iuſtæ ſuſpicionis.* & gloſſ. paruula marginali quæ ad hoc citat Innoc. Hoſtienſ. & Ioann. Andr. Si verò recuſator nolit coram illo aſſignare cauſas recuſationis intra terminum à iure prefixum, vel ab ipſo iudice aſſignatum, iudex poterit procedere in cauſa vſque ad ſententiæ prolationem. Ita diffinit lex Portugallię *Ordin. libr. 3. titul. 21. §. 4.*

14 Si cauſa recuſationis ſit apparens, & probabilis, & Prelatus ſit ordinarius, vt Epiſcopus, Prouincialis, &c. poteſt talis Prelatus committere cauſam alicui perſonę non ſuſpectæ, vel aliquibus iudicibus arbitris, qui cauſam illam iudicent. Si verò ſit iudex delegatus, non poteſt hęc duo facere ex ſuo imperio: ſed ex conſenſu partium litigantium aſſignante quauis parte ſuum arbitrum, poterit iudicari an ſit cauſa ſufficiens recuſationis, qui ſi iudicent non eſſe ſufficientem; procedet iudex delegatus in cauſa commiſſa: ſi verò iudicent eſſe cauſam ſufficientem, ceſſabit delegatio. Et ratio diuerſitatis eſt, quia iudex ordinarius habet magis radicatam iuriſdictionem quàm delegatus. Habentur hæc duo *citat. cap. cum ſpeciali. de appellat.* iuncta gloſſ. verb. *de recuſatoris.* & in *cap. ſecundo de appellat.* maximè in gloſſ. ibi. ver. *coram eod. allegare:* & quod Prælatus ordinarius ſi ſit ſuſpectus poſſit aſſignare alium iudicem non ſuſpectum, habetur cap. *ſi quis. de foro compet.* vel ipſa pars poteſt petere vt aliquem ſibi aſſociet per textus quos citat gloſſ. in *cap. cùm contingat, de foro compet. verb. vel conſuetudine.*

15 Ad

Digitized by Google

15 Aduertat tamen iudex quod si subditus acceptauit litigare, vel fieri processum aliquem iuridicum coram Prælato ordinario, vel delegato; & post incæptum processum vult recusare illum iudicem tanquam suspectum, non poterit ad hoc allegare causas suspicionis, quæ iam existebant ante litem incæptam. Cùm enim iam has causas ille sciuerit, & nihilominus coram illo litigare consensit, iam videtur illis causis renuntiasse. Si verò hæ causæ, vel aliqua illarum orta fuit post litem incæptam, tunc poterit illam allegare, & si fuerit sufficiens, recusabitur iudex. Si denique iam ante litem incæptam erat orta causa suspicionis, vel recusationis, & ipse recusans illam ignorabat: poterit si id iurauerit, post litem inceptam illam allegare, prius iurans quod illam ignorabat ante litem inceptam. *cap. insinuante. de off. delegat.* & Felin. *in cap. Pastoral. numer.* 17. *de excep.* & ibi Decius *num.* 9. & Couar. *Pract. cap.* 26. *num.* 1. *versic. Sic & post concluſum.* In iure verò Ciuili aliud seruatur, de quo non curo.

ALTARE.

Vide infra ver. *Missa*, quæ enim ibi dicuntur, etiam hic inseruiunt.

1 DVbitant authores si hodie post Trident. possint Religiosi celebrare extra Conuentus suos vbique in altari portatili, salua semper honestate, decentia, & firmitate illius vt olim habebant? Negat absolutè Miranda *tomo* 1. *quæstion* 40. *art.* 9. citans pro se Suarez idem sentientem. At Petr. Ledesm. 1. *parte Sum. cap.* 20. *de Eucharist. fol.* 120. *impress. Olyssip.* dicit hodie id licere Religiosis si Episcopus non prohibeat;

sicut

ſicut poteſt prohibere:& tamen ſi non prohibeat, nos poſſe. Et citat Ledeſm. Medinam, & ait ſic ſentire alios.Idem ſentit Fr. Ioan. à Cruce *in ſua Epitom.priuil.libr.2. cap.5. §.ſi obiicias.* & Rodriguez *Additio. ad Summ.tom.3. cap.19. num.3.* ait ſimiliter poſſe, & ſolùm eſſe reuocatum quo ad cameras vbi ſæculares dormiunt : & proinde confirmare videtur quod dixerat *tom.1,qu.qu.43. art.4.& 5.* ex multis priuilegiis ibi citatis, poſſe Regulares hodie non contradicente Epiſcopo celebrare in domibus ſæcularium ſeruata debita decentia extra cameras vbi dormiunt, & in plateis, & in caſtris, & in grangiis, &c. Et citra vllum dubium id affirmat Rodriguez *citat.loco Summ.* poſſe facere fratres itinerantes cum proximè dicta moderatione.Et Compend.Societatis Ieſu verbo *Altare*,refert Paul. III. & Gregor. XIII. illis conceſſiſſe cum derogatione Tridentini, vt poſſint ſui Religioſi in miſſionibus, ad quas mittuntur, celebrare in altari portatili vbique gentium, etiam in caſtris militum, cum moderatione proximè poſita. Vide tamen verbum ibi poſitum (*in miſſionibus ſuis*) quid importet. Fauet Compend. D. Hieron. citandum, *num.3.§. 2.& 3.*

2 Abbates Ciſtertienſes poſſunt conſecrare altare ſuorum Conuentuum, cum oleo tamen ſacrato non à ſe, ſed ab aliquo Epiſcopo. Neque hoc reuocatum eſt illis per Tridentinum : idque poſſunt etiam pro Eccleſiis ſibi annexis intra ſuum territorium. Rodrig. *tomo 3.Addit.cap.19.num.2.*Hoc tamen priuilegio non vtuntur communicantes.

3 Intra ſuos Conuentus poſſunt Regulares communicantes cum Fratribus D. Hieronym. in Hiſpan. erigere altare, & in eo facere celebrare, cum debita decentia, idque maximè vbi Fratres infirmi decum-

bunt, etiam in camera Prioris. Compendi. D.Hieronym. verbo *Altare* §.1. Et idem concessit Gregor. XIII. Societati Iesu, in eius Compendio, verbo *Oratoria.* §. *vnico*, vt possint Prouinciales hæc Oratoria intra Conuentus pro Missis erigere. Ponit tamen ibi Collector vt non faciant id Prouinciales nisi in locis remotis ab oppidis. At Compend.D.Hieron.loquitur absolutè.

4 Opinio antiqua dicebat hoc altare portatile,vulgo (*pedra de Ara*) si haberet solos angulos fractos in quibus chrisma ponitur, perdere consecrationem, & in illo non posse celebrari. At secus dicendum est:& tenendum, quod non solùm fractis angulis, sed etiam fracta parte notabili petræ sacræ, si pars remanens potest commodè capere calicem cum hostia, in illa potest licitè celebrari. Quia non solùm anguli, sed tota petra consecratur. Sic tenet Suarez cum multis quos citat *tom.de Euchar.disputat.*81.*sect.*5.§.*tertio additur.* Si verò neutra pars aræ manentis possit capere calicem,& hostiam,non poterit in illa celebrari. *ibid.* Suarez.

ANNVS, DIES, TEMPVS.

SOlet aliquando in iure,vel aliquibus Bullis Pontificiis assignari certus terminus annorum, mensium,vel dierum, intra quem terminum temporis res aliqua facienda,vel omittenda sit:idemque solet contingere in aliquibus statutis Religionum. At in illo iure, Bulla, vel statutis sæpius non exprimitur an illi anni, vel menses debeant esse completi,vel inchoati. Quapropter vtile fuerit tradere regulas breues,& claras,ex quibus possit cognosci quando iubeantur anni, vel menses completi:quando verò sufficiant inchoati.

Hoc

Digitized by Goog

Hoc in ſumma collegit ex Canoniſtis Azor. 1. *tom. Sum. libr. 5. cap. 28. §. Dubia eſt.* Ex quo accipe ſequentes regulas.

1 Si leges, canones, vel ſtatuta aſſignant tempus cum præpoſitione, *In*, per ablatiuum, videlicet, in anno tertio, quarto, vel ſimilibus, ſolùm requiritur annus inchoatus, & incæptus. Vnde ſi lex dicat; quòd nihil poſſit fieri niſi in anno tali, ſufficit quòd ſit annus inchoatus, & proinde ſufficit quòd duo, vel tres dies illius anni tranſierint: iam enim per illos eſt annus incæptus,

2 Si lex vtatur genitiuo dicens, ne quid fiat ab aliquo niſi fuerit decem annorum, vel quid ſimile, in tali caſu petit lex annos completos.

3 Si lex vtitur accuſatiuo cum præpoſitione, *Ad*, ſolùm requirit annum inchoatum. Citatur Bartol. *l. ſi qui, ff. de legatis, & l. qui filium, ff. ad Trebellianum.*

4 Si lex aſſignet annos vtens accuſatiuo cum præpoſitione, *Per*, vt per tres, vel quatuor annos, requirit annos completos. Citatur *lex non putabam*, & *lex ſi annos, ff. de condit. & demonſtrat.* Hinc colligo pro Minoritis, quòd lex Sixti V. iubentis vacare Abbatiſſas per tres annos requirit annos, ita vt ſi deſit vnus tantùm dies, non poſſint reeligi, iuxta mox dicenda. Nam Sixtus V. vſus eſt in ſua conſtitutione accuſatiuo cum præpoſitione, *Per*, per tres annos.

Quæris, an idem iudicium ſit quando lex aſſignat annos cum præpoſitione, *Poſt*, vtens accuſatiuo: vt ſi dicat, poſt ſex annos, vel quid ſimile? Credo etiam tunc requiri annos completos, cùm eadem ratio ſit in præpoſitione *Per*, & præpoſitione, *Poſt*. Confirmo exemplo: Nam cùm Pius V. in ſua Conſtitutione Paſtoralis, anno 1571. pro Minoritis decreuerit, vt fun-

ctus officio Generalis, non possit reeligi, nisi post 16. annos, & functus Prouincialatu non reeligatur nisi post annos 8. &c. *ibidem*. Cùm postea fratres dubitarent an illi anni deberent esse completi propter particulam ibi positam, *Post*, adiectam accusatiuo: petierunt à Gregor. XIII. permitteret vt illi anni non intelligerentur rigorosi, & completi. Qui proinde dispensauit, vt illi anni vacationis præscripti à Pio V. non essent completi: sed per illos intelligeretur tempus vacationis duarum electionum intermediarum, siue tales electiones fierent suis annis completis siue non. Statutum verò Segouiense congregat. Generalis, *titulo de Prouincialibus Ministris*, §. *Omnes igitur*, mandat ne Prouincialis antiquus reeligatur nisi post sex annos expletos.

Ex hoc etiam infero Abbatissam sanctæ Claræ in Portugallia debere vacare per sex annos completos. Nam Paul. V. in Bulla de hoc edita dicit à se postulatum fuisse, vt illæ non possent reeligi, nisi post sexennium. Et Papa dicit, vt vacent per sex annos, cum præpositione, *Per*, & refert statutum Ordinis, quod confirmauit decernens vt Abbatissæ vacarent sexennio. Qui ablatiuus in materia odiosa, qualis est reelectio Abbatissæ, requirit etiam annos completos, vt mox dicemus. Si verò dicas, sufficere pro electione, vel reelectione Abbatissæ tempus vacationis duarum electionum intermediarum, siue præcesserint sex anni completi, siue non: sicut supra diximus in reelectione Generalis, & Prouincialis: Respondeo, non sufficere. Nam pro Generali, & Prouinciali dispensauit Gregor. XIII. At pro reelectione Abbatissæ non inuenio dispensatum ab aliquo successore in Bulla Pauli V.

§ Si lex assignet annos cum præpositione, *Ante*, &

cum

cùm accuſatiuo, vt ante annum 22. vel 24. vel quid ſimile, requirit annos inchoatos, & inchoati ſufficiunt. Colligitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 23. *c.* 12. vbi aſſignat annos requiſitos ad Ordines Sacros recipiendos cũ præpoſitione, *Ante*, & accuſatiuo. Quos annos praxis Eccleſiæ declarauit ſufficere inchoatos. Pro Minoritis aduerto, quòd quando ſtatuta generalia Romæ edita ſub Generali P. Ferro requirunt quatuor annos profeſſionis vt Monialis ferat ſuffragium in electione Abbatiſſæ, non requirunt annos completos, ſed inchoatos. Nam ſtatuta illa Latino idiomate impreſſa vtuntur præpoſitione, *Ante*, cum accuſatiuo: dicunt enim: *Ante quatuor ab emiſſa profeſſione annos.* Vnde ſi Monialis iam inchoauit quatuor annos profeſſionis, poterit ſuffragari: ſed non debet computari annus nouitiatus. Nouiſſimè verò apud Minoritas Congregatio Generalis Segouiæ ordinauit ſic: Vt in electione Abbatiſſæ illæ ſolùm Moniales ſuffragentur, quæ ſextum profeſſionis annum exceſſerint.

6 In pœnis, & in materia odioſa, ſi nulla ex ſupra dictis particulis apponatur, requiruntur anni completi: vt in pœna ſuſpenſionis, exilij, & ſimilium. At in materia fauorabili ſufficiunt anni inchoati. Sic Azor. *citato loco.* Hinc deducitur, quòd cùm reelectio Abbatiſſæ ſit res odioſa, teſte Rodriguez *in Summ. tom.* 1. *capit.* 103. anni iniuncti pro vacatione illius debent eſſe completi, & non ſufficient inchoati.

7 Notat autem Sanches, *libr.* 7. *de Matrimon. diſput.* 104. *n.* 2. *&* 3. quòd quando lex requirit annum completum, etiamſi deſit vnus tantùm dies, factum in oppoſitum non tenet, pro quo citat multos. Idem tenet *lib.* 1. *de Matrimon. diſput.* 16. *n.* 4. vbi cum multis tenet, quòd ſi lex requirit ſeptennium completum, & deſit,

vna ſolùm dies, factum non valet. Pro quo facit quod profeſſio facta ante annum nouitiatus, & ætatis 16. completos deficiente vna tantùm die, profeſſio erit nulla, vt omnes fatentur, & olim dixi, ver. *Nouitij annus.* Ait tamen Sanches *citat. diſputat.* 104. quod vt annus dicatur completus, ſufficit quòd ſit iam inchoata dies vltima illius anni.

Vide infra ver. *Denuntiatio.* vbi inuenies aliqua concernentia præcedentem materiam.

APOSTATA.

1 APoſtata à Religione eſt ille, qui factus verè Religioſus deſerit Religionem, quam profeſſus eſt, ſine tranſitu ad aliam cum animo non reuertendi ad ſuam. Nauar. *lib. 5. conſil. tit. de Apoſtatis, cenſil.* 1. Vnde fugiens non verè profeſſus; vel qui habet animum reuertendi, vel animo tranſeundi ad aliam Religionem, non eſt in rigore Apoſtata in foro interno, reputatur tamen talis in foro externo.

2 Apoſtata non eſt, qui exit animo intrandi aliam Religionem etiam laxiorem: aut nimis ſæuiente Prælato: aut meritò credens ſe non eſſe profeſſum. Sa *in Aphoriſ. ver. Religionum.* 71.

3 Fugiens ad Prælatum ſuperiorem, quia inferior Prælatus vult illum grauare notabiliter iniuſtè, non eſt Apoſtata. Rodrig. *tom.* 1. *quæſtionar. quæſt.* 30. *artic.* 2. Dixi, *quando vult grauare*, quia ſi iam grauauit, non licet fugere pro ſola querela facienda, ad hanc enim faciendam tempus ſuppetit. Neque item poteſt fugere, ſi leuiter timet grauari. Erit tamen apoſtata fugiens ad ſuperiorem ſine fundamento, & ſine cauſa in foro externo, vt dixi. Hæ tamen apoſtaſiæ quibus itur directè ad ſuperiores, etiam abſque cau-

ſa

ſa præcedente ſuffi ciente, non ſunt computandæ tres vel quatuor vt fugiens dicatur incorrigibilis, maximè ſi fiant abſque ſcandalo, & abſque aliis delictis. Non ſunt enim hæc crimina enormia, neque atrocia. Et ſic vidi Reſponſum in mea prouincia à R. Patre Generali.

4 Illi qui recipiunt Apoſtatas Camalduenſes,& Minoritas ſunt excommunicati: imò & hi qui Minoritis Apoſtatis dant auxilium, conſilium, & fauorem. Et contra illos detinentes hos Apoſtatas poſſunt Prælati Regulares fulminare excommunicationem, ſiue detentores ſint laici, ſiue Clerici. Sic Iulius II. & refert Rodrig. conceſſum Carmelitis, *in tomo 1. quaſtionar. quæſt. 30. art. 8.*

5 Ter, vel quater verus Apoſtata poteſt eiici ab ordine. Imò talis eſſe poterit vna apoſtaſia, diuturna ſcilicet, habitu dimiſſo, cum multis ſcandalis datis extra Conuentum, vt propter hanc vnam tantùm debeat expelli. Rodrig. *vbi ſupra art. 13.*

6 Sixtus IV. conceſſit Patribus Sancti Hieronymi in Hiſpan. vt quicumque Apoſtata rediens ad Religionem impetrauerit literas à Papa, vel Legato fauorabiles ad Prælatos Ordinis; ſi in illis literis non fiat ſpecialis mentio criminum talis Apoſtatæ, literæ ſunt nullius effectus. Compendium illorum ver. *Apoſtata*, §. 1. Et ſic in noſtra Religione literæ Generalis datæ Apoſtatæ in fauorem illius, non valent vt Prouincialis ad quem redit in pœnis diſpenſet.

7 Bona Apoſtatæ acquiſita ab illo in apoſtaſia, ſi reuerſus fuit ad ordinem, ſunt ſui Monaſterij, ſi verò moritur in apoſtaſia extra ordinem, ſunt Cameræ Apoſtolicæ. Rodrig. *citat. quæſt. artic.* 11. maximè §. *ſed contradicta.* Si verò ex bonis Apoſtatæ Monaſterium factum eſt locuples, & Apoſtata contraxit debita

bita in apoſtaſia, tenetur Monaſterium ad talia debita. Miranda *tomo* 1. *quæſt.* 51. *artic.* 8. *concluſio.* 2. Si verò contraxit debita in apoſtaſia, & non affert bona vnde ſoluantur, non tenetur Syndicus Minorita illa debita ſoluere. Rodrig. *tom.* 2. *Addit. ad Sum. cap.* 21. *num.* 8. Fauet dictum à Nauar. *lib.* 3. *conſil. titul. de Regular. conſil.* 73. quod ſcilicet Minorita non poteſt facere contractus ex vi Regulæ. Denique ſi Apoſtata affert bona lucrata per iniuſtitiam, reſtituenda ſunt dominis. Rodrig. *vbi proximè.*

8 Bona Apoſtatæ, qui ex vno ordine tranſiuit ad alium in quo receptus eſt, & ex ſecundo tranſiuit ad ſæculum vbi multa bona acquiſiuit, pertinent ad Sedem Apoſtolicam. Nauar. *vbi proximè conſil.* 80. Vide infra ver. *Eiicere ab ordine.*

9 Apoſtata exiens ab ordine, & obtinens vt ſua cauſa in Rom. Curia tractetur, & ea de cauſa ad illam pergens ipſo facto tali obtentione fraudatur, & cauſa ipſa omnino extinguitur, & ad ſummum Pontificem auocatur. Sic conceſſum eſt Eremitis ſancti Auguſt. *in lib. ſuorum priuilegiorum, fol.* 41. *pag.* 2.

ADDITIO.

Vide infra ver. *Habitus.*

1 SI aliqua Religio reſeruauit caſum apoſtaſiæ iuxta decretum D. Clementis VIII. in eo caſu Religioſus fugiens à Conuentu committit caſum reſeruatum etiam ſi habitum non dimittat. Si verò talem caſum quo ad culpam non reſeruauit, erit talis Religioſus excommunicatus tantùm; & abſolutus ab excommunicatione non indiget licentia vt abſoluatur à reſeruato. Hæc patet tum ex decreto ipſius Papæ, tum

tum ex iis quæ dixi olim in expoſitione caſuum eiuſdem Pontificis. Aliud eſt enim cenſuram eſſe reſeruatam; aliud caſum eſſe reſeruatum; aliud denique eſt, & caſum, & cenſuram annexam eſſe vtrumque reſeruatum; quæ omnia poſſunt contingere.

2 Iuxta idem decretum Clementis VIII. Religioſus noctu exiens à Conuentu ſine licentia, etiam animo reuertendi, incidit in caſum reſeruatum, ſi ſua Religio illum caſum reſeruauit, etiam ſi reuertatur eadem nocte. Si verò Religio hunc egreſſum non reſeruauit, non erit peccatum illius reſeruatum. Sed quæris, an talis Religioſus incurrat excommunicationem ſtatutam Apoſtatis? Reſpondeo primò, talem peccare mortaliter cùm violet obedientiam in re grauiſſima. Secundò dico, ſaltem in Ordine Minorum, talem Religioſum manere excommunicatum. Nam ſtatuta generalia illorum Tolletana *tit. de Apoſtatis.* vbi Apoſtatæ excommunicantur, declarant eſſe Apoſtatas illos, qui ſine licentia Superiorum exierint ſine habitu, vel cum habitu, ſoli, vel aſſociati. Cùm ergo Religioſus prædictus noctu egrediens, exeat ſine licentia, in re grauiſſima, ſolus erit excommunicatus: nam ibi ſtatutum non diſtinguit, an parum, vel multum extra Conuentum moram trahat? Cæteri Religioſi videant formam quæ ponitur in ſuis Conſtitutionibus contra Apoſtatas.

3 Quæris; quis poſſit abſoluere talem Religioſum noctu egreſſum à Conuentu, & reuertentem? Dico pro Minoritis, prædicta ſtatuta generalia Tolletana non ponere excommunicationem reſeruatam contra Apoſtatas. Ac proinde in foro conſcientiæ credo illos poſſe abſolui à quouis Confeſſore ordinario. Secùs in foro externo, quia in tali foro ſemper Religio abſoluit in publico per Prælatos ſolos.

4 Di

4 Dico secundò, in compendio Mendicant. verb. *Apostata*, multas dari concessiones Pōtificum, per quas concedunt Prælatis Ordinum aliquorū vt Prælati possint suos Apostatas excommunicare: ipsi tamen Pontifices ibi non excommunicant de facto: sed concedunt vt excommunicent. Excipe duos ibi Pontifices qui excommunicant de facto, primus est Innocent. VIII. §. 22. qui de facto excommunicat Minoritas Apostatas, sed non reseruat excommunicationem. Secundus est Iulius II. qui §. 27. excommunicatione reseruata Sedi Apostolicæ punit Augustinenses Apostatas, qui infra octo dies mandante Generali ipsorum ad Conuentum non redierint. Quamuis autem citato loco compendij aliqui Pontifices de facto excommunicent Apostatas, loquuntur de Religiosis fugientibus ad alias Religiones: de quibus modò non est sermo: iam enim alibi hac de re diximus.

5 Viso ergo quòd Religiosus Minor Apostata per Innocent. VIII. & per statuta generalia Tolletana non excommunicetur excommunicatione reseruata, credo posse absolui in foro conscientiæ; à quouis Confessore Ordinis approbato per suum Prælatum. Secùs de foro externo, vt dixi *n.* 3.

6 Quæris, an sit puniendus Religiosus, qui grauatus iniustè à suo Prælato inferiori recurrit ad suum Superiorem, & hac sola de causa exit à Conuentu? Rodrig. secutus Nauárrum, & alios, in *tom.* 1. *qq. quæst.* 30. *art.* 3. tenet non esse Apostatam: neque contrarium dici à Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 4. è contrario cùm ego essem Prouincialis, accepi litteras à nostro tunc Generali Reuerendiss. Soza, quibus attestabatur Cardinales Romæ deputatos pro dubiis Tridentini, declarasse illum Religiosum, qui fugit ab inferiore Prælato ad superiorem, esse Apostatam. Ego pro conciliatione huius

huius contrarietatis dico, quòd si Religiosus iam est passus grauamen, nec de futuro aliud timet iniustè, non poterit adire superiorem pro sola restitutione famæ obtinenda: hoc enim fieri potest, vel per litteras, vel expectato tempore visitationis, vel petendo iudices delegatos. Si verò grauamen iniustum nondum est illatum, sed timetur, ac speratur certò moraliter de futuro, & est grauamen notabile, tunc poterit adire superiorem absque culpa apostasiæ: & tunc habet locum opinio Nauar. & Rodrig. ob rationes ab illis assignatas. Explico vtramque partem per casum similem. Ille qui fuit læsus, vel percussus ab alio, transacto iam nocumento illato, non potest vltro percussorem quærere, vt vindictam per se sumat: erit enim tunc peccatum vindictæ. Si verò in flagranti delicto (vt dicunt) aliquis illum aggrediatur vt nocumentum inferat, & fugere nec possit, nec debeat, potest aggressorem præuenire percutiendo prius cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quod facile erit ad casum præcedentem applicare.

7 Apostata etiam est, qui fugiens à Conuentu habitum quidem non dimittit, sed tamen liberè vagatur animo non redeundi. Et incidit in excommunicationem *capitis, vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi,*

BAPTIZARE.

1 COmmuniter prohibetur Religiosis baptizare: non enim possunt assistere curæ, seu institutioni spirituali baptizati. Et tamen Minoritæ possunt in extrema necessitate baptizare si desit alius Sacerdos sæcularis, vel Regularis: si verò hi desint, etiam si sint viri masculi qui sciant, possunt Minoritæ. Rodr. *tom. 1. q. 9. 31. art. 1.*

2 Quid

2 Quid ſi Minorita Sacerdos adſit excommunicatus, ſed non denunciatus, & non ſit alius Sacerdos? Credo quòd adhuc poterit baptizare. Vide Sayrum *lib.* 2. *de cenſur. c.* 2. *num.* 16.

3 In Indiis poſſunt Religioſi etiam in ſuis Eccleſiis conuerſos baptizare per conceſſiones multorum Pontificum citatas à Rodriguez *ibidem articulo* 3. & 4. & idem poſſunt Minoritæ facere in terris Sarracenorum, vel paganorum, ad quos perrexerint zelo prædicandæ fidei. Compend. Minor. ver. *Baptizare* §. 1.

BENEDICERE.

1 GVardiani & ſuperiores Prælati Minorum poſſunt benedicere benedictione ſolemni, omnes ſuas Eccleſias, Oratoria, & ornamenta Eccleſiaſtica, in quibus Chriſma non interuenit (calice videlicet, & petra aræ exceptis) Compend. ver. *Benedicere*. §. 14. Non poſſunt verò Eccleſias conſecrare.

2 Poſſunt eaſdem Eccleſias non conſecratas, quando fuerint pollutæ, reconciliare. *eodem* §. *Compendij*. Et hoc poſſunt facere cum aqua benedicta ſolùm per ſe ipſos, neque opus eſt vt benedicatur aqua ab Epiſcopo niſi pro Eccleſia conſecrata. Tenet Capucinus ad citatum locum *Compendij* §. *primus caſus eſt.* & Henriq. *tom.* 2. *libr.* 13. *capit.* 51. §. *pollutio.* Quando enim Compendium *citato* §. dicit, requiri aquam benedictam per Epiſcopum, intelligit de Eccleſia conſecrata ſolùm, non verò de benedicta.

3 Poſſunt Guardiani, & illis abſentibus Vicarij ſeu Præſidentes, benedicere prædicta ornamenta, & corpora

poralia, tam ſui Monaſterij, quàm etiam vndecumque ſint, per conceſſionem factam Sanctæ Iuſtinæ de Padua, de qua Capucinus, *in Compend. vbi ſuprà.*

Circa hoc priuilegium quatenus ait poſſe prædictos benedicere corporalia extranea pro ſæcularibus ſcilicet Eccleſiis, Collector priuilegiorum Minorum *citato verbo* innuit eſſe reſtrictam: quia Capitulum generale Minorũ Mechlinenſe reſtrixit vt pro ſuis Conuentibus poſſent Prælati benedicere corporalia: poteſt autem Capitulum generale, vel Prouinciale reſtringere vſum priuilegij vt infra dicetur. Et certè apud Minoritas non vidi eſſe in vſu benedicere corporalia extranea, credo enim id malè toleraturos Epiſcopos. Scio quod Rodrig. debuit talem locum Compendij legere: & tamen is 1. *tom. q. q.* 16. *art.* 2. citans prædictam conceſſionem ait, etiam ſi ſint extra ordinem, Compendium verò Societatis Ieſu ver. *Benedicere*, §. 3. de prædicta conceſſione ſic aduertit. (Quo ad benedictionem tamen externorum, non niſi neceſſitas vrgeat, & Prælati, (ideſt, Epiſcopi) diſtét, & ſine illorum offenſione.) ſic ibi. Elige ſecurius. Circa Minoritas tamen, & prędictum ſtatutum Generale, noto forſitan prædictum ſtatutum non fuiſſe receptum, vel hodie non practicari: quia ibi prohibet Guardianis ne benedicant corporalia: quod hodie nõ practicatur, imò benedicũt corporalia iuxta prædictam conceſſionem ſuorũ Conuẽtuum.

4 Si Eccleſiæ Minorum ſint conſecrandæ (idem dic de calice, & altari portatili) id non poteſt fieri niſi ab Epiſcopo in cuius diœceſi viuunt. Quod ſi hic rogatus facere noluerit, poſſunt illud petere à quouis alio Epiſcopo non impedito. Compend. *verbo citato* §. 3. Idem dic de reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ.

5 In particulari verò pro recõciliatione Eccleſiæ nota, quod non indiget reconciliatione, ſi intra ipſam parum

rum ſanguinis diſtillauit, guttatim ſcilicet tantùm: ius enim requirit effuſionem ſanguinis, quod denotat largitatem. Secundò, quando reformantur ædificia Eccleſiæ, non eſt rebenedicenda niſi quando deiiciuntur omnes parietes, aut maior pars illorum. Capucinus *citato loco.*

ADDITIO.

1 PRæter illa quæ dixi olim hoc ver. *Benedicere*; nunc addo, quòd omnia quæ ibi dicuntur *num.* 1. poſſe facere Guardianum, poſſunt etiam facere Sacerdotes ordinis non Prælati, dummodo ſint ad hoc ſpecialiter deputati in Capitulo generali, quod quia neque eſt in vſu, neque neceſſarium, tunc omiſi.

2 Addo præterea in Bullario Rodriguez *fol.* 513. inter conceſſiones Sixti IV. *num.* 12. ponit iſtam conceſſionem. *Sixtus conceſſit quod omnes Fratres familiæ noſtræ poſſint benedicere paramenta altaris, miſſalia, & indumẽta, exceptis corporalibus duntaxat.* Sic ibi. Per quam conceſſionem non poſſunt Sacerdotes ordinis non Prælati benedicere Eccleſias, & corporalia, vt patet. Poſſunt tamen iſti non Prælati benedicere omnia alia ornamenta, & paramenta altaris, & omnes veſtes ſacerdotales. Et ſcio apud Patres Dominicanos iſtam conceſſionem eſſe in vſu; & ſic practicari vt Sacerdotes ordinarij benedicant omnia proximè dicta, etiamſi non ſint Prælati. Quod verò ſpectat ad Fratres Minores credo illos non poſſe vti præſente conceſſione. Nam Capitulum generale, imò, & ipſe Generalis poſſunt præcipere ne Religio vtatur hoc, vel illo priuilegio: vel vt vtatur hoc, aut illo modo, vt olim dixi in 1. Editione ver. *Generalis, num.* 5. At conſtat ex Collectore priuilegiorum Mendicantium, verb. *Benedicere*

ad

ad finem, quòd Capitulum generale Meclinenſe poſt Sixtum IV. decreuit,& præcepit quod ſoli Prouinciales,Cuſtodes,& Guardiani benedicant ornamenta Eccleſiæ, & non alij:per quæ verba interdixit vſum talis priuilegij: vel potius reſtrixit illud ad ſolos Prælatos. Et ita puto ſeruari in praxi in tota noſtra Religione: ſaltem in hac mea Prouincia, in qua numquàm vidi prædicta ornamenta benedici niſi à Prælatis: imò neque Confeſſores noſtrarum Monialium illa benedicunt, ſed Guardianus illa benedicit pro Monialibus in ſuo diſtrictu viuentibus. Excipio illos Confeſſores Monialium qui in noſtro Ordine dicuntur Vicarij in capite, & habent ſubditos capellanos etiam in fori externi iuriſdictione. Nam hi Vicarij ſunt veri Prælati:& ita credo illos pro Eccleſia ſuarum Monialium poſſe prædicta benedicere ſicut Guardiani benedicunt. Pro quo vide quæ dicemus infra ver. *Vicarius in capite*, fere in ſimili materia: vel verb. *Vicarius Prouincialis in Ordine Minorum.*

3 Gregor. XIII. conceſſit Patribus ex Societate IESV, vt illi Religioſi, quos illorum Generalis miſerit ad terras remotiſſimas ad fidem prædicandam infidelibus, poſſint ibidem Eccleſias, hoſpitalia, & alia pia loca erigere ſine alicuius præiudicio. Et veſtes Sacerdotales, palas, corporalia, calices, & cæmeteria (ſi Epiſcopus Catholicus, qui ea faciat, ibi non fuerit) benedicere, ac prophanatas Eccleſias reconciliare poſſint. Sic ibi. Habetur Bulla in Bullario Rodriguez *à fol.* 807. *num.* 36. *&* 37. per quam conceſſionem, vt vides, conceditur ibi Sacerdotibus ordinariis quòd poſſint benedicere ornamenta Eccleſiæ, corporalia, & calices. Sed noto, quòd illa conceſſione non poſſunt vti, niſi in terris remotiſſimis infidelium: ſic enim textus Bullæ manifeſtè declarat. Quod idem poterunt Minoritæ,

ritæ, & cæteri communicantes in citato priuilegio in terris remotiſſimis exiſtentes pro conuerſione infidelium. Id verò quod ponitur in dicta conceſſione (ſi ibi non adſit Epiſcopus catholicus) puto ſolùm intelligi pro conſecratione calicis, quem Prælatus Mendicantium non poteſt conſecrare, & pro benedictione corporalium facienda, à non Prælato Sacerdote. Corporalium enim benedictio ſolùm ſpectat ad Epiſcopum de iure communi, & per priuilegium ad Prælatos Mendicantes. Vnde in partibus illis remotiſſimis Religioſus Prælatus non indiget licentia Epiſcopi ad benedicenda corporalia, indiget tamen pro calice conſecrando: hunc tamen poterit ibidem conſecrare, tum Prælatus, tum Sacerdos ordinarius, ſi non ſit recurſus ad Epiſcopum catholicum. Poterit idem Sacerdos ſimplex ibidem benedicere corporalia deficiente Epiſcopo modo prædicto, non verò ſi ille poſſit adiri.

BONA.

De bonis traſeuntium de vno ordine ad alium vide infra ver. *Religio à n.* 18.

1 BONA Religioſorum maximè Congregationis Montis Oliueti occupantes, ſunt excommunicati niſi poſt requiſitionem reddant. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 38. *art.* 7. & circa hoc multa & varia ſunt priuilegia indulta Regularibus quæ videre licet *citato loco* Rodriguez, & verbo *Exemptio*, & alibi ſæpe in multis Compendiis: maximè in Compendio Minorum, & Societatis IESV ver. *Bona.* & ver. *Monaſterium.*

2 Bona Fratrum electorum ad Epiſcopatum, vel maiò

maiores dignitates pertinent ad ſuum Monaſterium: nec poſſunt ſe cum illa deferre. Compend. verbo *Bona*, §. 1. & ſimiliter bona Epiſcopi titularis ſunt Monaſterij. Rodrig. *tom. 3. q. 69. art. 4. in fine.* Et apud Dominicanos (& proinde communicantes,) electus in Epiſcopum, qui non reddit Ordini libros & cætera ſui vſus, manet ſuſpenſus. infra ver. *Suſpenſio num. 2. Suſpenſione 9.*

3 Bona malè acquiſita ſi ignoretur verus dominus, vel bona incerta, poſſunt Minoritæ recipere loco eleemoſynæ. Compend. verb. *Bona*, §. 2. Et hoc ipſum facere poſſint Guardiani de bonis intrantium Ordinem, ſi ſint aliàs debita, & neſciatur dominus, poſſunt enim illa conuertere in pios vſus. Compen. §. 4.

4 Bona Conuentualium Diui Franciſci in Hiſpania applicantur Monialibus Sanctæ Claræ. Rodriguez *in Bullario, fol.* 1227. ex Clemente VIII.

5 Poſſunt Generalis, & Diffinitores paciſci cum illis qui debent bona Conuentibus, quæ vix poſſunt recuperari. Compend. D. Hieronym. verbo *Bona temporalia* §. 2.

6 Bona Apoſtatarum ad quem pertineant, vide ſupra *Apoſtata, n. 7. &* 8. & infra verbo *Syndicus, num.* 8. Bona autem Fratrum viuentium extra Conuentum cum habitu retento, ſunt Cameræ Apoſtolicæ. Azor. *tomo 2. lib. 8. cap. 3. q. 15.* Etiam ſi ibi viuant cum licentia ſuorum Prælatorum.

ADDITIO.

DIxi olim in hoc verbo, *Bona*, ad quem pertineant bona acquiſita per Apoſtatam in apoſtaſia; & de bonis Epiſcopi, qui antea fuit Religioſus. Nunc dicam de bonis acquiſitis à Religioſo electo ab

Ordine propter culpas,quæ extra Conuentum expulsus acquisiuit cum quibus moritur.Item de bonis illius Religiosi,qui viuebat extra conuentum,habitu retento,vel non retento,cum licentia tamen Prælati vel illius qui illam dare potuit.

1 Hanc quæstionem vidi iam agitatam in praxi, & fortè ob temporum varietatem diuersis modis in hoc practicatum fuit. De præsenti puto probabiliorem sententiam illam, quæ asserit bona Religiosi expulsi ab Ordine propter culpas, vel illius qui viuit extra illum cum licentia pertinere ad Cameram Apostolicam tanquam spolia Papæ. Ita in terminis AZOR. *tom.2. libr.8. cap.4. quæstion.10.* citans ad hoc nouam Bullam Gregor. XIII. quam ego vidi: & habetur in tomo Bullarum Pontificum, collectarum à Petro Matthæo *fol.720.* & est in numero decimanona inter Gregorianas.

Credo autem hoc non habere locum in Religiosis Societatis IESV, qui eiiciuntur ante professionem solemnem cum votis solùm simplicibus antecedentibus in biennio. Quamuis enim per illa vota simplicia sint verè Religiosi,non tamen sunt professi solemniter,de quibus solis prædicta constitutio loqui videtur. Vide infra verbo *Eiicere ab Ordine*,sed vt dixi,scio hac de re esse diuersas opiniones & practicari variis modis, & ego quæsiui à quodam officiali Nuntij Apostolici in hoc Regno, valde perito,de praxi istius opinionis, & nihil mihi certum respondit. Vidi ego tamen, & habeo prædictam illam Bullam Gregor. XIII. quam citaui, in qua decernitur prædicta bona pertinere ad Cameram Apostolicam:id enim Papa potest mandare.

2 Bona mobilia,vel immobilia pertinentia ad Conuentus Fratrum Minorum, & ipsos Conuentus, seu

Eccle

Ecclesias Nicolaus IV. & Alexand. VI. receperunt in potestatem, ac dominium Sedis Apostolicæ: ac proinde Papa est dominus etiam temporalis omnium bonorum Ordinis Minorum. Si quid autem Ioannes XXII. postea decreuit in contrarium in Extrauag. *quia quorumdam*: dicitur id reuocasse in hora mortis. Ita reuocasse dicit Collector priuilegiorum Mendicantium ver. *Bona. ad* §.8. & citat Capitulum generale Minorum Mechlinense, in quo publicè facta fuit mentio istius reuocationis. Itaque hodie prædicta bona sunt sub dominio, & potestate Sedis Apostolicæ: quod ad tria potissimum potest inseruire: Primò, vt Minoritæ sint securiores in conscientia, & puriores in voto paupertatis alieni omnino à dominio rerum temporalium, & illarum tantùm vsum habentes necessarium. Secundò, vt videant Minoritæ Prælati se grauius peccare si bona prædicta indebitè alienent, cùm non sint bona sua, sed Sedis Apostolicæ. Tertiò, vt videant sæculares qui prædicta bona Minorum indebitè vsurpant, vel furantur, se grauius peccare (maximè quando fuerint immobilia) cùm vsurpent bona Ecclesiæ. Et fortè possent timere aliquo modo Bullam Cœnæ excommunicantis illos qui bona Ecclesiæ diripiunt.

3 In Compendio Mendicantium, ver. *Bona*, §.10. ponitur priuilegium concessum Patribus sancti Augustini, per quod excommunicantur excommunicatione reseruata Sedi Apostolicæ omnes qui occupant, vel damnificant bona spectantia ad illorum Conuentus, vel personas, si taliter occupantes, vel damnificantes admoniti à fratribus intra triduum non restituerint, aut vexare non destiterint. Et simile priuilegium eisdem concessisse Leonem X. refert Rodriguez *tom.* 1. *qq.* 7. 38. *art.* 7. ad finem, vbi clarè loqui-

ADDITIO.

AN Prælati Regulares possint absoluere suos subditos à casibus contentis in Bulla Cœnæ (excepta hæresi, quam semper excipio,) vide supra ver. *Abbas, Prior, &c. à n.* 10. *& seqq.*

BVLLA CRVCIATÆ.

1 MVlti Pontifices, maximè Clemens VIII. prohibuerunt, ne Religiosi omnes per Bullam Cruciatæ, vel alias particulares possent eligere, vel mutare confessorem: neque virtute illarum possint absolui à reseruatis in ordine: idemque decernit circa Moniales. Habetur Bulla Clem. VIII. in Bullario Rodr. *fol.* 1217. Sed in omnibus supradictis stent dispositioni Prælatorum.

2 Possunt confessores virtute Bullæ Cruciatæ commutare vota partim in subsidium temporale belli; partim in alia quæuis opera pia: vt sic suauius fideles recipiant, & ob alias causas citatas ab Henriquez *libr.* 8. *de Indulg. cap.* 30. *numer.* 6. & Sanchez, *lib.* 8. *de Matrimon. disput.* 15. *numer.* 1. citante aljos. Et dicente hoc esse de intentione Bullæ; & Regis impetrantis. Aduerte quod Minoritis declarauit Vicarius Generalis in Hispania posse illos vti Bulla Cruciatæ cum licentia Superiorum ad lucrandas Indulgentias, & priuilegia in illa concessa: non ad eligendum confessorem, neque ad casus reseruatos: & Bulla prædicta Clement. VIII. id videtur innuere, quia solùm prædicta duo prohibet, & non alia. Pro scrupulo verò Minoritarum recurrendo ad pecuniam iniecto à Collectore priuilegiorum pro quærenda Bulta Cruciatæ:

notat Miranda *tom.2. quæst.34. art.15.* ex Cordub. nullum ibi dari ſcrupulum cum licentia Prælati: cùm ille iudicauerit illud eſſe neceſſarium, quale ſemper videtur eſſe, lucrari Indulgentias, & alias conceſsiones Bullæ. Aliud verò priuilegium quod circa hoc citat ibi Miranda pro lucrandis conceſsionibus eiuſdem Bullæ per Paulum III. non eſt facile omnibus Minoritis, & ideo omitto. Priuilegia Cruciatæ non ceſſant etiam per reuocationem magni Iubilæi: imò etiam ſi dicatur in illo, reuocari omnes facultates conceſſas etiam ad Regum inſtantiam ex quibuſcumque cauſis. Eſt enim Cruciata priuilegium per modum contractus conceſſum quod non reuocatur niſi exprimatur. Sanchez *lib.8. de Matrim. diſp.33. n.10.* ſecus ſi in reuocatione exprimatur Cruciata.

CANONICA PORTIO SEV *quarta Funeralis.*

1 HANC tenentur ſoluere illi Religioſi, qui ante Concil. Tridentin. illam ſoluebant per quadraginta annos ante dictum Concil. Vide in Trident. *ſeſſ.25. cap.13.*

2 Illi Conuentus qui erant iam fundati ante Trid. & per quadraginta annos ob conſuetudinem præſcriptam non ſoluebant quartam funeralem; non tenentur illam hodie ſoluere. Talis eſt Conuentus Sancti Franciſci Setuualenſis in Portugallia. Rodriguez mox citandus.

3 Illi conuentus, qui non erant fundati quadraginta annis ante Concil. Trident. pari modo non tenebuntur ad illam, quia nondum per quadraginta annos ſoluebant. Rodr. *paulò infra.*

4 Illi Conuentus qui fundati ſunt poſt Concil. Trid.

Tridentin. à fortiori non tenentur ſoluere quartam funeralem, quia nullo modo ante Concilium potuerunt ſoluere: & de his non loquitur Concil. Rodrig. latè *tomo* 1. *q.q.* 39. *art.* 2 Ex declaratione Pij V. & declaratione Cardinal. & aliis ibi citatis, & Mirand. *tomo* 2. *q.* 48. *art.* 7. Et idem dicendum de Conuentibus in poſterum ædificandis.

5 Iſta quarta funeralis eſt ſoluenda ſolùm de illis quæ deferuntur cum corpore defuncti, vino ſcilicet, tritico, & ſimilibus. Non verò de Miſsis, Candelis, Officiis defunctorum; neque de relictis in teſtamento dandis, vel deferendis poſt diem ſepulturæ. Rodriguez, & Miranda *locis citatis* cum aliis *ibidem.*

6 Innuit Rodrig. 3. *tomo q.q.* 56. *art.* 5. cum ibi citatis, quod ſi Parochus ſpoliauit funus antequàm veniret ad manus eorum, quibus debebatur, perdit quartam funeralem. Vide *ibi.*

7 Si moriens eligit ſepulturam apud Regulares, & in ſuo teſtamento relinquit legatum pium ſuæ Parochiali, quod æquiualet quartæ funerali, tale legatum computandum eſt pro quarta parte, & non debetur amplius quarta funeralis. Rodrig. *citata q.* 39. *tom.* 1. *art.* 7. cum ſeptem Doctoribus ibi allegatis. Et Miranda *q. citata, art.* 11. *concl.* 2.

8 Omnia ſupradicta locum habent etiam in Conuentibus Monialium. Pius enim V. in ſua Bulla generali verbo dicit non teneri ſoluere Monaſteria. Conuentus autem Monialium ſunt verè Monaſteria. Et præterea Pius V. ibidem ſpecificat Moniales dicens: *Non autem de Miſſis, vel aliis Fratribus ipſis ſeu Monialibus relictis.*

8 Iſtam quartam funeralem non tenentur ſoluere Comentus iuxta ſupradicta deobligati, ſi illorum Prę-

lati ignorantes, illam aliquando soluerunt, dummodo non soluerint per 60. annos sufficientes ad præscriptionem, quia per hos actus contrarios non perditur priuilegium commune Ordinis, vt infra dicetur, verbo *priuilegium*. Miranda, *articul.* 13.

9 Conuentus exemptus à solutione quartæ funeralis non potest illam renunciare, quia faceret contra bonum commune suæ Ecclesiæ: sicut Clericus non potest renunciare priuilegio communi fori Ecclesiastici. Neque Parochus potest renunciare acceptionem illius ob eandem causam. Verum est tamen quod Bonifacius VIII. & Leo X. citati à Rodriguez *vbi supra articulo octauo* decreuerunt vt pacta, & compositiones factæ circa quartam funeralem à Guardianis, & Prioribus cum Clericis, sint validæ, quamuis sint factæ absque licentia Prouincialium, vel Generalium. Bonifacius tamen primò dicit vt fiat cum consensu Conuentus: & ego addo circa Minoritas debere fieri cum assensu, & interuentu Syndici, qui est Procurator Papæ, & sine quo contractus Minorum sunt inualidi. Secundò addit Bonifacius, vt pacta sint licita, & honesta. Et Leo X. ait; dummodo sequens Capitulum Generale, vel Prouinciale non irritet illas compositiones. Fortè autem non erit licitum, & iustum pactum, vbi Conuentus Minorum in vrbe quadam vbi sunt duæ Parochiæ Clericorum ex quolibet defuncto remanet tantum cum tertia parte: & alias duas partes dat singulas singulis Parochiis. Vide tamen Rodriguez *citato tomo primo quæstione 27. articulo septimo.*

Vbi

Vbi absolutè ait non posse Guardianum facere pactum vllum, absque licentia Prouincialium. Quæ duo illius loca ambigua sunt, & indigent consideratione.

10 In Clementina *dudum. de sepulturis*, §. *verum*, decernitur quod Parochi nihil possint petere à Dominicanis, & Minoritis vltra quartam partem, & ibi cassat, & annullat omnia pacta, & statuta facta in contrarium. Quam annullationem Miranda *citata quæstione*, *artic.* 12. *conclusione* 2. etiam extendit ad pacta in posterum facienda post ipsam Clementinam. At Leo X. fuit post illam, & potuit ius commune reuocare.

11 Quando iuxta prædicta nostri Conuentus fuerint exempti à quarta funerali, ordinarij obligantes illos ad illam soluendam, & Rectores Ecclesiarum incidunt in graues pœnas, de quibus Rodriguez *articul.* 9. & Mirand. *articul.* 14. Neque tunc Religiosi tenentur comparere coram Ordinariis, sed coram Prælatis suis Regularibus, vel coram Legato Papæ.

ADDITIO.

1 PRæter dicta in prima Editione: quod Conuentus denuo ædificati post Concilium Tridentinum non teneantur soluere quartam funeralem, vide in Bullario Rodriguez *fol.* 1217. Bullam Clementis VIII. continentem processum, & sententiam latam in simili materia pro Conuentu Carmelitarum Discalceatorum apud Barchinonem.

2 Si quis ingrediatur aliquod Monasterium ani-

mo mutandi vitam, & ibi moretur per aliquos dies, & ante ſuſceptionem habitus moriatur durante tali animo mutandi vitam, & ſepeliatur in eodem Conuentu, non debet quartam funeralem; quia per illum animum, & intentionem quam habebat mutandi domicilij deſiit eſſe parochianus ſuæ parochiæ, & cenſetur mutatio domicilij. Ita Azor. *tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 13. *q.* 4. ex Archidiac. Geminian. & Ioan. Andr.

3 Quando Eccleſia parochialis eſt interdicta ſua culpa, parochianus alibi eligens ſepulturam, non debet quartam funeralem ſuæ parochiæ ſic interdictæ. Azor. *vbi ſupra* cum ibi citatis. Hoc maximè intelligitur ſi parochia, aut aliquis illius parochianus, vel parochus cauſam dedit interdicto. Si verò parochia cauſam interdicti non dedit, tunc quarta funeralis debetur etiam ſi interdicta ſit, culpa tamen alterius extra parochiam. Videtur etiam parochia ſolùm priuari dicta quarta funerali ob delictum proprium. Alios caſus ponit Azor. *citato loco vſque ad finem capitis*, qui vel ſunt parui momenti, vel non ſunt in vſu: imò, & contrarium aliquorum, quæ ibi ponuntur, ſolet apud nos practicari: & ideo omiſi illos hic referre. Vide illum ſi placet.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

1 IN 1. editione ver. *Canonica portio numer.* 7. dixi cum Rodriguez *ibi citato quæſt.* 38. *qq. Reg. tom.* 1. *art.* 7. & Miranda, quòd ſi defunctus moriens ſepeliatur apud Regulares, & in ſuo teſtamento relinquat legatum ſuæ parochiæ quod æquiualeat quartæ funerali: tunc Conuentus apud quem ſepelitur non debet quartam funeralem parocho. Et citat pro hoc ſeptem Doctores, nullam aſſignans rationem, vel textum. poſtea

ſtea in caſu ſimili rogatus ſum, ſi haberem ad hoc probandum rationem aliquam. Reſpondi, me nullam habere: ſed me credere quod tot ac tales Doctores cum fundamento id aſſerere debuiſſent. Hanc ſolam aſſignaui, & aſsigno: quod cùm Eccleſia decreuerit dari quartam funeralem parocho ob compenſationem laboris tolerati ab illo in paſcendo parochiano per totam vitam cum adminiſtratione Sacramentorum, & aliorum obſequiorum ſpiritualium: ſatisfeciſſe videtur parochianus huic debito ſufficienter, ſi moriens relinquit parocho legatum æquiualens, ad quod relinquendum aliàs non tenebatur. Qui habuerit Doctores citatos à Rodr. *citato loco*, eos conſulat, ibi enim cauſam, vel textum debent allegare.

2 Poſt hæc incidi *in cap. officij. de teſtamentis*, in quo aliquid ponitur ad hoc conducens. Ibi dicit Papa Innoc. III. quod ſi aliquis moriens in teſtamento reliquit propriam portionem Epiſcopo (id eſt) quartam funeralem, & ſimul relinquit multa alia Monaſterio, vel Eccleſiæ, ſi illam portionem reliquit Epiſcopo ſub conditione, vt contentus ſit: & Epiſcopus acceptauit: tunc non poſſe Epiſcopum aliquid amplius petere de relictis Monaſterio. Si verò talem portionem reliquit Epiſcopo abſolutè, & ſine conditione, poterit nihilominus Epiſcopus de cæteris bonis vendicare. Et Gloſſ. *cit. cap. vendicare*: cauſam huius aſsignans ait: nam qui recipit vnum non intelligitur alij renuntiaſſe, niſi hoc ſit dictum. Et citat *l. ff. de act. & obligat. l. quoties*. Et dat exemplum: quoniam vxor recipiens legatum relictum à marito, non ideo renuntiat doti. In hoc autem videntur æquiparari dicta de Epiſcopo in *cit. cap.* ac ſi dicerentur de legato relicto parocho. Quæ quidem videntur contrariari illorum Doctorum, & Rodrig. dicto: vel ſaltem dictum Rodriguez

vide

videtur limitandum per hoc *caput citatum officij*, vt scilicet intelligatur quando legatum æquiualens relinquitur Parocho cum clausula vt contentus sit illo pro quarta funerali, & Parochus acceptat. Tu modò elige quod verius iudicaueris.

CARDINALIVM Declarationes.

1 CVM hæ Cardinalium declarationes quotidie citentur,& iam in libris impressis contineantur, breuiter dicendum an illæ obligent in conscientia, sicut leges Pontificiæ. Rodriguez *tomo* 1. *quæstionar. quæstion.* 11. *artic.* 2. asserit quod si illæ nobis proponantur authenticæ,signatæ cum sigillo alicuius personæ constitutæ in dignitate, obligant nos sicut lex Papalis:neque opus esse vt promulgentur denuo à Papa; quia iam sunt publicatæ virtualiter in sua lege,siue textu Tridentini cuius sunt declarationes factæ authoritate Papæ. Et est quidem hæc opinio securior, etiam quo ad iudicium externum. Alij verò vt *ibidem* ait Rodriguez absolutè dicunt illas non obligare quo ad vsque promulgentur à Papa. Est enim de ratione legis vt promulgentur in specie:& papa hactenus non sinit eas promulgari Ecclesiæ nomine ipsius. Ita constanter tenet Nauarrus, *libr.* 5. *consil. titul. de sententia excommunicationis, consil.* 15. vbi ait ad finem quæstionis 1. quod etiam decisiones Rotæ non recipiuntur in toto orbe, neque in omnibus Academiis, cum Nau. tenet Martinus del Rio,*libr.* 6. *Magic. disquisit. cap.* 1. *sect.* 3. *prope finem*,& innuit Vega,1 *par. Summ. cap.* 62. *casu* 41. §. *Que acerca*,ad finem:& tenet Sanchez,*lib.* 8. *de Matrim. disp.* 4. *n.* 10.

CAR

CARCER.

1 CArcerari non debet Religiosus nisi prius contra illum sit factus processus summarius cum duobus testibus. Rodriguez *tom.2. quæstionar.quæst.17. art.4.& quæst.3. art.3.* Carcer enim Religionis non solùm seruit ad custodiam,quemadmodum in sæcularibus : sed est etiam pœna , & nimis infamat, priuat habitu,& aliis multis in aliquibus Religionibus.

2 Carcer Religionum debet esse humanus,& securus : aliàs pro homicida reputabitur Prælatus in hoc excedens.Rodriguez,*citata quæst.art.3.*

3 A carcere,seu à carceratione non licet appellare. Iulius Clar. *lib.5.pract.§.final.n.2.* Et ratio est,quia carceratio non est sententia, à qua possit appellari.In Religionibus tamen postea dabitur locus petendæ iniuriæ pro iniusta incarceratione.

4 Reus fugiens à carcere iuxta leges ciuiles habetur pro confesso,etiam si maleficium non commiserit.*l.in eos,ff.de custodia reorum.*Bartol.*in lege final.eod.* sed hoc in Religionibus non habet locum ; fugiens tamen à carcere .Regularis est excommunicatus propter crimen apostasiæ quam committit.

5 Carcerum effractores , qui effracto carcere facta conspiratione fugiunt, per easdem leges ciuiles capite puniuntur lege in eos proximè citata,& id intelligitur si nocte faciant : minus verò puniuntur si fiat interdiu. At Religiosus carceris effractor non poterit eiici ab ordine ob hanc solam legem pœnam capitis imponentem,vt infra dicemus cum Rodriguez, verbo *Eiicere ab Ordine.*

Digitized by Google

CASVS RESERVATI.

Vide infra, verbo *Nouitius*, *num.*29.

1 QVot sunt casus reseruati in quauis Religione, & quis possit reseruare standum est cuiusuis Religionis statutis & priuilegiis.

2 Ab illis non possunt Regulares absolui per Bullam Cruciatæ vt vidimus supra verbo *Bulla Cruciata num.*1. Bene tamen Iubileum generale plenissimum.

3 Concedens casus sibi reseruatos si aliquid specialiter nominet, cætera similia concedere censetur: censuras videlicet reseruatas, &c. Attendenda tamen sunt verba, & mens concedentis. Nauar. *in Summa, cap.*27. *num.*255.

4 Si superior concedit omnem suam authoritatem ad absoluendum, vel ad audiendam confessionem, concedit vt absoluatur à reseruatis habentibus censuram, & non habentibus censuram. Suarez *tom. de Censur. disp.*7. *section.*4, *numero* 13. Item, si concedit casus reseruatos, concedit etiam censuras illis annexas. Suarez *ibi.*

5 Omnes casus reseruati Papæ habent censuram annexam, & hac sublata per habentem legitimam potestatem, etiam in foro externo, de peccato mortali remanente potest absoluere sacramentaliter quiuis confessor approbatus. Nauar. *cit. capit. numero* 254.

6 Confessor Mendicans approbatus potest absoluere ab omnibus casibus reseruatis Episcopo siue reseruentur à iure, siue ab homine, siue per statuta, idque potest per priuilegia Mendicantium. Rodriguez

latè

latè *tomo* 1. *Quæstionar. quæstione* 61. *art.* 2. cum multis citatis. Et denuo *in Addition, ad Sum. tomo* 3. *capit.* 12. *concluſione* 1. conſentit Suarez *tomo de pœniten. diſputatione* 30. *ſect.* 2. *ad finem.* Neque obſtat quod Miranda *tomo* 1. *quæſtione* 46. *a.* 2. *concluſio. vnica.* conſtanter hoc negat adducens duas declarationes Cardinalium conſulto Clemente VIII. in quibus clarè, & rigorosè prohibetur confeſſoribus Regularibus abſoluere à prædictis caſibus, & aliis caſibus ibi poſitis, neque ad hoc illos poſſe vti ſuis priuilegiis. Non, inquam, obſtat, quia prædictæ prohibitiones factæ ſunt pro ſola Italia, ibi enim in priori declaratione ſic dicitur: *Sacerdotibus tam ſæcularibus, &c. per vniuerſam Italiam extra vrbem degentibus.* Verba autem reſtrictiua, ſtrictè debent intelligi: vt in alio caſu pro ſola Italia habet Rodrig. *citato loco Addition. c.* 3. *concluſio.* 6. vide infra verbo *Confeſſor erga ſæculares.* alias probationes huius rei efficaciores.

7 Si ſit in dubio quod caſus ſit reſeruatus, præſumitur non reſeruatus, & poteſt abſolui tanquam non reſeruatus. Sà in Aphoriſm. verbo *Caſus reſeruati, numero* 5. & Suarez *tomo* 2. *de Religione libr.* 4. *capit.* 5. *numero* 15.

8 Si quis durante termino præfixo ad abſoluendum à reſeruatis nō eſt recordatus alicuius reſeruati quem habebat, & tunc bona fide, & validè confeſſus eſt cætera peccata, poſteà tranſacto termino præfixo poteſt abſolui ab illo reſeruato. Sà *verbo citato numero* 7. & Sanchez *libr.* 8. *de Matrimon. diſputation.* 15. *n.* 21. vbi aduertit quod ſi intra tempus præfixum nullam fecit confeſſionem, eo tranſacto non gaudet hoc priuilegio. Dixi, *ſi validè confeſſus eſt*: quia ſi intra tempus aſsignatum fuit confeſſus, ſed inualidè, vel obliuio fuit culpabilis, credo contra Sà *loco citato*, quod neque in illa

illa confeſsione inualida, neque poſt illam abſoluitur à reſeruato vllo, neque à cenſura reſeruata. Sic Suarez *de pœnit. diſput. 31. ſect. 4. num. 27.* & Vega *in Summ. 1. par. cap. 49. caſu 5.* Error enim culpabilis, & dolus, nulli debet prodeſſe. *l. 1. ff. de dolo, &c.* Vnde non placet quod ait Rodriguez *tom. 1. quæſt. 21. art. 7.* videlicet quod ſi confeſſus fui potenti abſoluere reſeruata, & dixi omnia reſeruata: ſed malitiosè tacui vnum mortale non reſeruatum, tunc ait poſſe me confiteri iterum, non habenti authoritatem, & poterit me abſoluere etiam à reſeruatis. Non, inquam, placet ob proximè dicta: maius enim beneficium eſt Iubilei, & ibi non ceſſat reſeruatio per confeſſionem inualidam.

9 Si ſubditus confeſſus eſt ſuo ſuperiori potenti abſoluere à reſeruatis, & confitens oblitus eſt alicuius reſeruati, & confitens dicat Prælato ſe ideo illi confiteri vt abſoluatur à reſeruatis, tunc ceſſat reſeruatio illius obliti. Secus ſi pœnitens illud prius non dicat. Suarez *vbi proximè.*

10 Qui in prima hebdomada Iubilei abſolutus eſt à reſeruatis, & poſtea commiſit aliud reſeruatum, non poteſt virtute Iubilei in ſecunda hebdomada abſolui ab illo reſeruato, quia ille fauor datur pro vna tantùm hebdomada. Suarez *tomo 2. de Religio. lib. 6. de Voto, c. 16. num. 17.*

11 Qui tempore Iubilei fuit confeſſus, animo lucrandi illud, & faciendi ab illo iniuncta: & poſtea ex pigritia non fecit aliqua: non eſt lucratus indulgentiam quo ad pœnam, ſed tamen manet verè abſolutus ab omnibus reſeruatis quæ fuit confeſſus. Suarez *citata ſection. 4. n. 4.* Secus ſi malè confeſſus fuit. Et de votis ibi diſpenſatis, vide ver. *Votum n. 52.*

12 Clemens VIII. deſignauit vndecim caſus quos citant varij Doctores maximè Capucinus in ſuo Com

Compendio, *fol.* 31. circa quos primò aduerto Papam ibi illos vndecim non reseruasse de facto pro omnibus Regularibus, vt aliqui malè putant: sed solùm designauit materiam, vt scilicet Prælati regulares illos tantùm, vel aliquem ex illis possent reseruare; & extra illos vndecim nullus prælatus possit aliquem reseruare, nisi forte in Capitulo Generali, vel Prouinciali.

Secundò noto Papam ibi non annullare, nec reuocare casus antiquos reseruatos in Religionibus per statuta generalia facta in Capitulis generalibus, si qui essent reseruati extra illos vndecim. Et sic casus antiqui Religioni Franciscanæ non sunt reuocati, neque excluſi per hos vndecim.

13 Quando prælatus concedit authoritatem absoluendi à reseruatis, intelligitur de præteritis, & futuris faciendis durante termino præfixo ad absoluendum. Vega *in Sum. 1 par. cap. 49. casu 5. §. Nota secun.* 14. In ordine Minorum Guardiani non possunt subdelegare authoritatem absoluendi à reseruatis ad semper pro suo triennio: possunt tamen committere pro casu præsenti iuxta tenorem suæ concessionis; concedere verò authoritatem pro reseruatis confessori; vel subdito petenti, non est delegare ad semper. Mirand. *tom.* 2. *q.* 34. *art.* 14.

14 Si casus est reseruatus cum censura reseruata, vt sunt omnes papales, aut similes, etiam si quis absoluat bona fide à peccato putans posse, & postea absoluat à censura non tenet absolutio ex defectu iurisdictionis, quia reseruatio posita erat & super casum, & super censuram: declaratur in confessione peccatorum, & censurarum non reseruatarum. Si confessor bona fide prius absoluit à peccatis, vel etiam mala fide, quàm absoluat à censuris, peccabit cum mala fide, sed tenet absolutio; quia habebat iurisdictionem ad

vtrumque. At quando & casus, & censura sunt reseruata, vt in Papalibus ex defectu iurisdictionis, neutrum tenet. Suarez *tom. de pœn. disputat.* 29. *sectio.* 2. *num.* 10.

15 Vt casus sit reseruatus primò debet esse peccatum mortale, quia tanta pœna non imponitur pro veniali. Secundò debet esse peccatum graue, cuius reseruatio conducat ad bonum commune. Tertiò, debet esse actus externus completus: si enim sit inchoatus, non sufficit vt veneficium inchoatum, vel venenum inceptum parari Clerico: hi enim actus sunt incompleti in ordine ad suos fines. Et lex ibi pœnalis debet restringi.

16 Religiosi hospites, & transeuntes possunt absolui à reseruatis per prælatum Conuentus in quo sunt, vel per prælatum habentem ius pro reseruatis. Est enim praxis, saltem in familia Franciscana. Et habens authoritatem passiuam vt absoluatur à reseruatis potest absolui in quauis Prouincia à casibus reseruatis in toto Ordine. Rodriguez 1. *tom. quæstion.* 21. *art.* 3.

Dubitas. Quid si casus sit reseruatus in Prouincia hospitis per suum prouincialem specialiter: & non sit reseruatus in prouincia in qua est; si possit absolui? Casus resoluendus est per id quod dicunt multi, videlicet, sæcularem vnius Diœcesis posse absolui à reseruato in sua tantùm Diœcesi, per confessorem Diœcesis vbi non est reseruatus. Quod etiam militat in Fratre hospite; & melius in hoc, quia fauet praxis, & vsus Ordinis subditi vni Generali. Vide Suarez *vbi supra, disputat.* 30, *de pœniten. sect.* 1. *numer.* 6. *& sect.* 2. *numer.* 3.

17 Si peccatum sit pluries reseruatum ab vno prælato, vel semel ab alio, & iterum à successore: obtenta

vna

vna tantùm licentia absoluitur sufficienter. Si verò reseruatum sit ab inferiore, & postea reseruetur à superiore, non potest absolui absque licentia superioris: quia non potest inferior dispensare in lege superioris. Habens verò licentiam Generalis potest absoluere à reseruato per Prouincialem. Hoc tamen intellige de reseruatis absque censura. Si enim reseruetur vnum peccatum per plures leges, ac plures censuras, non sufficit absolutio vnius vt tollatur altera, sed plures explicationes censurarum faciendæ sunt, & impetrandæ. Suarez *tom. de pœn. disp. 31. ad finem.*

18 Absolutus à reseruatis in articulo mortis à confessore ordinario non habente potestatem, non tenetur iterum se præsentare superiori pro absolutione. Secus si illud peccatum habeat censuram annexam; tunc enim pro illa conualescens debet adire superiorem vt parti satisfaciat. Et sic præsentatus non tenetur iterum confiteri superiori: sed paratus sit ad obediendum iniunctis à Prælato. Suarez *de pœn. disp. 30. sect. 3. num. 6. & 7.*

19 Licèt Prælatus teneatur vt plurimum inclinari ad misericordiam in absolutione pro reseruatis, maximè cùm timet ruinam subditi: si tamen arbitrio prudentis viri, viderit expedire bono petentis, & bono communi, potest, & debet negare: & hoc maximè in danda licentia pro futuro. Ita Angel. *confess. 3. num. 31.* Neque tunc peccabit, imò rectè faciet: hæc enim est intentio reseruationis.

Quid si Prælatus iniustè neget authoritatem absoluendi à reseruatis? Quidquid sit de peccato suo: subditus non obtinet licentiam, nec potest absolui, quidquid alij dicant. Rodriguez *in Addition. ad Summ. libr. 3. capit. 6. concluf. 6. & tom. 1. quæst. 20. art. 30.*

20 Si quis confessus est omnia reseruata, & non reseruata confessori non potenti absoluere, qui tamen absoluit bona fide, credens se posse: illa reseruata non fuerunt absoluta ex defectu iurisdictionis. Iste tamen tenetur postea confiteri de solis reseruatis, non verò de non reseruatis, hæc enim iam fuerunt validè absoluta. Suarez *disp. 30. cit. sect. 5. n. 27.*

21 Absque graui causa non potest superior audire confessionem subditi pro solis reseruatis, & pro non reseruatis mittere illum ad alium confessorem. Est enim hoc sine causa dimidiare sacramentum: si verò adsit causa grauissima, potest est communis; quia sicut cum causa grauissima potest pœnitens dimidiare cõfessionem ne scilicet agnoscatur socius, &c. Ita in simili causa potest confessarius dimidiare Sacramentum, vt in tempore pestis vrgentissimæ potest parochus vocatus ad alium morientem. Aliqui notant non esse ad hoc, causam sufficientem in Prælato multitudinem negotiorum: negotium enim animæ, & Sacramenti præponderat omnibus. Dato autem quod Prælatus bene dimidiet Sacramentum, tunc absoluens à solis reseruatis: tunc pœnitens confessori inferiori sola non reseruata tenetur confiteri. Potest autem Prælatus licitè audire solum reseruatum, & solum pro illo imponere pœnitentiam, non absoluendo sacramentaliter; & tunc remittere inferiori, cui pœnitens tenetur tunc etiam reseruatum confitori: & implere pœnitentiam superioris. Hæc omnia de se patent, & sunt communia.

22 Pœnitens non habens confessarium potentem absoluere à reseruatis: habens tamen necessitatem celebrandi ob notabile periculum infamiæ, confitendo tali Sacerdoti reseruata, & non reseruata, potest absolui à non reseruatis, etiam si reseruata habeant censuram

anne

annexam reseruatam:& potest communicare. Suarez *citato tom.de pœn.disp.31.sect.3.num.5.& 6.* Huic enim pœnitenti non magis tunc prohibetur Sacramentum pœnitentiæ quàm Eucharistiæ: & tamen Eucharistia tunc illi potest ministrari, quia ius naturale famæ obtinet:ergo & potest illi ministrari Sacramentum pœnitentiæ quo ad non reseruata, non obstante censura annexa.

Si verò hic taliter absolutus à non reseruatis,postea Superiorem adit pro reseruatis, puto quod sola reseruata tenetur confiteri.Patet ex supradictis,& Nau.*lib. 3.consil.tit.de Reg.consil.75.dub.25.*

ADDITIO.

HOnoris mei causa,volo hoc loco rationem reddere cuiusdam dicti, quòd olim non clarè sed virtualiter dixi in libello casuum reseruatorum Clem. VIII. In eo libello, seu potius tractatu significaui casus reseruatos in nostra Seraphica Religione in antiquis Capitulis generalibus cessasse per decretum illud dicti Clement.VIII. nisi denuo reseruarentur iuxta illud ipsum decretum. Circa quod primò dico, quòd submitto me, & do manus declarationibus Ordinis nostri Prælatorum,& quod illi dicunt libentissimè sequor dicens illos antiquos non cessasse.

Ne tamen leuitatis arguar circa meum dictum antiquum, legentes moneo, vt primò legant P. Fratrem Ludoicum Beia *3.part.suorum Respons. Moral.casu 16. fol.326. pag.2.* vbi citatus Pater præmittens se fuisse Romæ quando illud decretum Clementis VIII. fuit promulgatum,& quasi oculatus testis ait:Sum. Pontificem Clementem VIII.primò petiisse à Procuratoribus Religionum vt in scriptis sibi præsentarent casus

in suo Ordine reseruatos. *Quibus per scriptum acceptis, & visis ordinauit* (*ait citatus Pater*) *hos solos* (*vndecim videlicet quos ibi scribit*) *hos solos infra scriptos cunctis Regularibus reseruatos fore, esse, & haberi, & non alios præscripsit*: Hæc ille. Nota illa verba: *Cunctis Regularibus*. Item illa alia: *Et non alios.*

Est aliud motiuum, seu potius dictum satis magnum, videlicet Capucini à Sorbo Franciscani, & Itali viri doctissimi. Hic in suis Additionibus ad Compendium ver. *Absolutio ordinaria quo ad Fratres* 1. *part. fol.* 31. §. *Circa dispositionem*, cùm fecisset mentionem de casibus antiquis nostri Ordinis, subiungit statim in hunc modum ibidem: *Est aduertendum quòd nunc per dictum Clementem VIII. aliud est ordinatum: anno enim Domini* 1593. *cunctis Regularibus per publicum Breue infra scriptos casus reseruatos fore præscripsit*: sic ille: Et mox apponit, seu transcribit vndecim illos casus Clementis VIII. & idem Auctor statim *fol.* 32. *sequenti*, dicens posse iuxta idem decretum Clementis VIII. reseruari alios casus graues in Capitulo prouinciali, siue sint in diuersa materia, siue in eadem materia, sic ait: *Et tunc prout ab eodem Pontifice fuit nobis facta declaratio, in prædictis Capitulis poterunt reseruari alij casus à supradictis, etiam eiusdem materiæ supradictorum casuum, vt puta in materia lapsus carnis reseruare etiam tactus impudicos, &c.* sic ille. Nota

Verba illa de futuro: *Poterunt reseruare tactus impudicos.* Vbi clarè videtur innuere se intelligere tactus impudicos olim reseruatos in ordine iam cessasse, si enim non cessarent (iuxta illius mentem dico) non indigebunt noua reseruatione. Et ait sic fuisse declaratum Capucinis à Clemente VIII. Fuit autem prædictus Pater Capucinus Italus eodem tempore viuens,

vir

vir valde doctus Minorita, imò & Generalis Capucinorum. Idem asserit eisdem ferè verbis cum Capucino, Frater Franciscus Longus etiam Capucinus *in suo lib. de casibus reseruatis à Clemente VIII. casu 9. n. 29.* sic dicens de tactibus impudicis: *Vt olim fiebat.* Quibus verbis idem innuit quod primus Pater Capucinus Sorbo. Scio tandem in hoc Regno Portugalliæ insignem Theologum, & publicum Lectorem Theologiæ in quadam Academia idem per scriptam epistolam tradidisse.

Hæc tamen, vt dixi, non affero, vt dicam illos prædictos antiquos casus cessasse, imò sto declarationi prælatorum iam factæ, & dico illos non cessasse: solùm hæc dixi ne leuitatis arguar: cùm id quod dixi inueniatur ferè dictum à tribus viris citatis Religiosis, & satis doctis. Sed rediens ad meum intentum, in hoc verb. *Casus reseruati*, noto sequentia.

1 Dixi olim in libello casuum reseruatorum à Clement. VIII. *prælud. 7.* illum qui fuit confessus apud suum Superiorem de casu reseruato, à quo poterat absoluere, si fecit confessionem inualidam ex defectu doloris, vel integræ confessionis, non recepisse absolutionem veram à reseruato, neque à censuris: nec proinde ablatam fuisse reseruationem: & ideo non posse absolui ab inferiore Confessore illius prælati. Et eandem nunc sententiam iudico securiorem. Vidi tamen postea Suarez *libr. seu tom. de Pœn. disp. 31. sect. 4. num. 9. & sequentibus*, sequentem, & citantem Caietanum, & Sylvest. & Antoninum, quos tandem sequitur Reginaldus *tom. 1. Praxis pœn. lib. 8. num. 61. & seqq.* qui omnes tenent oppositum, ac dicunt iam illam reseruationem fuisse ablatam per illam confessionem etiam inualidam. Quia, inquit, Suarez, ex quo subditus comparuit coram superiore, eique peccatum integrè re-

uelauit (vt ſupponit hæc ſententia) & ſuperior ſufficientem ſatisfactionem iniunxit , ſuo muneri videtur ſatisfeciſſe quantum ad reſeruationem : & pariter ipſe pœnitens videtur ſatisfeciſſe fini , & intentioni reſeruationis: ac proinde etiam ſi ſuperior non abſoluat verè à peccatis, ſua tamen abſolutione tollit ſaltem reſeruationem.

Requirit tamen hæc opinio , vt pœnitens declaret omnino peccatum reſeruatum : neque circa illud particulare ſit impœnitens,ſed de illo mutet propoſitum iterum committendi,quamuis aliàs careat dolore circa alia peccata,vel illa integrè non fateatur. Et tamen idem Suarez *ibidem citato loco num.* 10. credit , quòd etiam ſi in confeſſione facta ſuperiori non doluerit de illo reſeruato confeſſo,ſi tamen mutet poſtea propoſitum illud committendi, & ſatisfaciat iniunctæ ſatisfactioni à ſuperiore , adhuc poterit abſolui à dicto olim reſeruato per Confeſſorem inferiorem.Et citat etiam Reginaldus Henriq. *lib.6. c.16.§.5. littera B.C.* Limitat tamen Suarez *citato loco n.* 22.hoc non habere locum in confeſſione facta per Iubileum quando abſolutio datur per modum indulgentiæ:tunc enim de intentione concedentis requiritur confeſſio valida , nec ſufficit inualida,per quam reſeruatio tunc non deſinit in Iubileo,quia non ſatisfit intentioni ſuperioris.Hæc illi.Et quidem poteſt dicta opinio teneri in praxi propter tot,ac tales Doctores. Non tamen caret inſtantia talis opinio propter limitationem vltimam de confeſſione facta in Iubileo:etenim credendum pari modo eſt , etiam ſuperiorem Prælatum quando audit ſubditum confitentem de reſeruato , habere intentionem vt faciat confeſſionem validam , ſi enim ſciret illum inualide confiteri , ferè certum eſt non daturum abſolutionem ; & ex conſequenti etiam

tunc

tunc subditus non satisfacit intentioni superioris: ac proinde, vel in vtroque casu tollitur reseruatio, vel in neutro tollitur. Tene quod volueris, vt enim dixi opinionem Suarez, & cæterorum citatorum defendi ac teneri posse non dubito.

2 Quando Papa in Iubileo concedit vt possit quis illud lucrari in quauis hebdomada ex illis duabus; is qui in priori hebdomada Iubileum lucratus est, & statim commisit vnum casum reseruatum, poterit in secunda hebdomada iterum lucrari Iubileum faciendo in eo præscripta, & poterit absolui ab illo reseruato, quia tale priuilegium Iubilei est ample interpretandum in fauorem priuilegiati. Ita Hent. *citato supra loco*, §. 3. & Reginald. *citato libr. num.* 64. Et hoc idem dicendum puto quando Prælatus concedit authoritatem absoluendi à reseruatis per tres, vel quatuor dies, poterit enim subditus absolui à casu reseruato commisso intra terminum illorum dierum. Nisi fortè Prælatus dicat se concedere pro solis præteritis: vel limitet vt non absoluatur casus commissus ob confidentiam futuræ licentiæ concedendæ: tunc enim verbis ipsius standum est.

3 Qui olim validè de reseruatis confessus, & absolutus est à superiore, vel ab habente eius vices, si postea vult confiteri generaliter, vel aliquas confessiones iterare maioris meriti gratia, non indiget noua licentia superioris, vt à reseruatis iam confessis iterum absoluatur. Ita Reginald. *citato libr.* 8. *num.* 91.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

1 SOlent Prælati Regulares pro absolutione reseruatorum casuum aliquibus Religiosis grauibus

concedere ſuam authoritatem abſoluendi à reſeruatis actiuè,& paſſiuè,& quod illa vtantur durante ſuo officio. Nunc dubitas, an poſſit Prouincialis committere alicui ſuam authoritatem abſoluendi à reſeruatis,cum tali clauſula vt is cui illam committit poſsit etiam illam committere cuicunque alteri voluerit:quod idem eſt,ac inquirere,an Prouincialis poſsit alicui delegare ſuam authoritatem abſoluendi à reſeruatis, cum facultate vt is poſſit eandem authoritatem alteri ſubdelegare. Omiſsis dubiis, dico quod poterit hoc facere, & ſi faciat valebit ſubdelegatio. At ego id non conſulerem cùm pauciſſimi ſint, in quibus talis confidentia debeat haberi, vt ſcilicet debitè poſsint illam ſubdelegare. Primum dictum, quod ſcilicet Prouincialis poſsit hoc facere,& quod validum erit,ſi fiat, colligo clarè ex traditis à Sanches *libr.3.de Matrimon.diſp.31. num.6.& ſequentibus*,vbi probat cum multis Doctoribus quemcunque Prælatum ordinarium poſſe delegare partem ſuæ iuriſdictionis alicui,cum facultate vt is delegatus poſsit ſubdelegare: quod probat ex multis textibus, & Doctoribus. Addit tamen duas exceptiones: prima eſt,quod non deleget vniuerſam ſuam iuriſdictionem (id eſt, totum officium) quam habet: hoc enim non poteſt facere abſque conſenſu Superioris. Secunda eſt, quod talis delegatus non debet ſubdelegare nomine ſuo proprio, ſed nomine ipſius ordinarij delegantis. Cùm ergo Prouincialis ſit ordinarius, vt patet,& poſsit,ac ſoleat durante ſuo officio delegare aliquibus authoritatem abſoluendi à reſeruatis,poterit etiam iuxta Sanches illam ipſis delegare cum facultate ſubdelegandi quibus voluerint.

2 Inſtas: ergo Guardiani Minorum, & alij Prælati conuentuales locales poterunt etiam delegare ſuam authoritatem abſoluendi à reſeruatis alicui pro ſuo

trie-

triẽnio cum facultate subdelegandi aliis. Fateor quod per regulam traditam à Sanches, idem in Guardianis dicendum videtur, sunt enim Prælati ordinarij. Quia tamen vsus, & consuetudo, non solùm abrogat legem, sed illam exponit quomodo sit seruanda. Ego, in Ordine Minorum, credo id non posse facere Guardianos. Primò quia minorem, ac strictiorem potestatem habent quàm Prouincialis. Secundò, quia in Ordine Minorum nunquam audiui quod Guardianus possit pro suo toto triennio delegare alicui suam authoritatem absoluendi à reseruatis, sed id solum faciunt pro præsenti necessitate. At Prouinciales habentes ampliorem iurisdictionem illam solent committere pro toto tempore sui officij: & proinde poterunt committere cum clausula vt delegatus possit subdelegare, cui consonat quod Sanches ait *cit. disp. num.* 11. quod Episcopus pleniorem habet facultatem subdelegandi, vel dandi licentiam subdelegandi quam habeat Parochus ordinarius. Et circa Prouincialem, non est quod dicatur hoc non esse in vsu, & proinde perdi per contrarium vsum. Non, inquam, valet, quia hoc quod est ordinarium posse delegare cum facultate subdelegandi, non est priuilegium particulare Papæ, vt possit perdi per non vsum; sed est annexum officio ordinarij, & quasi proprietas officium concomitans: & proinde notitia illius poterit quiuis Prælatus operari id quod est annexum, & proprietas officij.

CAPELLÆ MONASTERIORVM.

IN gratiam præcipuè Minoritarum, in quorum Ecclesiis donantur aliquando capellæ sæcularibus cum iure patronatus, & in gratiam cæterorum Religiosorum aduerto ex Rodriguez *tom.* 4. *Addit. ad Sum. cor.*

Pro

Procurator. concl.6. quod cæteri Religioſi, qui habent dominium rerum ſuarum temporalium, ſi donaturi ſunt aliquam capellam ſuæ Eccleſiæ alicui ſæculari, debent id facere pulſata campana, & de conſenſu maioris partis Capituli cum cæteris circunſtantiis requiſitis ad debitè alienandum bona Eccleſiæ. Cùm enim ſint domini rerum ſuarum, debet expectari illorum conſenſus. At ſi aliqua capella Eccleſiæ Minorum donanda ſit ſæculari, vel Clerico, non requiritur pulſatio campanæ, neque conſenſus Capituli, neque diffinitorij, ſed ſufficit quod donet ſolus ſyndicus Conuentus, qui eſt procurator Papæ & dominus illius capellæ in nomine Papæ. Debet tamen interuenire licentia Prouincialis: & non ſufficiet licentia Guardiani prout *ibi* Rodriguez notat. Ratio huius diuerſitatis eſt, quia, vt dixi, cæteri Religioſi ſunt domini illius capellæ, & ideo requiritur illorum conſenſus vt transferatur illud dominium. At Minoritæ non ſunt domini illius capellæ, ſed Papa: ideo non requiritur illorum conſenſus, ſed Papæ per ſuum Syndicum, ſeu Procuratorem, cum conſenſu ſolius Prouincialis.

CELEBRARE.

Vide ſupra ver. *Altare.* & infra ver. *Miſſa.*

CLAVSVRA
Monachorum.

HÆc violatur per apoſtaſiam, de qua iam ſupra latè, vel etiam per admiſſionem fœminarum intra Conuentus Monachorum: pro quo ſufficit videre Rodriguez *in expoſitione Bull. Cruc.* quando

do exponit ſpecialiter motum proprium Pij V. de non admittendis fœminis intra Conuentus Monachorum. Vide etiam illum *tom. 1. quæſtionar. quæſtion. 48.* Ibi verò dicta vel quia ordinaria ſunt, vel non ſunt magni momenti, omitto.

ADDITIO.

Vide infra verb: *Manus violenta. num. 3.*

HÆc violatur duobus modis. Primo per egreſſum illicitum Monachi à Conuentu qui eſt apoſtaſia, de qua diximus ſufficienter ſupra verb. *Apoſtaſia, & in 1. tom. eodem verbo.* Secundo modo violari poteſt per ingreſſum fœminarum prohibitum intra clauſuram Conuentus. Et de hoc ſecundo modo noto, quòd Pius V. & Greg. XIII. particularibus Bullis prohibuerunt ſub grauibus pœnis ne Prælati Regulares, vel Religioſi admitterent fœminas intra Conuentum virtute licentiarum conceſſarum ipſis fœminis à Sede Apoſtolica; tales enim licentias ambo Pontifices reuocant, & annullant. Citant has duas Bullas, inter alios, Suarez *tom. de Cenſuris diſp. 22. ſect. 6. num. 11.*

1 Quo poſito, magna quæſtio eſt, vtrum Prælati, & Fratres ſubditi admittentes fœminas intra ſuam clauſuram, non virtute alicuius licentiæ Papalis reuocatæ; ſed alia via, vel fortè ad libitum; vtrum hi incurrant illas pœnas impoſitas in illis duabus Bullis? Quam quæſtionem ait Suarez fuiſſe motam ſuo tempore fortè Conimbricæ vbi tunc agebat. In hac quæſtione Rodr. *in explicatione Cruciatæ n. 6. & 7.* tenet prædictos Fratres tales fœminas ſic admittentes incurrere prædictas pœnas. Probat, quia quamuis illi duo Pontifices ſolùm

ſolùm prohibuerint verbis claris ingreſſum fœminarum virtute licentiarum Papalium reuocatarum: Attamen finis illius legis potius eſt attendendus, quàm verba ipſius legis. Finis autem illius legis principalis fuit, ne tales fœminæ graues, & nobiles ingredientes virtute Papalium facultatum, turbarent quietem Cõuentus, & Religioſos inquietarent. Hic autem finis inquietandi Religioſos per ingreſſum fœminarum etiã militat in ingreſſu fœminarum non habentium licentias Pontificias, vt patet: ac proinde reperto fine legis etiam in hoc ingreſſu abſque licentiis, tenebit lex prior loquens de ingreſſu fœminarum virtute facultatum. Quod ſi finis legis in ambabus Bullis fuit periculum caſtitatis, hæc plus periclitatur in ingreſſu fœminarum minus nobilium abſque licentia Papæ, quàm in ingreſſu nobilium fœminarum cum prædicta licentia. Et citat Rodriguez Nauarrum dicentem ſic in terminis declaraſſe prædictos Pontifices Pium, & Gregor. conſultos de hoc particulari poſt prædictas Bullas emanatas: & ſic practicari Romæ à Pœnitentiariis de conſilio Greg. XIII.

Eſt quidem hæc opinio magis ſecura, tum quia eſt in re grauiſſima, & tot pœnis prohibita: tum quia munitur teſtimonio viri grauiſſimi Romæ agentis tempore dictorum illorum Pontificum. Sed hoc non obſtante contra Rodriguez in particulari libet arguere ad hominem. Videtur enim vel ſui oblitus, vel non loquutus conſequenter ad illud quod dixit 1. *tom. q. Regul. quæſt.* 47. *art.* 1. vbi citans has eaſdem duas Bullas Pij, & Gregor. vtrobique loquentium de clauſura Monialium, & Monachorum, & vtrobique reuocantium licentias Pontificias ingrediendi in clauſuram Monialium, vel Monachorum virtute dictarum licentiarum reuocatarum, tenet Rodriguez *citat. artic.* 1.

Abba

Abbatiſſam,vel Moniales admittentes ſæculares intra clauſuram,non virtute papalium licentiarum reuocatarum;ſed alia via quacunque,tenet prædictam Abbatiſſam, vel Moniales ſic illos admittentes non incurrere prædictas pœnas. Hoc probat fusè citans primò Caietanum dicentem, in excommunicatione, cùm ſit pœna grauiſſima,attendenda omnino eſſe ſingula verba,& ſingulos actus, quos prohibet, pœnæ enim ſunt reſtringendæ omnino. Vnde ſi excommunicatio prohibet hunc ſolum actum, (vtpote ingredi virtute licentiæ papalis)non eſt extendenda ad actum,vel rem, de qua non loquitur expreſſe : vt verbi gratia ad ingreſſum ſine tali licentia, & citat Caſtrum, & Abbatem dicentes,gratis,& abſque vlla ratione legem pœnalem extendi ad ſimilem caſum propter ſimilitudinem rationis.Et probat ex quadam Decretali,pœnam impoſitam danti licentiam illicitam, non extendi ad facientem aliquod malum virtute illius licentiæ:quia ſcilicet lex prohibet ſolùm illud primum,non hoc ſecundum,etiam ſi in hoc ſecundo maior ratio,& malitia punienda reperiatur. Quæ omnia huc valent applicari. Nam illi pontifices ibi ſolùm puniunt admittentes fœminas virtute licentiarum reuocatarum : nihil verò ſtatuunt de admittentibus illas ad libitum:ac proinde ad hoc ſecundum non eſt extendenda illa lex pœnalis, etiam ſi in hoc ſecundo detur par ratio, ſeu maior ratio, vel maior malitia. Vnde ſoluitur ratio Rodr.*in principio hic ſupra poſita.*

Igitur Suarez *tom.de Cenſur. diſp.22.ſect.6.num.11. & ſeqq.* (dicens hanc quæſtionem motam fuiſſe ſuo tempore) tenet dictos prælatos, vel ſubditos ſic admittentes fœminas intra clauſuram abſque licentiis pontificum reuocatis, non incurrere pœnas illarum Bullarum niſi fortè per ſtatuta ſuæ Religionis prædi-

cta:

ctæ pœnæ etiam ſint impoſitæ. Nullum pro ſe Doctorem citat Suarez: at Rodriguez *citato loco Cruciatæ* pro hac ſententia dicit aliquos eſſe Doctores. Faciunt pro hac opinione Suarez omnia illa quæ congerit Rodriguez *citata quæſt.* 47. *ar.* 1. proximè adducta, quibus probat Rodrig. Moniales admittentes ſæculares abſque licentiis Papalibus reuocatis, non incurrere: omnes enim illæ rationes etiam militant in hoc caſu Monachorum admittentium intra clauſuram eaſdem fœminas abſque licentiis reuocatis.

Hæc præter meum intentum fuſius attuli, tum quia res eſt grauiſſima, tum quia quotidiana. Quod ſi meam ſententiam poſtules: Dico primò (vt dixi) ſententiam Rodriguez eſſe ſecuriorem ob iam dicta. Quia tamen non teneor ſemper ſequi opinionem ſecuriorem ex duabus, ſi ſint ambæ probabiles. Dico ſecundò, per me liberum eſſe cuique ſequi vtramuis opinionem vel Rodriguez vel Suarez: quia quæuis illarum habet ſufficientia fundamenta. Quod ſi tibi ingerat ſcrupulum dictum Rodriguez & Nauarr. dicentium Pium V. & Greg. XIII. declaraſſe ſuam opinionem. Reſponde, illas duas declarationes non extare authenticas, pro quo vide ſupra quæ diximus, ver. *Abbatiſſa, num.* 6. in ſimili ferè materia.

Cùm verò Suarez dicat incurſuros eſſe has pœnas Prælatos, & Religioſos, ſi in ſua Religione per ſtatutum tales pœnæ ſint impoſitæ pro Ordine noſtro Minorum, noto tales pœnas nobis non eſſe impoſitas per ſtatuta generalia. Etenim ſtatuta generalia Tolletana *tit. de ingreſſu fœminarum in noſtros Conuentus fol.* 143. *pag.* 1. loquentia de materia præſenti: ſolùm dicunt Conſtitutionibus Apoſtolicis cautum eſſe, ne tales fœminæ admittantur: aliàs dicunt ſtatuta: *Sob pena de incurrir en todas las penas contenidas en la dicha Bulla,*

Quæ

Quæ verba ſtatuti ex ſe nullam pœnam nouam imponunt, vt patet; ſed remittunt ſe ad pœnas contentas in illis duabus Bullis.

Si tandem quæras quæ ſint pœnæ ab illis duobus Pontificibus impoſitæ tranſgreſſoribus illarum, ait Suarez eſſe has. Primò, ſuſpenſionem à diuinis. Secundò excommunicationem reſeruatam Sedi Apoſtolicæ. Tertiò, priuationem officiorum præſentium; ſi quæ habent. Quartò, inhabilitatem ad officia, & dignitates in poſterum obtinendas.

2 Circa particulam verò poſitam à Pio V. contra Religioſos admittentes fœminas intra clauſuram etiam ſi non ſint Prælati: Notat Suarez *citato loco*, Monialem, (idem pari modo dic de Monacho, quæ non habet ex officio prohibere talem ingreſſum, etiam ſi non impediat, cùm poſſit, vel illi non reſiſtat) hanc ait non incurrere illas pœnas: quia talis, nec præſumit contra illam legem; neque directè, vel indirectè cooperata eſt ad talem ingreſſum. Secùs autem erit ſi inuitet ad ingreſſum, vel aliquo poſitiuo modo faciat illam perſonam ingredi, quia iam tunc directè admitteret. Si verò Monialis (idem dic de Monacho) ex officio teneretur impedire, & non impediret, iam incurreret, quia iam tunc indirectè admittit: quia poteſt, & tenetur non admittere, & admittit. Excuſaretur tamen fortè, vel propter inaduertentiam, vel propter perturbationem animi, quia tunc non præſumeret contra legem, quæ præſumptio ibi requiritur.

3 Quæris ex prædictis, an Monachus, vel Monialis, quæ prædictas perſonas ſæculares illicitè ingredientes, non inuitauit ad ingreſſum, nec ex officio vllo modo tenebatur impedire, poſtquam tamen prædictas perſonas ingreſſas obuias habet, illas alloquitur,

comitatur, seu ad cibum, & potum inuitat: an iste talis Monachus dicendus sit admittere tales personas ob prædictam alloquutionem, comitatum, &c. & propter hæc incurrat prædictas pœnas? Olim audiui has Moniales, vel Monachos talia facientes incurrere. Nunc re melius considerata, saluo meliori iudicio, credo non incurrere. Hoc patet primò ex prima explicatione Suarez, qui ait illos solos admittere, qui vel inuitant ad ingressum, vel officio obligati ad impediendum illum, non impediunt. Ac ille Monachus qui nihil horum fecit, nec tenebatur impedire, ex eo solùm quòd personas iam ingressas alloquitur, vel comitatur, nullo modo fuit cooperatus ad ingressum: ergo non incurrit. Lex enim tam valde pœnalis restringi debet, & proinde puniens solos permittentes, vel admittentes ad ingressum, non puniet alloquentes, comitantes personas post ingressum. Id enim oportebat explicari à Papa in re tam pœnali. Quod confirmo: nam Pius V. in Bulla quæ incipit: *Decori, & honestati*, qua prohibuit, & puniuit grauibus pœnis Moniales egressas indebitè à clausura, volens extendere prædictas pœnas etiam ad personas comitantes, & recipientes easdem Moniales extra suos Conuentus; in eadem Bulla statim expressit personas extra Conuentum illas comitantes, & recipientes: aliàs prædicti comitantes non incurrerent si non exprimerentur. Cùm ergo in nostro casu illi duo Pontifices solùm puniant malè admittentes, vel inuitantes ad ingressum: non vtique punient alloquentes, comitantes, vel hospitio recipientes post ingressum.

Ne fortè autem iterum nimiæ breuitatis arguar, epilogans dicta à Rodriguez *in dicta expositione Cruciatæ*, circa hunc ingressum fœminarum in clausuram Monachorum, per summam dico sequentia, omittens minus

minus principalia, & quæ ab omnibus sunt cognita.

4 Occultans fœminàs illicitè ingressas in Conuentum si occultet bono fine, postquam sunt ingressæ, vt propter honorem fœminæ, vel Fratris, & sic de similibus, non incurrit prædictas pœnas: quia hic nec fuit causa ingressus, neque contra legem præsumit. Rodr. *citato loco, num.* 11.

5 Possunt licitè intrare fœminæ clausuram Monachorum, vel si quando intrant clausuram habetur sermo prædicationis, vel fit officium lotionis pedum in Ioue Sancto intra clausuram: vel quando datur habitus, vel fit professio nouitij, si sit consuetudo fieri intra clausuram, vel sepelitur defunctus: & in his euentis possunt fœminæ, intrantes ingredi capellas positas in claustro, quia hæ non sunt officinæ secretæ. Rodriguez *ibidem num.* 18. Imò addit ibi Rodriguez *num.* 16. rem notabilem, quod scilicet, si fœmina nobilis petat sibi dici Missam in capella posita in claustro, huius Missæ audiendæ causa potest ingredi prædicta fœmina cum aliis fœminis illam comitantibus. Quod numquam vidi fieri in praxi: si tamen fiat non videtur condemnandum.

6 Si in Conuentu aliquo claustrum ornetur tapetis, & similibus: & mane per claustrum fiat processio, non poterunt fœminæ vesperi intrare ad solùm videndum claustrum, absque noua processione. Poterunt tamen vesperi intrare si fiat alia noua processio: & ait Rodriguez *ibid. num.* 20. huius rei gratia ad videndum claustrum licitè posse iterum fieri vespere secundam nouam processionem. Ex his duo licet colligere: primum est: Non bene apud aliquos Religiosos practicari (sicut audiui) qui facta mane processione, per claustrum ornatum cum processione, claustri portas apetiunt

riunt veſpere, vt fœminæ vadant ad videndum ornamentum clauſtri non facta noua proceſſione: hoc enim imprimis ibi reprobat Rodriguez, & probatur ex Bulla, quæ ſolùm concedit ingreſſum fœminis in clauſuram, quando celebrantur Diuina Officia. At quando intrant veſpere abſque proceſſione, non ibi fiũt Diuina Officia. Infero ſecũdò, quòd ſi iuxta Rodr. poteſt veſpere in die feſto fieri noua proceſsio vt ornatus clauſtri valeat inſpici, poterit pari modo licitè à Prælato fieri proceſſio per clauſtrum in die non feſto, neque ſolito, vt intrent fœminæ nobiles pro videnda fabrica & ædificio particulari clauſtri: eſt enim eadem ratio in videndo ornatu, & videnda fabrica clauſtri. Et præterea facta proceſsione in hoc ſecundo caſu, iam in clauſtro fit Diuinũ, ac pium Officiũ, qualis eſt proceſſio: & parùm ad hoc intereſt ſi ſit dies non feſtus, neque ſolitus vt in eo fiat proceſsio: hæc enim per accidens ſunt ad intentum, quia etiam Prælatus poterit inſtituere feſtum votiuum non ſolitum, & facere proceſſionem per clauſtrum, & nullus de hoc illum damnabit. Adde quòd ſi fœmina nobilis petens Miſſam in clauſtro extra diem feſtum, & ſolitum, poteſt intrare iuxta ſupradicta à Rodriguez, & Prælatus poteſt licitè dictam Miſſam concedere eo quòd ſit Diuinum Officium: videtur quòd etiam poſſit concedere, & facere proceſsionem extra diem feſtum, & ſolitum, quia eſt Diuinum Officium. Lex enim, ſiue illa Bulla non diſtinguit, an illud Diuinum Officium fiat in clauſtro, in die feſto, vel fiat ex more ſolito: ſed loquitur abſolutè.

Scio Rodriguez hoc expreſſe negare in Cruciata, poſt *numerum* 15. *dubio* 1. vbi expreſſe dicit non poſſe Prælatum facere proceſſionem extraordinariam, vt intrent fœminæ ad videndum clauſtrum. Quia, inquit,

Papa

Papa in illa sua declaratione, solùm intendit vitare scrupulos: non verò permittere occasionem relaxationis, & scandalorum, & abusuum: qualis occasio daretur in processione extraordinaria. At, saluo meliori iudicio, hæc ratio, siue responsio non cogit. Nam in processione extraordinaria non datur talis occasio peccati, libertatis, vel relaxationis, cùm intrent multæ fœminæ, ac viri. Imo maior occasio libertatis, relaxationis, & abusuum dari potest quando fœmina intrat ad solam audiendam Missam priuatam, quam postulat sibi dici in claustro, quod licitum esse concesserit supra Rodriguez. Ergo licita erit similiter processio extraordinaria, in qua minor occasio est relaxationis, libertatis, scandali, & abusus, vt patet. Et propterea arguuentor ad hominem. Nam si idem Rodriguez *ibidem num.* 20. (vt iam vidimus) ait posse Prælatum facere secundam vnam processionem vesperè, vt mulieres intrent ad videndum claustrum, etiam si mane facta fuerit iam alia processio: & illa processio facta vespere est insolita, & est voluntaria ad libitum, solumque vt videatur claustri ornatus: cur non poterit idem Prælatus extra festum facere aliam processionem insolitam, vt videatur fabrica templi. Hanc opinionem apud nullum reperi: puto tamen sufficienter colligi ex dictis à Rodriguez, & non contradicere decretis in dictis Bullis Pontificiis. Dictum tamen volo iuxta censuram Ecclesiæ, & melius sentientium, quibus me subiicio.

7 Circa pœnas verò incursas ob transgressionem huius Motus proprij: notat Rodriguez primò Religiosum peccantem, & fœminas introducentem, si crimen est omnino secretum, non teneri statim deponere officium in publico, quia non tenetur se infamare, & esse executor legis contra se, quod ego olim iam

dixi in alio libr. verb. *Officia Ordinis*, *num.*5. At ſicut ibi dixi *num.*7. ſi huic delinquenti offertur officium de futuro, tenetur renunciare, & non acceptare cum declaratione, ſeu moderatione ibidem poſita. Quod verò Prouincialis poſſit abſoluere, & tollere omnes illas quatuor pœnas, ſuſpenſionis, excommunicationis, priuationis, & inhabilitatis, dixi ſupra verb. *Abbas*, *n.*3. & olim verb. *Prælatus*, & verb. *Diſpenſare*. Vide infra ver. *Inhabilitas*.

CLAVSVRA MONIALIVM.

Vide ſupra verbo *Abbatiſſa*, *num.*7.

1 MOniales Ordinum Militarium ſancti Iacobi, Ioannis, & ſimiles cogi poſſunt hodie per Prælatos ad clauſuram, etiam ſi vſque in præſens illam non ſeruauerint. Rodriguez *tom.*1. *quæſtion.quæſt.* 44. *art.*2. ex Tridentino id expreſsè decernente. Si verò aliquæ Moniales profeſſionem faciant ſub conditione quod clauſuram non ſeruabunt, hæ non ſunt veræ profeſſæ: & ad clauſuram non tenentur. Miranda *tomo* 1. *q.*1. *de Monialibus*, *a.*4 *concl.*6.

2 Ad clauſuram etiam tenentur ſeruitrices illæ, quæ ſolent in aliquibus Conuentibus vota tria eſſentialia promittere. Rodrig. *cit. q.*44. *art.*4. §.2. *Aſſertio*. Aliæ verò ſeruitrices hæc vota non emittentes ad illam non tenentur.

3 Vt quis licitè ingrediatur clauſuram Monialium debet obtinere licentiam in ſcriptis ſuperioris illius Conuentus, & examinatam neceſſitatem, aliàs incurrit pœnas, de quibus infra. Tridentin. *ſeſſ.*25. *capit.*5. *de Regular.* Et hoc intellige quando debet ingredi in caſu particulari: non verò in ordinariis, quales ſunt circa

Medi

Medicum, Chirurgum, portantes ligna, onera, cæmentarios, & similes operarios, pro his enim non requiritur licentia scripta, sed standum est consuetudini regulatæ.

4 Causa dandi licentiam ad intrandam clausuram debet esse moraliter necessaria: non verò requiritur necessitas logica, vel Metaphysica: & minor necessitas requiritur vt intrent mulieres, quàm vt intrent viri. Rodriguez *cit. quæst. art.* 4. Et proinde hæc necessitas regulanda est arbitrio prudentis, & timorati Prælati. Et Rodrig. *cit. loco, art.* 6. dicit moralem, & sufficientem esse necessitatem quam habet Matrona nobilissima, si hæc non habet commoditatem manendi in sæculo sine magno dispendio honoris, vt possit intrare, & manere intra clausuram. Hoc tamen negat merito Miranda *tomo* 1. *quæst.* 2. *de Monialium art* - Esset enim hoc hodie periculosum contra tot Bullas Pontificias similes ingressus prohibentes, & porta patens maneret vt multæ hoc procurarent.

5 De ancillis intrantibus ad seruitium Monialium tenenda est magna cautela, vt solum illis dentur quæ non possunt excusari: sunt enim multa Breuia Pontificia id prohibentia, & taxantia. Paulus enim III. concessit vt prouinciales Prouinciæ Castellę P. N. Francisci possent assignare Monialibus certum ancillarum numerum. Et Pius V. concessit quod quilibet Conuentus possit habere tres vel quatuor. Et Sixtus V. concessit vt singulis decem Monialibus assignaretur vna ancilla.

6 Vide multas declarationes Cardinalium circa puellas ingressuras Conuentum Monialium educationis gratia, vel vt sint Moniales futuræ apud Rodrig. *tom.* 1. *q.* 46. *a.* 10 *& in lib. particulari declaratio. Cardinalium* quas omitto breuitatis gratia.

7 Ingredientes abſque licentia, & indebitè, incurrunt excommunicationem, & priuationem officiorum,& inhabilitatem ad futura officia; quæ ſunt tres pœnæ,valde diuerſæ,& conſiderandæ pro diuerſis remediis contra illas obtinendis. Hæ patent in Trident. & Greg. XIII. Vt tamen incurrantur requiritur præſumprio, & dolus:ſi enim quis credens ſe habere cauſam iuſtam, & licentiam, quæ à parte rei tales non ſunt, ingrediens non incurrit prædictas pœnas, quia nonfacit præſumens.Rodr.*cit.q.art.*2 ex Nau.

8 Si Prælatus,vel alius indebitè, præſumens, & ad libitum, iubeat, aut conſulat vt aliquis intret clauſuram Monialium (quidquid ſit de intrante excommunicato) ipſe Prælatus malè iubens,vel conſulens,peccat mortaliter,ſed non incurrit prædictas pœnas.Ratio eſt, quia nulla excommunicatio hic poſita ligat mandantes,vel conſulentes,ſed ſolùm ingredientes:lex autem pœnalis, eſt reſtringenda, non extendenda;& excommunicatio contra facientes lata, non ligat mandantes niſi lex illud exprimat.Nauar. *lib.3.conſil. tit.de Clericis non reſid.conſil.*10.*num.*6.

9 Poſſunt intrare clauſuram Regulares & laici in caſibus ſequentibus. Primò ad miniſtranda ſacramenta, quando Monialis venire non poteſt ad crates abſque diſpendio ſalutis. Et hoc fieri poteſt quoties ex præcepto Regulæ, vel ex alia pia, & rationabili cauſa cæteris Monialibus miniſtrantur Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ: imò quoties infirma dixerit ſe indigere pœnitentiæ ſacramento.Rodr. *art.*4. *cit.quæſt.* Et cauſa dandæ Euchariſtiæ ſacroſanctæ,poteſt confeſſor vel Prælatus Monialium intrare,& celebrare intra clauſuram. Rodr.*ibidem* ex Leon X.& hodie eſt iam in praxi apud Minores.

10 Poſſunt intrare confeſſores in articulo mortis,vt

ſolùm

solùm assistant Moniali morienti, & dicant officium agoniæ. *Ibid.*

11 Ad sepeliendam defunctam possunt intrare. Et tunc intrabunt solùm necessarij Religiosi: & in hoc seruetur consuetudo laudabilis. In quodam Capitulo Prouinciali meæ Prouinciæ quidam Generalis declarauit posse ad hoc intrare sex Fratres includendo Confessorem, Capellanos, & cæteros. Quid si sæcularis, vir aut fœmina iubeat sepeliri se intra clausuram Monialium, & à sæcularibus nobilibus deportetur corpus defunctum, vsque ad clausuræ portam; an iidem sæculares debeant intrare clausuram, exclusis Fratribus: an verò debeant hi extra manere, & Fratribus tradere vt intrent Fratres & portent ad sepulturam? Credo sæculares nō posse intrare, sed posse intrare Fratres deputatos. Inclinat Rodr. *cit. art.* 4. §. *& aduertendum.* Et ratio dictat, quia plus requiritur vt tunc intrent sæculares, quàm Fratres cum confessore aliàs deputati, sæculares enim in casu particulari indigent licētia in scriptis: & præterea quia tradere corpus sepulturæ in Ecclesiis Fratrū pertinet ad ipsos Fratres, vt habet praxis: quādo enim portitores defuncti hodie portant defunctum ad Ecclesias Fratrum, sæculares deponunt corpus in Ecclesia, & tunc Fratres suis manibus tradunt sepulturæ. Quod videtur facere ad intentum. Vide infra verbo *sepelire.* §. *vltimo*, & hoc etiam probatur ex dictis mox *in num. sequenti* 13. quia scilicet tunc hi Fratres deputati obsequio isti æquè bene, imò, & melius hoc possunt facere quàm sæculares.

12 Ad aperiendum sepulchrum possunt intrare sæculares necessarij.

13 Potest quilibet Frater deputatus obsequio Monialium (confessor, scilicet & Capellanus) intrare clausuram ad facienda omnia illa quæ Moniales facere non

possunt, & posset sæcularis, & illa æquè bene potest facere Frater ipse, dummodo absit dolus. Rodriguez 1. *tomo, quæst.* 47. *art.* 4. Et in hoc casu nota ex Corduba apud Caputcin. 2. *par. Compendij fol.* 124. quod per Fratres deputatos obsequio Monialium, potest Prouincialis, vel Guardianus de eius licentia, etiam virtuali deputare vnum Fratrem aptum ad aliquod opus faciendum, intra clausuram: talis enim Frater tunc censetur deputatus obsequio Monialium, eo quod sit magis aptus, & à Prælato designatus. Vide Capucinum *citato loco.*

14 In omnibus casibus supradictis, intrantes Fratres, & sæculares expleto opere pro quo intrant, tenentur statim exire, & non possunt ibi moram facere. Quod tamen non tollit paruam moram vrbanam, & moralem, dummodo non sedeant ad colloquendum. Et nobis Minoritis R. Vicarius Generalis declarauit tempus moræ licitæ, pro Prælatis, & pro Confessoribus, quod viderint ipsi.

15 Pro incendio orto intra clausuram, & illo extinguendo possunt intrare omnes necessarij quando illud Moniales nequeunt extinguere. Idem possunt pro inundatione grandi, & repentina, necessitas enim dictat, & concedit.

16 Generales Franciscani debitis sociis comitati possunt intrare ad proponendum verbum Dei.

17 Fratres Minores non obstante prohibitione suæ regulę, inuitati, & rogati à prelatis Ecclesię, possunt cum illis intrare monasteria suarum Monialium ad visitandas officinas, & cętera pro quibus dicti Prælati possunt intrare. Leo X. & Rodriguez *art.* 8. & virtute verborum ibi contentorum possunt etiam Minoritę visitare prędictos Conuentus cum licentia dictorum Prelatorum. Aduertit tamen Miranda, & bene, *tom.* 1. *quæst.*

quæst.2.de Monial.a.16. quod si prædicti Prælati Ecclesiæ non intrent clausuram, ipsi Fratres non possunt sine illo intrare, ad sepeliendam verbi gratia Monialem. Papa enim citata concessione dicit (quod possint cum ipsis intrare) vnde si Prælati non intrent, videtur, quod neque Minoritæ possunt ad sepeliendum intrare sine ipsis Prælatis. Adde quod etiam intrante prælato Ecclesiæ debent habere licentiam sui prælati Regularis.

18 Denique lex generalis sit quod data vrgente necessitate cui solæ Moniales non possunt occurrere, & Prælatus creditur concessurus, possunt ingredi personę necessariæ in necessitatibus quæ non possunt dilatari. ponit etiam Collector priuilegiorum Compendij ver. *ingressus Monasterij Monialium*, quod si fortè matrona coniugata, & prægnans Monasterium cum licentia intrauit vt ibi maneret; tempore partus potest obstetrix intrare ad illam iuuandam in partu, & per hunc casum similes expedies.

EGRESSVS MONIALIVM à clausura.

19 POtest egredi Monialis, vel etiam possunt omnes, ratione incendij, lepræ, vel epidimiæ. Priores duo casus clari sunt. Tertius epidimiæ est pestilentia. Quartus, ratione belli maximè quando Conuentus est extra muros vrbis vel loci. Quintus, vrgente aliquo vitæ periculo graui in quo ratio naturalis dictet plus valere præceptum naturale vitæ conseruandę, quàm præceptum positiuum clausuræ. Et in omnibus prædictis casibus tenentur Moniales transacto periculo reuerti ad Conuentum sub peccato mortali, & pœna excommunicationis. Est certissimum, & commune

mune ex decretis pontificiis. Hoc & sequentia vide apud Rodrig.*tomo* 1.*q*.49.

20 In omnibus prædictis casibus si prælatus adsit,debent expectare illius licentiam.Si autem absit,& periculum sit in expectatione licentiæ, potest Conuentus exire in cõmuni periculo.Semper verò erit necessaria specialis licentia vt particularis Monialis causa lepræ exeat.Et eadẽ licentia requiritur in sequẽtibus casibus.

21 Potest exire Monialis vt alibi sit Abbatissa, vel prælata.Innuitur in Conc.Trid.*sess*.25.*c*.7.*de Reg*.Addit verò Rodr.*Addit.ad Sum.tom*.3.*c*.3.*concl*.2. quod in tali casu non potest exire cum sola licentia prouincialis; sed debere obtineri licentiam papæ vel legati ipsius:dicens sic fuisse declaratum à Congregatione Cardinalium,quam citat,& retractat oppositum quod dixerat in *q*. *Regul*. & ibi obiter etiam innuit, quod, vt hæc exiens cum prædicta licentia,finito officio Abbatissæ reuertatur ad priorem Conuentum, debet interuenire licentia alia specialis reuertendi. Sed hoc in Portugallia non video receptum in praxi.

22 Causa correctionis,quando scilicet Monialis non potest bene puniri in suo Conuentu, potest deferri ad alium vt ibi commodiùs puniatur. Nauar.*libr*.3.*consil*. *tit.de Regul.consil*.48.& ibidem ait posse egredi ad fundandum alium Conuentum.

23 Etiam si Medicus dicat Monialem morituram, nisi vadat ad balnea extra Conuentum:non potest superior dare licentiam,innuit Rodrig. *cit*.*q*.49. *tomo* 2. *art*.3.& tenet Mirand.*quæst*.2.*de Monial.art*.4. *concl*.2. Et probatur, quia ille morbus non est lepra, neque epidimia:neque inficit totam communitatem.Et aperitur porta multis petentibus:maximè cùm multæ sæculares fœminæ nobiles curentur absque balneis; vel absque illis moriantur.

24 Non

24 Non poſſunt Moniales egredi à porta clauſuræ vt de nocte, vel ad Solis occaſum vadant claudere aliam portam claudentem ſpatium in quo ſæculares de die morantur, ſic Gregor. XIII. apud Rodriguez *q. cit. art. 1.*

25 Comitolus *lib. 6. Reſp. Moral. quæſt. 3.* dicit frangere clauſuram Monialem quæ ſe ponit in Rota, & facit illam volui verſus partem externam ad quam ſæculares accedunt etiam ſi non egrediatur à Rota, & ſtatim voluat illam. Et probat, quia hæc acceſſit ad locum ad quem ſæculares accedunt, quod expreſsè prohibetur in Bulla Gregor. XIII. & in hoc illi aſſentior: Non verò in eo quod ibidem ait frangere clauſuram Monialem, quæ extra limen clauſuræ pedem, ſeu ſuram ſolam emiſit corpore intus manente. Videtur enim hoc paruitas materiæ ad tantam pœnam: & in rigore illud non eſt egredi clauſuram, cùm maior pars corporis non egrediatur. Idem author ait *eodem libr. q. 22.* peccare mortaliter Monialem, & incurrere cenſuram quæ intra rotam, & clauſuram admiſit infantulum lac ſugentem duorum vel trium annorum: & de hoc vidiſſe litteras vnius Cardinalis miſſas cuidam Epiſcopo, conſulto Papa Clem. VIII. in quibus idem aſſerebatur, at in Hiſpania hoc non video receptum; eſt tamen hoc valde Monialibus prohibendum.

26 Vt Moniales poſſint egredi in caſibus à Sede Apoſtolica permiſſis ſufficit illis vna tantùm licentia vnius ſuperioris, Epiſcopi ſcilicet, ſi illi ſunt ſubditæ: vel Prælati Regularis cui ſubduntur. Neque opus eſt vt Monialis ſubdita Regulari obtineat etiam licentiam ab Epiſcopo ad egrediendum. Rodriguez *cit. q. 49. art. 6.* vbi explicat Concil. Trid. oppoſitum innuens, & Mirand. *cit. q. art. 6.* Hæc tamen debet eſſe in ſcriptis.

27 Mo

27 Moniales egredientes indebitè incurrunt excommunicationem ipſo facto. Eandem incurrunt prælati dantes indebitè licentiam. Eandem incurrunt ſæculares comitantes Moniales indebitè egreſſas, & qui illas recipiunt. Pius V. apud Mirand. *art.* 7. de ſæcularibus illas recipientibus, intellige quando id facerent malo animo, & per longum tempus, vel recreandi gratia: ſecus ſi comitentur vt tueantur à periculo, vel affectu conſanguinitatis, maximè vt ſuadeant regreſſum ad Conuentum illiſque ſubueniant in graui neceſſitate iuxta explicationes adhibitas circa receptores, & fautores hæreticorum.

28 A pœnis quas Moniales incurrunt per egreſſum iniuſtum, vel Religioſi in ingreſſu indebito poſſunt abſoluere prouinciales, ac diſpenſare. Vide Rodr. *tom.* 1. *q.q.* 24. *art.* 17. *per totum.*

ADDITIO.

Vide ſupra verb. *Abbatiſſa*, *num.* 5. & infra verb. *Moniales.*

CLauſura Monialium violatur pariter per ingreſſum illicitum in clauſuram illarum, ſiue intrent homines, ſiue fœminæ, indebitè tamen. Violatur ſecundò per egreſſum illicitum Monialis à dicta clauſura. De priori modo, iam aliqua diximus, in alio libro, verb. *Clauſura.* Et in hoc primo, retracto quod dixi in prima Editione hoc eod. ver. *num.* 8. videlicet non incurrere pœnas Motus proprij prælatum, qui indebitè iubet aliquem ingredi clauſuram Monialium. Nunc dico quòd taliter iubens etiam incurrit. Vide Sanchez *tom.* 2. *Decalog. lib.* 6. *c.* 17. *n.* 35.

1 Adde ad hanc clauſuram etiam teneri Moniales

Tertij

Tertij Ordinis, ſi viuunt in congregatione collegialiter. Bullarium Rodr. *fol.* 984. *col.* 1. *n.* 33.

2 Non poſſunt Epiſcopi, vel Superiores Regulares dare licentiam fœminæ vt mancat intra clauſuram Monialium, ratione ſecuritatis ob lites matrimonij, adulterij, & diſſenſionum inter vxoratos. Sic refert Rodriguez reſpondiſſe congregationem Cardinalium Epiſcopo Salmanticenſi: & ponit ibi verba Cardinalium: habetur in Bullario Rodrig. *fol.* 1200. & concordat quod ait Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 2. *de Monialibus, art.* 7. Scio Azorium *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 8. *quæſt.* 4. dicere eoſdem Cardinales Concilij Romæ declaraſſe poſſe recipi intra clauſuram licitè, viduam bonæ famæ, quæ cupit honeſtatis gratia intra Conuentum manere. Item poſſe recipi fœminam vxoratam, ſi vita illius alioqui tuta non ſit. Item poſſe recipi fœminam de licentia Epiſcopi, de adulterio ſuſpectam apud virum ſuum, eáque de cauſa vitæ periculum certò timet. Et hæc omnia ait haberi ex declaratione Cardinalium. Quod ſi ita fuit declaratum, vides duas declarationes in eadem materia, & in eadem re omnino contrarias, quia hæc adducta ex Azorio contradictoriè opponitur illi adductæ à Rodriguez *in Bullario*. Ego non credo, Illuſtriſſimos Cardinales, contrarias declarationes in eadem re edidiſſe. Forte falluntur Doctores illas citantes, vel non intelligentes. Vnde obiter videas cauſam ob quam non vult Papa prædictas declarationes imprimi authoritate publica Eccleſiæ. Videas item fortè hinc motos Doctores, qui dicunt, declarationes Cardinalium non obligare in conſcientia, neque in foro externo. Ego tamen in prædicto caſu ſtandum iudico, declarationi priori miſſæ ad Epiſcopum Salmanticenſem, ſecurius enim eſt illam ſequi, & ita video practicari in noſtro Seraphico Ordi-

ne

ne Minorum.

3 Dixi olim hoc verb. ad ſepeliendam Monialem poſſe ingredi ſex Fratres, ex declaratione Statuti meæ Prouinciæ: modò addo hoc in terminis conceſſiſſe Paulum III. nobis Minoritis. Habetur conceſſio in Bullario Rodr. *fol.* 792. in Paulo III. obtenta à Cardinali Quinhones.

4 Paulus III. conceſſit vt puella, vel fœmina ingreſſa Conuentum ſanctæ Claræ, vt ſtatim fiat nouitia, & habitum ſuſcipiat, poſſe per Abbatiſſam, & Moniales detineri in habitu laicali per decem, vel quindecim dies antequam induatur habitu Ordinis: vt poſſit in illis diebus experiri vitam ſuſcipiendam. Rodr. *in Bullario, fol.* 820. *n.* 9.

5 Circa licentias reuocatas quas aliqui Pontifices conceſſerunt fœminis, vel ſæcularibus ad intrandam clauſuram Monialium, & poſtea ſequentes Pontifices reuocarunt: Aduerto Gregorium XIII. qui fuit vltimus, reuocans has licentias in Bulla, quæ incipit: *Vbi gratiæ*, anno 1575. promulgata generaliter reuocaſſe omnes licentias anteceſſorum ſicut fecerat Pius V. qui fuit annus 4. pontificatus ipſius Gregorij: poſtea verò idem Greg. XIII. anno 1584. pontificatus ſui anno 13. in Bulla quæ incipit: *Quæ ſanctimonialium quietem*, prohibuit ſimiles ingreſſus in clauſuram Monialium excepit tamen fundatrices monaſterij, dotatrices & coniuges Marchionum, Ducum, Comitum, ſuperiorum Principum, & filias iſtarum præcedentium. Citat has Bullas Rodr. *in Bullario, fol.* 1097. *& ſequentibus.* At nõ ſeruat ibi ordinem temporis, nam Bullam promulgatam à Papa reuocatoriam omnino, & prius publicatam ponit ſecundo loco. Illam verò quæ poſterior fuit in publicatione, & quæ excipit fundatrices, &c. ponit priore loco. Ego non inuenio Bullam reuocatoriam illius

illius ſecundæ Bullæ anni 1584. in qua excipit ab illa prohibitione fundatrices, & alias. Quod ſi reuocata non eſt, manet integra. Credo tamen non eſſe in praxi. Nam cùm ego eſſem Prouincialis, quædam vxor cùiuſdam Marchionis obtinuit in ſcriptis Bullam Papæ, vt poſſet ingredi in Conuentus aliquos Monialium noſtræ Prouinciæ per quod oſtenditur illam ſecundam Bullam Gregor. non eſſe in vſu, etiam ſi reuocata non ſit.

6 Quando Generalis intrat clauſuram Monialium, poteſt ſecum ferre quatuor, aut quinque ſocios ipſius Ordinis: at Prouincialis duos, vel tres tantùm. Ita Vrbanus IV. conceſſit in Regula Sanctæ Clarę à ſe compoſita. Et notat Rodr. 1. *tom. qq. Reg. q.* 47. *art.* 7. quod eoſdem ſocios duos, vel tres poteſt ſecum ferre Commiſſarius particularis delegatus à Prouinciali pro quo viſitando aliquo Conuentu Monialium.

CVIVS ÆTATIS PVELLÆ AD habitum recipi poſſint intra clauſuram.

1 DVobus modis puellæ recipi poſſunt intra clauſuram. Primo, & magis ordinario recipiuntur ad profitendum ſtatum Monialium habitúmque profeſſarum geſtandum vt Moniales fiant. Secundo poſſunt recipi ſolùm educationis gratia abſque animo profitendi, imò & cum animo non profitendi: ſed ſolùm ibi recipiuntur, vt Monialium exemplis, & doctrina inſtructæ proficiant in virtute cum libertate tamen eligendi poſtea quencumque vitæ ſtatum maluerint.

De priori ergo modo recipiendi ad habitum, ſeu ſtatum profeſſionis tenet Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 17. *v.* 55. & 56. iuxta Concil. Trid. non poſſe Prælatos Monia-

lium recipere has puellas ad habitum, & profeſſionem, vt intrent clauſuram, niſi habuerint duodecim annos ætatis: & ante hunc annum illas non poſſe recipere. Idem crediderunt multi viri docti, & Epiſcopi, anno 1586. in Concilio Prouinciali Tolletano, vt refert Rodrig. *tom.3.qq. Reg.q.12.art.2.*

Nihilominus dicendum eſt poſſe has puellas recipi à Superioribus intra clauſuram, vt ſuo tempore profiteantur, etiam ſi ſint minores duodecim annis, imò etiam ſi ſint ætatis infantilis nondum attingentes vſum rationis, in tertio, vel quarto anno ætatis. Ita Rodrig. *tom.3.qq. Regular.q.12. art.2.* Et clarius, ac fuſius Sanches *in lib.4. Decalog.ca.18.n.34.* citans alios. Concordat Miranda *tom.1. quæſt.8. de Monialibus; artic.2.* Qui omnes ſolùm loquuntur poſſe recipi minorem duodecim annis, non tamen exprimunt de ætate infantili ſicut Sanches *in loco mox citando.* Igitur quòd hæ puellæ recipi poſſint ad habitum regularem minores duodecim annis, probat Sanches *citato prius loco* ex Michaele Metina, *libr.4. de ſacrorum hominum continentia controuerſia 9. toto cap.4.* qui interfuit Concilio Tridentino, & teſtificatur ſe hac de re data ſuffragia conſideraſſe. Et non obſtante quòd Concil. Trident. *ſeſſ.25. de Regul. cap.17.* duo decernat: primum vt puella ſuſceptura habitum regularem maior ſit duodecim annis, & ante ingreſſum examinetur ab Epiſcopo de libertate; ſecundum, vt poſtea ante profeſſionem iterum examinetur ab Epiſcopo de eadem libertate: Nihilominus, ait Medina, Concilium per hæc non prohibuiſſe recipi puellas ad habitum regularem ante annum duodecimum. Sed ſolùm hæc duo intendiſſe. Primò, vt ſi puella ingrediens ſit maior duodecim annis quantæcumque ætatis ſupra ſit, duplex ſubeat examẽ Epiſcopi, alterum ante habitus ſuſceptionem, & alte

alterum ante professionem. Et primum petiit quia sæpè puellæ inuitæ habitum suscipiunt: & postquam intrarunt inuitæ, præ verecundia non audent exire ante nouitiatum. Hoc verò examen non est iniunctum ibi pro puellis ante annum duodecimum intrantibus, quia vanum existimauit Concilium id fieri propter debilẽ tunc, & tenerum vsum rationis puellæ. Sed hoc primum examen puellæ ante susceptionem habitus iniunctum, vt notat Rodr. *citato loco*, per contrarium vsum, nõ est receptum in Hispania: & quoad hoc primum ibi decretum Concilij non est receptum. Solùm ergo manet secundum decretum eiusd. Concilij *ibid.* quod scilicet ante professionem vno mẽse Episcopus examinet libertatẽ puellæ professuræ. Itaque cõcludit ibi Sanches posse has puellas recipi ante annum duodecimum, qui in fœminis est annus pubertatis: & addit Bullas Pij V. & Gregor. XIII. non iubere contrarium in his puellis receptis ad vitam Monasticam: sed in illis quæ recipuntur educationis causa, vt infra dicemus. Imò idem Sanches *cit. cap. num.* 8. citans duos textus iuris Canonici, ait, posse parentes istas puellas offerre Monasteriis pro vita futura Monastica, etiam in ætate infantiæ, quæ in puella est infra annos quinque. Neque hoc ius antiquum est reuocatum in dicto loco Concilij Trident.

8 Et quod maius est, ait Sanches *citato cap.* parentes habere ius patrium hoc faciendi; nec puellas ab illis sic oblatas Monasteriis (idem dic de filiis masculis) posse exire à dictis Monasteriis, nisi post annum completum pubertatis, vt ait *cit. c. n.* 9. Vnde puella posita à parentibus in Monasterio ante annum duodecimum non poterit inde exire libertatis gratia, nisi post completum annum duodecimum, quando puellæ aduenit pubertas. Ratio est, quia filius ante pubertatem est

ſub omnimoda poteſtate parentum, at poſt annum duodecimum poterit filia exire à Conuentu inuitis parentibus.

9 Hinc mihi grauis quæſtio ſuborta eſt: vtrum pater, vel mater, qui cogit filiam inuitam, vt intret Monaſterium pro vita futura eligenda, ſi iſta puella habeat vſum rationis, ſed tamen non habet annos pubertatis, videlicet annum duodecimum? An, inquam, talis pater incurrat excommunicationem Concilij Tridentini poſitam contra cogentes fœminas ingredi Monaſterium? Hanc quæſtionem apud nullum reperi Doctorem. Saluo tamen iudicio Eccleſiæ, & Doctorum, dicerem piè talem parentem, vel matrem non incurrere excommunicationem illam: Nam iuxta ſupra dicta, & Sanches *cit. cap. 19. n. 8. & 9. & aliis ibi numeris*, parentes etiam ex iure Canonico habent poteſtatem, & ius naturale offerendi filios Religioni; & talis filius ſic oblatus tenetur obedire patri ordinanti ſuam educationem: imò filius ſic oblatus non poteſt exire à Monaſterio ante annos pubertatis: & illud ius Canonicum non fuit reuocatum à Concil. Trident. *ſeſſ. 25. c. 18. de Regular.* ergo pater non peccat, nec proinde excommunicatur cogens puellam ad Monaſterium ante annos pubertatis. Incurrit verò ſi cogat ingredi poſt annum pubertatis. Si autem hoc verum eſt in patre, etiam erit in matre, & tutore cogente ante annos pubertatis.

10 De ſecundo autem modo recipiendi puellas educationis gratia tantùm, eſt alia diuerſa diſpoſitio Pontificum. Et quod ſpectat ad annum certum ætatis, in quo recipi poſſint non inuenio. Nam Sanches *cit. c. à num. 34.* ſolùm dicit has non poſſe recipi ante pubertatem, ſicut illas, quæ recipiuntur ad habitum regularem: vnde innuit non poſſe recipi educationis gratia

ante

ante annum duodecimum. At Rodrig. *tom.1. qq. Reg. quæst.46. art.10. §. 17. declaratio*, ait Pium V. concessisse Ordini Sanctæ Claræ, vt puellæ destinatæ à parentibus ad Religionem possint recipi in habitu sæculari anno septimo, vel octauo suæ ætatis, & in Conuentu manere vsque ad annum 12. vel 14. Et hoc tempore expleto liberè mittantur in domum parentum: si verò postea velint liberè ad Monasterium redeant. Vbi loqui videtur de puellis recipiendis educationis gratia, illæ enim quæ recipiuntur ad habitum regularem statim induuntur habitu Religionis. Ex alia verò parte proximè dicta concessio non videtur loqui de receptis educationis gratia: nam extat alia declaratio Cardinalium apud Rodriguez *citato articulo*, septima in ordine, vbi puellæ receptæ educationis gratia permittuntur manere intra Conuentum vsque ad annum vigesimum quintum suæ ætatis, & non amplius. Quibus attentis solùm reperio certum has receptas educationis gratia non posse manere in Conuentu post annos viginti quinque suæ ætatis. Puto autem non posse recipi in ætate infantili sicut aliàs, neque ante pubertatem propter dictum Sanches vbi supra, propter duas Bullas, quas citat. Et proinde recipi poterunt ab anno duodecimo completo, vsque ad annum 25. inclusiuè, vt autem hæ possint recipi requiruntur sequentes conditiones ex Rodrig. *citato loco*, & Azor. *tom.1.lib.13.c.8.q.4.*

11 Prima est: Dummodo Monasterium tales puellas educationis gratia recipere consueuerit. Si enim in illo Conuentu non sit consuetudo, non poterunt recipi. Vnde in Conuentibus Capucinarum primæ Regulæ Sanctæ Claræ non poterunt recipi, quia apud illas non est consuetudo tales recipere.

12 Secunda est, vt id fiat licentia in scriptis Superioris

rioris talis Conuentus, & Abbatiſſæ, & maiori parte Conuentus ſuffragantis.

13 Tertia, vt ſine ancillis in Conuentu maneant, neque inde exire queant cum libera poteſtate redeundi: & ſeruent clauſuram ſicut Moniales: & veſtitu honeſto induantur. Et ne in Monaſterio maneant vltra annum 25. Si verò ſemel à Conuentu exierint, amplius non admittantur: excepto ſi iuerint ad balnea, de licentia Superioris, vt notatur in declarationibus Cardinal. *tom.* 4. impreſſo, repertis in Bibliotheca Farinacij *fol.* 99. *col.* 2. vbi etiam dicit poſſe exire curandæ valetudinis gratia cum licentia in ſcriptis. Et noto quòd cum *citato loco* in Declarationibus collectis à Farinacio, ponantur vndecim, vel duodecim circa modum, quo recipi debent puellæ educationis gratia, nulla ex illis aſſignat annum ætatis, in quo recipi debeant: & in vna tantùm dicitur quod ibi non maneant, niſi vſque ad annum 25.

EGRESSVS MONIALIS à clauſura.

14 DIxi ſecundo modo violari clauſuram Monialium per egreſſum illicitum factum à Moniali extra clauſuram. Et quod attinet ad pœnas impoſitas Moniali taliter egredienti illicitè, Pius V. in Motu proprio, qui incipit, *Decori, & honeſtati*, decreuit quòd taliter egrediens indebitè incurrat excommunicationem reſeruatam Summo Pontifici. Secundò quòd ſit priuata officiis, & dignitatibus Ordinis, ſi quas actu habet. Tertiò, vt ſit inhabilis in perpetuum ad officia Ordinis obtinenda. Eaſdemque pœnas imponit Prælato indebitè danti licentiam exeundi. Tertiò excommunicantur ipſo facto, omnes illi qui Monialem

nialem illicitè egredientem hoſpitio receperint, vel comitati, ſeu aſſociati fuerint, etiam ſi ſint conſanguinei. Monueri.n verò, quòd attinet ad hoc vltimum de receptatoribus Monialium fugitiuarum, eſſe explicandum eo modo quo Doctores expliçant in Bulla Cœnæ incurrere, vel non incurrere excommunicationem ibi poſitam receptatores hæreticorum. Nam quemadmodum ibi excuſatur ab illa cenſura, recipiens hæreticum, non quia hæreticus eſt, neque vt fauens hæreſi, vel hæretico, ſed ſolùm recipit, & fauet quia homo eſt, videlicet quia extremè, vel grauiter indiget, ne pareat: ſic enim recipiens non incurrit cenſuram. Sic in noſtro caſu qui reciperet Monialem indigentem grauiter quoad cibum, & honeſtatem, eámque reciperet, ne illius honeſtas periclitaretur; imò vt eam reduceret ad Monaſterium, oblata commoda occaſione, iſte talis illam cenſuram non incurreret. Secùs ſi illam reciperet, vel comitaretur, approbando egreſſum: vel occultando ne inueniatur à Prælato, vel ſuadendo, ne redeat: vel dando occaſionem ſuo comitatu, vel hoſpitio, ne redeat ad Monaſterium: tunc enim incurreret.

15 Nauarr. *capit. ſtatuimus 19. queſtion. 3. numer. 4.* dicit quòd ſatis pia, & probabilis ſententia eſt, poſſe Prælatum dare licentiam Moniali, vt curetur extra clauſuram, quando patitur ægritudinem non contagioſam aliis, ſed ſibi ſoli nociuam, ita tamen grauem, vt intra clauſuram omnino curari non poſſit: illum ſequitur vel inclinat in illum, Fr. Ioann. à Cruce *de Statu Relig. lib. 1. c. 5. dub. 4. concl. 2.* Sed tamen hoc non video practicari. Imò ſi ponatur in praxi patebit porta multis egreſſibus, re vera illicitis: ob multas fictiones, quæ in caſu poterunt inueniri.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

1 VLtra olim iam dicta de clauſura Monialium ſolum occurrit adnotandum quod tradit Rodriguez *tom.3. Addit. cap.95.concl.5.* videlicet non incurrere pœnas impoſitas à Concil. Trid. Pio V. & Gregor. XIII. ingredientibus indebitè clauſuram Monialium, illos qui ingrediuntur ſine licentia Monaſteria illarum Monialium,quæ promittunt obedientiam, paupertatem,& caſtitatem ſolùm coniugalem, quales ſunt Moniales Ordinum Militarium. Has enim ait Rodriguez non eſſe ſimpliciter, & abſolutè Religioſas:idque tribus ex capitibus.Primo,quia illa tria vota non promittunt ex vi ſuæ Regulæ, ſed ex vi ſuorum ſtatutorum. Secundo, quia illud votum Caſtitatis quod promittunt eſt ſimplex tantùm,& non ſolemne. Tertio, quia non ſunt verè Moniales, id eſt, perfectè, quia ad hoc requiritur vt illa tria vota fiant ex vi regulæ, cum caſtitate omnimoda. Et de his tantùm Monialibus loquitur Concilium, Pius V. & Gregor. XIII.

2 At non loquitur Rodr.de Fratribus Minoribus,an peccent mortaliter intrando hæc Monaſteria, cùm ex vi regulæ prohibeantur intrare Monaſteria Monacharum,*cap.11.ſuæ regulæ.* Et quidem quod Minoritæ non incurrant pœnas Tridentini,Pij.V.& Greg.XIII. ſi intrauerint iſta Monaſteria Monialium promittentium caſtitatem ſolam coniugalem (quales ſunt Ordinum Militarium,vt Olyſſipone *o Moſtetro de Sanctos*,Ordinis D.Iacobi : & Monaſterium S. Matthæi Ordinis S. Benedicti, ſi promittunt etiam caſtitatem cõiugalem, & aliæ ſimiles.) Quod, inquam, Minoritæ intrantes hæc Monaſteria ſine licentia,& iuſta cauſa,non incurrant

rant prædictas pœnas, & cenſuras non diſceptabo, propter rationes citatas à Rodrig. *cit. loco*, & à Nauarr. *citato ibi conſilio* 82. *de Regular.* At quod Minoritæ non peccent mortaliter hæc Monaſteria ingrediendo ob prohibitionem generalem ſuæ regulæ, neque Rodrig. neque Nau. explicant; & hoc ego explicatum reperire deſiderarem.

3 Et quamuis ex mente Rodriguez *citato loco*, & ex Nauar. *citato loco, & conſilio*, colligi poſſit eos dicturos non peccare mortaliter Minoritas ex vi regulæ talia Monaſteria intrando, tum quia iſtæ non ſunt veræ Monachæ, nec verè Religioſæ; tum quia, vt ait Nau. *citato conſilio* 82. *num.* 4. verba Canonum, & legum propriè ſunt accipienda: & prædictæ Moniales non ſunt propriè, ac perfectè Moniales. Nihilominus ego tutius credo, ac defendo Minoritam ingredientem prædicta Monaſteria indebitè, quamuis non incurrat pœnas, & cenſuras prædictas, tamen peccare mortaliter ob generalem prohibitionem regulæ. Quod primò probo ex verbis regulæ, quæ ſunt verba generalia: ſunt enim ſaltem verba indefinita: *Non ingrediantur Monaſteria Monacharum.* Et indefinita æquipollet vniuerſali, vt ait Gloſſ. *cap. primi. de dolo, & cont. in* 6. *verb. Termino*, & ibi cit. Rurſus lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda *l. de pretio, ff. de publ. in rem action.* Cùm ergo verba Regulæ ſint indefinita, & proinde generalia, videntur generaliter intelligenda de omni Monaſterio Monialium quæcunque illæ ſint, dummodo viuant collegialiter. Secundò, quia finis legis eſt attendendus præcipuè cùm ille ſit anima legis: at in Monaſteriis Monialium profitentium ſolam caſtitatẽ coniugalem reperitur idẽ finis qui reperitur in Monaſteriis Monialium verarum, & profitentium caſtitatẽ omnimodam: ergo, probatur minor, quia in vtroque iſtorum

Digitized by Google

Monasteriorum finis ob quem prohibetur ingressus, est conseruatio pudicitiæ Monialium, & vitatio periculi, vel occasionis peccandi: at iste finis æquè militat in Monialibus profitentibus castitatem absolutam, & in profitentibus castitatem cõiugalem: idque siue promittant vota solemniter, siue simpliciter, siue ex vi regulæ, siue ex vi statuti: semper enim manet vtrobique idem periculum, quod est occasio peccandi. Tertiò id probo ex declaratione nostræ regulæ edita à Nicolao III. qui exponens *citatum cap.* 11. *Regulæ* circa ingressum Monasteriorum Monialium, *in art.* 13. sic explicat prædictam prohibitionem Patris nostri Francisci: *Nos itaque generaliter id esse prohibitum de quarumlibet cœnobiis Monialium respondemus.* Quo nil clarius, & generalius dici potuit. Idem videtur sentire Collector priuilegiorum Mendicantium, verb. *Ingressus Monast. Monial. ad* §. 17. *littera C. & D. & infra notab.* 2. *littera A.* Et ibidem ante finem, ait, non posse Minoritas ex vi regulæ intrare Monasteria Monialium collegialiter viuentium, etiamsi illæ non seruent clausuram. Quod idem docet Clypeus Monialium *in Enchirid. Minorum concluſ.* 2. §. *Additio.* Et fauet Miranda *in explicatione nostræ Reg. ad cap.* 11. §. *Quato a lo primero.* Vbi ait *in dicto cap.* 11. *Regulæ*, prohiberi ingressum cuiuscunque Monasterij Monialium viuentium collegialiter, & profitentium Regulam approbatam ab Ecclesia, cum obedientia Religiosa. At prædictæ Moniales militares, licèt promittant castitatem coniugalem, profitentur tamen in manibus Prælatæ, & seruant obedientiam Religiosam. Denique statuta generalia Minorum edita Segouiæ dum prohibent Minoritis intrare Monasteria Monialium loquuntur similiter, & ferè ad intentum: dum dicunt, intrantes etiam Conuentus Tertiariarum collegialiter viu en

uentium, esse transgressores nostræ Regulæ Franciscanæ.

COMMISSARIVS *Prouinciæ.*

1 HOc maximè spectat ad Ordinem Minorum, Hic fit duobus modis. Primus & magis visitatus est quando quis mittitur ad visitandam Prouinciam, & syndicandum Prouincialem. Circa quem primò nota incurrere excommunicationem illos qui prædictum Commissarium non recipiunt, vel perturbant in officio. Bullam Papæ citat Rodriguez *tom.* 1. *quæst. quæst.* 54. *art.* 4. Secundò etiam si in litteris Generalis vt plurimum illi committitur plenitudo potestatis, non intelligitur vt possit dispensare in statutis Generalibus, neque in rebus grauibus facere ad libitum inconsultis Diffinitoribus Prouinciæ: neque vt possit creare confessores, prædicatores, &c. sed attendenda est illa plenitudo potestatis, & mensuranda ad finem, visitationem scilicet; vt quo ad visitandum, & concernentia visitationem, habeant Commissarij plenam potestatem, vocandi scilicet, cogendi, &c. Videant illi sibi prohibita in statutis Generalibus. Et nouissimè R. P. Vicarius Generalis Antonius Treio, circa hoc fecit specialem declarationem.

2 Secundus modus Commissarij Prouincialis in Ordine Minorum est quando Generalis, vel Commissarius Generalis propter distantiam, vel confidentiam alicui Prouinciali actuali pro suo triennio dant commissionem particularem vt vltra iurisdictionem ordinariam Prouincialis habeant commissionem pro dispensandis aliquibus specialibus: & tunc videndus est tenor concessionis. Si enim solùm dicat quod concedit

dit illi plenitudinem poteſtatis, committitur illi vt poſſit diſpenſare ſolùm in illis ſtatutis in quibus poteſt Generalis, vt dandi licentiam extra Hiſpaniam, vel ad Curiam Romanam & ſimilia. Non poſſunt tamen tales Prouinciales facere id quod ſtatuta Generalia decernunt vt fiat cum Diffinitoribus, vel cum Capitulo, verbi gratia, non poſſunt priuare Guardianum, priuare incorrigibilem habitu, quemadmodum poteſt Generalis, de quo infra verbo *Generalis*. Imo neque poteſt facere contra ſtatuta Prouincialia abſque conſenſu Prouinciæ, vt decernunt ſtatuta Generalia Salmanticenſia *c.*8.Rodr.*cit.q.*54.*art.*1.*tom.*1.

ADDITIO.

Vide infra verb.*Prælatus num.*4.5.*&* 12.

IAM olim dixi hoc officium (ſaltem ſub hoc nomine) eſſe proprium pro Ordine Minorum. Vltra verò olim dicta, addo.

1 Quòd Greg. XIII. in ſua Bulla, quæ incipit: *Quoniam noſtro Paſtorali*, inter alia circa hos Commiſſarios ordinat, ac iubet, vt nullus Prouincialis poſſit mutare illa quæ ſalubriter, & rectè ordinata fuerint à prædictis Commiſſariis, niſi de ſpeciali licentia Miniſtri Generalis, (idem dic de Commiſſario Generali) qui prædictum Commiſſarium inſtituit. Et addit Sum. Pontifex quòd factum in contrarium ſit irritum, & nullum: vltra excommunicationem ante contra talia mutantes fulminatam. Eandemque cenſuram fulminat contra quoſuis Religioſos, vel Religioſas Prouinciæ, qui prædictis Commiſſariis reſiſtere, vel ſe opponere auſi fuerint.

2 Prædicti Commiſſarius, ſeu Viſitator non habet votum,

votum,seu suffragium electiuum in electionibus Prælatorũ, Ministri scilicet Guardiani, Abbatissæ,& similium,quia non est prælatus ordinarius,sed delegatus.Si tamen Prælatus Generalis prædictos Commissarios mittens illis in scriptis, concedat, quòd possint ferre suffragia in dictis electionibus, tunc poterunt habere tale suffragium;sic enim statutum est in Statutis generalibus Salmanticensibus, *tit. de Commissariis Prouinciarum,fol.*98.Quod puto niti huic fundamento.Nam sicut ex iure Canonico elector impeditus potest mittere Procuratorem, qui suo nomine in loco electionis pro se impedito suffragium ferat:ita Prælatus Generalis impeditus,neque veniens ad Capitulũ, vel congregationes,in quibus habet suffragium electiuum,potest committere huic Commissario Prouinciæ, vt tamquam procurator pro se suffragiũ ferat in illis electionibus quibus ipse Prælatus Generalis non interuenit.

3 Quid si ipse prælatus Generalis,qui misit hũc Cõmissariũ prouincialẽ,postea veniat ad Capitulũ,vel cõgregationẽ,& ibi simul adsit cum suo Cõmissario prouinciali:an possit talis prælatus Generalis ibi ferre suũ suffragiũ ex officio ordinario:& possit præterea dicere suo Cõmissario vt etiã ferat suffragiũ in electionib⁹,& sic dẽt suffragiũ generalis simul,& Cõmissari⁹ Prouinciæ?Saluo meliori iudicio,credo quòd nõ potest id cõmittere tali Cõmissario in sua præsentia.Moueor,quia verba prędicti Statuti Salmãticensis solùm vidẽtur loqui de dãdo suffragiũ tali Cõmissario in absẽtia prælati Generalis, quãdo scilicet prælatus Generalis nõ præest electionibus,sic enim habet statutum loquẽs de Commissario prouinciali: *No tendrá voto &c. sino es que el Prelado General que le embió le dá particular facultad para ello;pero podrerà procurar que no se elija alguno.* Nota vltima verba,quib⁹ ait,posse Cõmissariũ Prouincialẽ impę

impedire, ne aliquis indignus eligatur: ergo loquitur de Commissario prouinciali, quando ipse est Præsidens in electionibus, absente Generali Prælato: nam quando Generalis Prælatus adest, & præsidet, Commissarius Prouincialis non impedit, neque dirigit, nec gubernat. Secundò, quia si prædictus prælatus Generalis concedit suo Commissario Prouinciali vt pro se det suffragium sicut Procurator, vt diximus: Procurator non dat suffragium, præsente suo Prælato, cuius fuerat procurator, vt patet, aliàs vnus capitularis daret duo suffragia. Tertiò, quia hoc dato pateret locus fraudi, ac dolo: posset enim prælatus generalis mittere tres, vel quatuor Commissarios ad vnam tantùm prouinciam nimis dilatatam, maximè quando iturus est in alias partes negotiis vocantibus, & tunc in ista prouincia, in qua tres, vel quatuor fuere Commissarij Visitatores, ipse prælatus Generalis poterit præsens ferre suum suffragium, & simul committere tribus illis Visitatoribus Commissariis, vt ferant suffragium in electionibus: qua enim ratione potest id committere vni, potest & committere aliis, qui fuerunt veri Commissarij Visitatores: & sic accrescere faciet tria, vel quatuor suffragia in electionibus, quod vt plurimum non erit in bonum Prouinciæ: vel saltem inquietudo maxima poterit inde resultare.

COMMVNICARE.

Vide infra verbo *Sacramentorum administratio*, *à n.* 4.

COMMVNICATIO
Priuilegiorum.

Vide infra verb. *Priuilegium à num.* 19. *& sequentibus.*

1 ORdines Mendicantes ob varias iam conceſſiones communicant omnes ad inuicem in priuilegiis ſcriptis, vel per viuæ vocis oraculum, ita vt conceſſum, vel concedendum vni; concedatur & aliis. De quo latè Rodriguez citans conceſſiones ſeu confirmationes *tom.* 1. *quæſt-quæſt.* 55. Sunt verò Ordines Mendicantes hi; Prædicatorum, Minorum, Eremitæ S. Auguſtini, Carmelitæ, Serui B. Mariæ, Minimi, Societas IESV, S. Hieronymi Ieſuatorum, Carmelitæ diſcalceati, & hi omnes participant etiam priuilegia aliorum Ordinum non Mendicantium, Hoſpitalium, Congregationum, Confraternitatum illarumque perſonarum, etiamſi prædictis ſint conceſſa viuæ vocis oraculo. Compend. Societatis IESV ver. *Communicatio priuil.* §. 2. 3. & 5. & 6.

2 Cæteri Ordines non Mendicantes videant quid poſſint: ego verò audio iam omnes ferè participare in omnibus cum Mendicantibus, de quibus in particulari. Rodr. *cit. quæſt.*

3 Moniales S. Claræ, primæ & ſecundæ regulæ. Item Dominicanæ, gaudent priuilegiis conceſſis Minoribus, ac Dominicanis. Rodriguez *citat. quæſtion. art.* 13. & è contra Minores gaudent omnibus priuilegiis conceſſis ipſis Monialibus S. Claræ. Compend. ver. *Communicatio priuil.* §. 14. vide etiam infra ver. *Moniales, num.* 11.

4 Tertiariæ Moniales viuentes in Congregatione, ſi ſint ſubditæ Minoritis gaudent illorum priuilegiis: Si verò illis non ſunt ſubditæ, non participant Minorum priuilegia. Rodriguez *artic.* 14. & Miranda *quæſt.* 2. *de Monialibus art.* 4. *concl.* 6. vide infra verbo *Tridentin. num.* 3. & 8. Et adde quod quod quæcumque Moniales fuerint commiſſæ regimini Minorum, etiam ſi non ſint S. Claræ, neque Tertiariæ, gaudent illorum priuilegiis

Digitized by Google

legiis conceſſis,& concedendis. Compend. Minorum ver.*cit.*§.4. vnde Moniales Conceptionis in Hiſpania, quæ non ſunt S.Claræ : & Moniales S. Ioannis in oppido de Eſtremoz in Portugallia, quæ etiam non ſunt S. Claræ , quia tamen ſunt ſubiectæ regimini Minorum , gaudent omnibus priuilegiis Minorum modo prædicto. Et idem dices de aliis ſi quæ fuerint huiuſmodi.

5 Patres Societatis IESV habent aliqua priuilegia cum limitatione , ne ſcilicet illis aliqua Religio communicet. Vt quod poſſint illorum Religioſi ordinari abſque interſtitiis , & extra tempora abſque examine de cantu à quouis Epiſcopo : & ſimilia. Quod verò non obſtante tali reſtrictione cæteri Mendicantes communicent etiam in illis priuilegiis tenet Rodriguez *citata quæſt.*55. *art.*17. & Frater Ioann. à Cruce *in ſua Epitom.priuileg.lib.*2.*cap.*4.§.2.*ſequitur* : propter amplam confirmationem,& extenſionem priuilegiorum factam à ſequentibus Pontificibus. At negat Suarez *tom.de legib.lib.*8.*cap.*17.*prope finem*:& ego propter rationes ipſius efficaciores cum eodem ſentio. & ſic conſulo abſtinendum.

Illud verò omnes concedunt quod quando Summ. Pontifices conceſſerunt priuilegia Societati IESV, tali modo vt ſubditi illius non communicent illis niſi concedantur illis à ſuo Generali:hæc limitatio non ligat alios Mendicantes : ſed inconſulto ſuo Generali gaudent illis priuilegiis. Tenet Miranda *tom.*2. *q.*46. *art.*5.*ad finem* & alij.

6 Communicatio priuilegiorum intelligitur de priuilegiis conceſſis tum Ordini in communi : tum Religioſis in communi : tum domibus ſeu Conuentibus: non verò de priuilegio conceſſo vni Religioſo in particulari.Miranda *cit.quæſt.art.*7. & alij. Vnde conceſſa

vni

vni Conuentui vnius Religionis, conceduntur toti Ordini illius Conuentus. Et proinde ratione illius Cõuentus & Ordinis communicant omnes participantes. Est communis: & in praxi propter priuilegium cõcessum a Clement. VIII. Conuentui S. Stephani Salmanticensi Prædicatorum, vt recipiant Nouitios absque præuia informatione facta (de quo infra ver. *Nouitius*) tota Religio Prædicatorum gaudet illo priuilegio: & gaudent proinde omnes alij Mendicantes. Indulgentia tamen concessa vni Conuentui non sic communicatur ab aliis: quia Indulgentia non est priuilegium. Vnde Indulgentia nostræ Portiunculæ non communicatur aliis Ordinibus Mendicantibus.

7 Concessa Ordini Prædicatorum pro festiuitatibus sanctorum illius Ordinis Dominici, Thomæ, & cæterorum: sunt etiam concessa Ordini Minorum pro festis similiter sui Ordinis, etiam si Francisci canonizati sint plures: hoc præcipuè intelligitur pro suspensione interdicti, de quo infra. Sic Iulius II. concessit apud Rodrig. *cit. q. art.* 20.

8 Quando priuilegium vni Ordini concessum repugnat obseruantiæ alterius Ordinis, iste Ordo cui repugnat non potest vti illo priuilegio. Greg. XIV. apud Rodrig. *art.* 22.

9 Si vna Religio participat priuilegium alterius Ordinis cui primò fuit concessum, ista Religio participans potest se defendere per tale priuilegium contra illum Ordinem cui tale priuilegium fuit primò concessum: iam enim tale priuilegium factum est proprium istius secundi Ordinis per concessionem Papæ. Rodrig. *art.* 21. Exemplum. Si priuilegium non ædificandi intra canas 300. fuit primò concessum Minoritis, vt prope illorum Conuentus id non fiat: postea si Minoritæ velint ædificare prope Minimos intra di-

ctum ſpatium, Minimi defendent ſe contra Minores per idem priuilegium primò conceſſum Minoribus: quia iam illud factum eſt proprium Minimorum per communicationem: neque hoc eſt priuilegiatum agere contra priuilegiatum, vt dicetur infra verb. *Priuilegium.*

Hoc tamen non habet locum quando familiares vnius Ordinis gaudent priuilegio alicuius Ordinis dependenter ab illo Ordine: non enim familiaris poteſt ſe defendere contra Ordinem cuius eſt familiaris: quia priuilegium illud non eſt factum proprium illius familiaris; quemadmodum priuilegium factum eſt proprium Ordinis ſecundi participantis.

10 Religioſi communicantes in priuilegiis non proinde communicant in pœnis, & prohibitionibus alterius Ordinis. Vt ſi in vna Religione lata ſit excommunicatio papæ contra ſubornatores: hæc non extenditur ad alios Ordines, quia excommunicatio non eſt priuilegium neque fauor, ſed pœna. Et odia ſunt reſtringenda, & fauores ampliandi. Capucin. *Addit. ad Compendium, 1 par. fol.* 201.

11 Quamuis vna Religio non vtatur vno priuilegio ſibi conceſſo ob non vſum, vel quid ſimile: poteſt tamen alia Religio communicans vti illo priuilegio; papa enim non concedit vſum priuilegij: ſed ius vtendi illo priuilegio. Mirand. *cit. quæſt.* 47. *art.* 8. Si autem aliquod priuilegium in aliqua Religione legitimè ſit præſcriptum, nec poſitum omnino in vſu, non poterit illo vti talis Religio. Vtetur tamen alia Religio etiam participans in qua non eſt præſcriptum. Rodriguez *cit. q.* 55. *art.* 19. Cætera vide infra verbo *Priuilegium à num.* 18. *& ſequentibus.*

CON

CONCEPTIO DEI PARÆ MARIÆ.

Vide omnino infra verb. *Hæresis numer.*8. & verb. *Interdictum num.*3.

VIso quod hæc materia sit valde pertinens ad Religiosos propter Bullas Pontificias denuo editas circa illam; non erit præter intentum, neque inutile sequens adnotatio.

Igitur tribus, vel duobus abhinc annis, quidam Doctor Hispanus Cæsarauguſtæ, parùm doctus, vel saltem parum deuotus erga Deiparæ Matris immaculatam Conceptionem, inter alias absurdas propositiones quas euomuit, fuit hæc vna: videlicet, esse omnino illicitum, & nullo modo tolerandum, facere iuramentum, vel votum publicum in Academiis, vel confraternitatibus, vel in populo communi, per quod talis Academia, confraternitas, vel communitas iurent, & voueant se defensuros quoad poterunt, Deiparam caruisse peccato originali. Ego tunc de mandato Superiorum respondi vt potui ad illas omnes propositiones & præcipuè quæstionem tractaui, in qua probaui prædictum iuramentum, & votum esse licitum, & laudabile, & carere vmbra peccati: & quoniam video deuotionem illam iurandi alicubi practicari, & incrementa suscipere, volui hoc loco per summam ponere id quod olim fusius dixi ad prædicti iuramenti defensionem, & incrementum.

1 Prædictum iuramentum, & votum esse licitum, & laudabile: probo primò Theologicè. Nam illud quod est materia voti, est etiam materia iuramenti, vt videri poterit apud Theologos, in materia vtriusque, maximè Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*1. *cap.*1. *& seqq.* & alios.

maximè Sayro *lib.8.Clau.Regia cap.*7. vbi agit de Iuramento,& *lib.6.c.3.* vbi agit de Voto:& probatur,quia omne votum potest iuramento confirmari:ergo materia vnius,est etiam materia alterius.Constat verò apud omnes actum pium, religiosum, & laudabilem esse materiam voti: ergo talis actus erit etiam materia iuramenti. Tunc sic: sed iurare,vel vouere me defensurum opinionem Scoti circa carentiam peccati originalis in Deipara, est actus pius,religiosus, & laudabilis:ergo est materia iuramenti: probanda est minor per partes.

2 Quod ergo prædictum iuramentum sit actus pius: probo: quia virtus,pietas,est quæ colit Deum,parentes,& alios habitos loco parentum,vt Doctores fatentur,& Calepinus hoc verb.*Pietas.* Sed Deipara habita à nobis loco parentis honoratur, & colitur, dicendo illam caruisse originali, vt constat, & è contra, non colitur,dicendo illud habuisse:ergo defendendo illam ab originali, est actus pius. Secundò, probo ex dicto Sixti V. Sum. Pontificis, qui in Bulla relata à Rodrig. in Bullario, *fol.* 1143. vbi concedit Minoritis posse recitare Officium cum octaua in festo Conceptionis, prius ibi vocans Conceptionem Deiparæ purissimam: & hanc peterent Minoritæ celebrare cum octaua: ait.Papa: *Nos tam pium, & laudabile propositum fouere volentes, &c.* Ecce Sum. Pontifex vocat actum pium,velle celebrare Conceptionem istam vt purissimam.

Quòd verò defendere Deiparam ab originali, permittente,& fauente Ecclesia,sit actus Religiosus,tenet expresse Bellarminus *tom.1. controu.lib.3. de cultu Sanctorum, cap.16.§. Neque rationes.* Vbi ait colere Sanctos esse actum duliæ, & Religionis, non vt sumitur Religio strictè,sed vt Religio communis,quæ respicit etiam

etiam Sanctos. Quis autem neget, defendere Deiparam ab originali esse cultum illius, & decorem illius? Cùm sit potius macula, seu renouare maculam illius, dicere quod fuerit illo infecta? Quòd denique iste actus sit laudabilis, iam patuit ex Bulla citata Sixti V. vbi dicere Officium de purissima Conceptione, vocat actum pium, & laudabilem. Et confirmantur hæc omnia: nam si laudare aliquem Sanctum, quod numquam peccauerit mortaliter, actualiter, vel quod rarò peccauerit, est actus pius, & laudabilis: talis etiam erit asserere Deiparam numquam habuisse peccatum etiam actuale, vel originale.

3 Secundò principaliter probatur quòd talis actus sit materia voti, & iuramenti, applicando cæteras conditiones requisitas ad materiam voti, & iuramenti. Prima est, quòd non sit de materia impossibili. Secunda, quòd nõ sit de re indifferẽti. Tertia, quòd nõ sit res mala. Quarta, quòd sit res melior quàm opposita. Quinta, quòd non sit impeditiuum maioris boni. Quæ omnes conditiones reperiuntur in asserendo Deiparã caruisse originali. Nam hoc non est impossibile, vt Scotistæ probant fuisse Deo possibile: nec Thomistę negant. Secundò, hic actus non est res indifferens ad bonum, & malum: sed resolutè est actus pius, laudabilis, vt supra vidimus. Tertiò, non est res mala ob proximè dicta, sed bona, & laudabilis, permittente Ecclesia, imò fouente. Quartò, iste actus, dicere Deiparam caruisse originali, est melior ad honorem Deiparæ, quàm oppositus, nempe asserere illud habuisse. Quintò, iste actus non est impeditiuus maioris boni, tale enim bonum non dabitur: ergo iste actus est materia voti, & proinde iuramenti: ac proinde valde licitus, & honestus.

4 Tertiò, probatur ex praxi: multis enim iam ab hinc annis, ducentis videlicet, nobilis Academia Parisien-

sis in more habet tale iuramentum postulare ab omnibus Doctorandis, vt multi Doctores referunt tamquam rem toto orbe notissimam, maximè Canisius *lib.1. de Beata Virgine, cap.7. fol.36.* Et de aliis Academiis refert etiam Suarez *tom.2.de Incarnat.disputat.3. sect.2.* Et in aliis Communitatibus, vt Cæsaraugustæ, Eboræ à senatu sæculari, id est, à Camera in maiori Ecclesia congregata: & alibi. Iam verò mirum est, quòd si tale iuramentum, vel votum est malum, vel peccatum inuoluens, tot ab hinc annis tot Doctores Parisienses, tot viri doctissimi alianum vrbium tale peccatum non-cognouerint, nec aduerterint, & quod maius est, tot Summi Pontifices à tot annis illud scientes tale iuramentum non prohibuerint, tamquam malum Ecclesiæ. Et tamen constat nihil horum euenisse.

5 Quartò probatur ex miraculis factis à Deo ad confirmandam istam actionem, defendendi scilicet Deiparam ab originali. Refert Bernardinus de Bust. in suo Marial. *serm.7. de Conceptione 2. p. fol.28. col.2.* Quod quidam pater doctissimus ex familia Dominicana, cùm prius valde impugnaret Conceptionis immunitatem, in morbum incidisset, cúmque spem vitæ non haberet ob morbi grauitatem, votum fecit de mutanda opinione, & Deiparæ immunitate defendenda absque originali, si tamen obtineret salutem: & statim conualuit à morbo. Et *serm.9. de Concept. part.3. fol.40. littera I. 1. parte*, refert illud ferè simile de quodam viro pio, ac deuoto, qui infirmatus ad mortem, iussit apponi in limine domus suæ scriptam tabulam, qua dicebatur Deiparam caruisse originali; quo facto sanitati redditus est. Tertium adhuc patentius miraculum refert noster Cartagena *tom.1. B. Mariæ, libr.1. hom.19. prope finem*, vbi dicit, nostrum magnum Alexandrum

xandrum de Ales, cùm adhuc esset Doctor sæcularis, impugnasse immunitatem Virginis ab originali: cúmque paulo post infirmaretur ad mortem, desperata sanitate, votum vouit, quòd si à morbo sanaretur, illam defenderet; sanitatem obtinuit. Quid potest ampliùs desiderari. Ecce tria miracula facta in fauorem huius actionis qua defenditur Deipara ab originali. Et quod adhuc maius, & clarius est, ecce tantus Doctor qualis fuit Alexan. Ales, fecit hoc votum; non vtique facturus, maximè morti proximus, si videret actum istum esse malum, vel non esse materiam voti. Quod si est materia voti, & vtique etiam iuramenti, vt supra visum est. Vltimum miraculum est, quod refert Petrus Nunnez à Castro in suo Sancturali Seraphico, *fol.* 79 *col.* 2 *in fine*, de imagine lapidea, quæ Parisiis eunti ad disputationem publicam nostro Scoto pro defensione illius ab originali, & ipsi Scoto illius opem inuocanti, imago lapidea caput inclinauit. Cùm ergo Deus non confirmet opus malum miraculis, sed potius puniat publicè aliquando: sequitur non esse illicitum tale iuramentum, vel votum emittere Academiis, confraternitatibus, & communitatibus, quibuscunque etiam sæcularibus: sed potius esse opus pium, honestum, ac proinde meritorium: per quod non est mens reprobare, vel infamare opinionem D. Thomæ ab Ecclesia permissam cum moderatione tamen à Summo Pontifice Paulo V. nuper opposita. Hæc sufficiant pro nunc: multa enim de hoc ipso dixi olim, & possem dicere. Et hæc dixi ad tollendum metum volentium prædictum exigere, vel constituere iuramentum, aut votum.

6 Redeuntes tandem ad nostrum intentum, & morem compendij, (quod non omisimus) in hoc Regno Portugalliæ, anno 1619. mense Maij, de mandato si-

premi,& Generalis Inquisitoris edicto publico, ex decreto(sicut aiebat edictum)Sum.Pontif.Pauli V.Pontificis maximi,condénata fuit ista propositio inter alias; videlicet. *Festum Conceptionis immaculatæ,etiam in particularibus Ecclesiis inconsulto Pontifice quondam institutum,sic eius immunitatem ab originali contuncit,vt ei falsitas subesse non possit.Vnde quamuis eam de fide institutio huiusmodi festi definire non potuerit,inter veritates tamē ad fidem pertinentes collocauit.Quare verum subiret martyrium,qui pro defensione eius moreretur.* sic ibi.Et meritò quidem damnata est prædicta propositio:tres enim in summa continet errores.Primus est,quòd non possit subesse falsum opinioni Scoti de immunitate Deiparę ab originali.Est enim manifestus error etiam in Logica,& philosophia,nam si talis immunitas Deiparæ adhuc est sub opinione, & Summi Pontifices,& omnes Doctores etiam Scotistæ,illam appellent opinionem, non definitionem,neque certitudinem scientiæ, error est, etiam in Logica, dicere huic opinioni non posse subesse falsum,quemadmodum potest euenire in quauis opinione quandiu pro opinione reputatur. Vide infra verb. *Hæresis n.*8. Secundus error propositionis fuit, dicere quòd celebratio festi Conceptionis in Ecclesiis, collocauit opinionem Scoti inter veritates Fidei,licèt non fuerit definita de Fide. Si enim per te (ô Author propositionis) ista opinio est collocata inter veritates Fidei:ergo iam est de Fide. Non enim video, imò nec intelligo discrimen inter hoc quod est, rem collocari inter veritates pertinentes ad Fidem, & rem esse de Fide. Opinio autem Scoti de Fide nullo modo est. Et proinde author ipse sibi est contrarius dum dicit opinionem Scoti non esse de Fide, & collocari inter veritates Fidei. Tertius tandem error dictæ propositionis fuit quòd hodie moriens pro defendenda Deipara

para ab originali, verum subiret martyrium. Est, inquam, error, quia cùm prædicta propositio non sit de Fide, non potest dici Martyr occisus pro illa non definita de Fide.

7 Obiicis; non solùm est verè Martyr moriens pro defensione Fidei Theologalis: sed etiam moriens pro quauis virtute, vt pro castitate, immunitate Ecclesiæ, & similibus, vt omnes Doctores fatentur, & seruat praxis Ecclesiæ, in canonizandis Sanctis Martyribus: at supra dictum est; defendere Deiparam ab originali esse actum pium, religiosum, laudabilem, & proinde est actus virtutis. Ergo moriens pro isto actu, moritur pro actu virtutis, & proinde est verè Martyr. Respondeo, Papam ibi propriè damnare illud dictum ad mentem Doctoris, cuius mens fuit dicere taliter morientem mori pro defensione Fidei: constat hæc mens authoris, quia paulò ante dixerat opinioni Scoti non posse subesse falsum: dixerat item hanc opinionem Scoti esse collocatam inter veritates ad fidem spectantes, cùm ergo dixit morientem pro hac veritate fore Martyrem, intellexit, quia moriebatur pro Fide, vel pro re quæ apud illum erat fere de fide. Et hoc præcipuè voluit Papa damnare, dicens talem non esse Martyrem mortuum pro Fide. Secundò dico, neque taliter morientem esse verè Martyrem, licèt moriatur pro actu pio, religioso, & actu qui aliàs est actus virtutis. Virtus enim pro cuius defensione moriès, dicendus est Martyr, debet esse virtus certa, & omnino indubitata, cui ex parte materiæ, vel obiecti non possit subesse falsum: qualis est castitas, immunitas Ecclesię, prudens obiurgatio vitiorum, sicut in Ioan. Baptista, quia in his actibus virtutū nō potest subesse falsum: cū sint virtutes indubitatæ. Si verò actus sit dubius, seu opinatiuus, vel virtus aliqua nitatur opinioni, tunc actus aliquis

exercitus ab aliquo circa talem virtutem putatam, erit quidem pius, laudabilis, & meritorius: saltem ex bona fide operantis, non tamen erit actus virtutis, certæ, & in dubitatæ, cui ex parte materiæ non possit subesse falsum. Et proinde talis actus sufficiet ad meritum, non verò sufficiet ad martyrium: pono exemplum. Iustus aliquis requiritur ab hæreticis, vt faciat certum opus quod alias est licitum, & potest fieri; vel saltem non certò constat esse peccatum: taliter iustus renuit facere putans inuincibiliter quod illud facere, sit peccatum: & ideo dicit se velle mori pro omissione illius actus faciendi, quam omissionem pro tunc putat esse actum virtutis: taliter moriens ex parte subiecti sui ipsius operantis bona fide propter Deum habebit meritum virtuosum (vt ita dicam) ex opere operantis, non tamen erit Martyr verus, quia ille actus non est actus virtutis à parte rei, cui ex parte obiecti potest subesse falsum. Eodem modo colens Deiparam vt carentem originali, facit actum pium, & virtuosum: quia tamen hic actus non cadit supra obiectum indubitatæ virtutis, sed opinatiuæ, seu quæ est sub opinione, cui proinde potest ex se subesse falsum non sufficiet ad martyrium, licèt sufficiat ad meritum ex pia intentione operantis, & propter magnam probabilitatem opinionis Scoti tot miraculis, & Doctoribus confirmatam: quæ miracula Doctores, & rationes, & fauor Ecclesiæ multum iuuant, vt sequens opinionem, & defendens Deiparam ab originali, dicatur piè, prudenter, religiosè, & proinde virtuosè operari. Non tamen iste actus virtutis erit sufficiens ad martyrium, quia non exercetur circa virtutem indubitatam, sed fundatam in opinione. Martyrium enim non attenditur penes intentionem morientis, sed penes opus indubitatæ virtutis, pro qua moritur.

§ De

8 De moderatione verò circa opinionem D. Thomæ in publico non defendendam; vide quæ dixi olim ver. *Prædicatores*: An verò possint in concione refutare opinionem D. Thom. assignando rationes contra illam, iuxta Bullam Pij V. ibidem citatam, vidi postea Comitolum è Societate IESV, qui *libr. 6. Respons. Moral. quæst. 40.* ponit casum sequentem, qui contigit in ciuitate Perusij in Italia, in quo ipse fuit vocatus iudex. Quidam concionator in concione dixit: Deiparam caruisse originali: & aliquibus rationibus probauit: simulque subdocuit qualiter possent infirmari argumenta partis oppositæ: at considerate non fecit mentionem expressam argumentorum partis oppositæ, quæ tamen ex dictis à se poterant dissolui. Fuit accusatus talis prædicator apud Vicarium Generalem tamquam violator Bullæ Pij V. quo citato ait Comitolus in concilio Theologorum ad id vocatorum se adfuisse, & suffragium dedisse, quòd prædictus concionator non violauerit Bullam Pij V. Non enim disputauit proponendo clarè argumenta opposita, quod solùm prohibet Pius V. Solùm enim prohibet ne rationibus confirmemus opinionem Scoti adducendo, & soluendo argumenta contraria. Per accidens verò erit si probando opinionem Scoti non citando argumenta contraria, dicamus aliqua vnde soluantur opposita argumenta. Nam, vt bene ait Comitolus, semper in confirmatione vnius opinionis, siue in confirmatione vnius partis quæstionis virtualiter continetur infirmatio partis oppositæ: & hanc confutationem tacitam seu virtualem non prohibet Pius V. si argumenta contraria taceantur: nec probationes adhibeantur ad soluenda opposita argumenta directè. Et concludit Comitolus prædictum concionatorem fuisse absolutum, & innocentem quoad hoc iudicatum.

9 Tan

9 Tandem Gregor.XV. anno 1622. die 2. Iunij, sub excommunicationis sententia, & aliis pœnis mandauit ne opinio D.Thom.etiam in priuatis colloquiis,vel scriptis practicetur,vel defendatur.Et quod omnes recitantes D. Officium illa die, dicant in officio sub nomine Conceptionis,& non Sanctificationis:quicunque illi sint Clerici,vel Regulares.

CONCILIVM TRIDENTINVM.

Vide infra *Tridentin.Concil.*

CONFESSOR REGVLARIS, *eiusque præsentatio.*

1 SEmel legitimè præsentatus,& approbatus, non tenetur amplius eidem Episcopo se præsentare:neque idem Episcopus potest illum amplius reprobare.Secus si culpæ superueniant.Henriq.*lib.3.de pœn. cap.6.§.6.*cum multis citatis in gloss.Episcopus tamen successor potest iterum examinare iam approbatum. Henr.*ibid.litrera S.*& est communis.

2 Quando Episcopus,sine causa,vel maleuolè repellit à cõfessionibus Regularem præsentatum,clarè idoneum,vt graduatum in Theologia vel similem,talis repulsus manet approbatus ab ipso Papa , & ipso iure. Henriq.*cit.c.6.§.4.*& Rodrig.*tom.1.q.59.art.1.*

3 Si Episcopus sine causa , & pro consuetudine regulares clarè idoneos non approbet , nisi ad tempus vnius anni. Et hoc faciat omnibus : possunt tales idonei non stare illi approbationi annuali , sed habere se pro approbatis in perpetuum. Rodrig. *cit. q.art.8.cum* Henriq.*cit.loco.*Secus si talem approbationem annualem det propter sufficientiam examinati quo ad vs-

que

Digitized by Google

què plus discat. Aut si id facit vt restringat pro vno oppido, vel pro solis fœminis: vel certo genere hominum. Talis enim restrictio fundata in insufficientia examinati, valet. Rodriguez vbi proximè *articulo* 4. Si verò clarè idoneum Episcopus approbet pro solis hominibus, non verò pro fœminis, eo quòd non habeat quadraginta annos ætatis, ait Vega verbo *Confessor casu* 7. quod validè poterit fœminarum confessiones audire: & quod de hoc consuluit viros doctos.

4 Regularis approbatus pro vna Diœcesi non manet approbatus pro alia, vel omnibus: sed indiget approbatione secundi Episcopi. Per Bullam tamen Cruciatam vel Iubileum, vel aliam similem generalem per quam conceditur electio Confessoris approbati potest prædictus confessor in vna Diœcesi approbatus, eligi in aliis pro tunc tantum. Henriq. *cit. c.* §. 7.

5 Confessor approbatus pro vna Diœcesi exiens ab illa, potest alibi audire confessiones viuentium in illa Diœcesi pro qua est approbatus, si illuc accedant Rodrig. *tom.* 1. *q.* 60. *art.* 5.

6 Idem Confessor Regularis potest in Diœcesi pro qua est approbatus audire confessiones omnium fidelium exterorum vndequaque venientium. *art.* 6.

7 Confessores Societatis IESV, & cum illis communicantes, itinerantes siue mari, siue per terram; quamuis per aliquot dies morentur in aliquo loco (non repugnantibus Parochis) possunt prædicare, & audire confessiones fidelium, etiam si ibi non sint præsentati: dummodo tamen in illo loco non sit Episcopus. Quia tunc illius licentia debet obtineri: adde quod huius rei gratia non deflectant à recto itinere. Compendium Societatis, verbo *Confessarius.* §. 2. & Henriq. *cit. cap.* 6. *num.* 8. *littera I. in gloss.*

8 Regularis approbatus à suo Prælato, & Episcopo potest valide audire confessiones illorum pro quibus est approbatus, etiam contradicente Parocho, & hoc in Ecclesiis Regularibus. Rodrig. *cit. q.* 60. *art.* 4. In Ecclesiis verò Parochorum debet petere licentiam : sed quidquid sit de peccato in non petenda ibi licentia, credo quod confessio valida erit.

9 Potest Prælatus suum subditum confessorem approbatum, priuare confessionibus ob culpam : si verò existente tali priuatione confessor audiat confessiones, erunt inualidæ. Henriq. *cit. cap.* 6. *n.* 6. *littera T.* & Rodriguez *citata quæst. art.* 2. §. 2. *dico.* Si verò Religiosus approbetur ab Episcopo ad confessiones sæcularium, idque sine licentia sui Prælati, si in tali Ordine sit statutum annullans confessiones taliter factas, illarum absolutiones sunt nullæ : si verò in sua Religione non sit tale statutum eas annullans, prædictæ confessiones sunt validæ. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 47. *art.* 12. ex Bulla Iulij III. At Rodriguez *cit. quæst. art.* 3. absolutè, vt videtur, tenet quod prædictæ confessiones sunt nullæ, si approbentur inscio Prælato. Et ego idem sentio ; quia Clementina *dudum. de sepulturis.* in præsentandis confessoribus Minorum & prædicatorum, id innuit, dum ait quod prius eligantur à Prælatis suis &c. & nimis in hoc negotio tribuit electioni, & licentiæ Prælatorum tamquam conditioni sine qua non.

CONFESSOR ERGA RELIGIOSOS.

10 DEbet Confessor Regularis pro confessionibus Regularium habere approbationem sui Prælati, vt patet: & iuxta illam pro loco & tempore se debet habere iuxta morem sui Ordinis. Vide ver. *Nouitius n.* 36.

11 In

Digitized by Google

11 In Ordine Minorum quilibet Frater approbatus est idoneus confessor pro quolibet Fratre sui Ordinis, Rodriguez *tom. 1. quæst. quæst. 21. art. 3.* Excipe tamen si in aliqua Prouincia Minorum sit statutum ne Fratres illius Prouinciæ confiteantur extra Fratres illius Prouinciæ. Per statuta enim generalia Tolletana, *titulo de absolutione* ex Clemente IV. dicitur quod circa confessiones Fratrum seruentur statuta Religionis: ac proinde tunc confessio facta Fratri alterius Prouinciæ erit nulla: quia statuta Prouincialia sunt etiam statuta Ordinis ab illo permissa, & approbata. Idem dicendum si in aliqua Prouincia sit statutum vt tales Confessores illius sint solùm Confessores pro Fratribus Sacerdotibus illius: vel pro solis Fratribus illius: tunc enim prædicti Confessores non poterunt audire confessiones Fratrum alterius Prouinciæ, neque Fratrum suæ Prouinciæ, si non fuerint Sacerdotes. At quando non est tale statutum, & consuetudo promiscua, & tolerata viget, fiet id quod supra citauimus ex Rodriguez.

12 Minoritis, & ferè omnibus aliis, prohibitum est confiteri Clerico sæculari, vel Religioso alterius Ordinis. At si sint extra Conuentum itinerantes, neque habent Confessorem Ordinis, & obliti sunt petere licentiam confitendi extraneo Confessori; poterunt id facere extra Conuentum, quia quando licentia datur ad itinerandum, in illa includitur licentia confitendi Sacerdoti extraneo attenta fragilitate naturæ humanæ, & necessitate celebrandi; si tamen subditus ante egressum præuideat, tenetur petere talem licentiam.

Circa quod primò nota, quòd oblata necessitate graui celebrandi extra Conuentum si habeat peccatum mortale, & non habeat nisi confessorem sæcularem, tenetur illi confiteri; & non poterit celebrare cum

cum sola contritione; quia hic militat præceptum diuinum,& Ecclesiasticũ generale confitendi, quod præualet præcepto positiuo Religionis non confitendi extraneo.

Nota secundò, iuxta omnes in tali casu prædictum Confessorem sæcularem non posse absoluere hunc Religiosum ab aliquo reseruato, quia non habet ad id authoritatem: idem dic de Confessore Regulari alterius Ordinis. Sed quæris, num Religiosus hic extra Conuentum positus habens omnimodam necessitatem celebrandi, carens Confessore Ordinis: habet tamen peccatum reseruatum;& habet à suo Prouinciali authoritatem passiuam, vt absoluatur à reseruatis, toties quoties: an, inquam, hic in tali casu possit absolui à Clerico sæculari à reseruatis? hoc dubium apud nullum reperi decisum: ego saluo meliori iudicio, credo quòd poterit,& valebit absolutio ita, vt non indigeat alio recursu. Probatur, quia tunc Clericus Confessor est legitimus Confessor absoluens à mortalibus non reseruatis: maximè si ante egressum petita est ad hoc licentia sine fraude:& præterea subditus hic potest validè absolui à quouis legitimo Confessore, à reseruatis propter licentiam Prouincialis: ergo nihil deest ad validam absolutionem tunc à reseruato illo. Vide numero proximè sequenti hoc magis probatum.

13 Martinus V. concessit Patribus sancti Hieronym. in Hispan. vt existentes extra Conuentum possint eligere Confessorem Regularem, vel sæcularem, qui eos absoluat in omnibus casibus à quibus absolui possent existentes in Monasterio. In Compend. dicti Ordinis ver. *Absentes à Monasterio*. §. 10. & eod. Compend. ver. *Absoluere*. §. 2. illis conceditur, vt absentes à Conuentu possint absolui per Confessorem sæcularem, ab omnibus casibus excommunicationis,& aliis qualitercumque

cumque incursi reseruatis Episcopis per ius, siue per constitutiones, siue per consuetudinem. Sed nota quod per hoc non conceditur absolutio à reseruatis Prælatis Ordinis.

14 Regularis extra Conuentum habens licentiam confitendi cuiuis Confessori approbato potest confiteri Confessori alterius Ordinis, qui est Confessor tantum Fratrum, & nõ sæcularium. Nam Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15.* quando in Confessore requirit approbationem Episcopi, loquitur tantùm de confessionibus sæcularium etiam Sacerdotum. Nihil verò loquitur de confessionibus Religiosorum adinuicem, vnde cum talis Confessor, de quo proximè, sit approbatus pro Regularibus, & Prælatus subditi id non vetet, imò virtualiter permittat in illo verbo generali (*Confessori approbato*) valida videtur talis confessio. Si verò non fuerit prædictus Regularis Confessor Fratrum in suo ordine: tunc non poterit, quia est simplex Sacerdos. Rodriguez *tomo prim. quæstion. 62. articul. 4.* & clarius Nauarr. *in Summ. Latina capit. 4. §. in postrema.* Et Suarez *tom. de pœnitent. disputat. 28. section. 4. numero quinto*, vbi ait cum Nauar. posse Prælatum dare licentiam subdito itineranti, vt confiteatur cuilibet Sacerdoti idoneo, non approbato ab Episcopo: quibus verbis innuunt ambo posse Prælatum dare licentiam subdito itineranti, vt confiteatur simplici Sacerdoti aliàs idoneo, non approbato ab Episcopo. Idem tenet Fr. Ioan. à Cruce *in sua Epitom. priuil. lib. 1. cap. 6. §. Nota idoneum.* & Vega Minimus *in Sum. 1. par. verbo Confessor, casu 2.*

At non possum consentire cum eo quod ait Vega, *citato loco, casu 3.* videlicet, quod si Prælatus mittat extra Conuentũ duos Fratres quorũ neuter est Cõfessor Fratrum, sed sunt Sacerdotes simplices ambo, posse hos

Digitized by Google

ambos extra Conuentum se audire de confessione
inuicem, ex virtuali licentia Prælati iubentis illos iti-
nerari. Et arguo ad hominem, quia ille *citato casu 2. præcedenti*, ait non posse Fratrem itinerantem confiteri alteri Religioso alterius Ordinis nisi sit Confessor Fratrum: ergo neque id poterit facere cum Religioso eiusdem Ordinis qui non est Confessor Fratrum. Si vero instes; quod potest Prælatus ex Nauarr. & Suarez *citatis proximè*, dare licentiam subdito itineranti vt confiteatur Clerico non approbato, ac proinde poterit dare licentiam virtualem, vt confiteatur Regulari simplici Sacerdoti eiusdem Ordinis. Respondeo primò attendendam esse praxim Religionis: in nostra enim Franciscana, in qua frequentiores sunt egressus similium Fratrum Sacerdotum simplicium, hoc nunquam vidi practicari, & res omnino noua apud nos videbitur: maximè quia Guardianus apud nos non potest facere cum sua licentia Confessores Fratrum, sed id solus Prouincialis potest facere. Dico secundò quod si in aliqua Religione vel prouincia, obtinuit consuetudo ita faciendi non condemnabo, quia habet supradictum fundamentum pro se sumptum ex Nauarr. & Rodriguez, & Suarez. Et praterea illud pro tunc non est Prælatum localem approbare in Confessorem absolutè: sed vti epichea, & vti illo quod secundùm ius commune aliàs posset facere nisi foret restrictum, sed pro nunc videtur concessum. Sed tamen, vt dixi, apud Franciscanos non consulo propter rationem tactam, & inauditam consuetudinem.

15 Potest Confessor Regularis ex Mendicantibus semel in vita, & in articulo mortis suos consubditos absoluere ab omnibus casibus, & peccatis plenariè nullo casu excepto cum omnimoda authoritate: ac dispensare cum illis in omni irregularitate excepta illa

illa quæ oritur ex homicidio voluntario, & bigamia, & mutilatione membri. Et idem possunt circa Moniales, & Nouitios habentes propositum profitendi. Rodr. *tom.* 1. *quæst.* 62. *art.* 6. & Compend. D. Hieronym. verbo *Indulgent. plenaria.* §. 7. addit quod cùm aliquis Fratrum in dementiam, siue letargum inciderit, vel loqui non poterit, quiuis presbyter Regularis, vel sæcularis tunc illum absoluat pro ista concessione. Addit tamen Collector Priuilegiorum Minorum verbo *Absolutio extraordinaria quo ad Fratres*, quod vt tunc licitè detur absolutio debet interuenire licentia Prælati. Circa Moniales verò Sanctæ Claræ ex dictis, & citatis ibi à Rodriguez facta est ista concessio, vt quatuor diebus in anno absoluantur plenariè modo prædicto, sicut si ipse Papa audiret Confessiones. Et hac rursus concessione quo ad quatuor dies in anno, gaudent Minores: quia sicut dictum est supra verb. *Communicatio Priuilegiorum*, concessa Monialibus Sanctæ Claræ, etiam concedunturMinoribus. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 33. *art.* 9. & supra verbo *Communicatio priuileg. num.* 3.

16 Non possunt Confessores Fratrum de ordinario circa illos absoluendos, omnia quæ possunt confessores Regulares erga sæculares per priuilegia concessa. Nam per Bullam concessam Patribus Societatis IESV Pauli III. (de qua infra *num.* 22.) possunt absoluere sæculares ab omnibus casibus reseruatis Sedi Apostolicæ exceptis Bullæ Cœnæ, &c. Et tamen hoc non possunt de ordinario erga Fratres: quia Paul. III. id concessit pro sæcularibus, non verò pro Fratribus. Ita Rodrig. *in Addit. Sum. Moral. tom.* 3. *c.* 12. *conclusione* 2. Et proinde videat confessor Regularis quid possit erga suos Fratres iuxta sua priuilegia, vel regulam, vel statuta.

17 At Confessores Religiosi, qui sunt confessores Monialium, possunt illa absolnere ab omnibus reser-

uatis Sedi Apoſtolicæ. Compend. verbo *Monialis* §. 12. & ibi dicitur quod hoc poſſint toties quoties. Excipe hæreſim, & caſus Bullæ Cœnæ iuxta dicta verbo *Abbas*.

18 Poſſunt Confeſſores Regulares ſemel in vita diſpenſare cum Religioſo ipſos ad id eligente in confeſſione; diſpenſare, inquam, in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membri. ſic Eugen. IV. Religioſis de Guadalupe apud Rodrig. *q.* 62. *cit. art.* 13. Idem Eugenius IV. conceſſit Patribus S. Hier. in Hiſpan. in illorum Compend. ver. *Abſoluere Fratres* §. 9. vt Confeſſores à priore deputati poſſint abſoluere Fratres toties quoties ab omni excõmunicatione incurſa diuina celebrando, vel Ordines ſacros recipiendo: & cum illis diſpenſare, in omni irregularitate excepta bigamia, & homicidio volũtario.

Hæc conceſſio, ponderatione digna eſt, eò quòd ſit magna; & ob id quod dicit, debere ad hoc illos Confeſſores deputari ad hoc intentum, quod in aliis conceſſionibus Pontificum reperies. Vbi per deputationem Confeſſorum, non intelligo approbationem ad confeſſiones audiendas, hoc enim ſolis Prouincialibus cõuenit: ſed intelligo debere eſſe deputatos, id eſt, deſignari debere iam Confeſſores factos, vt iuxta hanc, & ſimiles conceſsiones Papales poſsint Fratres abſoluere; eo modo quo neceſſe eſt vt Confeſſores Minorum diſpenſaturi cũ ſæcularibus coniugatis ad petendũ debitũ, in caſibus probibitis, deputẽtur à Prouincialibus, & ab illis particularẽ licentiã obtineãt diſpẽsãdi in tali petitione. Et hoc applicabis in cæteris cõceſsionib⁹ ſimilib⁹ vbi aliquid cõmittitur cõfeſſoribus deputatis.

19 Idem Compend. D. Hier. ver. *Irregularitas*, §. 10. refert priuilegium Montis Oliueti per quod conceditur quod poſsit Frater quicumque eligere Confeſſorẽ, qui

qui illum absoluat à quauis irregularitate, vt possit officia Ordinis recipere, vel retinere ex Pio IV. sed hoc saltē apud nos Minoritas nō video esse in vsu: maximè si ibi pro absoluere ab irregularitate, intelligit habilitare ad officia: hoc enim solis Prælatis conceditur si loquamur de ordinario, & pro semper. Vide *n. sequenti.*

20 Martinus V. concessit eisdem Patribus S. Hier. in suo Compend. verb. *Absolutio specialis.* §. 1. quòd Confessores in eodem Monasterio exposiri possint semel tantùm absoluere, reconciliare, & habilitare omnes Fratres tam professores quàm Nouitios de Guadalupe, in omnibus cāsibus Papæ reseruatis. Et in aliis delictis quibuscūque etiā inhabilitatē inducentibus, & executionē ordinū impedientibus: & absoluere ab omnibus censuris à iure, vel ab homine, & cū eis dispēsare: siuè inhabilitas cōtrahatur ante, vel post ingressum ordinis.

21 Possunt iidem Confessores cum Fratribus dispensare toties quoties in irregularitate contracta ex indebita celebratione si illam incurrerunt per ignorantiam, vel inaduertentiam. Rodr. *cit. art.* 13. vnde innuit quod si fuit contracta scienter, non poterunt illam dispensare: & proinde non est ista magna concessio. Securior autem recursus in Religioso semper erit tum pro absolutionibus, tum pro dispensationibus recurrere ad Prælatum, qui potest erga subditos; quod iam diximus supra ver. *Abbas*, & copiosius dicetur infra verb. *Prælatus*, de potestate illius ad absoluendum Fratres, & verb. *Dispensare.*

CONFESSOR REGVLARIS, erga sæculares.

22 OMissis iis quæ sunt leuiora, possūt Cōfessores Regulares absoluere sæculares ad suos Cōuē-

tus venientes pro quibus sunt approbati, toties quoties ab omnibus peccatis,& censuris,Sedi Apostolicæ reseruatis;exceptis censuris contentis in Bulla Cœnæ Domini. Et possunt etiam illorum vota in opera pia commutare (non dispensare) exceptis votis castitatis, Religionis, Romæ, Hierusalem, & S. Iacobi. Sic Paul. III. concessit Patribus Societatis IESV, habetur in illorum Compend.ver. *Absolutio* §.1. & idem possunt cum illis communicantes. Quibus verbis attentis non possunt virtute illius concessionis dispensare vota,neque dispensare in irregularitate.

Huic priuilegio videtur obstare quòd tradit Miranda *tomo* 1.*quæst*.46.*art*.2. vbi affert duas declarationes Cardinalium de consilio Clementis VIII. in quibus sub grauibus pœnis prohibetur sæcularibus Confessotibus,& Regularibus ne virtute aliquorum priuilegiorum absoluant aliquem sæcularem ab aliquo casu reseruato Papæ,vel Episcopis à iure,vel ab homine: idque sub pœnis grauibus ibi expressis,decernens absolutiones datas fore nullas.Et videtur supponere Miranda prædictam reuocationem valere pro tota Ecclesia,passim enim in illo articulo,& aliis dicit hodie Religiosos non posse taliter facere.

At, sicut iam supra tetigi, illa prohibitio facta est pro sola Italia, vt videre licet in prima declaratione à Miranda adducta: sub his verbis (*per vniuersam Italiam extra vrbem degentibus*) Quod adhuc ego probo: nam prædictæ declarationes factæ sunt anno 601. & 602. pro vt ibi citat Miranda. At nouissimè post illos annos in Hispania viri doctissimi scripserunt dicentes, vel innuentes posse Regulares absoluere à prædictis reseruatis virtute suorum priuilegiorum. Primus, & clarior,est Rodriguez *in Addit. ad Sum. Moralem tom.*3.*cap.*12.*conclus.*1.*&* 2.*&* *tom.*4. *cap.*118.*num.*18.

sunt

sunt verò impressæ illæ Additiones anno 612. Et pro casibus Episcopo reseruatis tenet Suarez *de pœn. disp. 30. sect. 3. num. 16 in fine.* Et Fr. Ioann. à Cruce *in sua Epitom. priuileg.* eandem Bullam Paul III. post illas declarationes, citat tanquam validam, *fol. 123.* Quam Epitomen prælo dedit anno 1617. Imò ipse Rodrig. in *eisdem Additionibus 2. par. cap. 18. conclus. 18.* in particulari tractans hoc dubium, dicit, intelligi pro sola Italia. Et Vega Minimus impressus anno 606. *1. parte, verbo Casus reseruati, casu 1. & casu 15.* eandem Bullam Pauli III. citat vt validam. Non est autem credendum tot ac tales viros in hoc deceptos fuisse; & rem tam necessariam ignorasse, si extra Italiam illa prohibitio ligaret.

23 Possunt Confessores Regulares, si sint docti, specialiter à suo Prouinciali ad hoc deputati dispensare cum vxoratis fœminis, aut viris, vt petant debitum coniugale, à quo petendo impediti sunt aliàs, ob votum castitatis emissum, vel ob coitum incestuosum, vel cum affini: & hoc cum onere vt sic dispensatos moneant vt si superuixerint, absolutè non contrahant cum illis consanguineis, vel affinibus: vel omnino seruent votum castitatis antea emissum. Sic concessit Pius V. Minoritis anno 1569. Et nota quod ista licentia data vni Confessori ab vno Prouinciali, non expirat amoto Prouinciali ab officio: quia illa facultas non datur à Prouinciali, sed à Papa, & licentia Papæ nunquam expirat: fuit verò ibi Prouincialis quasi nudus Minister declarans, vel designans illum cui Papa concedit, eo modo quo Prouincialis designans Confessores præ sæcularibus, non illis dat iurisdictionem absoluendi, sed ipse Papa: & proinde illa iurisdictio non expirat amoto Prouinciali.

24 Possunt hi Confessores absoluere sæculares à ca-

sibus Episcopis reseruatis à iure,vel per statuta.Rodriguez, *Addition.ad Sum.capit.12.conclus.1.tom.3.* & citati *num.22.*

25 Possunt Confessores Regulares dispensare in votis sæcularium quando talia vota fuerint Episcopo reseruata, sed ad hoc debent deputari quatuor Religiosi à Prælato,iuxta supra dictum *num.* 18. de ista deputatione. Sic concessit Eugen.IV.& Pius II.in Compend. Min.verbo *Absolutio quo ad sacul.2.* §.16. & 17. & 19. Et Martinus V. idem concesit Benedictinis Vallis Oleti,vt citat Compend.Societatis IESV, verbo *Dispensare* §. 10. Et hoc Compendium non facit mentionem de quatuor assignãdis pro hoc à Prælato.Et idem habet Compendium D. Hieronym.ver. *Dispensatio in sacramento pœnitentiæ per communic.*§.3.toties quoties.

26 Paulus III. concesit eisdem Patribus, vt possint sæcularium vota commutare etiam si sint iurata,exceptis illis,quæ sunt excepta *numer.* 22. Dummodo id non fiat cum præiudicio tertij. Rodrig. *tom.* 1. *quæstion.* 63. *articul.* 4. Sed pro ista dispensatione,& commutatione votorum erga sæculares vide omnino scitu digna infra verbo *Dispensare à numero* 14. & *sequentib.*

27 Possunt etiam illis commutare,omnia iuramenta votiua;excipe etiam illos quinque casus *num.*22. positos.Rodriguez *citat quæstio. artic.*5. Distinguuntur verò vota iurata,& iuramenta votiua hoc modo. Si dico, voueo,& iuro me tale facturum; est votum iuratum,si vero dico : Iuro me tale facturum in honorem Dei; est iuramentum votiuum. Et Rodriguez *citato artic.*5. ait posse nos commutare iuramenta sæcularium, quando sunt nuda, & simplicia iuramenta, vide infra verbo. *Votum.*

28 Possunt Regulares Confessores commutare, & dispen

diſpenſare omnia vota pœnalia ſæcularium, etiam ſi ſint caſtitatis & Religionis poſt pœnam incurſam, ſeu votum fractum, verb. grat. ſi quis ſic vouet: Promitto Deo me non fracturum tale ieiunium; quod ſi fregero intrabo in Religionem. Hic quandiu ieiunium non fangit, non obligatur ad Religionem: ſi verò fregerit, eſt obligatus ad illam quaſi ad pœnam fracti ieiunij. Et in hoc voto pœnali Religionis ſic incurſo ob pœnam, tenent multi Doctores quod poſſunt diſpenſare Epiſcopi & priuilegiati (idem dic de voto caſtitatis ſimiliter pœnali) & cauſa eſt, quia quando votum Religionis reſeruatur Papæ, intelligitur quando illud promittitur abſolutè, ſimpliciter & independenter à pœna, & eſt ſimpliciter Religionis votum. Non verò eſt tale votum quando eſt pœnale ſeu fit in pœnam, non enim tunc id promittitur abſolutè, & independenter. Sic tenet Henriquez *lib. 7. tom. 1. capit. 30. num. 6.* citans multos, & Rodriguez *tom. 1. Quæſtionar. quæſtione 63. artic. 7.* Sed ſecurius eſt, vt fiat per Bullas, & commutationem, non per diſpenſationem.

CONFESSOR REGVLARIS circa cenſuras & irregularitates ſæcularium.

9 POſſunt Regulares abſoluere nominatim excommunicatos ad inſtantiam partis, ſi ipſi iam ſatisfecerunt parti læſæ: & facta iſta ſatisfactione non eſt neceſſaria licentia excommunicantis pro foro conſcientiæ. Rodriguez *tom. 1. quæſt. 6. artic. 6.* imo *ibidem* & manere abſolutos etiam pro foro externo. Hoc verò non poſſunt, ſi parti non ſatisfecerunt.

3 Poſſunt abſoluere illos qui Eccleſiis Regularibus violentiam fecerunt: vel etiam perſonis ſacris violen-

Digitized by Google

tiam intulerunt, satisfacta tamen parte: vel furtum sacrilegum commiserunt, patet partim ex Compendio Minorum ver. *Absolutio quoad sæculares* 2. §. 15. & ex n. 22. *supra hoc ver.*

In absolutione verò ab his censuris non tenentur confessores Regulares seruare formam absolutionis publicæ vtendo scilicet virgis, & dicendo Psalmum, *Miserere mei Deus.* Ita enim concessit Leo X. apud Compendium verb. *Absolutio quo ad sæculares* 1. §. 11.

30 Non possunt Regulares confessores erga sæculares quæ Episcopi per Tridentinum possunt erga illos in foro conscientiæ: & hoc est certissimum. Verbi gratia, non possunt absoluere illos ab hæresi: nec dispensare in impedimento matrimonij occulto instante periculo & necessitate, & similibus. Vide infra verb. *Votum numero* 64.

31 Omnes prædictas absolutiones à censuris possunt Confessores Regulares dare sæcularibus etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, si à solis censuris debeant absoluere: secus si ab aliquo peccato etiam veniali debent absoluere: tunc enim omnino intra sacramentum fiet, vide infra verbo *Votum n.* 51. Rodriguez *tom.* 1. c. 61. *art.* 7. Et Suarez *tomo de Legibus, lib.* 8. *c.* 6. *n.* 16.

CIRCA IRREGVLARITATES *sæcularium.*

32 COmpend. D. Hieronym. in Hispan. verbo *Absolutio quo ad omnes*, §. 3. ait, posse suos Confessores de Guadalupe dispensare cum sæcularibus in omni irregularitate contracta ratione alicuius excommunicationis, interdicti, suspensionis, vel celebratione diuinorum à quibus censuris Episcopi possent absoluere, vel in irregularitate dispensare, & *eod. verb.* §. 8.

concedit, quod semel tantum dispensare possint in irregularitate Clericorum illam Ecclesiam visitantium, & eos habilitare ex eo solùm quod existentes publici concubinarij diuina celebrarunt. Et Sixtus IV. Minoribus concessit in Monument. Ord. *fol.* 68. *conceſſ.* 131. vt possint suos familiares qui ad hoc Confessorem elegerint absoluere ab omnibus censuris, & dispensare cum illis in omni irregularitate excepto homicidio voluntario, & mutilatione membri. Excipe casus Bullæ Cœnæ.

33 Maius est quod refert Vega Minimus, Sum. verb. *Absolutio casu* 44. §. *Dixe, que lo dicho.* vbi dicit suis Minimis concessum esse à quodam Legato, & confirmatum à Sixto IV. in hunc modum: *Vt possint confessiones audire, & ab omnibus casibus, excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis: ac super quacumque irregularitate, Ordinario, tam à iure, quàm ab eo reseruatis, & remissis toties quoties absoluendi, & dispensandi, vota quacumque, permutandi, & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem iniungendi facere possint, ac valeant.* Sic ibi: vbi videtur loqui clarè de Confessoribus erga sæculares, vt patet ex antecedentibus & sequentibus ibi. Et sic citat Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 61. *art.* 3. & eodem modo citatur in Compendio. verbo *Absolutio quo ad sæculares primo* §. 20. Quæ quidem concessio ob sui magnitudinem mihi quo ad praxim dubia videtur. Neque summi Pontifices erga sæculares ita faciles sunt in materia dispensationis istius, cùm etiam in Cruciata & in Iubileo plenissimo hanc facultatem, non dent sic liberaliter, & Ioan. à Cruce in *sua epitom. fol.* 128. citat hanc concessionem, sed non facit mentionem de dispensatione in irregularitate. Imo Cordub. apud Capucinum in Compendio *fol.* 53. *ad citatum* §. 20. Compendij; ait prædictam concessionem Minimorum in verbo

verb. *Dispensandi ibi posito*, nihil concedere Minimis erga vota sæcularium:& sic respondisse quendam Prouincialem Minimorum, quod scilicet quo ad dispensandum,ipsi non extendebant manus ad sæculares:vnde supponitur quod per illam non possunt dispensare in irregularitatibus sæcularium.

34 Possunt Confessores Regulares si sint docti,& à Prouinciali deputati,aperire litteras destinatas à Papa Magistris Theologicis, vel Canonistis, etiam si tales Confessores,non sint Doctores,& Magistri:& per illas possunt delatores illarum absoluere iuxta illarum tenorem, & imponere pœnitentias in illis contentas, Compend.Societatis,verbo *Confessarius*. §. 3. Sed nota quod Prouinciales non possunt ad hoc designare nisi viros valde doctos: nam Summus Pœnitentiarius has litteras clausas non dirigit nisi Doctoribus graduatis in iure canonico,vel Theologia:& probatur,quia tales litteræ continent clausulas multas,quæ requirunt magnam litterarum peritiam; ac maiorem quàm habeat Confessor Ordinarius. Quas clausulas optimè,& fusè explicat Sanches *lib.8.de matrim disp.34.& 35.*

ADDITIO.

QVondam hoc verbo, dixi *numer.9.* cum Rodriguez ibi citato probabilius esse Confessorem Regularem approbatum ab Episcopo absque licentia sui Superioris non posse validè confessiones audire, propter Clementinam *dudum. de sepulturis*. Nunc in eadem opinione persistens, illam amplius confirmo, per hæc, quæ ad alia dubia poterunt inseruire. Quæ talia sunt, desumpta ex Suarez *locis infra citandis.*

1 Quando lex præscribit aliquam formam seruandam

dam pro aliquo actu faciendo, si illa forma præscripta est substantialis,& omittitur,actus factus est nullus:patet in Sacramentis, in quibus si desit forma, vel materia substantialis,nihil efficitur:secus si desit cæremonia accidentalis. At si actui faciendo præscribitur forma accidentalis tantùm, omissio illius non annullat actum.Ita Suarez *lib.5. de legib.c.31. & 32.* Ad cognoscendum verò an forma præscripta pro actu faciendo sit substantialis,an verò accidentalis,ibidem Suarez,& alibi has Regulas assignat.

2 Prima est. Si forma præscripta per legem ante factionem actus,continet naturalem æquitatem circa actum, tunc omissio eius reddit actum inualidum. Suarez *ibi.cap.31. num.3.* Tunc autem regula,seu forma præscripta actui, continet naturalem æquitatem respectu actus, quando præscribit rem valde necessariam ad talem actum. Secunda regula. Quando lex præscribit formam actus faciendi, & simul denuo dat potestatem ad faciendum actum sub tali forma quæ potestas antea non dabatur, tunc talis forma omissa annullat actum, *cit.c.31. n.9.* Tertia regula ponitur à Suarez *cit.c.32. n.3.* Quando ante ipsum actum præcipitur fieri aliqua solemnitas, verbi gratia, informatio, vel examen præuium, omisso talis informationis,vel examinis omissi vitiant actum.Quia in his omnibus, ait Suarez,omittitur forma substantialis actus, & proinde redditur nullus.

3 His applicatis ad nostrum intentum dico:In dicta Clem. *dudum.de sepulturis.* præcipit Papa pro actu approbationis Confessorum facienda ab Episcopo, vt Prælati Prædicatorum Fratrum, & Minorum antequam suos Confessores presentent Episcopo,ait Papa: *Eligere studeant personas sufficientes (fratres scilicet)idoneos,vita probatos,& c.ad tam salubre officium exequendũ.*

Hæc

Hæc est forma præscripta à papa pro actu faciendo ante approbationem Confessorum. Quæ forma clarè requirit præuiam electionem, examen, & licentiam prælatorum pro validitate approbationis futuræ Episcoporum. Quòd autem hæc forma ibi præscripta à papa sit substantialis, cuius omissio annullet approbationem solam Episcopi: probo ex supradictis regulis. primò, quia prælatum Regularem prius examinare Fratres idoneos, doctos, probatæ vitæ, &c. continet naturalem æquitatem cum tali approbatione, imò rem necessariam respectu talis approbationis Episcopalis. Secunda regula etiam hic reperitur, quia in tali forma ibi præscripta in Clementina, denuo datur potestas ad approbandos Confessores, quæ antea iuridica talis non dabatur. Tertia regula patet, quoniam in præscripta forma à papa iubetur prius fieri informatio, seu examen à Superioribus Regularibus circa vitam, & sufficientiam Fratrum approbandorum: ac proinde prædicta forma ibi præscripta est forma substantialis talis actus, quæ proinde omissa reddet nullam approbationem factam ab Episcopo sine licentia, approbatione, & examine prælati Regularis, quæ omnia ibi præscribuntur, & iubentur tamquam forma futuræ approbationis Episcopalis.

4 Quando in aliqua Bulla, vel Iubilæo conceditur facultas eligendi Confessorem approbatum ab Episcopo: intelligitur quod sit approbatus ab Episcopo, vel Superiori ipsius Confessoris: non verò approbatus ab Episcopo ipsius pœnitentis. Ita Suarez *tom.4. de Pœn.disp.28.sect.6.num.10.* pater Ægidius *tom.2.disp.8. num.10.* referens de hoc duas Cardinalium Declarationes. Quæ res explicatur in particulari per vnam ex illius duabus Declarationibus Cardinalium, quam citat Suarez *citat. loc. num.6.* quam sic transcriptam accipe.

Digitized by Google

cipe. *S.D.N. declarauit tempore Iubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones: in Bulla enim non fit mentio, nisi de Ordinario eorum qui audituri sunt confessiones. Non autem de Ordinario pœnitentium*: sic ibi. Quibus verbis clarè innuit posse per Iubilæum Religiosum, imò & Religiosam eligere Sacerdotem sæcularem approbatū ab Episcopo ipsius Clerici; tunc enim eligitur Confessor approbatus ab Episcopo ipsius Clerici electi: neque tenebitur talis Monachus, vel Monialis eligere Confessorem Regularem Ordinis approbatum à Prælato suo Regulari, qui est Superior ipsius Religiosi, seu ouis pœnitentis. Imò istam declarationem citat Rodr. in Bullario, *fol.* 1104, *col.* 2. ex Greg. XIII. & transit cum illa, Quoad sæculares verò declarat Suarez *citat. loc. num.* 4. hoc exemplo si subditus Conimbricensis existat Olyssipone, & ibi per Bullam Cruciatæ velit eligere Confessorem approbatum, sufficiet eligere Clericum approbatum ab Episcopo Conimbricensi: talis enim Clericus est approbatus ab Episcopo ipsius Clerici Confessoris electi.

5 Confessor approbatus in vno Episcopatu, potest eligi Confessor in quocumque alio Episcopatu inuentus fuerit, ab illis, qui per Bullam facultatem habuerint eligendi Confessorem approbatum. Ita Cordub. *in Sum. Moral. q.* 10. *in Resp. ad* 2. & Rodrig. *in Exposit. Cruciatæ*, §. 9. *dubio* 2. & alij.

AN TEMPORE IVBILÆI POSSIT Monacha confiteri Sacerdoti sæculari?

6 IVbilæum magnum voco illum, qui à Summis Pontificibus conceditur toti Ecclesiæ pro necessitatibus publicis, maximè quando primò eliguntur.

De

De tempore ergo ſolius Iubilæi magni, & generalis, Capucinus ad Compendium 1.*p.* in reſolutionibus de materia abſolutionum,*fol.*91.§.*Hinc recentiores.*Primò dicit aliquos recentiores Pontifices in ſuis Iubilæis clarè expreſſiſſe poſſe etiam quemlibet Religioſum eligere Confeſſorem approbatum, ſiue Regularem, ſiue ſæcularem: & ſic declaraſſe Sixtum V. Gregor. XIV. & Clement.VIII. in ſuis Iubilæis. Secundò dicit Capucinus,quòd ſi Papa id non explicet in Iubilæo,id non poteſt fieri,ſed debent ſtare iuri communi,& ſtatutis ſuæ Religionis.

Oppoſitum tenet Nauar. *libr.*5. *Conſiliorum,titul.de Pœnit.& remiſſionibus conſil.*19.vbi abſolutè,& ſine diſtinctione dicit tempore Iubilæi poſſe Religioſum(eadem ratio eſt de Moniali) eligere Confeſſorem Clericum ſæcularem. Probat primò, quia lex, per quam reditur ad ius antiquum,eſt fauorabilis, & amplianda, quia res facile redit ad ſuam antiquam naturam: *cap. ab exordio* 35. *diſt.* cùm ergo ſecundùm iura antiqua quilibet Chriſtianus poſſet cuilibet Clerico ſæculari confiteri, ad quem morem conceſſio iſta generalis Iubilæi facit redire ſubditos,ſequitur quod eſt conceſſio fauorabilis,& amplianda. Secundò quia,vt ait Nauar. vtile eſt populo Chriſtiano vt aliquando detur facultas confitendi aliis quàm ordinariis confeſſariis: vnde Concil.Trid.*ſeſſ.*25.*de Reg.cap.*10.iubet vt Monialibus bis, vel ter in anno Confeſſores extraordinarij offerantur. Cùm ergo in Iubilæo oſtendat Papa maiorem liberalitatem, quàm in aliis conceſsionibus: & idem det licentiam eligendi Confeſſorem, videtur quòd licet non exprimat,id concedit etiam Regularibus.Adde quòd fere in omnibus Iubilæis Sum.Pontifices verba ponunt id clarè,vel virtute ſonantia:ad quæ remitto lectorem. Quæ opinio Nauarri poteſt defendi,& practicari

cticari propter authoritatem tanti viri,& propter fundamenta sufficientia ab eo allata.Et præterea quia Papa sciens,& volens,id exprimit,& potest facere.Et aliquando conducit id concedi,propter infirmitatem fragilium pœnitentium : Maximè cùm ista concessio Iubilæi magni rarò concedatur : neque ex hac concessione sequentur incomenientia illa, quæ sequerentur,si vterentur ad hoc particularibus Bullis confraternitatum.

CONFESSOR DISPENSANS cum coniugatis ad petendum debitum.

7 DIxi olim hoc verb. *num.* 23. Confessores Regulares participantes in priuilegiis cum Minoritis,& deputatos specialiter à suis Prouincialibus posse dispensare cum sæcularibus coniugatis ad petendum debitum illis negatum ratione voti castitatis, vel ratione coitus incestuosi. Nũc circa hoc aduerto,quod concessio Pij V. solùm dicebat posse illos dispensare cum illis coniugatis, qui ante matrimonium fecerunt votum castitatis.Prædicta verba innuunt , quod possit cum illis dispensari , qui iam nunc consumarunt matrimonium,& viuunt simul in vita matrimoniali,cùm ipsum votum castitatis factum sit ab vtrouis illorum antequam matrimonio iungerentur. In quo casu nullus dubitat prædictos Confessores posse dispensare.

8 Sed dubium est an , si fecerunt votum castitatis antequam matrimonium consument , iam verò sunt in facie Ecclesiæ iuncti per matrimonium ratum,nondum consumatum , possit talis Confessor dispensare cum illis , vt petant debitum , & consument matrimonium ? Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 19. *qu.* 20. cum aliis

credit non posse tunc dispensare, quia ille taliter impeditus tenetur intrare Religionem antequam matrimonium consumet. At melius tenet Sanches *lib.4. Decalog,c.43.num.11.* dicens etiam tunc cum illo posse dispensare vt consumet matrimonium. Ratio est, quia secundùm probabiliorem opinionem iste talis non tenetur intrare Religionem, quia illam non vouit, sed solam castitatem. (vt alibi Doctores multi dicunt in materia de voto) Et è contra cùm iste possit manere in sæculo, & teneatur aliàs consumare matrimonium ratum reddendo debitum saltem intra bimestre, maneret in graui peccandi periculo petendi debitum, & sic cum illo potest dispensari vt consumet matrimonium. Et idem sentit Sayro *libr.6.Clau.Reg.c.11.n.104.* Vega 2 *tom. Sum.cap.129.casu 118.puncto 2.* Atque idem dicendum est in priori bimestri ante consumationem.

9 Hinc obiter colliges quòd si quis contraxit matrimonium ratum,& ante consumationem matrimonij veniat ad Confessorem Regularem petens vt secum dispenset ad petendum debitum, & consumandum matrimonium propter votum simplex Religionis quod antea fecerat,non potest Confessor Regularis cum illo dispensare ob duas causas. Prima est, quia iste talis adhuc tenetur,& potest intrare Religionem, quia illam vouit. Secunda est, quia Pius V. per illam concessionem solùm concessit dispensari cum impeditis propter votum simplex castitatis præcedens:non verò cũ impeditis voto simplici Religionis.Hoc enim votũ semper obligat ante cõsumationem matrimonij. Et postquam matrimonium consumatum est,is qui illud contraxit violato voto Religionis,non indiget dispensatione ad petendum debitum:quia ex vi voti simplicis Religionis præcisè, non tenetur ad castitatem.

10 Quid

10 Quid si coniugatus fecit votum castitatis postquam iam consumauit matrimonium? Dicendum est tunc Confessorem Regularem non posse cum illo dispensare ad petendum debitum ex vi illius Concessionis Pij V. Nam ibi Papa solùm concedit pro habentibus votum castitatis emissum ante matrimonium: non verò de facientibus votum post consumatum matrimonium. Sic tenet Rodriguez *tom.*1. *qq. Reg.q.*63. *art.*2. & Vega *cit. c. casu* 77. At iuxta Sanches *cit.c. n.*12. per aliud priuilegium poterunt id facere Regulares Confessores, per quod scilicet possunt dispensare in votis, quæ possunt Episcopi, & non sunt reseruata Papæ, vt tradit latè idem Sanches *eodem cap.* 43.*num.*7. Aduertit etiam Sanches *citat. num.*12. quòd si coniugatus fecit votum Religionis post consumatum matrimonium, non potest cum ipso dispensare Confessor Regularis, imò neque Episcopus, sed soluto matrimonio tenetur intrare Religionem.

11 Colliges etiam, quòd licèt Pius V. concesserit vt possit talis Confessor dispensare cum coniuge, qui habuit coitum incestuosum cum consanguineo sui coniugis, hoc debet intelligi si talis coitus fuit habitus post contractum iam matrimonium. Nam si talis coitus præcessit contractum matrimonium, nullo modo poterit dispensare, vt matrimonium consumet, talis enim coitus præcedens matrimonium est impedimentum dirimens matrimonium, in quo nullo modo potest dispensari à Confessore Regulari. Si verò talis coitus fiat post contractum matrimonium, tunc non dirimit iam factum, & proinde poterit cum illo dispensare ad petendum debitum. Quod si præcedente tali coitu incestuoso matrimonium contraxerunt, & consumarunt, nullo modo potest cum illis dispensari vt petant debitum, quia matrimonium fuit nullum: &

Digitized by Google

tenentur ſeparari, vel remedium diſpenſationis quærere ad iterum contrahendum.

12 Rodriguez *in Addit. ad Bullam Cruciatæ*, §. 9. *nu.* 120. aſſerit hanc poteſtatem conceſſam à Pio V. vt poſſimus diſpenſare cum habentibus votum caſtitatis, reſtringendam eſſe, vt ſolùm illa poſſint vti Religioſi erga ſubditos illius Diœceſis, in qua ſunt Religioſi. Mouetur quia hoc priuilegium concedit illa ſola vota, quæ poſſunt Epiſcopi diſpenſare. At Epiſcopus non poteſt diſpenſare, niſi in votis ſubditorum ſuæ Diœceſis. At melius Sanchez *citato cap. num.* 15. tenet non reſtringi hoc priuilegium ad ſolos ſubditos illius Diœceſis; ſed extendi ad quoſcunque vndequaque venientes: nam, vt ait, illa reſtrictio, vt poſsint diſpenſare in ſolis votis, quæ poteſt Epiſcopus, debet ſic intelligi: id eſt, vt nequeant diſpenſare in votis Pontifici Sum. reſeruatis, in quibus ratione reſeruationis non poſſunt Epiſcopi diſpenſare. Cùm autem aliàs hanc poteſtatem diſpenſandi habeant à Papa, qui toti orbi præeſt, non eſt cur reſtringatur ad ſolos ſubditos illius Diœceſis. Hæc enim priuilegia amplianda ſunt, non reſtringenda,

13 Capucinus *Addit. ad Compendium, verb. Votum notabili* 7. & Sayro *lib. 5. Clau. Reg. cap.* 8. *num.* 10. *in fine*, tenent quòd Confeſſor Regularis non poteſt facere hanc diſpenſationem, niſi intra Sacramentum confeſsionis probent, quia hæ diſpenſationes committuntur Religioſis prout iudices ſunt in foro interno; ſicut diſpenſationes in foro externo committuntur officialibus Diœceſis, prout ſunt iudices fori externi. At Confeſſor non eſt iudex fori interni, niſi audiat in confeſsione: ergo. Quo non obſtante, magis placet opinio Sanchez *citato cap.* 23. *num.* 17. vbi tenet cum Suarez quem citat, poſſe Confeſſarium Regula-

rem

rem facere hanc dispensationem extra Sacramentum confessionis: quia priuilegia hæc dispensandi non petunt, vt dispensatio fiat intra Sacramentum pœnitentiæ: nisi priuilegium expresse dicat vt fiat in Confessione, vel dicat in foro pœnitentiæ. Nec sufficit dicere priuilegium quòd fiat dispensatio in foro interno, & à Confessore approbato, quia hoc non obstante potest id facere Confessor extra Sacramentum Confessionis. Ratio est, quia nomen *Confessoris* ibi magis est nomen muneris, quàm exercitij actualis, & solùm petit, vt pro munere confessiones audiendi sit approbatus, non verò quòd actualiter confessiones audiat. Neque item requiritur Confessio, etiamsi dicat priuilegium, vt fiat dispensatio pro solo foro conscientiæ. Nam hæc verba, in foro interno, vel foro conscientiæ, latius patent quàm illa, in foro pœnitentiæ, vel intra Sacramentum. Forum enim internum, vel forum conscientiæ solùm dicunt quòd non valeat dispensatio pro foro externo litigioso. Et proinde dispensare in foro interno, vel in foro conscientiæ potest fieri secretò extra Sacramentum, ad quietandam conscientiam: taliter tamen dispensatus poterit aliàs puniri in foro externo litigioso. De quo vide latius, & multos citantem Sanchez *lib. de Matrim. disp. 34. num. 29.*

14 Quæris, an dato quod prædicti Confessores Regulares possunt cum his dispensare extra Sacramentum, possint etiam cum illis dispensare in absentia per scriptum, accepta informatione rei per scriptum: dari enim potest casus, in quo vrgeat necessitas talis dispensationis, & sit magna difficultas adeundi talis Confessoris regularis. Ego apud nullum inuenio hoc dubitatum. Et imprimis dico talem Confessorem Regularem sic dispensantẽ in absentia non violare mandatum D. Papæ Clem. VIII. quo prohibetur audire cõ-

fessiones per scriptum in absentia: hæc enim dispensatio cum his absentibus ob votum castitatis, vel incestum, non est absolutio Sacramentalis, vt patet. Secundò, de ratione dispensationis non est quòd fiat in præsentia: multi enim dispensantur in absentia, à Papa videlicet, Episcopis, & cæteris Prælatis. Tertiò, quia in ista dispensatione facta à tali Confessore Regulari in absentia, non incurrunt, nec timentur illa pericula, quæ timentur in absolutione Sacramentali facta in absentia. Ac proinde his omnibus consideratis, saluo iudicio Ecclesiæ, & Doctorum, puto hanc dispensationem, de qua est quæstio, factam sine Sacramento Pœnitentiæ fieri posse in absentia per scriptum.

CONFESSOR REGVLARIS *aperiens litteras Papæ ex commissione sui Generalis.*

15 DIxi olim hoc verb. *num.* 34. ex priuilegio concesso Patribus Societatis IESV posse prouinciales committere Religiosis non vtcumque, sed valde doctis vt aperiant, & exequantur litteras obsignatas datas Romæ à Papa, & destinatas Doctori Theologo vel Canonistæ innominato, qui illas aperiat, & examinet contenta in illis, & exequatur impendendo absolutionem, & remedium pœnitenti latori, seu contento in illis litteris. Sed nota quòd prouincialis non potest hoc committere, nisi id illi concedat Generalis: quia Gregor. XIII. id solum concessit Generali Societatis IESV vt ipse aliis committat. Et apud illos Generalis committit inferioribus. Et ita debet fieri in aliis Ordinibus, aliàs nihil fiet. Quod negotium quia grauissimum est, prout iam mihi contigit in praxi, vt sciant Prælati quali viro tantum negotium committant

mittant, & vt Religiosus taliter destinatus sciat quid sibi agendum sit: non erit inutile hoc loco transcribere formam summariam; & ordinariam talium litterarum,& ponere aduertentias seruandas à Confessore tales litteras aperiente. Quin potius ex doctrina hic posita addiscere possunt aliqua, qui talem licentiam non habent. Igitur hac de re tota optimè,& in summa disputat Sanches *lib.8. de Matrim.disp.34.& 35.* Ego in summam redigam: forma ergo ordinaria talium litterarum est hæc.

FORMA LITTERARVM obsignatarum Papæ Doctori Theologo, vel Canonistæ pro dispensando voto Religionis.

N Cardinalis,&c. Discreto viro Confessori Magistro in Theologia; vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo salutem in Domino, pro parte latoris nobis oblata petitio, continebat, quod ipse alias graui morbo laborans se Religionem ingressurum simpliciter vouit; cùm autem sicut eadem petitio subiungebat, lator prædictus ob stimulos carnis, quos sentit, continenter viuere posse non speret; pro suæ conscientiæ quiete cupit votum huiusmodi ad effectum contrahendi matrimonium in alia pœnitentiæ, & pietatis opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare supplicari fecit humiliter, sibi super id de oppportuno remedio misericorditer prouideri. Nos igitur qui Pœnitentiariæ D. Papæ curam gerimus, eiusmodi supplicationibus inclinati authoritate Apostolica specialiter nobis commissa discretioni tuæ committimus, quatenus si ita esse, ac latorem stimulis carnis adeo agitatũ vt maximè dubites continere non posse, ac propterea de eius incon-

tinentia probabiliter timendum, per diligentem oratoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita inueneris eũdẽ à mutatione propositi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ cõsueta: iniuncta ei pœnitentia salutari, sibiq; votũ prædictũ, ad hoc vt matrimoniũ legitimè contrahere possit, in frequentiã Sacramentalis Confessionis peccatorũ suorũ singulis scilicet mensibus semel, aut quoties tibi videbitur; & in alia pœnitentiæ opera perpetua per te iniũgẽda, inter quæ sint etiã aliqua Religionis quæ quotidie facere teneatur ad eũ finẽ vt ea adimplẽs meminisse sẽper possit obligationis, qua huiusmodi voto adstringebatur prout secũdùm Deũ ipsius animæ saluti expedire iudicaueris, dispẽsãdo cõmunes in foro cõscientiæ tãtùm. Dat. Romæ, &c.

Prædicta cõmissio, vt vides, est pro dispẽsando voto simplici Religionis pro quo petitur dispẽsatio. Quãdo verò petitur à Papa dispensatio in voto castitatis, solet forma sequẽs adhiberi: & suppone prologum proponi eisdẽ verbis à summo Pœnitẽtiario, sicut in supra dicta forma de voto Religionis quo proœmio omisso, sic solet forma assignari; omissa itẽ narratione de stimulis carnis, quia pro vtroque voto eadem causa allegatur.

FORMA PRO DISPENSATIONE COMmissa Confessori in voto simplici castitatis.

QVatenus si ita esse, ac oratorem stimulis carnis adeo agitari vt maximè dubites continere posse, & propterea de illius incontinentia probabiliter timendum; per diligentem oratoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita inueneris, eundem à mutatione propositi absoluas hac vice, &c.

Ponit deinde eadem verba, quæ supra pro dispensatione voti Religionis: & in particulari loquens pro dispensando voti castitatis: iniungens easdem

pœni

pœnitentias, ſubdit hæc verba:

Et cum eodem, vt matrimonium ſic contrahere, & in eodem poſtmodum permanere, & debitum coniugale exigere licitè valeat, miſericorditer diſpenſes, in foro conſcientiæ tantùm: ita quod ſi coniugi ſuperuixerit, maneat poſtea cælebs, & in caſtitate, vtpote eodem voto, vt prius, obligatus. Quod ſi iterum contraxerit, & conſummauerit matrimonium, aut vnquã extra matrimonium fornicatus fuerit, ſciat ſe contra huiuſmodi votũ acturum. Dat. Romæ, &c.

Aliquando verò ponitur clauſula, *vt litteræ iſtæ lanientur, ſeu rumpantur ſub pœna excommunicationis:* aliquando iubetur ne dentur parti, ſub pœna quod aliàs non valeant. Quando autem eſt diſpenſatio in affinitate ex fornicatione occulta ad ineundum matrimonium, tenor eſt ferè idem vſque ad præfationem. Et quod ſpectat ad talem particularem diſpenſationem ſic dicitur:

Diſcretioni tuæ committimus, quatenus ſi ita eſt, dictum latorem à præmiſſis abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſuetæ: iniunctâ eidem pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari, & aliis, quæ de iure fuerint iniungenda, dummodo impedimentum inde proueniens occultum ſit: cum eodem latore, quod præmiſſis non obſtantibus matrimonium cum dicta ſorore, & vterque inter ſe ſeruata forma Tridentini contrahere, & in eo poſtmodum remanere licitè valeant, iure diſpenſes. Prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiando in foro conſcientiæ tantùm. Ita quod huiuſmodi abſolutio, & diſpenſatio latori in foro iudiciário nullatenus ſuffragetur: nullis ſuper his teſtibus adhibitis, aut litteris datis ſeu proceſſibus confectis, ſed præſentibus laniatis, quas laniare tencaris, neque latori reſtituas. Quod ſi reſtituas, nihil illi præſentes litteræ ſuffragentur. Dat. Rom.

Quando diſpenſatur in foro conſcientiæ in matrimonio inito, cum impedimento dirimenti affinitatis

occultæ ex fornicatione post propositum proœmium eiusdem tenoris; & narrationem causæ. Tenor sic habet:

Discretioni tuæ committimus iniuncta eorum cuilibet, pro tam enormi libidinis excessu, graui pœnitentia salutari ac confessione Sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, vel quoties animarum suarum saluti expedire iudicaueris, & aliis quæ de iure fuerint iniungenda, quodque diligenter experiantur, an sine scandalo possint separari: quod si fieri potest, fiat omnino. Quod si fieri non possit, experiantur saltem, an cohabitantes tamquam frater, & soror continenter viuere valeant. Quod si neutrum fieri valeat, & ex cohabitatione incontinentiam, ex separatione verò scandala oriri posse tibi visum fuerit, cum ipsis latoribus de nullitate prioris consensus certioratis, sed ita cautè, vt si illa adhuc ignorarit latoris delictum nusquam detegatur, dispensa vt matrimonium inter se secretò contrahere valeant, prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ tantùm. Dat. Rom.

Aliquando denique prædictæ litteræ committuntur Theologo vt dispenset cum latore in censuris reseruatis, in irregularitate homicidij, in inhabilitate, & similibus, sicut ego vidi: in quibus tenor in substantia est ferè similis etiam quoad pœnitentiam iniungendam: & ex dictis pro prædictis commissionibus poterit expediri commissio dispensationis in pœnis attento tenore cuiusque. Ex dictis autem iam patet quãtum sit negotium prædictas litteras aperire, & integrè executioni mandare: & quantum scientiæ sufficiẽtiam in Confessore aperiente requirãt. Pro directione ergo Confessoris cui suus Generalis id commiserit, vel habens ab illo commissionem, ponam sequentes aduertentias, ex Sanches *cit. loc.* sed solum per Summam.

1 Prima est vt talis Confessor debeat esse Doctor, in iure Canonico,vel in sacra Theologia(idē enim est Doctor,& Magister Theologus,)præterea vt sit Confessor approbatus(si enim has duas qualitates non habeat, non poterit illas aperire ex vi litterarum:poterit verò ex commissione sui Generalis , si sit sufficienter doctus,& Confessor approbatus.

2 Secunda est,quòd non sufficiet(prō sæcularibus dico) quod doceant publicè in Academia ius Canonicum,vel Theologiam:neque item si habeant gradum Licentiati in quauis istarum scientiarum : quia nullus istorum est Doctor : papa requirit vt habeant gradus Doctoris. Neque sufficit vt sit Doctor in iure Cæsareo,quia hæc scientia non exprimitur.

3 Tertia est, quod illi Religiosi litterati, qui in suo ordine per sua statuta dicuntur Magistri , vel præsentati, vel Iubilati, vel quouis alio nomine, non possunt has litteras aperire, quia non sunt Doctores graduati, quantumcumque sint litterati , nisi Generalis id ipsis expresè committat. Si autem sint Doctores per Academiam publicam, poterunt aperire sine licentia Generalis,quia ad hos tales litteræ destinantur,Doctores videlicet.

4 Quarta non sufficit quòd sit Doctor existimatus communi errore,vel populi voce,nisi sit verè Doctor. Sufficiet verò quòd sit verus Doctor,etiam si sit indoctus, & ineruditus. De priori patet, quia existimatus Doctor,non est verè Doctor.De secundo constat,quia talis indoctus habet verum gradum Doctoris , quem papa requirit. Vt autem prælatus hanc facultatem alicui committat , non est necesse quòd talis Religiosus sit Doctor , Magister , vel Iubilatus;sed requiritur , vt sit ita doctus , vt ferè æquiualeat Doctori, vel sufficiat prædictas clausulas intelligere,& exequi.

Credo

Credo autem ſufficere quòd talis Religioſus,non paucos annos,vt decem,ſacram Theologiam publicè profeſſus ſit.Notat verò Sanches *citata diſp.34.n.12.* quòd licèt hæ litteræ per errorem aperiantur ab illo qui verè Doctor non eſt, tales litteras non amittere ſuum valorem.

5 Quintò requiritur quòd talis Doctor ſit Confeſſor approbatus , circa quæ nota ſequentia. Primum ſufficere vt ſit approbatus ab Ordinario,quamuis eſſet occultè reuocata licentia Superioris pro audiendis cõfeſſionibus , ita vt talis reuocationis detur error communis,id eſt, ignoretur omnino talis reuocatio,etiam ab ipſo Confeſſore.Si enim de illa conſtet,non poterit aperire.Secundum eſt debere eſſe approbatum ab Ordinario , & non ſufficere approbationem Academiæ alicuius. Tertium eſt, ſi ſit approbatus cum limitatione,pro maſculis tantùm ob defectum ætatis ſenilis,tamen poterit eligi pro aperiendis his litteris,ſiue id petat vir,ſiue fœmina:quia cùm aliàs ſit Doctor,vel æquiualeat Doctori iuxta ſui Prælati iudicium, poterit ſufficienter tales literas aperire , & ad hoc dicetur ſufficienter approbatus.Quartum eſt,quòd quantumcumque ille Doctor ſit indoctus , ſi tamen ſit approbatus ab Ordinario,ſufficit vt poſſit aperire.

6 Circa cauſam diſpenſandi allegatam,videlicet timorem incontinentiæ,non ſufficiunt quæcumque tẽtationes carnis,nec quoduis periculum lapſus in illas, nec timor vnius,vel alterius lapſus,ſed requiritur maximum periculum frequentis lapſus, ita vt ea perſona dici queat viuere incontinenter. Hoc patet ex verbis clauſulæ ibi : *Continenter viuere poſſe non ſperat* ; quæ ſonant habitum viuendi incontinenter:& conſequenter periculum vnius , vel alterius lapſus non eſt iuſta cauſa in hoc diſpenſandi. Sufficiet tamen ad diſpenſandum

ſandum ſi hoc grande periculum frequentis lapſus proueniat,vel ex fragilitate complexionis, vel ex prauo habitu acquiſito.

7 Tenetur confeſſarius examinare diligenter iſtam cauſam in ſecreto abſque teſtibus. Neque tenetur à pœnitente exigere iuramentum , quia ad conſcientiæ forum id non permittitur, ſed debet in Deo obteſtari, vt vera loquatur , quod ſi Confeſſor per aliam viam nouerit pœnitẽtem falſum dicere, non poterit diſpenſare.Vnde intelliges quòd quando in Concil.Trident. *ſeſſ.22.c.5. de Refor.* dicitur diſpenſationes Pontificias non valere,niſi præſententur Ordinario illius,qui impetrauit , id intelligi de diſpenſationibus fori externi, non verò de his quæ ſunt fori interni.Si verò Confeſſor iſte diſpenſaturus id iam nouit antea ex Confeſſione Sacramentali,non indiget nouo examine.Si autem Confeſſor neque examinet,neque conſcius aliàs ſit de illa iuſta cauſa ; & re vera à parte rei eſt iuſta cauſa, quam ille neque ſcit,neque examinat,& tamen diſpẽſat ; diſpenſatio nulla eſt , quia non ſeruauit formam ſubſtantialem præſcriptam pro actu illo faciendo , ita Sanches *citata diſp.34.num.26.* Et facit quòd aliàs docet Suarez *lib.5.de Legibus,c.31.& 32.*

8 Quod attinet ad monita , & conſilia danda pœnitenti antequam Confeſſor diſpenſet, debet Confeſſor monere vt veritatem integrè, & ſincerè declaret,quia illa negata diſpenſatio non valebit. Attamen ſi Confeſſor talia conſilia , & monita omittat ſeruando reliqua,diſpenſatio valida erit.

Quod attinet ad clauſulam poſitam pro diſpenſatione voti ſimplicis Religionis,& caſtitatis,vt ſcilicet Confeſſor abſoluat pœnitentem à mutatione propoſiti circa tria vota iuxta probabiliorem opinionem, non requiritur vt Confeſſor diſpenſaturus audiat

pœni

pœnitentem in confessione Sacramentali: sed habent illa verba hunc sensum: *Si pœnitens aliàs voluerit tibi sacramentaliter confiteri, ab olues illum à tali mutatione proposiri.* Si verò pœnitens noluerit sacramentaliter confiteri, non obligatur ad illam. Vnde sequitur posse prædictos Theologum, vel Canonistam Doctores, vel Religiosos tali priuilegio gaudentes facere prædictam dispensationem extra sacramentum Confessionis, in secreto, seruatis aliis circunstantiis, vt latè probat Sanches *citat, disputat. 34. num. 3.*

10 Circa pœnitentias iniungendas taxatas in prædictis litteris de Confessione facienda singulis mensibus, &c. Nota primò teneri Confessorem iniungere aliquas confessiones statis temporibus faciẽdas, & aliqua pœnitentiæ opera perpetua, quorum aliqua sint quotidie exercenda. Id enim clarè innuitur in dictis litteris. Secundò eo non obstante, committitur arbitrio Confessoris quantitas aliorum operum pœnitentiæ, & pietatis, præter illa quæ quotidie facienda iubetur imponere. Tertiò, circa confessionem singulis mensibus iniunctam relinquitur arbitrio Confessoris, vt possit esse bimestris attento statu pœnitentis occupati, distracti, & similiter impediti, tali enim oneri fortè succumbet cum periculo animæ. patet ex verbis clausulæ de confessione menstrua cùm dicitur: *Vel quoties tibi videbitur.* Quod verò attinet ad obligationem pœnitentis, in hac confessione mẽstrua facienda: Noto quartò, satisfacere tali pœnitentiæ si confiteatur quouis die cuiusuis mensis. Vt si, verb. gratia, pro mense Decembri confiteatur prima die Decembris. Pro mense verò Ianuarij confiteatur vltima die sequentis Ianuarij. Si verò talis pœnitens omittat confessionem in aliquo mense (quidquid sit de peccato omissionis) non tenebitur in conscientia illam omissam confessionem supplere

plere menſe ſequenti : quia fuit onus præcedentis menſis, ſicut dicitur de Diuino Officio omiſſo in vno die. Neque tempore Quadrageſimæ in illo menſe quo confitetur vt Eccleſiæ ſatisfaciat, tenebitur ad hanc menſtruam confeſsionem iniunctam: quia ſummus pœnitentiarius nouit fore vt in aliquo illorum menſium coincidat Eccleſiæ præceptum, & tamen ad duplicem confeſsionem non obligat. Neque ſi iſte pœnitens aliàs ex voto vel ex pœnitentia iniuncta ab alio Confeſſore tenetur confiteri ſingulis menſibus, per has menſtruas confeſsiones non ſatisfaceret huic præcepto, de quo loquitur pro iſta diſpenſatione, ſed tenetur illas duplicare ſingulis menſibus. At Confeſſor huius obligationis conſcius prudenter ageret, ſi hunc non obligaret ad aliam confeſsionem menſtruam, ſi inde lapſus, vel omiſsionis periculum timeret: ſed poſſet trimeſtrem, aut quadrimeſtrem imponere, quia ei datur arbitrium circa talem confeſsionem menſtruam.

11 Circa alia opera pietatis, & pœnitentiæ iuſſa imponi putat Sanches *citata diſp. num.* 4. ſufficere vt in quauis hebdomada vna die qua poterat veſci carnibus ab illis abſtineat: vel vna die ſingulis hebdomadis ieiunet: vel vna die cilicio vtatur, vel flagellis carnem verberet: vel quoduis horum operum faciat vna die, in quauis hebdomada. Quod ſi viderit confeſſarius hoc graue fore pœnitenti debili, poterit iubere, vt quoduis illorum operum faciat non ſingulis hebdomadis, ſed vna die in duabus, vel tribus hebdomadis. In particulari verò de operibus Religionis, quæ iubentur imponi quotidie pro diſpenſando voto Religionis, vt ea quotidie exequens recordetur voti quo tenebatur, putat Sanches ſufficere quod quotidie iniungantur, vel Litaniæ, vel Pſalmi pœnitentiales, vel

quin

quinquies oratio Dominica, cum oratione Angelica. Quando verò dispensandum est votum castitatis iubet Sum. Pœnitentiarius vt imponantur aliqua opera pietatis quotidie implenda, vt meminerit prioris voti. Quæ opera pietatis possunt esse quæcumque opera misericordiæ, vt recitare quinquies orationem Dominicam, & Angelicam pro animabus Purgatorij, vel pro viuis in peccato existentibus, vel eleemosyna quotidiana, vel quoduis opus misericordiæ.

12 Quod attinet ad clausulam, *quod prædictæ litteræ lanientur, vel comburantur, & parti non dentur, aliàs non valeant*: Nota quod si prædictæ litteræ facta dispensatione restituantur parti, & nihilominus Confessor resipiscens, illas repetat, & comburat, valebit dispensatio: quia hæc creditur meritò mens Pœnitentiarij, vt eæ litteræ non prosint, dum apud partem manserint. Imò addit Sanches *num.* 42. quod etiam si prædictæ litteræ maneant apud pœnitentem semper, dispensatio tamen valebit. Quia mens Pœnitentiarij est vt illæ sic illi non suffragentur, id est, pro foro externo, vel litigioso. Secùs pro foro interno. Circa illa autem verba quæ ponuntur pro dispensatione matrimonij initi, vel ineundi, vt scilicet Confessor pronuntiet illis prolem susceptam, vel suscipiendam fore legitimam, multa congerit Sanches *citat. disp.* 34. *à num.* 45. *vsque ad num.* 53. quæ licèt sint satis erudita, quia tamen diffusa sunt, neque omnino spectant ad expeditionem harum litterarum, vt sciantur, omitto libens, videat qui voluerit scire de ligitimatione prolis inde secuta: ibi enim etiam aliqua interserit spectantia ad materiam irregularitatis. Innuit tamen ibi Sanches teneri Confessorem in verbis declarare, ac dicere, quod præter dispensationem factam, nomine Papæ legitimat prolem susceptam, vel suscipiendam: si enim hoc non dicat,

dicat,& non pronuntiet,prædicta proles non cenſebitur legitimata.

13 Circa eandem diſpenſationem matrimonij initi, vel ineundi, additur in litteris: *Dummodò impedimentum inde proueniens occultum ſit.* Circa quod noto primò, hîc occultum ſumi vt diſtinguitur contra publicum. Quare licèt ab aliquibus tale impedimentum ſciatur,ac proinde probari poſſit,dicitur occultum.Et tunc ſolum non dicitur occultum,ſed publicum quando eſt publicum non ſolùm in ciuitate, ſed etiam in maiori parte viciniæ, Collegij, Monaſterij, vel Parochiæ,dūmodo ſaltē decē perſonæ inueniantur, in quibuſuis dictarum cōmunitatum,in quibus id publicum eſt.Ita Sanches *cit.diſp.*citans multos,& eſt communis expoſitio Doctorum circa crimen quando ſit dicendum publicum,vel occultum. Dicetur adhuc hoc impedimentum occultum:ſi copula ipſa ſit publica in ratione copulæ,non verò ſit publica in ratione impedimenti:id eſt,ſi ſciatur copula, at non ſciatur illud eſſe impedimentum dirimens matrimonium.Neque enim (ait Sanches) verè dicetur delictum publicum ſi tantum actus illius materialiter ſit publicus, niſi ſit publicus formaliter,id eſt,quatenus eſt delictum:& citat Nau. Henriq. Sà,Sayrum,Rodrig. & alios. Imò addit ibi Sanches *n.*56.ex Nauar.Rodrig.& Sà,dici delictum occultum,quamuis vt delictum publicum ſit,ſi tamen ſit occultum quatenus eſt cenſuræ ſubiectum:quia videlicet non ſcitur publicè ob tale delictum incurri cenſuram illam, licèt duo vel tres delicti conſcij norint per id incurri cenſuram.De hoc tamen vltimo dicto dubitat Sanches, & ego cum illo. Eſt tamen opinio talium trium Doctorum.Nihil tamen dubitandum eſt de priori expoſitione communi Doctorum prius data de occulto,& publico.

14 Si tamen hoc impedimentum iam sit deductum ad forum contentiosum, non dicitur occultum: quia iam spectat ad forum externum, in quo Papa non vult sic dispensari. Si tamen hic pœnitens deductus ad forum externum fuit ibi absolutus, adhuc crimen dicetur occultum, & redactum ad actum pristinum erit dispensabile: etiam si reus falsis testibus se defenderit; quia hoc non tollit quin crimen maneat occultū, cùm reus non amiserit famam, per sententiam enim illam recuperauit. Idque tenet Sanches *citata quæst. vel disput. nu.* 57. etiam si contra reum fuerit semiplena probatio: quia hac sola existente, aut reus absoluitur definitiuè, & sic nullum potest esse dubium: Aut absoluitur ab instantia, seu obseruatione iudicij, & tunc adhuc manet occultum. Hoc tamen vltimum quando existit semiplena probatio in iudicio negat Suarez *de Censur. disput.* 41. *num.* 6. credens iam tunc non dici occultum: quia crimen positum in foro externo cum semiplena probatione, quomodocumque absoluatur, iam nō potest dici occultum, & mihi hoc videtur verius quoad hoc vltimum de existente semiplena probatione. At bene ibi aduertit Sanches *num.* 58. quod ita debet esse crimen deductum ad forum contentiosum, vt simul reus sit citatus, illique intimata citatio: si enim crimen sit delatum ad iudicem per denuntiationem, iudex tamen apud se retineat, & parti non intimet, adhuc dicetur occultum. Citatio enim est primus actus iudicij, & proinde ista non facta, adhuc non dicitur forum contentiosum subire. Vide supra verbo *Abbas à num.* 4.

15 Circa alia verba pro dispensatione matrimonij irriti iterum celebrandi, iubetur etiam imponi confessio menstrua, de qua iam supra diximus: hîc solùm aduerte quod illa imponenda est vtrique coniugi, si ambo

bo peccauerunt: si verò vnus tantùm peccauit, illi tantùm erit iniungenda.

16 Circa id quod amplius iubetur, vt experiantur dispensandi, si viuere possint vt frater, & soror continenter separatione non facta, vel si in separatione decrit scandalum, credit Sanches *num.* 60. quòd si Confessor ex præcedenti experientia, vel ex iis quæ cognouit in examine, intelligat illa duo non posse moraliter fieri, non erit necessarium experientiam expectare in illis duobus: quia non est credendum velle Ecclesiam fieri experientiam frustraneam: eo vel maximè quia sit maximum periculum incontinentiæ eam præmittendo: ac proinde moraliter loquendo rarissimè, aut nunquam erit necessaria.

17 Quod denique dicitur in prædictis litteris: *Vt coniux impedimenti ignarus certior fiat de prioris consensus nullitate*, credit Sanches *num.* 60. non esse de essentia dispensationis, sed inseruire quasi instructionem confessarij, vt contractus matrimonij sequentis sit certior. Dat causam præcipuè, quia sæpius hæ frustrarentur dispensationes si id esset necessarium. Sæpe enim continget nō posse detegi nullitatem absque periculo detegendi delictum, & maximè si impedimentum sit ex parte fœminæ cuius delictum si viro detegatur, erit causa multorum iurgiorum, ac periculorum: & sic Doctores multi consulunt peti hanc dispensationem occultè tacita nullitate prioris consensus. Sic explicat Sanches. Ego credo illum sic clarius exponendum: si matrimonium fuit nullum, quia fœmina, verb. gratia, ante matrimonium habuit copulam cum fratre præsentis mariti, tunc vt hoc matrimonium denuo ineatur, non est manifestandum delictum huic viro putato marito quod delictum fuit causa impedimenti. At credo omnino quòd dicendum est viro saltem remotè, &

quasi conditionaliter, vt si fortè antea matrimonium fuerit nullum, denuo consentiat. Si enim hoc saltem modo non consentiat denuo, non iterabitur verè, neque contrahetur matrimonium, eo modo quo professus nulliter ob occultum impedimentum ignoratum, non ratificat professionem per quemcumque actum externum, nisi illi constet de impedimento saltem in confuso, & dicat se denuo consentire saltem ad cautelam.

Si quis autem videre cupit formam litterarum quas dirigit Papa Episcopis pro dispensatione matrimonij in foro externo, videat Sanches *citato loco tota disputat.* 35. Ego illa ibi dicta omitto, quia non spectant ad Religiosos directè: videant Episcoporum officiales.

CONSERVATORES.

Vide infra, verbo *Notarius per totum*, & verbo *Abbas, num.* 8.

1 NON est necessarium quod Conseruator nominetur per prouincialem: sufficit nominari per prælatum Conuentualem, qualis est Guardianus. Rodr. *tom.* 1. *quæst. quæst.* 65. *art.* 3.

2 Possunt eligi Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ, & Vicarij Generales Episcopi. Rodr. *ibid. art. eodem*, & de Vicariis, & Officialibus Generalibus Episcoporum conceditur Societati IESV, vt eligantur vbilibet constituti: & de Canonicis siue sint Metropolitanæ, siue Cathedralis Ecclesię. Comp. illius ver. *Conseruator.* §. 1.

3 Personæ nominatæ in Conseruatores tenentur acceptare sub peccato: nisi iustam, & legitimam excusationem dederint. *ibid. art.* 4.

4 Acce

4 Acceptante vno Conseruatore electo non potest alius nominari,vel se intromittere,nisi prior nominatus sit legitimè impeditus, vel nolit procedere, vel si procedat malitiosè.Rodr.*art.*5.

5 Possunt eligi extra Diœcesim in qua sunt Conuentus. Reum tamen non possunt citare, vltra tres dietas computandas à fine Diœcesis in qua reus moratur:idque à fine Diœcesis,non à fine ædificiorum Diœcesis. Rodr.*eadem q.art.*7. Sed ibi aduerte,quando citat Bertachinum dicentem vnam dietam continere viginti leucas,esse errorem impressionis: solum enim continet viginti milliaria, seu iter vnius diei, teste Petro Vendrameno *super Repert.Inquisitorum*,ver.*Dieta.*

6 Possunt Conseruatores subdelegare; sed debent subdelegare personas similiter in Ecclesiastica dignitate constitutas.Rodr.*q.cit.art.*11.

7 Conseruatores defendunt Regulares ab iniuriis verbalibus:& in possessione temporalium:& circa debita ciuilia.*a.*11.*&* 12.& præcipuè circa sua priuilegia.

8 Ipsi Religiosi pro debitis ciuilibus conueniri non possunt coram suo Conseruatore:sed citari debent coram suo Prælato.Rodr.*cit.q.art.*13.

9 Possunt Regulares eligere Conseruatorem, qui defendat sua animalia,seu pecora, damnum facientia in agris alienis:& hæc causa pertinet ad Conseruatorem non ad iudicem sæcularem.Rodrig.*art.*14. citans id iam contigisse in quodam casu, & sic fuisse iudicatum,damnis solutis.

10 Possunt Conseruatores cognoscere de iniuriis factis familiaribus Fratrum, qui intra Conuentus actualiter seruiunt,& morantur.Rodr.*art.*17.

Et circa supra dicta *n.*6. quod Conseruatores possint subdelegare credo quod Conseruator principalis inMetropoli,poterit intra Diœcesim aliũ subdelegare

modo supra dicto, qui sit propinquior alicui Conuentui pro aliquibus causis, quando scilicet extra Metropolim sint aliquæ personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ.

11 Possunt Conseruatores Religiosorum procedere cõtra alios Religiosos, & Ecclesiasticos, Collegia, Vniuersitates, & Communitates habentes pariter authoritatem eligendi Conseruatorem, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus. Ita Gregor. XIII. concessit Patribus Societatis IESV, in illorum Compend. verb. *Conseruator.* §. 1. & procedere per censuras vsque ad auxilium brachij sæcularis. *ibid.* §. 3. citando etiam per edicta publica: *ibid.* §. 4. cætera sunt legistica, & ipsi electi scire tenentur.

ADDITIO.

VLTRA iam dicta olim quoad hanc materiam duo tantùm aduerto: Primum est, quòd illi qui hoc officio funguntur pro Religiosis, si velint videre amplas concessiones, quas Summi Pontifices pro hoc officio concedunt, videant, & legant Bullam Conseruatoriam, quam Gregor. XIII. concessit Patribus Societatis IESV pro eligendo suo Conseruatore: quæ Bulla ponitur per extensum in Bullario Rodriguez *fol.* 1048.

Secundum est quòd sæpe contingit, vt Prouincialis, vel alius Prælatus velit eligere Conseruatorem, & ignoret formam qua illum debet creare, vel eligere: & ideo voluit hic transcribere formam brevem, sed substantialem creandi Conseruatorem alicuius Religionis, quæ fuit facta, & tradita à quodam Doctore Iuris Cæsarij professore quondam istius scientiæ in publica Vniuersitate.

FOR

FORMA CREANDI CONſeruatorem.

N. Miniſter Prouincialis, &c. Domino N. Decano, Doctori, vel Vicario Generali, &c. Inter alia priuilegia, fauores & gratias ab Apoſtolica Sede Religioſis conceſſas, hoc vnum non minus præcipuum eſt, vt poſsint eligere iudicem Conſeruatorem, qui, eo ipſo quod ab aliquo Prælato electus ſit, teneatur ex obedientia Summo Pontifici debita, dictum officium acceptare: & exinde poſſit Apoſtolica authoritate, & iuriſdictione reprimere, & compeſcere quamcumque perſonam prædictis Religioſis, eorumve Monaſteriis, ac rebus quamcumque vim, & moleſtiam inferentem, vel quouis modo, illorum bonis, vel priuilegiis præiudicantem. Quapropter præſenti ſcripto in virtute prædictæ obedientiæ, conceſsionis, & gratiæ, nomino, & eligo perſonam veſtram (de cuius ſcientia, probitate, prudentia, & zelo iuſtitiæ confido, & certus ſum) eligo, & nomino in noſtrum iudicem Conſeruatorem, & pro taliter nominato habeo, reputo, & habendum declaro. Et hoc pro omnibus cauſis motis, & mouendis in iudicio Eccleſiaſtico, vel ſæculari; & apud quæcumque tribunalia, in quibus ſecundùm ius Canonicum, Breuia Pontificia, vel noſtra ſtatuta generalia, noſtram regulam, vel profeſſionem poſsimus, vel debeamus reſpondere per nos, vel ſyndicos noſtros, ſiue vt rei, ſiue vt actores. Quam nominationem, & electionem Conſeruatoris facio in forma meliori quam ſecundùm ius facere poſſum: & iuxta tenorem Breuium, ac Bullarum Apoſtolicarum, habens pro expreſſo, ſiue ſuppleto, quodcumque in hac nominatione, vel electione exprimi poſſet, vel deberet: idque vt nos defendas à moleſtiis, & iniuriis illatis, & conſerues in poſſeſsionibus, vel quaſi poſſeſsionibus noſtrorum priuilegiorum: & in omnibus

nibus iuribus nobis quomodolibet conuenientibus, contra quascumque personas cuiuscumque dignitatis, qualitatis, conditionis, vel status fuerint, sæculares, vel Ecclesiastici: & in quocumque alio casu, ad quem nostra priuilegia se extendunt, & Sum. Pontificum concessiones indulgent. Et sic personam vestram in Domino obnixè rogo, quantùm iuxta prædictas concessiones possum, vt tamquam noster iudex Conseruator nos defendat in omnibus annexis, vel consecutiuis in causis nostris tam motis quàm mouendis in futurum, quantum prædicti officij Conseruatoris iurisdictio patitur. Dato autem ad hoc aliquo impedimento, propter quod non possit nos tueri, causas inchoare, vel non processare, & cum effectu, vel sententia diffinitiua ad exitum perducere, nomino te iudicem Conseruatorem cum potestate subdelegandi, vel substituendi alium iudicem Conseruatorem semel, bis, vel quoties necessarium fuerit pro omnibus causis occurrentibus, vel pro aliqua parte alicuius causæ per te olim nominatos, ego etiam pro specialiter nominatis reputo, & pro substitutis, cum omni iurisdictione, clausulis, & declarationibus necessariis in genere, vel specie exprimendis. Dat. in hoc Conuentu, tali die, &c. Sub nostro sigillo, & subscriptione manu propria.

Subscribit N.

Alia forma creandi Conseruatorem traditur in enchiridio Fratrum Minorum duobus foliis ante finem operis: quæ quidem prolixior est, & minus iuridica: vide ibi si placet.

CORRECTIO FRATRVM.

MEssis ampla, quia iudicialis, & fori externi, & quotidiana, imò satis necessaria. Et antequã illã per titulos diuidamus claritatis gratia, præsupponendum

dum est tanquam certissimum,& indubitatum Prælatos Regulares esse veros iudices causarum criminalium suorum subditorum : sunt enim veri Prælati habentes forum externum, & proinde sunt veri iudices. Quia ergo hæc correctio iudiciaria multos habet actus,denunciationem scilicet in inquisitione , citationem partis,testes, sententiam, & similes actus,de illis summatim dicendum breuissimè quantum satis sit ad substantiam tantùm.

CORRECTIO FRATERNA, & secreta.

1 CONstat ex Euangelio ante denunciationem in inquisitione,prę̃mittendam esse correctionem fraternam modo assignato à Theologis.Quæ adeo necessaria est,vt si sit spes quod illa proficiet,& sufficiet, & de hoc sit certitudo moralis,non est crimẽ denunciandum Prę̃lato,etiam si crimen ipsum sit contra cõmunitatem,vel contra proximum, vel etiam si sit hæresis, probatur euidenter:quia præceptum denunciandi positum à Prælato , est positiuum humanum tantum at præceptum correctionis fraternæ est naturale, quatenus à natura insitum est vt vnum membrum iuuet alterum,& illi succurrat per influxum,&c.Et præterea idem præceptum correctionis est præceptum diuinum positiuum:& proinde præceptum correctionis fraternæ,si prosit, prævalet præcepto positiuo Prælati iubentis denunciare. Ita D.Thom. 2.2. *q* 35. *art.*7. *C.* agens etiam de hæresi, & proditione,& Nau. *in Sum. cap.* 24.*n.* 14.& Nauar.*lib.*2.*de restit.cap.*4.*n.* 158.Dixi,*si sit certitudo moralis,& spes emendæ*;quia si hæc desit,cessat obligatio correctionis. Et proinde prudens vir debet attendere qualitatem personæ,& culpę:si videlicet

sit persona suspecta, maximè in crimine hæresis; si sit duræ ceruicis: si sit indocilis, si proterua: si fecit ex prauitate, vel ignorantia, vel leuitate: vel è contra si est persona non suspecta, docilis, simplex, si fecit ex leuitate, ignorantia, ex fragilitate, vel à me non bene accipiet, & similibus circunstantiis: vel quod responsum iam dederit: & sic ad arbitrium prudentis si sit certitudo moralis emendæ, corrigat secretè, non denuntiet. Si non speret emendam denunciare tenetur.

3 Non obligat præceptum correctionis fraternæ in his sequentibus. Primò quando peccatum est veniale. Secundò, quando peccatum est publicum. Tertiò, quando etiam si sit secretum, non speratur emenda attentis circunstantiis positis *num.* 1. Quartò, quando est crimen contra communitatem, vel contra proximum, & non est spes emendæ. Hæc omnia sunt certissima, & passim obuia apud Doctores. Sextò, non obligat quando crimen modò quidem occultum est, sed ego scio certò moraliter, quod statim est diuulgandum, quia scilicet vidit vnus tantùm maleuolus qui debet diuulgare: & ita sentit D. Thom. *in* 4. *dist.* 19. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2. *& ibidem* Riccard. *art.* 3. & alij.

4 Si scio peccatum esse emendatum, neque esse occasionem reciduandi, non possum denunciare. Est etiam communis, maximè Nauar. *consil.* 2. *de accusationibus*. Et patet, quia cessat finis denunciationis, qui est correctio, id est, emendatio fratris, iam enim est emendatus. Et hæc sufficiant in substantia pro Compendij ratione: cætera vide apud Doctores in propria materia.

DENVNCIATIO.

5 COnstat obligari Religiosos sub peccato mortali denunciare Prælato, proponenti visitationem:

nem: obligat enim Euangelium, per illa verba, *dic Ecclesiæ*, & Prælatus habet iurisdictionem vt obliget.

6 Crimen secretum si sit emendatum non debet denunciari, vt supra dictum est *n.*4. cessat enim finis denunciationis quæ est emendatio proximi. Et ita neque Prælato tanquam patri dicendum est. Etiam si recipiat iuramentum debet tacere; quia mens iudicis non est, vel saltem non esse debet, interrogare de crimine secreto, & emendato.

7 Denunciare quis non tenetur illa quæ audiuit à parum fide dignis, si inde timet se à iudice irridendum. Nauarr. *in Summ. cap.*25. *numer.*26. Debet enim scire per visum, auditum, vel alio certo modo. Si verò audiuit à fide dignis, tenetur denunciare. Nauar. *mox citandus.*

8 Nauarr. *in Sum. in cap.*25. *à num.*46. ponit septem causas excusantes à denunciatione. Prima est, quando peccatum est secretum, & emendatum, de quo iam supra. Secunda, defectus probationis peccati denunciandi. Ego tamen credo quod si peccatum fuit publicum, vel non sit spes emendæ, quod etiam si ego solus sciam teneor dicere tanquam patri, etiam si non possim probare; maximè quando feci correctionem fraternam, & non profuit: tunc enim meum solum dictum saltem proficiet vt Prælatus maiori authoritate charitatiuè, & secretò emendet. Tertia excusatio posita à Nauarr. est si audiui ab homine parum fide digno, de qua iam *n.*7. Quarta est, si iam is à quo audiui denunciauit. Quinta, si scio, quod is qui furatus est rem, quæ iubetur denunciari, illam furatus est iusto titulo compensationis, ob aliud æquale sibi debitum. Sexta, si scio tantùm per sacramentalem confessionem. Dixi *tantùm*, quia si sciui in sacramento pœnitentiæ, & postea sciui extra illud, bene possum, vt omnes dicunt.

Septi

Septima,si sciui per solam consultationem:tunc enim non teneor, imò non possum denunciare, nec rogatus respondere; quia aliàs periret remedium consilij capiendi à doctis in Ecclesia Dei.Hæc ibi Nauar.

Et addit eodem loco quod is qui delictum non denunciauit intra tempus contentum in edicto, tenetur ad denunciandum transacto termino præfixo quàm citius commodè possit:idque probat ex *c.cùm dilectus. de dolo & contum.*

9 Denunciare non tenetur,qui attenta praxi,& omnibus circunstantiis cum prudentia,scit certò moraliter denunciationem suam non profuturam, vt quia Prælatus negligens est in puniendo, vt iam aliis in causis innotuit in simili, vel quia ob affectum amicitiæ,vel consanguinitatis non puniet.Et probatur, quia nemo tenetur ad actum frustraneum: & tunc denunciatio certò moraliter est frustranea. Nau.*libr.5. consilior.titul. de hæreticis,consil.8. num.5. & consil.4 num.3.* & Sà in Aphorism.verbo Correptio,*num.*4.Dixi *certò moraliter*, quia,si tantum dubitet an proficiet, tenetur denunciare.

10 Peccat mortaliter iudex si in visitatione generali specialiter inquirat de vita alicuius personæ particularis de qua non habet infamiam probatam,vel semiplenam probationem. Est communis, & probatur, quia tunc per illam specialem inquisitionem illam infamat. Imò si illi detur aliquis libellus infamatorius de aliquo extra viam accusationis,si talis non sit aliàs infamatus,non potest de illo inquirere,vt patet ex *c. inquisitionis. de accusationibus.* Dixi *extra viam accusationis*,quia si dans libellum illum,accuset,potest,ac debet inquirere etiam de non infamato.

11 Denunciare nõ tenetur quis de filio suo,de patre suo,fratre,marito,vxore,etiam si feratur sententia excommu-

communicationis,quia ius positiuum non obligat cum tanto damno testimonium ferre.Suarez *tom.de censur. disput.20.sect.3.numer.10.* Vide infra hic,verbo *Testis.* Excipe crimen hæresis, in quò iuxta securiorem sententiam etiam filius tenetur denunciare de patre.

12 Denunciator valet pro teste, si is dicat vt testis, & iuratus:hoc latius probabitur ver.*Testis,num.26.*sub hoc ver.*Correctio fratrum*,videlicet quod valeat vt testis.Dixi *si dicat vt testis*,quia si dicat incidenter,& casu, vel dicat tanquam ad patrem, absque iuramento, non valet vt testis. Innuit Vmbertus in sua practica Inquisit. ver. *Accusatio.§. vltimo citans Baldum.* Et ait quod si denunciator non dicat vt testis, sufficiet eius dictum ad inquirendum, non ad puniendum. vide statim *numer.14.& 15.* & infra verb.*Litteræ numer.1. 2.& 3.*

13 Si duo, vel tres testes denuncient Prælato aliquod crimen sub iuramento: & tale crimen non sit diffamatum,neque persona infamata,non potest Prælatus illud publicè punire, sed solùm secretò paternaliter monere,*c.inquisitionem,§.tertiæ de accusat.* & consonat statutum generale Tolletanum Minorum *c.6. titul.de Correctionibus.*

Si verò crimen publicum sit,& sufficienter probatum, necesse habet Prælatus satisfacere scandalo, & pœnam infligere, vel totalem, vel minorem attenta lege,statutis,qualitate probationis, & qualitate personæ, attentisque cæteris circunstantiis aggrauantibus vel alleuiantibus,iuxta arbitrium boni viri,& iuxta dicenda infra ver.*Pœna.*

14 Si denunciator dicat Prælato se dicere vt patri, non vt iudici, tũc non potest Prælatus agere vt iudex, sed vt pater, maximè in crimine occulto,de quo non speratur emẽda,& deest alia probatio.Tũc enim potest

Præla

Prælatus ſecretò monere culpatum. Si verò vltra hunc ſic delatorem alij teſtes ſuperueniant, & bono communi conueniat, vel bono particulari, tunc poteſt ac debet agere vt Iudex. Aldrete *lib.* 1. *c.* 6. *de Relig. diſcipl.*

15 Si ſocius criminis denunciet tanquam ad patrem, non debet cogi vt iudicialiter denunciet cum ſua infamia ſe prodendo, quia tunc ius naturale famæ præualet poſitiuo iuri denunciandi iudicialiter: colligitur ex Couarr. *in pract. cap.* 18. *num.* 7. Satis enim fecit denunciando tanquam ad patrem. Et hinc clarius videbis quod poſſit denunciator aliquando dicere non vt teſtis iudicialiter ſcilicet: ſed tanquam ad patrem, vel quid ſimile, & tunc denunciator non valet pro teſte. Sed ſi poſtea ſuperueniant alij teſtes, & conducat bono publico, vel particulari, poterit iterum vocari prior denunciator vt ſub iuramento denunciet iudicialiter. Adde quod legitimus denunciator eſt, qui fraternè correxit proximum ſecretè, & ſecundò coram teſtibus: (intellige quando dabatur locus correctioni) & præterea iudicialiter denunciat. Aldrete vbi ſupra, *num.* 16.

16 Superior non poteſt reum ſecretum publicare etiam ex licentia denunciantis, quia denuncians, neque Prælatus non ſunt domini famæ denunciati, vt patet in lumine naturali. Secus ſi ſit crimen publicum, vel proceditur per accuſationem.

TESTIS.

17 PRo conditionibus teſtis vltra hic dicta, vide infra verb. *Religioſus. num.* 5. & 6. & verb. *Teſtamentum, num.* 7. & infra in fine verb. *Teſtis.* & ver. *Tortura.*

18 Non valet teſtimonium teſtis datum per ſcriptum factum.

Digitized by Google

factum ab ipso teste, sed ex ore ipsius debet iudex audire,& Notarius scribere:aliàs est nullum.*l. de minoribus.ff.de minor.*§.2.*& c.relatum 5.q.2.*& Rodr. *Add.ad Sum.tom.4.c.153.n.6.*

19 Testis omni exceptione maior dicitur ille, qui per nullam exceptionem potest repelli. Pract. Inquisit. Vmberti,verbo *Testis* §. 2. *dicimus.* vide infra ver. *Littera.*

20 Testis offerens se ad testificandum non vocatus à iudice,neque à parte,suspectus est.Pract.Inquisitorum vbi proximè,§.4.*agendum.*

21 Potest Prælatus Regularis sumere testes sæculares in causis criminalibus contra Religiosos, quando crimen est publicum,scitum à sæcularibus, & non sunt testes Religiosi.Rodrig. *tom.*2.*q.*28. *art.*3.*in fine, & eodem tom quæst.*10.*art.*5.Et probatur,quia aliàs crimina scandalosa manerent impunita in Ordine, & præterea quia ædificantur sæculares si viderint crimina puniri.

22 Testis debet esse iuratus, sub Euangeliis, cruce, vel in verbo Sacerdotis, vel quouis æquipollenti,est certissima ex multis textibus & praxi. Sed dubitas : an in Ordine Minorum testis iussus à Prælato sub pœna obedientiæ tantùm,absque iuramento,faciat testimonium iuridicum?Negat Rodriguez *tom.*2. *q.q.*120.*art. vltimo.*At quod sit validum,& iuridicum tenet fusè,& efficaciter Miranda *in Ordine iudiciali q.*14.*a.*8.*concl. vnica.* Imo & ipse Rodrig. aliud sentiens,se retractat, *tom.*4.*Add.cap.*153.*concl.*7.sentiens cum Miranda esse iuridicum.

23 Si testis in articulo mortis retractat testimonium à se datum dum sanus erat, priori testimonio dato standum est.*l. si quis graui.* §. *si quis moriens:*& ibi Bartol.Abbas *in cap.per tuas.de probation.* Excipe nisi secun

ſecundum dictum fulciatur coniecturis ſufficientibus, & det rationem ſuæ reuocationis.

24 Socius criminis non poteſt eſſe teſtis contra ſocium ita vt valeat pro teſte, quia eſt ſuſpectus, & proinde infamis, facit tamen indicium ad inquirendum. Iul. Clar. *practic.criminal.q.*21. cum ibi citatis, & eſt communis. Eſt autem ſocius etiam is qui fauit, conſulens, auxilians, &c.

25 Pœna totalis danda non eſt niſi ſint duo teſtes & conteſtes omni exceptione maiores, & crimen ſit publicum: aut ſi procedatur via accuſationis; tunc enim dabitur tota pœna etiam in crimine occulto. Eſt communiſſima, & patet ex illo *Matth.*18. *In ore duorum vel trium ſtet omne verbum.* Excipe ſi ſit crimen difficilis probationis, qualia ſunt facta de nocte, vel ſolita ſemper fieri in occulto vt in ſacramento pœnitentiæ ſolicitando fœminas; & facta in loco ſecretiſſimo, tunc enim vnus teſtis cum indiciis ſufficiunt ad pœnam ordinariam. Imò abſque teſtibus ſufficit violenta probatio: qualis eſt ſi iſte viſus eſt exire cum gladio euaginato à domo vbi manet mortuus, vel veſte ipſius mortui cruentata induta, perforata: vel in manu illius furtum inuenitur, & cætera ſimilia. Et hæc eſt communis ſententia praxi firmata. Rodriguez *tom.*2.*q.*12. *art.*2.

24 Duo teſtes ſingulares non ſufficiunt ad pœnam totalem, dicunt tamen Caiet. 2.2.*q.*70.*art.*2.& Sot.5. *de iuſt.q.*7. *art.*2.*ad* 1. quod in Religionibus valde facinoroſi in delictis leuibus poterunt condemnari per duos teſtes ſingulares, idque in fauorem obſeruantiæ, non verò in re graui. Et tenet Rodrig. *in Addit. Sum. tom.*4. *cap.*148. multa pro hoc dicens. Sed nota duas modificationes, videlicet ſolum in re leui, & quando reus eſt facinoroſus.

25 Si

Digitized by Google

25 Si verò teſtes ſingulares fuerint plus quàm duo, vt ſi ſint quatuor vel plures, & tendunt ad eundem finem, de vno ſcilicet delicto, nõ de pluribus, ſufficiunt ad pœnam totalem, dummodo tamen ſint bonæ famæ. Sed tamen communior opinio tenet quod neque ſic danda eſt totalis, vide Direct. Inquiſit. in Commen. Penhæ. *Com.* 121. qui teſtes ſint ſingulares vide infra in littera T. ver. T*eſtis n.* 1. 2. *&* 3.

26 Primus denunciator valet pro teſte, ſi ſit denunciator verus, & dicat vt teſtis. Quando autem denunciator dicat vt teſtis vide ſupra hoc verbo, *n.* 12. 14. *&* 15. Quod autem iſte verus denunciator valeat vt teſtis tenet Rodriguez *tomo* 2. *quæſtionar. quæſtion.* 12. *articul.* 6. ex Soto, Simunc. Nauarr. & Banhes. Et probat ex illis verbis citatis Chriſti D. *Matth.* 18. de denunciante dictis. Adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum &c. vbi clarè, per verbum (*tecum*) innuit quod ſequentes teſtes, ſunt etiam teſtes cum denunciante; & ſic vnus teſtis cum denunciante ſufficiunt ad pœnam totalem in crimine publico. Rodr. *Addit. ad Sum. tom.* 4. *cap.* 146. *n.* 4.

27 Teſtis rogatus à iudice de crimine occulto, de quo non eſt infamia, neque ſemiplena probatio, tenetur tacere, & dicere ſe nihil ſcire, ſubintelligens ſe neſcire ad dicendum licitè. Rodriguez *tom.* 2. *quæſtion.* 13. *artic.* 7. excipe ſi ſit crimen contra communitatem, vel contra proximum, & teſtis neſcit an reus omnino ceſſauit à propoſito faciendi; tunc enim tenetur prodere, maximè ſi intelligit locum non habere correctionem fraternam. Si enim ſtans coram iudice teſtis credat, & certò ſciat moraliter profuturam correctionem fraternam: taceat, & exiens corrigat fraternè; aliàs tenetur prodere, quando eſt contra bonum commune, vel particulare. Add. Sà in Aphoriſm. verb.

Testis numer. 6. quod tunc testis debet prodere si nequeat alio modo illi malo occurri, quod coincidit cum nostro hic dicto. Vide infra verbo *Religiosus, num.* 6. & 7.

EXCEPTIONES OPPONIBILES contra testes.

28 POtest reus, etiam Religiosus, opponere exceptiones validas ad annullandum, vel infirmandum testimonium testis contra se, vulgò dicuntur, *sospeiçoens*; quarum causæ ordinariæ sunt sequentes.

29 Prima, & principalis est inimicitia: & hæc probatur ex multis capitibus. Primò si præcesserunt minæ de occidendo, vel simile quid faciendo. Secundò si hic testis iam me accusauit de graui crimine: non verò si de me iam denunciauit in re parua, bene tamen si cõtra me deposuit iam in graui causa criminali. Tertiò, si ille testis fuit à me olim detentus in vinculis, quando ego fortè eram Prælatus, vel Iudex. Quartò, si dixit contra me verba iniuriosa. Quintò, si ego moui olim contra illum quæstionem, quod esset Iudæus, ebrius, vel quid simile graue. Sextò, si commoratur, & conuersatur cum meis inimicis. In omnibus his, vel omnes hi sunt testes suspecti. At prudens Prælatus in Religionibus debet circa hoc esse nimis circumspectus, & non facile admittere exceptionem inimicitiæ capitalis inter Religiosos, maximè iam reconciliatos: qui quotidie communicant, & celebrant, maximè si sint spectatæ vitæ. Hæc omnia Rodriguez *tomo* 2. *quæst.* 15. cum multis citatis, vbi etiam notat quod si inimicitia fuit dolo procurata, ad finem ponendi hanc exceptionem, non sufficiat, neque valet exceptio: vt si Petrus timens Franciscum posse contra se testificari, ex industria

Digitized by Google

ſtria prouocet Franciſcum, vt alleget inimicitiam : ſi enim hoc conſtet, non valet exceptio.

30 Reus habens contra ſe vnum teſtem poteſt illi opponere crimen aliquod quod ſit verum, etiam ſi ſit ſecretum, ne ſit teſtis in ſua cauſa. Hoc tamen ſeruatis tribus conditionibus. Prima vt hoc ſit omninò ſibi neceſſariũ, & nõ poſſit aliter abſolui: ſi enim aliter poſſit, non poteſt detegere. Secunda, vt crimen ſecretũ quod ſcit de teſte, non ſit magis infamatorium teſtis, quàm ſit infamia quam patitur reus. Si enim cauſa rei eſt leuis, & crimen detegendum grauiſſimum, vt ſodomiæ, vel ſimile, non poteſt : & ſic prudentis arbitrio ſeruanda eſt proportio criminum. Tertia, vt attendatur ſi teſtis accedit vocatus à iudice, & obligatus: an verò ſpõte oblatus : ſi enim venit coactus, difficilius eius crimẽ detegetur, quàm ſi ſe obtulit ad teſtificandum. Rodrig. *in Sum. de ordine iudiciali cap. 8. num. 4.* Dixi, *crimen verum* : quia pluſquam falſum eſt, quod ait Vega *in ſua Sum. 1. par. cap. 112. caſu 2.* videlicet poſſe me falſum crimen obijcere illi qui me falſo infamauit, & citat ad hoc duos Doctores. Eſt, inquam, falſiſſimum, quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona: & præterea quia ſi non eſt licitum dicere mendacium officioſum, vt liberem innocentem à morte, quomodo licebit infamare falsò alium quia me infamauit?

31 Cauſæ etiam generales exceptionum circa teſtes ſunt poſitæ in iure, ſi videlicet teſtis ſit infamis, ebrius, decrepitus, & ſic de aliis inhabilitatibus: vt ſunt etiam ſocij criminum, ſeu complices ob cauſam iam dictam.

32 Si teſti ponatur exceptio propter inimicitiam, vel aliam inhabilitatem, non ideo eius dictum omnino repellitur; ſed eſt nihilominus ſcribendum eius teſtimonium : ſi enim aliàs conformat cum indiciis, vel aliis teſtibus, relinquitur prudentis arbitrio, vt illius

dictum valeat tantum, vel tantum, saltem ad modum indicij. Director. Inquisit. 3. *par. fol.* 449. *Coment.* 28. §. *Aliorum verò.*

SEMIPLENA PROBATIO.

32 VT in materia testium constet qualitas, vel quantitas probationis, breuiter dicendum quid sit semiplena probatio, & quot modis fiat. Hæc igitur fit primò per vnum testem omni exceptione maiorem. Secundò per confessionem rei factam extra iudicium: factam, inquam, non calore iracundiæ, & debet probari per duos testes, qui viderint talem confessionem. Si item fiat confessio coram vero Iudice, non sedente pro tribunali, & probetur per duos testes, est tantùm semiplena probatio. Illa verò quæ fit coram Iudice incompetente, neque est semiplena, neque sufficit ad torturam. Rodrig. *in additio. Sum. tom.* 4. *c.* 155. *num.* 7. Si verò fiat coram Iudice legitimo sedente pro tribunali, est plena probatio. Vide tamen pro hoc infra *n.* 47. & 48.

33 Tertiò fit semiplena probatio per scripturam rei clarè cognitam, in qua delictum fatetur. Quartò, per præsumptionem vehementem, quando scilicet talia sunt indicia vt vehementer inducant ad credendum quod reus id fecit. Nota verò quod vnumquodque indicium etiam propinquum delicto, debet probari duobus testibus, teste Iulio Claro *practic. crimin. q.* 22. Et sunt notandæ qualitates indiciorum; alia enim sunt grauia, & vehementia; alia leuia, & remota. Quintò, duo socij criminum faciunt semiplenam probationem. Hæc omnia Aldrete *lib.* 2. *de discip. Relig. cap.* 8.

34 Sextò, efficiunt semiplenam probationem duo testes singulares, vel duo testes non idonei, seu infa-

mes,

mes,vel inhabiles,vt duæ fœminæ,hæ enim quantumcumque prudentes non ſufficiunt ad condamnandum vnum hominem ſaltem in re graui iuxta Rodr. *Addit. tom.4. c.150. n.3.* Duæ tamen Moniales ſufficerent ad condemnandam aliam Monialem, cùm non ſint alij teſtes: ſed ſi res eſſet grauiſſima ego expectarem tres teſtes Moniales.Sed ſaltem ad condemnandum vnum Monachum in re grauiſſima non ſufficiunt duæ fœminæ conteſtes,iuxta Rodrig.*ibidem*,ex Decio,& Maranta,quia ad hoc pro pœna totali plures requiruntur in re grauiſſima.

35 Per infamiam verò quantumcumque grauis illa ſit, & clamoroſa, numquam fit ſemiplena probatio. Neque item illam facit fuga Religioſi à carcere in quo detinebatur ob illud crimen: maximè ſi rediens det excuſationem fugæ, vt quia timebat calumniam, vel rigorem carceris,& ſimilia.Quando crimina ſunt difficilis probationis, vt quia facta de nocte, vel quia ex ſe fiunt in abſcondito,vt fornicatio, ſolicitatio fœminæ in confeſſione,minorem requirũt probationem,& tunc plures ſuſpiciones vel indicia probãt ad pœnam. Vmbert. *in practic. Inquiſitorum,verbo Suſpicio.* multa pro hoc citans.Secus quãdo crimẽ nõ eſt ex prædictis.

CITATIO REI.

36 HAbita notitia criminis,& rei ſiue per inquiſitionem,ſiue per accuſationem,ex dictis teſtiũ, eſt de iure naturali vt reus audiatur per citationem vel vocationem.Hæc autem ita eſt de lumine naturali, vt probatione non indigeat,& textus ſint innumerabiles dicentes omnino totam ſententiam corruere ſi reus non audiatur.Eſtque de iure naturali claro,ac diuino. Neque ſufficit vt hæc fiat,ſed vt debito modo fiat.

Digitized by Google

37 Citatio non valet si detur angustum tempus ad respondendum vt 24. horarum, vel quid simile. Sicut enim citatio est de iure naturali, ita etiam congruum tempus ad respondendum est de iure naturali vt reus se defendat maximè in re graui. Est communis Iuristarum, ac de se patet.

38 Non valet citatio quando reus citatur ad locum periculosum sibi, siue non tutum, siue inhonestum; *cap. ex parte. de appellation.* Neque item si fiat à Iudice incompetente, *cap. si duobus. de appellat.* Neque item quando Iudex est inimicus manifestus. Vmbert. *practic. Inquisit. ver. citatio.* Neque quando citatus, spoliatus primò fuit sua possessione iniustè. *c. si Episcopus* 30. *quæst.* 2.

39 Quid si rei crimen ita notorium est, & ita probatum, vt etiam si vocetur, & audiatur, nullam omnino habet excusationem, seu defensionem ob euidentiam facti, & testium multitudinem? Nauarr. *libr.* 5. *Consil. tit. de sentent. excommunicat. consilio* 25. *numer.* 16. & Rodriguez *tom.* 2. *quæst. quæst.* 18. *art.* 1. dicunt posse fieri sententiam contra illum validam, pro quo citant textus, & maximè hoc in Religiosis ait Rodriguez posse fieri, & circa Prælatos ab officio amouendos. Sed tamen ego salua pace tantorum virorum, hoc non consulerem, sed dico etiam tunc citandum Religiosum saltem per edicta. Ducor, quia in extrauag. communibus, *extrauag. rem non nouam*, tum textus, tum gloss. §. *quis, quid, vbi*, dicitur quod etiam in notoriis requiritur citatio, & satis notorius erat casus de quo ibi est sermo. Et addit Glossa quod neque Papa aliter potest procedere. Vide ibi multa alia ad hoc intentum, quia saltem probant neque tunc posse proced. ad executionem sententiæ.

ACCV

ACCVSATIO.

Vide ſupra hac de re ver. *Accuſatio.* vbi duo ponuntur pertinentia ad hunc locum.

40 FInis accuſationis eſt proprij damni reparatio: At finis denunciationis eſt proximi emendatio. Vnde ſi accuſator, vel denunciator clarè prætendant infamiam proximi, peccabunt mortaliter, quia aberrant à debito fine cuiuſque, & finem malum ſibi proponunt.

41 Non poteſt Iudex reſcindere accuſationes coram ſe factas ſi ſint iuridicæ, graues, & accuſatore non petente: facit enim illi iniuriam, ac damnum illi infert, & aliquando etiam Reipub.

REVS.

42 REo Religioſo in re graui, maximè ſi ſit idiota, tenetur Prælatus dare aduocatum etiam ſi nonpetat. Aldrete *lib. 1 de diſcipl. Relig. c. 2. n. 3.*

43 Reus legitimè interrogatus ſciens contra ſe eſſe ſemiplenam probationem, tenetur reſpondere veritatem; oportet tamen vt ſibi conſtet de tali ſemiplena probatione. Eſt communis Doctorum. Sed ad conſolationem, vel remedium miſerabilium, non piget referre quod Rodrig. *tom. 2. q. q. 18. art. 4.* cum Aragon. Salzedo, Petr. Nauarr. dicunt quod ſi agitur de cauſa capitali, & periculo vitæ, non tenetur etiam tunc reus cum tanto damno fateri veritatem, neque in hoc peccare mortaliter: inclinat Sà in Aphoriſm. verbo *Actus iudiciales. tit. de reo, num. 47.* Idem tenet denuo Ioan. Malderus *tract. 6. cap. 2. de Iuſtitia, fol. 527.* citans

pro se Scotum. Qui omnes fundantur, quia si nemo tenetur in ciuilibus,& criminalibus dicere testimoniũ contra patrem,matrem, fratres,&c. vt supra vidimus, etiam si feratur excommunicatio,ne scilicet suo testimonio tantum malum inferat personæ sibi valde coniunctæ:quanto magis excusabitur miser reus à dicenda veritate contra se,in tanto periculo vitæ?Imo Malderus non solùm in causa capitali reum excusat, sed etiam in causa triremium, & quando agitur de confiscatione omnium bonorum: in aliis leuioribus non. Ego hanc opinionem non consulo contra communiorem.Solùm dico, quod in praxi non damnarem reum illam sequentem: neque illi dicerem illum peccare, maximè si viderem illum difficilem ad confitendum. Et qui hanc opinionem tenuerint cum Rodriguez non damnabo ob tot viros, & talem rationem.

44 Potest Iudex reo exhibere iuramentum, vt veritatem dicat in defectum testium, quando aliter fieri non potest probatio; maximè in principio processus. Rodriguez *quæst.* 18.*artic.* 1. *tomo* 1. & Miranda *in ordine iudiciali,quæst.* 18. *art.*8. Ego verò parcè hoc vtendum consulo propter periculum peierandi.Vide infra verbo *Litteræ num.*2.

45 Rei confessio extra iudicium, & in iudicio quid valeant,vide supra,verbo *Semiplena probatio,numer.*32. & infra *num.*47:*&* 48.

46 Reus indiciatus de vno crimine non potest interrogari de alio nisi cõtra ipsum respectu alterius criminis sint indicia æquiualentia semiplenæ probationi, Rodriguez *citat.q.*18.*art.*8. & est communis. Nec potest de sociis interrogari nisi sint indicia sufficientia quod socios habuerit, Sà *in Aphorism. verb Reus.* Et tamen rogatus de sociis tenetur prodere si sit crimen contra communitatem,aut cõtra proximum tertium,

tium, & sciat illos paratos adhuc ad malum, nec potest aliter illis obuiare. Rodrig. *citat. quæst.* 18. *art.* 10.

47 Si reus confessus est crimen sub spe veniæ promissæ à Iudice, non valet confessio etiam iterata. Pract. Inquisition. Vmbert. verbo *Confessio.* §. *confessio facta.* cum multis ibi citatis. Ex parte verò Iudicis si sit supremus, valet promissio; si verò sit Iudex ordinarius, non valet promissio, & peccat promittendo quod non potest, & proinde fallit. *Practic. Inquisitorum verb. Perseuerantia.*

48 Si reus confitetur coram Iudice per metum, vel per errorem, non valet confessio. Fiet autem per errorem quando reus dicit credens ita se rem habere, sed aliter se habet. Et hoc potest ante sententiam reuocare. Aldrete *lib.* 2. *de discipl. Relig. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 28. *& sequentibus.*

49 Reus Religiosus in causa grauissima, potest torqueri per laicum si desint Religiosi qui id æquè bene possint ac velint: idque absque eo quod Prælatus peccet, vel incurrat excommunicationem. Ita Nauar. *lib.* 5. *Consilior. titul. de sententia excom. consil.* 42. Penha *in Director.* 3. *par. quæst.* 61. *comment.* 9. §. *illud addit.* Suarez *tomo de censur. disputation.* 22. *sect.* 1. Iul. Clar *pract. crim. lib.* 5 *quæst.* 64. *num.* 25. *cum citatis ibi.* Simanc. *tit.* 65. *nu.* 47. Salzedo *in pract. cap.* 126. Rodriguez *in addit. Sum. tomo* 4. *cap.* 155. *num.* 15. & alij quos citant. Hoc tamen, vt dixi, non videtur faciendum nisi pro crimine pro quo leges ciuiles pœna capitis puniunt, & quando Religiosi sufficientes desint. Vide infra ver. *Religiosus, nu.* 10. *&* 11. & ver. *Tortura. in fine operis.*

50 Reus qui negauit crimen coram Iudice, & tamen damnatus est ad mortem, vel quid simile, non tenetur publicè fateri suum crimen ob honorem Iudicis. Sà *citat. verb. Reus. num.* 5.

In cauſis Religioſorum non tenentur Prælati ad apices iuris,hi ſunt:vt iudicium fiat tali loco, vel tali die:vt citatio fiat tali modo verborum:quod tale tempus certum aſſignetur litigantibus, & appellantibus: quod admittantur aliquando protelationes, & exceptiones inutiles:quod rei videant iuſiurandum teſtium: quod reo teſtes publicentur, id eſt, illorum nomina: quod iudicium fiat cum tali & tali poma, & ſimilia.De ſubſtantia ſunt:citare,& audire reum,dare tempus defenſionis,& aduocatum : probationes legitimæ, exceptiones vtiles, appellationes neceſſariæ; &c. ſine quibus reus non poteſt commodè ſe tueri.

IVDEX, SENTENTIA, POENA.

Pro Notario, vide infra verbo *Notarius numero 2. & ſequentibus.*

51 IVdex Regularis deficiente Regula, vel ſtatutis ordinis ad arbitrandam pœnam (quibus prius debet ſtare) primò debet ſtare iuri canonico. Hoc deficiente recurrat ad ius ciuile. Et per ius ciuile primò intelligitur ius illius Regni in quo viuit. Rodrig. *tom.2. qu.21.art.3.*

52 Quando crimina ſunt grauia,vt furtum,homicidium,vel ſimile: & crimen eſt publicum, ſed perſona occulta, poteſt iudex inquirere generaliter de delinquente,& illo inuento,punire illum iuxta probationes, etiam ſi de illo antea nulla fuit infamia: idque in bonum Reipub. Rodriguez *tom.2.quæſt.5 art.6.* & probat praxis quotidiana.

53 Iudex Regularis torquens abſque ſufficienti probatione,vel ſufficientibus indiciis, tenetur de damno, neque illa confeſſio valet. Sà *verb.Reus num.10.*

54

54 Iudex ordinarius Regularis,vel alius, non potest commutare, minuere, vel augere pœnam statutam à lege pro aliquo crimine. *cap.licet.de pœnis.* Idque multo minus potest post latam sententiam. *cap.si quem. 2. quæst.3.* Dixi *ordinarius*, quia Iudex supremus bene potest,vt Generalis potens dispensare in lege.Excipe etiã si pœna legis sit posita in arbitrio Iudicis.Excipe etiam si processum fuit via accusationis,& pars læsa consentit, vt pœna post sententiam relaxetur. Hæc omnia Vmber.*in pract.Inquisit.ver.Iudex* per multa probans.

55 Quando crimina sunt extraordinaria,vel habent particulares circunstantias aggrauantes, vel minuentes,potest Iudex augere, vel minuere pœnam ordinariam.*l.hodie.ff.de pœnis, & l. quid ergo,ibidem.* Vide Sà *in Aphorism.ver. Iudex*, & Rodrig.*qu.42.art.5.tom.2.*

56 Sunt etiam causæ pœnæ alterandæ ætas: vt si sit senex,vel puer,vel iuuenis,vel si reus sit nimis litteratus, vel in aliqua arte insignis.Sed hæc attendi possunt antequam sententia feratur,nõ autem postea.Vmbert. *pract.Inquisit.ver.pœna. §. Quæ autem sint.* Sed in Religionibus ad insignem artificem non est respiciendum.

Quæ verò pœna imponi debeat Religiosis pro particularibus delictis,dicetur infra verbo *Pœna.*vbi vide sufficienter,recurrendúmque primò est ad statuta Ordinis modo prædicto *nu.* 51. pro interim vide Rodrig. *tom.2.à qu.27.vsque ad.38.* incluſiuè,quas omnes quæstiones consumit in specificandis variis pœnis. Nos id breuius faciemus citato ver.*Pœna.*

57 In Religionibus non solet publicari sententia absente reo,illóque non audito,quod dicitur ad rebellionem, id est, (à rebellia) causam vide apud Rodriguez *Addit.tom.2.c.103 n.6.*

58 Possunt Prælati punire iniuriam sibi factam,si est notoria; & habet certam pœnam positam in lege: &

vergit

vergit directè in vilipendium ipsorum. Si verò hæc tria non concurrant, non possunt. colligitur ex D. Thom. 2.2.q.108.art.1. Iul. Clarus *lib.5.§.fin.q.35.n.26.*

59 Communior sententia, & praxis seruat quod in sententia ponatur causa ob quam fertur. Si tamen causa non ponatur, & solum dicat, viso processu, &c. sententia valet, Iul. Clar. *in pract.crimin.q.93.§.2.*

Cætera quæ pro hac materia dici solent, vel clara sunt, & passim obuia: vel nimia, & vix necessaria, vel saltem excedunt rationem Compendij. Qui plura voluerit legat Iuristas supra citatos, & Aldrete nouiter per tres libros hac de re factos. Hic tamen contenta sunt substantialia. Et vtinam hæc verè obseruentur. Circa quod omnino recordentur Religiosi duarum legum ciuilium quas citat Nau. *lib.5. Consil.titul.de excommun.consil.42.n.9.* videlicet *l.consulta. Codice de testamentis, & l.repetita. Codice de Episc. & Cler.* in quibus vertitur in opprobriū Religiosis, & Clericis ostendere se peritos disceptationum forensium. Maximè cùm Religiosi liberentur per ius canonicum ab apicibus iuris. Et supra dicta sufficiunt ad substantiam iuris.

ADDITIO.

1 DIxi prius hoc verb. *n.3.* quando peccatum est veniale tantùm, non obligare correctionem fraternam. Hoc intelligo tum quia vt plurimum hæc non recipitur à Iudice, tum quia vt plurimum non iubetur denunciare. Addo nunc ex Sayro *libr.11. Clau. Regiæ cap.4.n.10.* quod si iubeatur denunciari eo quòd illius emendatio semper inseruit ad bonum Religionis, verb.gr. in Religiosis (vt silentij violatio) si verò iubeatur denunciari, debent, ac tenentur subditi denunciare, & possunt hoc facere absque correctione fraterna,

terna,quia sunt res leues,per quas non infamatur proximus vt plurimum , cùm certum sit omnes peccare venialiter.At notat ibidem Sayro ex D.Thom.quod si aliquod peccatum veniale tale esset vt infamaret notabiliter Religosum,tunc non est denunciandum absque correctione fraterna, quia per hoc eius fama grauiter læderetur, vt si esset vir grauissimus , & tale veniale ex suo genere valde infamaret : verbi gratia , si esset res turpis,& leuis,sed in viro graui.

2 In *libr. Monumenta Ordinis Minorum. titulo Constitutiones generales antiquæ,cap.5.fol.*239.habentur hæc verba ex statuto generali Minoritarum : *Teneantur autem fratres exeuntes,per obedientiam in reditu suo, secreto Guardiano excessus notabiles inuicem intimare.* Quibus verbis , & ex mox ibidem sequentibus clarè patet statutum illud præcipere vt omissa correctione fraterna crimen occultum Prælato denunçietur,etiam antequam sciat peccatum continuari. Quæris an tale statutum fuerit iniustum, & sit similiter illicitum hodie id fieri in aliqua Religione. Respondeo primò non fuisse illicitum , sed bonum & vtile,& posse hodie in aliqua Religione permitti vt tale , concurrente conditione mox dicenda. Ita tenet expresè Sayro, *libr.*11.*Clau. Reg. cap.*4. *numer.*20. citans Bannes, & Greg.de Valença *tom.*3.*disp.*3. *qu.*10. *punct.*5. Conditio verò est,quod in illa Religione sit lex,vel statutum generale,ab omnibus approbatum, vt qui voluerit in illa profiteri, in hoc consentiat , & renunciet iuri suæ famæ,& honoris, vt fit in Religione Societatis IESV, quod potest facere , cùm sit dominus suæ famæ , maximè quando illi renunciat in fauorem boni communis. Do exemplum.In Ordine Carthusiano est lex,vel statutū generale,vt nullus Religiosus carnē manducet etiam in vltima hora mortis pro tuenda vita:cúmque

sit

sit ius naturale defendere vitam per esum carnis, illa lex non est illicita, sed sancta, & à Sede Apostolica approbata: nam Religiosus ibi professionem faciens iam consentit renunciare iuri defendendi vitam per esum carnis, cui iuri ipse potest renunciare. At maius est renunciare defensioni vitæ quàm renunciare famæ per hoc statutum, de quo agimus.

3 Hoc posito clarius intelliges prædictum statutum Minorum, & si quod simile viget in aliqua Religione approbata non fuisse neque esse illicitum, sed potuisse esse vtile, & laudabile. Nam licèt correctio fraterna sit de iure naturali, & præterea de iure Diuino positiuo Euangelico; nihilominus primo iuri, id est, naturali, potest Religiosus renunciare, renunciando suæ famæ sicut Carthusianus renunciat esui carnis. Quod verò spectat ad ius positiuum Euangelicum, Christus D. suo illo præcepto correctionis fraternæ, voluit nos solùm obligare quemadmodum obligat lex naturalis in eadem correctione ne fiat iniuria proximo: cùm ergo talis ingrediens Religionem vbi viget hoc statutum libenter renunciet illi iuri naturali correctionis fraternæ: iam ibi non obligat lex Euangelica, quæ solum posita erat ad roborandum ius naturale cui iste renunciauit. Et declaratur, quia quando duo præcepta posita à diuersis tendunt omnino ad eundem finem, cessante vno, vel dispensato vno ex illis, cessat, & dispensatur aliud. Cùm ergo ius naturale correctionis fraternæ, & præceptum Christi D. pro eadem correctione eodem omnino tendant: cessante præcepto iuris naturalis de correctione fraterna per renunciationem, quod est præceptum fortius obligans, cessabit etiam præceptum Christi D. de eadem correctione, quod est minus obligans, cùm sit positiuum, & illud primum sit naturale.

4 Di

4 Dixi, *si sit statutum generale ab omnibus approbatum*, quia si sit mandatum solùm Superioris, non erat licitum, neque validum. Solus enim Prælatus non est dominus absolutus famæ, vel honoris subditorum. Imò neque Summus Pontifex est dominus absolutus famæ, & honoris fidelium.

5 Rediens ad nostrum statutum supra dictum Minoritarum, dico illud hodie non esse in vsu in Ordine nostro, sed per contrarium vsum est abrogatum. Video enim seruari, & commendari vt seruetur ordo correctionis fraternæ, & nullum Prælatum vidi oppositum mandantem, imò neque legi scriptorem Minoritam, qui dicat prædictum statutum apud nos esse in vsu. Dixi autem prædictum statutum factum tali conditione esse licitum, & vtile, quia, vt ait Sayro *cit. loc.* renunciante subdito iuri famæ, resultat inde maius decus totius Ordinis, maius Religionis augmentum, & conseruatio, imò & maior securitas ipsius renuncians tis, eiusque maior profectus spiritualis in submissione, humilitate, &c.

6 Correctio fraterna non solùm obligat postquam crimen secretò factum iam est: sed etiam antequam fiat. Vt si video proximum paratum ac determinatum esse ad illud faciendum, Sayro *lib. 12. Clau. Reg. c. 14. numer. 8.* Vt si video, vel scio Petrum parare insidias Ioanni, & probatur, quia vtrobique militat eadem lex charitatis erga proximum, tum in monendo ne peccatum iteret: tum ne peccatum intentatum committat.

7 Qui reuelat aliquod crimen factum ab aliquo, denuncians Prælato, si crimen erat occultum, & non fecit correctionem fraternam quam facere potuit, & tebatur: tenetur restituere famam tali proximo, dicendo prælato se non seruasse ordinem in corrigendo. Et

Præla

Prælatus tenetur in conſcientia non procedere contra illum. Patet primum, quia taliter denuncians illicitè læſit famam proximi,& proinde tenetur reſtituere: ſecundum patet,quia Prælatus non poteſt procedere cõtra ordinem iuris naturalis &Diuini poſitiui infamando in iudicio publico peccatorem ſecretum.

DENVNCIATIO.

IAm olim ſub hoc verbo dixi, quando,& quomodo ſit facienda denunciatio coram Prælato.Quia tamé aliquando aliqui Prælati Regulares, vel Eccleſiaſtici ſolent per edicta iubere,vt ſibi denuncietur, de furto, verb. grat. de criminis patratore, vel in communi de delictis,& ſolent aliquando aſſignare certos dies,intra quos teneatur ſciens denunciare:viſum fuit de re tam quotidiana, & tam neceſſaria pauca dicere per ſummam.

1 Si pro denunciatione facienda aſſignentur, verb. grat.ſex dies decem, & ſic de cæteris, conſtat apud omnes primum diem,in quo publicatur edictum, non numerari inter illos dies aſſignatos,Henriquez *tom.* 2. *Sum. lib.* 13. *cap.* 18. *num.*6. ponit exemplum in gloſſ. *littera O.*Si edictum publicetur die Dominica ad Miſſam, finitur publicatio Dominica ſequenti in eadem hora, quia dies publicationis debet eſſe naturalis 24. horarum.

2 Ille terminus dierum intelligitur, ſi intra id tempus poſſit præmittere primam,& ſecundam correctionem fratris, ſi creditur profutura. Nam iſtud præceptum de correctione præmittenda cùm ſit diuinum poſitiuum præualet præcepto illi humano:ac proinde ſi intra dies aſſignatos non poſſum præmittere correctionem fraternam in caſu quo illa obligat, & creditur

tur profutura,non incurram cenſuram poſitam.Henriquez *cit.loco*.At cùm primùm illam fecero,& non profuero,teneor denunciare ex obligatione prædictæ cenſuræ.

3 Qui neſciunt publicationem edicti, eo die quo fuit publicatũ,ſed aliquo,vel aliquibus diebus poſt publicationem poſſunt à die ſuæ notitiæ numerare alios tot dies ſimiles ab edicto aſſignatos, & intra hos ſex dies(ver.grat.)currentes à ſua notitia,tenebitur denunciare,ita vt intra hos denunciet,numerandos à die notitiæ.Henriq.*cit.loco*,& Suarez *tom. de Cenſur. diſp.20. ad finem illius diſputationis*. Et aſſignat rationem, quia iſte inculpabiliter ignorans diem publicationis, non debet eſſe peioris conditionis in ſpacio dierum aſſignatorum, quàm ſunt illi, qui audierunt publicare. Secus verò, ait Suarez, dicendum erit de illo, qui ſciuit quidem diem publicationis, ſed legitimè impeditus non potuit denunciare:hic enim ceſſante impedimento tenebitur denunciare ſtatim, quia iam ſciuit diem publicationis.

4 Henr.*cit.c.18.n.4*. ait quod quando Epiſcopus viſitat,& iubet ſub cenſura vt omnes denuntient, non includit eos ſubditos qui tunc agunt extra territorium Epiſcopi:& ſic à ſimili dices de Prouncialibus reſpectu ſuorum ſubditorum.

5 Hæc edicta cùm ſint mandatum ab homine expirant mortuo authore, aut moto ab officio: Henriquez *ibidem*. Hoc tamen non habet locum in edictis publicis ab Inquiſitoribus ſancti Officij, quia illa non ſunt ab homine, ſed ſemper obligant quouis tempore ad denunciandum: & Inquiſitores ſemper viſitant.

6 *Citato loco* ait Henriq. quod quando Epiſcopus promulgat edictum per modum viſitationis, aſſignans

verb. gr. ſex dies, expirat mandatum non ſtatim poſt ſex dies intra quos iubet denunciare, ſed finito viſitationis tempore, aut paulò poſt quamuis publicetur per parochias vrbis, vbi reſidere ſolet Epiſcopus: at quando profertur edictum per modum conſtitutionis, ſemper durat. Henriq. *num.* 4. *littera M.* citans Armillam, & Penham. Ratio eſt, quia edictum pro viſitatione facienda non æquatur excommunicationi iuris, ſeu ſtatuti vt duret toto anno, & per totam vitam, ſicut durat ius legis, vel ſtatuti. Et ideo finita viſitatione, paulò poſt ad arbitrium boni viri ceſſabit tale edictum pro viſitatione. Quod ego à ſimili intelligendum & applicandum puto pro viſitationibus Religioſorum, quia militat eadem ratio.

7 Si Superior per cenſuram iubet denunciare ad emendam delinquentis, vel ad impediendum mortale delinquentis: vel vt non inferatur malum proximo; vel vt damnum illatum reſtituatur; in his caſibus, ſi ego ſcio proximum eſſe emendatum, neque amplius velle peccare: vel ſcio iam eſſe reſtitutum damnum, vel velle ſtatim reſtituere, non teneor, imò non poſſum parere edicto, quia iam ceſſauit finis illius mandati, qui ſolum erat emendatio proximi, & reſtitutio damni. Cordub. *in Sum. q.* 64. & Sayro *Clau. Reg. lib.* 12. *cap.* 14. *n.* 27.

8 Si edictum iubet denunciare de furto, & debitor eſt notus, non teneor denunciare: quia in rigore loquendo talis excommunicatio eſt nulla: non enim poteſt procedi via excommunicationis pro furto, quando conſtat de debitore; ſed tunc alia via ordinaria procedendum eſt, citando videlicet debitorem notum coram iudice. Colligitur ex Trident *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Reform.* & tenet in terminis Henriq. *loco cit.* §. 3. & Sot. *in* 4. *diſt.* 24. & Nauarr. *cap. inter verb. concl.* 6. *num.* 316.

Vide

Vide alias conditiones ſeruandas in ferenda excommun. pro rebus furto ſublatis, & pro ſecreto reuelando. Vide Barboſam *in Remiſſ. ad Trident. fol.* 148. *col.* 4. *& fol.* 149. *col.* 1.

9 In hoc edicto pro furto reuelando, non tenetur reuelare, qui ſcit reum non poſſe omnino reſtituere, quia non habet vnde reſtituat: eſſet enim reuelatio fruſtranea. Et eſt communis opinio. Sed quæris: ſi iſte pro nunc reſtituere non valens, poſt annum poteſt reſtituere, & de hoc mihi conſtat; an tenear poſt annum reuelare, ſi is à me monitus non reſtituat? Aliqui affirmant teneri. Sed Henriq. *cit. cap.* 18. *num.* 4. *ad finem* tenet probabilius non teneri: citat pro ſe in gloſſ. *littera V.* Armill. Penham. Neque item obligor denunciare de furto ſi ſcio illum, qui rem clam abſtulit, abſtuliſſe per viam compenſationis, quia ſcilicet is à quo rem abſtulit, ſibi debeat pretium æquiualens iſtius rei. Eſt etiam communis opinio: quia iſte non iniuſtè abſtulit, neque furtum fecit. At bene circa hoc aduertit Sanches *libr.* 1. *Decalog. capit.* 10. *numer.* 34. hoc locum non habere, quando debitum quod alter mihi debet, eſt dubium, & incertum: oportet enim quòd ſit omnino certum: & præterea quod non plus auferam quàm mihi debetur: circa quod ait Nauarr. *capit. inter verba* 11. *quæſtion.* 3. *concl.* 6. *numer.* 794. quod ſi ſolutio, & compenſatio partim eſſet dubia, & partim certa, non eſſet neceſſe reuelare, niſi partem dubiam.

10 Nemo tenetur facere hanc denunciationem etiam ſub cenſura iniunctam, ſi ex tali denunciatione ſibi manifeſtum damnum timet in fama, vel bonis temporalibus. Eſt enim communis: quia ibi prævalet præceptum naturale, de ſibi ipſi non lædendo, contra præceptum poſitiuum iudicis de reuelando. Vnde

colliges complicem delicti numquam teneri denunciare ex vi edicti, in quacunque materia fuerit complex. Vnde potest colligi, quòd si fœmina fuit solicitata ab aliquo Confessore intra Sacramentum confessionis: & ipsa ibi consentit cum illo in actibus turpibus, talis fœmina non tenetur denunciare de illo Confessore: quia tunc valde sibi noceret, cùm ex tali denunciatione reuelandum sit etiam fœminæ delictum.

11 Præcedenti casui similis est qui ponitur à Iulio Claro, viro aliàs Iurista, sed doctissimo *lib.5. Recept. sententiarum Pract.crim.q.16.* & sequitur Sayr. *lib.12. Clau. Reg.c.14.n.25.* vbi dicunt quòd si quis habet rem furto sublatam, à fure acceptam, vel ab ipso fure nouit vbi res illa sit: non tenetur ex vi edicti etiam subcensura manifestare, vel dènunciare, quia inde magnum periculum denuncianti sequeretur. Probant: quia vel bona fide rem illam accepit a fure; vel mala fide. Si bona fide, id non potest probare in iudicio, & proinde potest reputari particeps in furto. Si talem rem accepit a fure mala fide, etiam est reus in crimine, & proinde denunciando poterit suum crimen publicare. Si verò neque accepit à fure, neque est complex, sed scit ex solo dicto furis, seruet legem correctionis quoad secretum, &c.

12 Ponit Sayro *cit.loc.n.16.* sequentem casum. Scio ego solus Petrum commisisse tale crimen: scit etiam Petrus quod ego solus hoc scio: non teneor denunciare etiam sub censuris: quia inde scio magnam inimicitiam, & iram oriundam inter me, & illum: & non teneor cum tanto periculo denunciare: nam Prælatus iubens denunciare, benignè interpretandus est: vt velit denunciare quemuis absque tanto detrimento. In hoc enim casu Petrus delatus de crimine certo sciet me fuisse denunciatorem. Excipit tamen ibi, quòd si crimen sit contra rempublicam, & bonum commune:

nam

nam tunc teneor denunciare, & pati tale periculum, quia præponderat bonum commune. Si item immineat graue periculum tertij, & ego non subeo periculum, teneor denunciare, si culpatus monitus non desistat.

13 Quando res est secreta, etiam si sit tribus, vel quatuor nota, si Prælatus iubet sub censura reuelari crimen, intendens procedere ad pœnam, non teneor reuelare. Ponitur à Cordúba *q.64.cit.* & Sayro *cit.loco, num.*28. & hoc intelligit *ibi.* Sayro, dummodò crimen ita secretum sit, vt neque specialis infamia sit de tali culpato, neque indicium. Parum enim interest, vt sciam ego solus vel sciant tres, vel quatuor, si crimen omnino secretum est. Secùs si de tali culpato est iam infamia, vel sunt indicia, vel semiplena probatio.

14 Sunt omnino attendenda verba edicti, vt videatur quas personas obligent, & in qua materia: cúmque sint verba pœnalia, sunt strictè accipienda, & in significatione propria, & vsitata. Hinc inferes cum Suarez *tom.de Censuris, disp.*20. *sect.*3. *num.*12. quod si edictum iubet sub censura prodi talem scripturam, is qui habet eius transsumptum, non verò scripturam authenticam, non tenetur prodere: quia scriptura, & transsumptum sunt res diuersæ, nec ambo faciunt æqualem fidem in iudicio. Secundò inferes cum Sanches *libr.*1. *Decal. cap.*10. *num.*33. quod si facta debita diligentia, adhuc dubito si in hac materia lex ista, vel hoc præceptum me obliget nunc, & in hoc casu, tunc non teneor tali præcepto, nec teneor denunciare: quia tunc perinde hoc est, ac dubitare, an ista res comprehendatur sub tali præcepto, seu idem est, ac dubitare, an ista lex sit imposita pro isto casu: at legi incertæ nemo tenetur obedire, sed legi certæ.

TESTIS.

Vide infra verb. *Iuramentum, num. 3. & 13. & 15. & sequentibus.*

1 SI casu accidat quod post latum testimonium testis dicat se talia non dixisse; Notarius verò affirmet ita dixisse, de ordinario credendum est Notario, non testi: est enim Notarius persona publica cui magis in suo officio credendum est, quàm testi particulari. Sic Iulius Clar. *in Pract. crimin. §. falsum num.* 10. & habetur in *lege si quis Decurio, Cod. de falsis: & cap. ad audientiam. de præscript* Hac de causa laudabilis, imò necessaria consuetudo est, vt antequam testis subscribat suum testimonium coram iudice, legatur sibi suum dictum, vt videat si consonet dictis à se, vel si velit aliquid emendare. Nec sufficit vt testis dicat: hoc scio: sed debet explicare modum quo scit. Multis enim modis res scitur, 22. *quæst. 5. cap. hoc videtur*, & ibi citata: & *cap. sicut nobis. de sent. & re iudicata*, vbi gloss. verb. *de causis.*

2 Eugenius IV. concessit Congregationi Sanctæ Iustinæ Ordinis Sancti Benedicti, vt in causis ipsorum ciuilibus, & criminalibus in iudicio, vel extra illud, valida, iuridica, & legitima essent testimonia Prælatorum Monachorum, conuersorum, & nouitiorum ipsius Congregationis. Habetur concessio in Bullario Rodriguez *fol.* 173. Et ibi ponitur paulò ante finem, *num.* 18. quæ quidem magna concessio est: & sæpius solet, vel potest contingere, vt sit necessarium. Vide etiam gloss. in *cap. cùm R. Canonicus. de off. & pot. Iudicis deleg. ver. cùm sint eius socij.*

3 Dixi olim hoc verb. *num.* 30. posse reum obiicere testi

testi crimen verum patratum à teste, vt illum impediat à testificando contra se, etiam si tale crimen sit secretum cum limitationibus ibi positis. Nunc addo ex Sayro *libr.* 12. *Clau. cap.* 19. *num.* 27. § *secundò certum*: hoc posse facere reum etiam si testis iam tulit testimonium, ad quod infirmandum, seu annullandum, potest illi obiicere crimen verum quidem: sed secretum: idque siue testis deposuerit falso ex malitia, siue ex ignorantia inuincibili. Nam licitum est innocenti defendere se, si aggressor inuadit, etiam si aggressor sit puer, amens, vel phreneticus. Et hoc est licitum nõ solùm pro defensione vitæ, vel famæ, vel bonorum temporaliũ. Sed ego aduerto, quòd si crimen secretũ nihil prodest ad infirmandum testem, vt si fuit fornicatio, vel quid simile, non poterit obiicere. Sed solùm quãdo poterit infirmare, vt si fuit ebrietas, periuriũ, & simile.

4 Quid si sub iuramento promisi reo ante litem me seruaturum secretum: & postea vocor a iudice pro testimonio ferendo. Est communis opinio, quòd si crimen est secretum, sed non pendet de futuro, neque est contra Communitatem, neque in præiudicium tertij, teneor seruare secretum, & iuramentum, & dicere me nescire intelligendo vt tenear. Si verò sit crimen pendens à futuro, vel contra bonum commune, vel contra proximum, teneor diuulgare. Rodriguez *de Ordin. iudicial. cap.* 6. *concl.* 10. & in his tribus attendenda sunt duo præcepta ibi occurrentia, vnum naturale fortius, aliud naturale minus. Naturale fortius est obtiare malo communitatis, vel proximi innocentis. Naturale minus est mea promissio facta proximo etiam cum iuramento, & sic si ambo concurrant, & vnum solum possit obseruari, seruandum est fortius. Si verò hoc non vrgeat, seruandum est minus.

5 Doctores, Consulti, Tabelliones, Procuratores, Aduocati, Medici, obstetrices, similes, quibus aliqui communicant secreta suarum litium, morborum, vel dubiorum, non possunt illa secreta reuelare etiam iussi sub iuramento, nisi forte inde immineat præiudicium Reipublicæ, vel tertio. Est opinio communis omnium.

6 Nota differentiam inter reum, & testem circa obligationem dicendæ veritatis coram iudice interrogante: nam reus non tenetur confiteri veritatem contra se, nisi sibi constet esse contra se semiplenam probationẽ: non verò tenetur si sit solum fama contra se, vel sola indicia friuola. At testis vt teneatur dicere veritatem coram iudice rogante, sufficit vt præcesserit infamia in particulari tam circa delictum, quàm circa personam. Sayro *lib.* 12. *c.* 20. *num.* 10. *Clau. Reg.* Probari potest, quia plus periclitatur reus in fatenda veritate, quàm testis in illa dicenda: & sic maior probatio præcedere debet vt reus cogatur ad illam dicendam, quàm vt cogatur testis.

7 Dixi olim hoc verb. *num.* 19. quid sit testis omni exceptione maior: & tamen vnus solus testis, quantumcumque sit omni exceptione maior, non sufficit ad condemnandum aliquem pœna mortis. Adde quòd nec solùm testimonium ipsius Imperatoris ad hoc est sufficiens ad aliquem puniendum pœna mortis. Ita Sayro *cit. libr. cap.* 21. *numer.* 15. At pro bono communi quando aliter fieri nequit in rebus leuibus sufficit vnus testis. Vt cùm damnantur fures vinearum, scindentes ligna syluarum per dictum vnius tantùm testis. Quia aliter fieri nequit vt vineæ, syluæ, & similia custodiantur: & eadem de causa pro rebus leuioribus sufficiet testimonium vnius tantùm personæ eximiæ, vt Papæ, Cardinalis, Imperatoris. Vide etiam verb.

ſequenti *Reus*. Adde quod vnuſquiſque teſtis eſt recipiendus ſigillatim pro ſe, & pro ſecreto. Si enim plures ſimul recipiantur, teſtimonium non valet, quia vnus ſequeretur dictum alterius. Vide *in capit. venerabili. de teſtib. & atteſt.* cum gloſſ. ibi verb. *examinare ſigillatim.*

REVS.

Vide infra verb. *Iudex, num.* 9. 10. & 11. & verb. *Iuramentum, num.* 14. & 15. & *ſeqq.*

1 SI reus iniuſtè occultos ſocios detexit, aut teſtis iniuſtè detexit crimen rei coram iudice, ſit aliunde informatio ſufficiens ad procedendum contra tales ſocios, vel contra talem reum, poſſunt ille reus, & teſtis offerre ſe coram iudice, & iurare prædictos non feciſſe tale crimen, intelligendo, ita vt tale delictum ſubſit illi iudicio: & falſum ſe dixiſſe, intelligendo, quatenus falſum fuit illos tale delictum feciſſe publicè, ita vt ſubeſſet illi iudicio. Hæc enim iſto modo dicentes, & intelligentes non dicent mendacium, Sanches 3. *Decalog. cap.* 6. *num.* 28. cum multis quos citat. Et ibidem *num.* 29. aſſerit cum Bannes, Sayro, Salon. & Leonardo, quod quoties aliquod opus externum factum contra legem excuſatur à culpa ratione alicuius circunſtantiæ, poteſt rogatus iuridicè de illo facto id negare intelligendo de facto criminoſo. Vt ſi quis hominem occidit omnino ignoranter putans eſſe feram, aut propter propriam defenſionem, vel rem alienam, rapuit propter iuſtam compenſationem, &c. & tum reo, tum teſti poteſt inſeruire. Et ſubdit aliud exemplum, quando taxa alicuius rei eſt iniuſta: ſi pluris vendens, aut defraudans in menſura, vel pondere, ita vt ſibi

satisfaciat pro pretij iniustitia,& reddat correspondentes merces pretio dato:potest hic rogatus à iudice, an pluris vendiderit vel defecerit in pondere,& mensura id negare:& allerere se pretio taxato vendidisse,& nihil fraudasse ; intelligendo , ita vt pluris vendens, aut pretio fraudans in mensura ; deliquerit. Aliud exemplum ponit ibi de illo qui promisit matrimonium alicui fœminæ, sed propter aliquem euentum, vel defectum illa promissio in conscientia iam non ligat : hic talis poterit iurare coram iudice se non promisisse, intelligendo, ita vt teneatur implere tale promissum. Denique multi casus resoluentur , regula supradicta attenta.

2 Similem regulam tradit Sylvest.verb. *Iuramentum 3.quæst.2. vers. in iuramento vero*:quod scilicet quoties exigitur à reo vel alio , iuramentum faciendi aliquid quod sine peccato fieri non potest : iste talis poterit iurare , intelligendo , si absque peccato facere potuero. Ponit aliud exemplum Sanches *supra citato loco,num.* 45.Si iudex præcipiat reo,vel testi vt reuelet, siue publicè,siue secretò sciat,potest testis respondere , se neq; publicè,nec secretò scire , intelligendo vt teneatur dicere;si id scit solùm in secreto.

3 Si reus , vel testis in iudicio recipiens iuramentum à iudice,fingat se iurare, & re vera non iuret,verba iuramenti subticens , peccat mortaliter, quia iniuriam facit iudici legitimè iuramentum exhibenti. Ita Sanches *citat.libr. cap.7. numer.2.* At statim subdit, id esse verum , quando inde notabile damnum iudicio sequeretur. Ait enim , quòd si nulla fraude , sed reuerentia iuramenti ductus , & propter scrupulum, fingeret se iurare , ita vt astantes , & Tabellio intelligerent se iurare : in tali casu non peccaret mortaliter. Quia cùm in foro externo constet de iuramento,

to, nullum damnum infertur iudicio, & ex alia parte integrè veritatem fatetur, & nullam fraudem molitur.

4 Si reus aliquod crimen commisit non per se, sed per aliam personam, cui mandauit, & per iuramentum rogetur, an illud commiserit: non potest negare, intelligens se non commisisse per se. Ita Sanches *proximè citato loco, num.* 3. Ratio est, quia tale iuramentum accipiendum est secundùm legitimum verborum sensum, quem aut suapte natura verba habent, aut in quo canones, & leges accipiunt. At rem feciſſe non solùm verè dicitur ille qui per se ipsum fecit, sed etiam ille qui fieri mandauit. Ita Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 8. q. 2.* Et multo minus poterit iurare se non commisisse crimen, quod re vera commisit, seu iurare se esse liberum ab illo, intelligens quia iam fuit absolutus ab illo in sacramentali confessione.

5 Magna dubitatio est quotidiana pro omni statu: si reus legitimè interrogatus quando sub mortali tenetur veritatem dicere, illam negauit vel amphibologia texit, possit absolui à Confessore, nisi se iudicio iterum offerat, vt iterum rogetur? Quo ad hoc triplex responsum assignatur iuxta triplicem statum ipsius rei.

1 Si reus iam fuit absolutus à iudice, vel iam fuit punitus à carcere fugiens, est iam extra iudicis potestatem, tunc reus non tenetur se iterum offerre iudici ad manifestandam veritatem. Est communis opinio maximè Sayro *in Clau. Reg. lib. 12. c. 17. num.* 14. & aliorum. Et probatur, quia tunc illud esset se prodere ad quod non tenetur.

2 Si iudicium adhuc durat, & reus est sub potestate iudicis ante latam sententiam, multi, & graues Doctores affirmant reum non posse absolui, nisi iterum se offerat coram iudice ad dicendam veritatem. Citat

hos

hos Sanches *cit.lib.3.cap.7. num.7.* & est opinio communior,& securior.Verùm in fauorem miseri rei probabilius ibi sentit Sanches *num.8.* reum neque tunc teneri se offerre iudici:sed posse absolui præmisso dolore de culpa præterita, cum proposito fatendi veritatem si iterum rogetur à iudice. Potissima ratio est, quia iste reus cum præterito periurio, & læsit partem offensam, & læsit iudicem: at parti offensæ satisfacit cum proposito firmo quod illi satisfaciet vbi primùm potuerit. Iudici verò satisfacit cum proposito dicendi veritatem si iterum rogetur. Nam illud præceptum obediendi iudici est transiens,& solum durat dum iudex interrogat secundò,quia minus tenetur reus contra se deponere quàm testis tenetur deponere contra alium, vt patet: at testis qui iuridicè rogatus de alterius delicto negauit veritatem, non tenetur iterum se offerre iudici ad dicendam veritatem,sed satisfacit restituendo dammum, vt omnes fatentur: ergo neque reus tenetur iterum se offerre, etiam si adhuc sit sub iudicis potestate.Et hæc ratio est euidens.

3 Si reus iam damnatus est & ducitur ad patibulum,vel aliud supplicium subeundum, multi censent eum teneri offerre se iudici,vel veritatem coram Notario fateri, ad tollendam iniuriam, vel infamiam sua negatione illatam iudici, accusatori, ac testibus. Censent hoc septem Doctores graues citati à Sanches *cit. loc.n.10.* At contraria opinio est communior in praxi, & suauior, dicens reum ad id non teneri. Probat illam ibi fusè Sanches. Primò, quia iam iudex post latam sententiam non potest interrogare reum, functus est enim suo officio, *l. Iudex 55. ff.de re iudicata.* Secundò, quia finis interrogationis est, vt iudex condemnet, vel absoluat:hic verò finis iam cessauit, quia iam reus damnatus est. Tertiò quia talis infamia non

sequi

sequitur erga iudicem, testes, vel partem, cùm res notissima sit solere reos negare veritatem pro sua defensione. Adde illud esse valde violentum suadere reo, & periculum esse si nolit obedire Confessori, & proinde moriatur cum conscientia erronea credens se teneri, & tamen nolens facere. Excipit ibi Sanches, reum illum hæreticum, qui ducitur ad comburendum, & moritur negatiuus: & ait hunc peccare mortaliter, si non fateatur veritatem publicè, & proinde non esse absoluendum: & hoc quidem ratione scandali, quia præsumitur decedere in hæresi; ac proinde (ait) si reus est, tenetur crimen fateri vt scandalum cesset. Hæc ille. At mihi ista exceptio dura videtur, neque illam reperi apud aliquem Doctorem: neque Sanches vllum citat. Neque video quare non militent pro isto reo hæretico ad illum sic non obligandum, rationes supra allatæ pro excusandis aliis reis non hæreticis: maximè cùm in reo hæretico violentius sit, & magis infame veritatem publicè fateri: quod verò attinet ad scandalum, quod putat Sanches dari ab hæretico negatiuo, dici potest non inde suscipi scandalum, cùm omnes sciant solere reos negare: & simul sciant illum posse verè confiteri sacramentaliter in vero articulo mortis. Et idem scandalum suo modo suscipi potest de aliis reis negatiuis ductis ad patibulum. Adde quod hoc non videmus fieri à Confessoribus doctis comitantibus reos hæreticos ad combustionem. Fateor ego, & omnino dicendum est talem hæreticum ductum ad ignem, & nolentem complices reuelare, non fore absoluendum si possit ante mortem reuelare: ad illos enim reuelandos tenetur ex iure naturali, & positiuo præcepto, cùm sit in crimine vergente contra Rempublicam.

6 Quid si reus metu tormentorum sibi falso crimen

Digitized by Google

men imposuit, eáque de causa ducitur ad patibulum: an teneatur sub mortali se retractare in publico? Multi affirmant teneri, maximè Sylvest. verb. *Detractio, quæst.* 3. *num.* 4. & alij. At dicendum est ad id non obligari, nisi quando datur spes, vt ille ob talem retractationem mortem euadat; at cessante spe, non obligatur in publico retractare. Ita Rodriguez *de Ordin. iudic. cap.* 11. *num.* 6. *in fine*, & alij: rarissimè autem id euenit, quia post latam sententiam mortis, & in tali iam statu nihil ei proderit ad mortem, vel infamiam euadendam talis retractatio. Quando reus Religiosus est litteratus non est illi dandus aduocatus sæcularis. Sayro *Clau. Reg. lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 1. Imò ait Paulinus Bertus *in sua Praxi crim. tit.* 21. *cap.* 1. *à num* 3. in sua Religione numquam, nisi semel datum fuisse Aduocatum sæcularem cuidam fratri, quia imminebat periculum vitæ: & *tit.* 6. *in medio*, ait etiam extra periculum vitæ, ait sub opinione esse, an dandus sit talis Aduocatus Religioso ordinario propter bonum, & pacem Ordinis, fauet Miranda *in Ordine iudiciali q.* 14. *art.* 7. *concl.* 3.

IVDEX.

PRo dubio quotidiano resoluendo: suppono breuiter, ex dicendis infra verb. *Opinio*: quòd quando sunt duæ opiniones contrariæ, & ambæ æquè probabiles, possum sine scrupulo sequi quam maluero. Item, quando sunt ambæ probabiles, sed vna probabilior, possum sequi illam quæ est minus probabilis absque scrupulo conscientiæ. Proponitur dubium, an Iudex in casu, quo sunt opiniones pro vtraque parte, possit sequi opinionem quamlibet ex duabus æquè probabilibus: vel possit sectari opinionem minus probabilem.

Suppo

Suppono ſecundò,quòd in hac materia poſſunt Iudici offerri opiniones vel ex parte iuris, vel ex parte facti. Ex parte iuris erit quando ſunt textus,vel ſtatuta diuerſa,ſeu leges,pro quorum intellectu vero,ſunt variæ opiniones Doctorum: aliis ſic,aliis verò ſic exponentibus. Ex parte facti tunc erunt variæ opiniones, quando ex parte rei,& actoris,ſeu rationum pro vtroque allegatarum,ſunt variæ opiniones, quænam probationes præponderent, & quæ ſint vrgentiores, & probabiliores. Hoc poſito dubitas, an Iudex in caſu, quo ſunt opiniones probabiles,ſiue ex parte iuris, ſiue ex parte facti,poſsit ſequi vtramuis opinionem:an verò etiam poſsit ſequi opinionem minus probabilem. Hoc dubium præ aliis diſputat Sayro *Clau. Reg.lib.*1. *c.*11.ex quo accipe ſequentes propoſitiones.

Prima ſit: quando Iudex videt ex æquo vtramque opinionem eſſe probabilem ex parte iuris,& ipſe quoque ita iudicat,poteſt licitè propter amicum iudicare ſecundùm illam,quæ amico magis fauet. Imò ſecluſo ſcandalo, poteſt propter amicum modò ſecundùm vnam,modò ſecundùm alteram iudicare:citat ibi Sayro,Sotum,Aragon,Valentiam,& alios. Ratio eſt,quia tunc iudex ex debito iuſtitiæ diſtributiuæ non plus tenetur hoc iſti dare quàm illi: ſunt enim æquales in iure: ac proinde liberum erit cuiuis dare:Sicut, quando duo æquè digni opponuntur beneficio, licitum eſt illud cuiuis dare; neque enim hîc datur acceptio perſonarum:hæc enim ſolùm interuenit quando adeſt debitum iuſtitiæ diſtributiuæ,quæ hic non obligat.Quod verò modò poſsint vnam ſequi, modò aliam probatur, quia cùm ambæ partes ſint æquè probabiles, ambæ fundantur ratione ſufficienti vt poſsit eligi quæuis illarum ad libitum:neque ex eo quod hodie iſtam ſequor, maneo impeditus quin illam cras abiiciam ſequendo

quendo aliam,absque vllo peccato. Dixi *cessante scandalo*,quia hoc dato nunquam licet operari, etiã actum aliàs licitum. Præterea licèt amicus hoc possit facere propter amicum modo prædicto, id debet facere ratione solius amicitiæ,non verò ratione munerum,quia iam tunc peccabit ratione muneris accepti, vel accipiendi.

2 Si ex parte iuris sint duæ opiniones,ambæ probabiles,sed vna probabilior,tenet Sayro *citat.loco num.*8. posse iudicem ferre sententiam sequendo opinionem minus probabilem.At ego verius puto tenendum oppositum cum Sanches 1.*Decalog.cap.*9.*num.*47. dicente teneri iudicem iudicare secundùm opinionem probabiliorem:& citat pro se sex graues Doctores.probat, quia hîc agitur de iure suo cuique reddendo secũdùm merita causæ,& cùm ipse à Republ.iudex constitutus sit, hoc ipso, iudicio ipsius committitur, vt causam illam dirimat pro vt melius rationi,ac iuri cõformius viderit:& aliàs faciens erit acceptor personarum,cùm non iudicet secundùm maius meritum causæ, sed secundùm minus meritum. Et confirmatur, quia dans beneficium minus digno peccat, & est acceptor personarum. Limitat tamen, quod si opinio minus probabilis,est magis recepta in praxi,& iudex inferior iudicans secundùm opinionem probabiliorem irridebitur à Superiore ad quem appellabitur, poterit in tali casu iudex inferior iudicare secundùm opinionem minus probabilem.

3 Quando sunt duæ opiniones æquè probabiles, ex parte facti(quia scilicet vterque ex æquo probat suum factum)tunc in ciuilibus iudex debet componere partes inter se,vel si res de qua litigatur sit res diuisibilis, diuidere illam inter partes:est Sayri *numer.* 12. Probatur,quia vterque habet ius æquale,& res diuisibilis est:

ac

ac proinde ratio naturalis dictat vt diuidatur. Quod si diuisibilis non sit, componantur ad inuicem vt vnus totam rem possideat, & alteri det pretium dimidiæ partis. Dixi *in ciuilibus*, quia in criminalibus debet iudicare in fauorem rei. Argument. reg. cùm sunt partium iura obscura reo fauendum est, potius quam actori, *de reg. iur. in* 6. & præterea quia in criminalibus reus est aggressus: actor verò est aggressor: & in lumine naturali illi potius fauendum est quàm isti.

4 Quando duæ opiniones ex parte facti sunt ambæ probabiles, sed altera est probabilior; in ciuilibus tenetur Iudex iudicare in fauorem probabilioris. Hæc satis patet ex dictis pro confirmatione secundæ propositionis: tenetur enim Iudex iudicare secundùm merita causæ. Et causa pro nunc est maior in opinione probabiliori, quia probat per meliora fundamenta, & rationes. Dixi *in ciuilibus*, quia in criminalibus ad condemnandum reum probationes debent esse luce clariores: vnde quando iura partium sunt obscura, declinare licet in fauorem rei, quamuis probationes actoris, aut fisci sint paulò clariores: adhuc enim non sunt luce clariores.

5 Si pars altera deficiat in probatione, aut quippiam necessarium allegare, iuxta ea sola quæ allegauit, & probauit sententia ferenda est, & non secundùm probabiliorem sententiam quam allegatis allegandis secuturi essent Iudices. Item non potest Iudex aperire alteri parti, quæ desunt alleganda, vel conueniat probare, aut aliquid pertinens ad ius, vel facti probationem. Hoc enim est munus Aduocati, non verò Iudicis. Ita Sanchez *citato capit.* 9. *numer.* 48. & Sayro *Clau. Reg. libr.* 12. *à num.* 7. *& sequentibus*, maximè à *num.* 12.

6. Huius vltimi dicti occasione quòd scilicet Iudex non possit aperire parti id quod conuenit allegare, cùm sit hoc munus Aduocati. Pono dubium, quod mihi contigit in praxi. Quidam vir doctus, antè motam litem, domi suæ secretò, per modum consilij aperuit cuidam parti rationes, & fundamenta pro parte suæ litis, & in papyro scripsit. Postea hic vir eligitur Iudex assessor cum Iudice ordinario ad iudicandam causam illam, pro qua dederat consilium: quæris an possit in conscientia esse Iudex talis causæ? Et videtur quòd non, ob proximè dicta, quia Iudex non potest aperire parti; quæ sint probanda. Et probari videtur *ex capit. nullus vnquam* 4. *quæst.* 4. vbi dicitur has personas distinctas in iudicio requiri, ita distinctas, vt vna non possit alterius vicem subire. Videlicet accusatorem, reum, testes, Iudicem, defensores. Vnde colligitur quòd Iudex debet esse persona distincta à defensore, qui est consiliarius. Ego tamen credidi, & credo potuisse talem in conscientia eligi, & esse Iudicem in tali causa, pro qua consilium dederat: & secundùm suum consilium iudicare si est probabilius, vel æquè probabile dummodo in hoc cessèt scandalum. Et primò ostendo hoc non prohiberi per dictum *cap. nullus*. quia ibi per defensores vtilitatem sonat, intelliguntur Aduocati publici, qui in foro, seu tribunali respondent iudici pro reo. Hic enim omnino necesse est vt Iudex, & Aduocatus sint personæ distinctæ. At consiliarius domi suæ secretò consulens, vt tale, vel tale fiat, non est Aduocatus: multum enim distat inter Aduocatum, & cõsiliarium. Nam persona infamis non potest esse Aduocatus in publico corã Iudice in tribunali, & iste infamis potest domi suæ esse consiliarius, vt tradit Repertorium Inquisitorum, ver. *Aduocatus*. Iam ergo ex illo capite non repugnat illum qui antea fuit consiliarius

rius ſecretus,eſſe iudicem aſſeſſorem,vel ordinarium, vel delegatum.Deinde probo;quia ſi talis prius conſulens fiat iudex,& ſequatur ſuum iudicium iuſtum, & legi conforme,non facit iniuſtum aliquid contra veritatem,vel falſitatem:præterea nullum damnum infert parti contrariæ,vt patet. Tertiò, per conſilium præcedens,modò non dicitur fauere plus reo, quàm Actori: modò enim Iudex conſtitutus æquitatem ſeruat inter vtrumque,& nihil denuo aperit,neque cõſulit. Neque Iudex per conſilium antea datum, videtur ſe obligaſſe vt modò Iudex illud idem ſequatur. Nam libertatem habet illud reijciendi ſi viderit modò eſſe falſum,& ſic ſuppono,vt faciat. Si verò fuit conſilium ſanum,& verum,nullum eſt inconueniens,eidem modò etiam ſtare.Dixi *ceſſante ſcandalo*, quia dato illo,id non poterit cùm ſit occaſio magna murmurationis, eo quòd credibile ſit illum à ſuo priori conſilio non receſſurum. Hoc autem maximè credo locum habere poſſe apud Religioſos vbi apices iuris non ſeruantur. Et vbi de Ordinario non dantur Aduocati reo,neque defenſores ſaltem in cauſis leuioribus. Et caſum ſupradictũ cum dicta reſponſione approbauit vir ſatis doctus.

7 Circa Aduocatum etiam quem olim dixi debere dari Religioſo in cauſa graui:quando liceat, vel non liceat cauſam aliquam defendere,accipe ſequentia per breue compẽdium ex ſupra citatis Doctoribus.Primò, numquam licet aduocato defendere cauſam,quæ manifeſtè eſt iniuſta. Hæc eſt communis Doctorum. Secundò,quotieſcunque cauſa eſt dubia pro vtraque parte,quia res vel in iure,vel in facto æquè dubia eſt, poteſt Aduocatus vtramque partem tueri : patet quia ius vtriuſque æquale eſt. At requiritur quod Aduocatus dubietatem iuris reuelet clienti, neque illi promittat ſecuritatem,aliàs peccabit fallendo. Tertiò,etiã ſi Ad-

uocatus cauſam ſui clientis iudicet minùs probabilem, quàm ſit oppoſita, adhuc poterit pro illo patrocinari. Nam cum cliens in hoc caſu iuſtè litigare poſſit, eò quòd ratione aliqua probabili ducitur: ita Aduocatus poteſt illum defendere. Tenetur tamen eodem modo Aduocatus admonere clientem de illa minore probabilitate ſuæ cauſæ. Limitat tamen bene Sanches *cit. cap. ad finem*, hoc tertium eſſe intelligendum, dummodo cauſa clientis non ſit tam parum probabilis, vt rariſſimè ſecundùm illam iudicetur, vel ad illam Iudices inclinentur. Tunc enim non poterit defendere, & ſi defenderit, obnoxius erit reſtitutioni cauſa amiſſa. Præterea tenetur iura fideliter referre, & teſtimonia fideliter citare, ne Iudicem decipiat: nec poteſt clienti conſulere, vt neget veritatem quando tenetur fateri, alias peccabit cum onere reſtitutionis, vt citati Doctores, *citatis locis*, affirmant.

8 Neque verò tertium dictum proximè poſitum quod Aduocatus poſſit defendere cauſam minus probabilem; pugnat cum dictis ſupra de Iudice, quem diximus non poſſe iudicare ſecundùm opinionem minus probabilem. Differentia enim eſt inter Iudicem, & Aduocatum: nam Iudex tenetur iudicare ſecundùm merita cauſæ & proceſſus: Aduocatus verò ad nihil tale tenetur, ſed ſolùm vt inquirat, & proponat fundamenta pro ſuo cliente, abſque fraude, & dolo.

9 Dixi olim verb. *Reus*, *n.* 44. cum Rodr. & Miranda poſſe Iudicem exhibere reo iuramentum ad cognoſcendam veritatem, quando aliter cognoſci non poteſt: & ſtatim ex me admonui parcè hoc iuramento eſſe vtendum. Nunc autem negotium preſſius ſtringens, dico: ſolere Prælatos Regulares aliquando reos, maximè apoſtatas primò redeuntes iuramento excipere, &

adige

adigere vt dicant quæ fecerint in apoſtaſia. Circa quod poſtea inueni Reginaldum *tom. 2. lib. 24. n. 42* dicentem cum Leſſio *ibi citato*, non debere nec poſſe Prælatos reo exhibere iuramentum, niſi quando eidem reo licitè exhiberi poſſet tortura: & alias veritas non poteſt ſciri: eſt enim (aiunt) iuramentum quædam ſpiritualis tortura, vnde cùm tortura exhiberi nequeat, niſi præcedente ferè ſemiplena probatione, ac deficiente omni alia probatione ſequitur dictos Prælatos non debere in principio proceſſus apoſtatis, vel aliis reis exhibere iuramentum de iis, quæ antea fecerunt donec poſtea conſtet illos de tali re eſſe valde infamatos, & aliter veritatem de tali re ſciri non poſſe.

10 Iuuat maximè ad proximè dicta quod tradit Sanches *lib. 3. Decalog. c. 8. n. 9. & 10.* vbi cum multis tradit non poſſe aliquem licitè iuramentum exigere ab aliquo cum probabili periculo, vt is à quo exigitur falſum iuret. At ferè ſemper timendum eſt ne reus, maximè in negotio graui ſuæ famæ, veritatem occultet: cùm etiam illam multi negent, vt plurimum, diris tormentis expoſiti. Et ad hoc timendum ait *ibi* Sanches non requiri certitudinem moralem, ſed ſufficere probabilitatem.

11 Vltimò notat Reginald. *cit. lib. n. 41.* teneri Iudicem aperire reo, ante condemnationem, ſtatum cauſę, probationem, indicia, & teſtes, idque propriis nominibus, iuxta *c. qualiter, & quando 2. §. debet. de accuſat.* vt videat procedi contra ſe iuridicè, & ſciat quid contra ſe habeat: in his enim conſiſtit copia defenſionis, vt poſſit contra omnia ſibi obiecta reſpondere & citat *ibi* Reginaldus Nauarrum *ad rubricam de iud. ciis numero 58.*

12 Quod verò attinet ad id quod ait detegenda eſſe reo nomina teſtium, ſtatuta generalia Tolletana

in Ordine Minorum *cap. 6. de correctione pro bono pacis.* decernunt, vt Prælati non dent reo nomina teſtium ad euitanda odia; niſi fortè quando viderint periclitari rei iuſtitiam in aliquo crimine graui, & infamatorio: in tali enim caſu, reo petente debent publicari reo teſtes, & accuſator. Vbi vides id relinqui arbitrio Prælati; iudicaturi criminis grauitatem, & iuſtitiæ periculum. Idque videtur potuiſſe decernere prædicta ſtatuta Tolletana pro ſuo ordine propter bonum pacis, vt ibi dicitur: ſicut in fauorem fidei in tribunali ſancti Officij teſtium nomina ſubticentur. Et præterea noto prædicta ſtatuta generalia eſſe confirmata authoritate Apoſtolica, ſicut in proœmio illorum teſtatur Reuerendiſſimus tunc Generalis, Gonzaga.

13 Obijcis, Nauarr. *lib. 3. Conſil. titul. de Regular. conſilio 5 num. 4. prima edit.* tenet quod ſi Papa confirmauit ſtatuta alicuius Religionis confirmatione communi, & ordinaria: & in talibus ſtatutis continetur aliquod quod ſit contra ius Canonicum, tale ſtatutum à Papa non confirmari, vt enim ait *in reſponſione ibi ad tertium*, ſolet Papa in iſta confirmatione ſolum confirmare ſtatuta, quæ non ſunt contra ius commune Canonicum, & ſunt aliàs licita, & honeſta: at prædictum ſtatutum de ſubticendis teſtibus in Ordine Minorum expreſſe contradicit prædicto *capiti, qualiter & quando.* vbi Papa expreſſe iubet Prælatis: *Et non ſolùm delicta, ſed etiam nomina ipſa teſtium ſunt exponenda ei.* Ergo prædictum ſtatutum non eſt validum ac proinde in omnibus cauſis grauibus tenentur Minoritæ Prælati abſolutè reuelare nomina teſtium. Fateor argumẽtum vrgere. Solùm video poſſe reſponderi, & ita omnino dicendum eſt: Vigilantiſſimum tunc Prælatum Generalem Gonzagam debuiſſe ſpecificare hoc ſtatutum

ſpeciale

ſpeciale contra ius commune. Secũdò, poteſt dici illud ius id ſtatuere in fauorem rei: at reum cum toto ordine pro bonorum communi poſſe renunciare ſuo iuri talis defenſionis, ſicut ſupra Carthuſiano renunciante eſui carnis, & renunciante correctioni fraternæ.

14 Quando recuſatur aliquis iudex (*vulgo, Porlhe ſoſpeiçano*) ipſe recuſans, debet in ſcripto ponere cauſas exceptionis, & teſtes quibus intendit probare: & iudex recuſatus debet remittere hæc ad Superiorem: qui debet iudicare ſi probetur exceptio, audito prius iudice recuſato, vt reſpondeat: quia recuſato iudici ſuo modo fit iniuria. Quod ſi iſta non obſeruentur, non tenet recuſatio Ordinat. Portugalliæ *lib. 3. tit. 21. §. 4.*

DECIMÆ.

1 MVlta ſunt priuilegia antiqua, & recentia conceſſa Religioſis de non ſoluendis decimis à variis Pontificibus pro vt habet Compendium Mendicantium verbo *Decimæ*. Et præter ibi contenta adducit Rodriguez *tomo. 2. quæſtion. 44. articul. 4.* etiam pro Ordinibus Militaribus.

2 Hæc priuilegia aliqui explicant, vt ſolum valeant pro terris, & poſſeſſionibus, quas ipſi Mendicantes propriis manibus, vel propriis ſumptibus excolunt, vt Rodriguez ait *citat. articul.* & ſic videtur eſſe in vſu.

3 At Henriq. *lib. 7. de Indulg. cap. 27. num. 7.* & Rodri *citat. art. & to. 3. qu. 74. art. 16.* etiam de Monialibus dicunt quod Mendicantes non tenentur ſoluere decimas, neque quartam medietatem, &c. de ſuis terris etiam ſi illas non excolant manibus, vel ſumptibus ſuis: neque aliquid debere de illis etiam ſi per colonos, & conductores eas excolant. Ita enim cóceſſit Sixt. IV. Moniali

bus Sanctæ Claræ in Compend. verb. *Decimæ* §. 10. Et Benedictus XIII. concessit Ordini S. Ioan. Ierosol. militari, apud Rodriguez *citat. art.* 4. *tom.* 2. Et concessum est Patribus S. Hieronym. in Hispania, vt habet illorum Compend. verb. *Decimæ* §. 12. 15. & 16. Et additur in aliquo illorum priuilegiorum claritatis gratia, quod coloni non teneantur soluere decimas Parocho, sed Monasterio. Et addit Henriquez *citato loco in gloss.* quod sic fuit iudicatum paucis ab hinc annis Salmanticæ, Baezæ, & Murciæ. Ratio Henriquez est, quia hoc priuilegium decimarum non est personale, sed reale, & proinde transit ad rem, seu ad prædium. Et idem dicendum in hac sententia de Monialibus, quibus idem concessum diximus. Et proinde de omnibus communicantibus.

Ego in hac materia solùm video in oppositum praxim contrariam saltem in nostra Portugallia; & in particulari nostras Moniales, video soluere decimas de possessionibus colonis conductis. Imò quando hæc scripsi scio Eboræ Moniales D. Benedicti extra muros per sententiam à Curia Romana obtentam iussas esse soluere decimas viginti ab hinc annis non solutas. Fortè enim Episcopi obtinuerunt aliquod aliud Breue Pontificium reuocatorium omnium dictorum priuilegiorum allegantes fortè iacturam notabilem illis, ac Parochis subortum ex tot priuilegiis tot Religiosorum, & Conuentuum à decimis exemptorum: inde enim crescentibus Conuentibus breui tempore Episcopus, & clerus damnum graue paterentur. Videat vnusquisque praxim suæ Diœcesis, ac Prouinciæ.

Hoc solùm addo cum Henriq. *citat. cap. num.* 9. quod si Episcopi non ostendunt Bullas derogatorias prædictorum priuilegiorum, etiam si aliquæ Religiones per aliquot

aliquot annos decimas ſoluerint ignorantes ſuorum priuilegia,illa tamen non perdunt, niſi fortè iam præſcriptum ſit contra illas religiones legitimè ſpatio ſexaginta annorum,vel amplius,vt infra videbimus verbo *Priuilegium*.Hoc ipſum tenet Rodriguez *citat.quæſt.* 44. *artic.*5.*&* 6.

4 Scio inter declarationes Cardinalium, ſcriptas à Vincencio Marzilla, *fol.* 317. haberi has duas. Prima eſt, quod Abbatiſſa & Moniales de bonis emptis tenentur ad ſoluendas primitias, & decimas Parochiali, de quibus eſt controuerſia.Secunda eſt ibi dicta *ordine* 168.ſic habens. Si decimæ ſunt impoſitæ rei, quia ab initio fuerunt conceſſæ,vel traditæ cum ea conditione vt ex eis decimæ ſoluantur, tunc ad quoſcumque perueniunt etiam Mendicantes teneri eas ſoluere.Sí verò debeantur pro adminiſtranda cura animarũ, tunc quia Parochi aliqua ſacramenta his Mendicantibus non adminiſtrãt, Mendicãtes ad eas non teneri:ſi tamen à ſolutione decimarũ Sedis Apoſtolicæ priuilegiis muniãtur:Sic ibi. Quæ ſecũda declaratio nõ videtur multum cõtrariari dictis abHenriq.& Rod.ſi praxis nõ obſtaret.

DIFFINITORES, SEV Conſiliarij.

SOlent in Religionum capitulis eligi Diffinitores, ſeu Conſiliarij ad cauſas grauiores decretandas:vel ad Prelatos inferiores,& locales eligendos.Illorum officia videantur in particularibus Ordinum ſtatutis,illis verò in communi poſſunt hæc aptari.

1 Ratio, & conſuetudo tribunalium docet quod ſi voce tenus hi debeãt ſuffragiũ,vel conſilium dare, non maiores,vel ſeniores incipiant dicere,ſed iuniores; ne fortè iuniores poſt ſeniores dicentes,metu lædendi,vel

authoritate coacti teneantur à seniorum dictis non recedere. Rodrig. *tom.* 2. *q.* 45. *art.* 3.

2 Hi, si proponantur ad dignitates, & officia, illi quorum defectus notabilis est publicus, sed à præside ignoratus, tenentur sub mortali detegere defectum præsidi, ne admittatur indignus ad officium. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 69. *art.* 2. Palud *in* 4. *dist.* 29. *quæst. vlt.* præponderat enim bonum publicum bono particulari electi indigni.

3 Ad idem tenentur Diffinitores, si defectus eligendi est notabilis, secretus, sed non emendatus, & instat periculum communitati cui non potest aliter obuiari. Ludouicus Beia *in Resp. Moral. parte* 3. *casu* 38. §. *quod si defectus, ob causas ibi datas.* An autem electores hi possint negare suffragium ob defectum grauem cognitum tantùm in sacramento pœnitentiæ, vide infra ver. *Electio.*

4 Debent Diffinitores subscribere illi sententiæ, vel electioni pro qua non dederunt suffragium. Rodriguez *tom.* 2. *cit. q.* 45. *art.* 10. dicens sic fuisse statutum apud Dominicanos in Capitulo in quo D. Thom. fuit electus Diffinitor.

DISPENSARE.

Vide infra verb. *Illegitimus, vel legitimus, num.* 9. & 10. & verb. *Prælatus quo ad dispensationem illius,* & ver. *Votum à n.* 40. & vide supra verbo *Abortus. n.* 10.

1 ILlegitimi intrantes ordinem, post professionem, non indigent dispensatione ad Ordines sacros recipiendos, per ingressum enim Religionis, id est, professionem, ipso facto ad omnes habilitantur. Est communis & receptissima.

2 Hi

2 Hi ad prælationes indigent dispensatione:& hanc dare possunt in Capitulo Prouinciali vel Generali, Prælati communes videlicet Generalis, Prouincialis, ex declaratione,& Bulla Gregor.XIV. ita vt extra Capitulum Generale, Prouinciale, seu intermedium id non possint, non obstantibus antiquis priuilegiis. Vbi noto quod cùm ibi dicat Papa in Capitulo intermedio, quod hodie apud Franciscanos non celebratur, cùm congregatio intermedia habeat vicem Capituli, in hac poterunt prædicti Prælati dare prædictam dispensationem illegitimo. Rodriguez *tomo* 1. *quæstion.* 13. *art.* 6. *& art.* 9. Vide tamen infra verb. *Illegitimus*, aliud priuilegium facilius, si tamen est in vsu, concessum Congregationi S.Ioan.Euangelistæ in Portugallia.

3 Non possunt Prælati in tali Capitulo Prouinciali, vel Generali dispensare vt sit Prælatus filius Religiosi genitus post professionem patris,& in qua illius pater fuit Prælatus.Tenet Miranda *tom.* 2. *q.* 2. *art.* 10. contra Rodrig. *q.* 13. *art.* 7. & ego potius teneo cum Miranda ob causas quas citat.

4 Non possunt Prælati communiter aliquando dispensare cum subditis in bigamia vera,neque in interpretatiua,vt quando quis contraxit cum duabus virginibus,vel vnum matrimonium cum vidua,possunt tamen dispensare cum bigamia similitudinaria, quando scilicet Clericus contraxit matrimonium, & cognouit vxorem sic receptam non legitimam.Cum hoc, inquam, vltimo possunt dispensare ad ordines sacros. Rodr.*tom.* 1. *q.* 24. *art* 10 Dixi,*communiter*;quia in Compendio Societatis IESV vet.*Dispensare*.§. 5.*&* 6.dicitur quod Generalis ipsorum potest dispensare cum subditis in bigamia, ex concessione Sixti IV. facta Carthusiensibus.Et in Comp.D.Hieron.ver. *Ordines sacri*:§.6.

conce

conceditur quod bigamus de longinquis partibus, & ignotis, seu ignotus hoc loco possit dispensari à Prælato, & ad sacros ordines promoueri.

5 Possunt Prælati Regulares dispensare ad ordines cum aliquibus corpore vitiatis, dūmodo defectus corporis non sit essentialis, vel scandalosus. Exemplum sit: Non possunt dispensare cum carente digito, pollice, vel oculo Canonis, vel cum leproso, caduco, & similibus, quia hi defectus sunt essentiales, vel scādalosi. Possunt tamen dispensare si desit digitus, non pollex, si desit auris externa, vel vnus pes, & possit ambulare cum pede ligneo, & similibus. Rodrig. *citat. qu. art.* 3.

Sed propter dicta de oculo Canonis, aduerte ex Suarez *lib. de censur. disput.* 51. *sect.* 3. *num.* 15. & 16. ex Nauarr. *ibid. citato*, quod si aliquis cāret globo oculi, est irregularis ob deformitatem. Si verò non carēt globo oculi, sed in oculo Canonis siniſtro habet carentiam potentiæ visiuæ, ita vt cum siniſtro non possit legere Canonem absque deformitate notabili, est etiam irregularis. Si verò cum dextro oculo possit legere Canonem absque deformitate, non est irregularis: & hoc maximè locum habebit quando talis carentia visus cōtigit in siniſtro oculo post ordines susceptos; si enim ante susceptos contigit, maior deliberatio requiritur, vt *ibidem* ait Suarez *num.* 16. etiam Prælatum Regularem posse esse Iudicem in hoc de oculo siniſtro deficiente in potentia videndi.

6 Non possunt Prouinciales, nec Generales dispensare cum infami notato infamia iuris legitimè cōdemnato, maximè [illegible] crimen nefandum, vt possit celebrare: est enim tali irregularis: & dispensatio cum illis generaret scandalum. Rodriguez *citat. quæstio.* 24. *tom.* 1. *articul.* 6.

7 Possunt dispensare Prælati Prouinciales cum mutilatione

tilatione membri voluntaria occulta, non deducta ad forum contentioſum. Secus verò ſi ſit publica. Rodr. *ibid. art.* 10. vide verb. *Prælatus, num.* 39.

8 Poſſunt prælati etiam Conuentuales diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate orta ex homicidio voluntario ſi ſit occultum, non verò ſi ſit publicum. Compend. Mendicantium, ver. *Diſpenſatio.* §. 24. *& ibid.* Corduba *annotatione ad eundem* §. & Rodrig. *cit. qu.* 24. *artic.* 12. Hoc autem intelligitur de diſpenſatione ad ordines, non verò ad prælationes, vt Rodrig. ait *citata quæſt. arti.* 16. Idem circa diſpenſationem homicidij tenet Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 8. *artic.* 10. *concl.* 2. vide ſupra verbo *Abortus num.* 10.

9 Si homicidium fuit purè caſuale, vel in defenſione factum, poſſunt Prælati diſpenſare, etiam ſi fuerit publicum. Rodrig *art.* 13. & in Compend. D. Hieronym. ver. *Diſpenſare in foro pœnitentiæ* §. 10. conceditur quod poſſit Generalis diſpenſare in homicidio quando non eſt certum illud commiſiſſe, vel mãdaſſe. Poſſunt etiam diſpenſare in irregularitate contracta ex indebita celebratione, quando celebrant excommunicati.

10 Poſſunt prouinciales, & Generales diſpenſare cum ſubditis in pœnis incurſis propter violationem Bullarum Apoſtolicarum, vt propter ingreſſum in Conuentum Monialium habilitãdo, ſcilicet, tales violatores ad officia Ordinis, & ſimiles pœnas tollendo, idque poſt iniunctam, & factam condignam pœnitentiam. Capucinus *Addit. ad Compend.* verb. *Abſolutio ordinaria quo ad fratres fol.* 27. ex priuilegiis Miniſtr. infirmorum, & latè Rodriguez *tom.* 1. *quæſtion.* 24. *art. vltimo.* Qui tamen limitat hoc poſſe prælatos quando illæ pœnæ non ſunt reſeruatæ Sum. Pontifici, ſicut non eſt illa inhabilitas proximè dicta. Secus ſi dicatur in Bulla quod ſint illæ pœnæ reſeruatæ.

11 Poſſunt

11 Possunt Prælati dispensare, & commutare omnia vota simplicia subditorum. Est communis. Et de hoc amplius infra verb. *Votum*, & verb. *Prælatus*. Ait tamen Rodrig. *cit. tom. 1. q. 25. art. 4.* non posse Prælatos irritare votum subditi de transeundo ad arctiorem Religionem, posse tamen illud dispensare ob causam ibi traditam, vide infra verb. *Votum, n.* 30. Securius autem erit in votis subditi quod Prælatus dicat, dispenso, & irrito, vel quatenus possum, si tamen habeat causam ad dispensandum; in dispensatione enim semper causa requiritur; ad irritandum verò non requititur causa. Causæ verò ad dispensandum sunt facilitas in vouendo: infirmitas ad implendum: necessitas, vtilitas: impedimentum maioris boni, & aliæ similes.

12 Abbatissæ non possunt dispensare nec commutare vota Monialium, quia carent iurisdictione Ecclesiastica. Possunt tamen illa irritare, quia habent circa illas potestatem dominatiuam.

13 Vota Nouitiorum non possunt Prælati irritare, quia non habent erga illos potestatem dominatiuam: nec similiter Abbatissæ possunt irritare vota Nouitiarum. Possunt tamen Prælati vota Nouitiorum, & Nouitiarum commutare & dispensare. Rodrig. *cit. quæst.* 25. *art.* 8.

DISPENSATIO.

14 VIrtute supradictorum priuilegiorum, & contentorum supra ver. *Confessor*, possunt Confessores Regulares dispensare cum sæcularibus in omnibus sequentibus. Primò in voto temporali castitatis, ad annum similéve tempus limitatum. Hoc enim non est absolutum, seu perfectum votum castitatis. Idéque possunt, quãdo votum fuit disiunctiuum, & altera pars est

est absolutè reseruata Papæ, altera non: vt si vouit: promitto castitatem; vel susceptionem sacrorum ordinum. Ratione enim huius secundi non reseruati, totum disiunctum potest commutari, ac dispensari per prædicta priuilegia, Doctores pro hoc, & seqq. statim citabo. Et in his, ac sequentibus etiam possunt commutare.

15 Secundò, possunt dispensare cum illo, qui stans in ordine promilitse transiturum ad arctiorem Religionem: possunt, inquam, cum illo dispensare, vt transeat ad laxiorem.

16 Tertiò, si Papa commutauit votum absolutum Religionis, vel castitatis in aliqua opera pia onerosa, confessiones, scilicet, & communiones menstruas, vel quid simile, talis materia, inquam, facta est illa commutatio potest commutari à Confessore Regulari in aliud opus æquiualens.

17 Quartò, idem possunt circa votum castitatis emissum à quouis coniuge absque licentia, vel cum licentia alterius. Non verò si ambo vouerunt castitatem de communi consensu per modum contractus: nisi fortè ambo vouerunt abstinere ad tempus certum. De hoc particulare Sanchez *libr.* 8. *de matrim. disp.* 11. *n.* 10.

18 Idem possunt circa omnia iuramenta annexa prædictis votis, cum duabus exceptionibus. Prima, dummodò non sint iuramenta absoluta castitatis, & Religionis: hæc enim æquiualent voto absoluto castitatis & Religionis, quæ reseruantur Papæ. Secunda est, dummodò non sint iuramenta ex quorum dispensatione resultet præiudicium tertij: hæc enim excepit Gregor. XIII. in suo priuilegio, ne à Religiosis commutentur. Hæc omnia præcedentia tenet, & affirmat Sanchez *libr.* 8. *de matrimon. disp.* 16. *n.* 2. *& seqq.* cum Cordub. Rodr. & Vega *ibi citatis*, remittens se ad suam ibi disputationem.

19 Idem

19 Idem dicturus videtur, seu tenetur Sanchez quod possint iidem Religiosi in omnibus sequentibus: videlicet, quod possint dispensare in voto non nubendi: & in voto assumendi ordines sacros, & in tempore præfixo vouenti Religionem: vt quod scilicet intraret ordinem intra vnum annum: tunc enim potest cum illo ob iustam causam dispensare, vt differat ingressum post illud tempus. Dixi, inquam, teneri Sanchez fateri in his omnibus posse Regulares confessarios dispensare; quia ille ait *citat. libr. 8. disp. 9.* hæc omnia posse Episcopos dispensare iure ordinario: & Regulares in hoc possunt idem quod Episcopi. Adde quod tria prædicta vota non sunt vota absoluta castitatis vel Religionis, vt intuenti patebit.

20 Si coniux fecit votum Religionis inito iam matrimonio, nondum tamen consummato, non possunt Religiosi per prædicta priuilegia tale votum commutare, vel dispensare. Nam illud est votum absolutum Religionis, quod adhuc potest, ac debet impleri ante consummationem matrimonij. Sanch. *cit. disp. 16. n. 6.* Si verò fecit votum castitatis inito matrimonio, & non consummato, possunt dispensare ob manifestum periculum. Sanchez *ibidem, num. 4.*

21 Si quis vouit virginitatem solùm intendens abstinere à primo coitu per quem perditur virginitas & aureola: poterunt cum isto dispensare Confessores Regulares, quia potest Episcopus: eo quòd hoc votum non sit votum castitatis absolutum, sed temporale; at si vouens virginitatem solùm, & absolutè intendit abstinere in omni vota ab actu venereo. In hoc neque Episcopus, neque Regulares dispensant, quia ibi clarè includitur votum absolutum castitatis. Et quando vouens non recordatur intentionis habitæ tempore voti, iudicandum est vouisse secundo modo, non primo.

Ita

Ita Azor *tom.1.lib.11.cap.19.qu.14.*& Sanchez *libr.8. de Matrim.diſput.9.num.9.& lib.9.diſp.33.n.7.& lib.8. cit.diſp.15.num.4.*

22 Tenetur Prælatus diſpenſare cum ſubdito quando pertinet ad bonum animæ, vel corporis:quia poteſtas data Prælatis ad diſpenſandum eſt ad ſubditorum bonum.Sanchez *lib.3.de Matrim.diſput.10.num.6.*Imò aduerto,quod quando ſubditus petens diſpenſationem fuerit ſcrupuloſus,non debet Prælatus illum remittere ſuæ conſcientiæ,ſed cauſa cognita pro ſufficienti, debet hominem reſolutè liberare à ſcrupulis, non relinquendo negotium in manu ſubditi ſcrupuloſi : ſecus ſi non ſit ſcrupuloſus petens.

23 Poteſtas ad diſpenſandum in habente illam , in dubio ſi poſſit,vel non poſſit extendi ad hoc,vel illud, eſt amplè interpretanda retenta propria ſignificatione verborum.At ipſa diſpenſatio facta , eſt interpretanda ſtrictè,quia eſt abrogatio legis communis,Sanchez *de Matrim. lib.8.diſput.1.* cum limitationibus ibi poſitis, & *diſput.2.* citans multos. In qua 2. *diſput. num.9.* ait: quod ſtante dubio an diſpenſatio facta , extendatur ad hunc caſum , eſt ſtrictè interpretanda. Si verò ſit dubium an poteſtas diſpenſandi extendatur ad hunc caſum,eſt amplè interpretanda.

Quoties conſtat de intentione concedentis , diſpenſatio extenditur ad id quod concedens intendit. Patet ex *capit. in his. de verb. ſignifica. & capit. primo verſicul. ex parte verò tua. de conceſſion. præbendæ in 6.*

24 Diſpenſandi poteſtas amplè interpretatur in ordine ad caſus aptabiles in poteſtate expreſſos , dummodo non ſit in præiudicium tertij. Vnde habens poteſtatem diſpenſandi in vno,poteſt diſpẽſare in alio illud primum concernente, vel ab illo dependente in

quo est eadem, vel maior ratio. Sic Felin. *c. final. de Simonian.* 8. & alij. Excipe dummodo talis extensio non sit in præiudicium tertij.

25 Habens potestatem etiam delegatam, dispensandi in aliquibus votis, potest etiam dispensare in iuramentis factis Deo circa eandem materiam. Idem dic de potestate commutandi. Et è contra, potens dispensare in iuramentis Deo factis, potest etiam in votis eiusdem materiæ. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 3. *à num.* 8. cum multis citatis, quod intellige quando votum, & iuramentum non sunt facta simul supra eandem materiam.

26 At quando adsunt votum, & iuramentum eiusdem rei simul, si iuramentum factum est simul ad confirmationem voti, potens tollere votum dispensando, vel commutando, potest etiam tollere iuramentum confirmans simul factum: quia ibi iuramentum est accessorium sequēs naturam voti principalis. Si verò iuramentum factum est diuerso tempore post votum, neque ad cōfirmandum votum, neque dependenter ab illo, tunc potestas ad dispensandum votum, non extenditur ad tollendum iuramentum eiusdem rei, quia sunt duo vincula eiusdem rei, independentia: & tunc iuramentum est principale, & non accessorium ad votum. Sanchez *citato loco num.* 23. cum multis citatis. Vbi ait validam esse dispensationem si existente voto, & iuramento simul votum firmante, exprimatur votum tantùm tacito iuramento: vel solùm exprimatur iuramentum tacito voto, vel dicatur esse vnum tantùm, cùm sit vtrumque: ibidem *numer.* 24. Quia tunc reputatur vnum tantùm vinculum.

27 Non est iusta causa dispensandi in voto non ludendi, pati multa desideria ludendi, si illis resistitur

susti

sufficienter : sed solùm est causa quando homo positus est in manifesto periculo violationis voti ob iam visam experientiam. Imò ait Alcocer relatus à Sanchez mox citando, esse causam sufficientem commutandi iuramentum vel votum non ludendi, si vouens ex abstinentia ludi agrestis, ac rusticus reputetur. Ita Sanchez sequens illum, *in lib.* 8. *de Matrim. disp.* 20. *num.* 20. Intellige si sit persona nobilis, quæ inde grauem infamiam patiatur. Sed hoc videtur dubium, cùm nemo ex abstinentia ludi manere possit agrestis, & infamis.

ADDITIO.

VIde infra verb. *Matrimonium, à num.* 1. *& sequentibus*, & vide omnia infra verbo *Homicidium, n.* 39. *&* 40. & ver. *Voti dispensatio.* præter illa quæ iam dixi in prima editione hoc eodem verbo, & ibidem ver. *Prælatus.* Claritatis gratia addo, nouam mihi concessionem, & maximam, & notatu dignam pro multis casibus, quam refert Rodrig. *in Bullar. fol.* 817. datam à Paulo III. Religiosis Sancti Benedicti Vallisoleti, cuius summa hæc est.

1 Concedit, *Quòd singulis annis prima die lunæ Quadragesimæ, huiusmodi omnes, & singulas vtriusque sexus personas, Ordinis, & congregationis prædictorum Religiosas, ac eidem Ordini, & Congregationi oblatas, seu donatas, nec non Eremitas sub cura vestra existentes intra septa vestrorum, seu ipsorum pro tempore absoluendorum Monasteriorum, seu aliorum Regularium locorum, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, sententiis, censuris, & pœnis per eos pro tempore quomodolibet incursis, etiam in casibus quomodolibet reseruatis, (exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini) absoluere: & cum eis super qui-*

huiusmodi irregularitatibus per eos pro tempore quauis occasione, vel causa contractis dispensare, pro vt hactenus, vt præfertur consueuistis. Et subdit firmissimam confirmationem irreuocabilem ita vt si dicta concessio reuocetur, iterum reintegrari, vel restitui censeatur. Dixi hanc mihi videri maximam,& insolitam concessionem,quia licèt excipiat casus Bullæ Cœnæ, in multis tamen aliis insolita est,pro pœnis scilicet absoluendis,& irregularitatibus dispensandis. Quod vt melius intelligatur,aduerto sequentia.

2 Hoc conceditur Reformatori generali Abbatibus,Prioribus, & Præsidentibus prædicti Ordinis. Et proinde conceditur aliis Prælatis aliorum Ordinum cum illis communicantibus,qui respondent prædictis officiis,& dignitatibus Benedictinorum.Quòd si quæras,an Prælati isti possint hoc ibi concessum delegare alicui Confessori,credo quòd possunt,quia habens iurisdictionem per priuilegium Papæ, habet illam vt ordinariam, & proinde potest illam delegare, vt dixi in prima Editione, verbo *Abortus, numer.*12. & Sanchez *libr.*2. *de Matrimon. disp.*40. *num.*14. Quod non possunt delegare Prælati per illam concessionem Pij V.supra verb. *Abbas*: quia iuxta illam per se ipsos debent facere.

3 Conceditur his Prælatis vt possint subditos vtriusque sexus Monachos, & Moniales absoluere, prima feria secundæ Quadragesimæ ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis: exceptis contentis in Bulla Cœnæ. Idemque possint erga personas oblatas,& donatos viuentes intra Monasteria:vel in aliis locis regularibus subiectis eisdem Prælatis, videlicet oratoriis, grangiis,& similibus,quia hæc sunt loca regularia illis regularibus subiecta.

4 Concedit quod possint illos omnes absoluere ab

omni

omnibus cenſuris,excommunicatione, videlicet, ſuſpenſione, & interdicto : & præterea ab omnibus pœnis. Inter quas venit omnino quæcumque inhabilitas ad officia Ordinis , & priuatio officiorum , idque in foro conſcientiæ : hæc enim duo intelliguntur nomine pœnæ Eccleſiaſticæ,& ſimiliter de quacumque alia pœna.

5 Quod mihi inſolitum eſt , conceditur illis vt diſpenſent cum omnibus illis ſubditis in omni irregularitate , *quauis occaſione , vel cauſa contractis* : in quo non limitat ſi ſit homicidij voluntarij , neque caſualis : neque limitat ſi ſit delictum occultum , vel publicum. Neque excipit bigamiam , &c. ſed abſolutè,& in communi,ait : *quauis occaſione,& cauſa contractis.* Quod non reperio alium Summ.Pontificem conceſsiſſe. Cumque conceſsio ſit tam ampla, & generalis, & Papa id poſsit concedere:nec ab aliquo ſucceſſore reuocatum inueniamus in ſpeciali, videtur poſſe Religioſos illa vti ſicut iacet ſine limitatione : quia cùm lex,vel Princeps non diſtinguit, neque nos debemus diſtinguere.

6 Quod ibi non diſtinguit vt id faciant in foro ſacramentali Confeſsionis,vel conſcientiæ : vnde videtur quod illa die Prælati prædicti poterunt pœnas , & irregularitates diſpenſare extra Sacramentum Pœnitentiæ.

7 Quod non eſt illud conceſſum ſemel in vita , neque cum pœnitentia vnius anni ſingulis hebdomadis , vt fecerunt alij Summ. Pontifices ſicut diximus in prima Editione, verbo *Confeſſor,num.* 18.& 19. Sed conceſsio eſt pro ſingulis annis abſque illa annuali pœnitentia.Sed tamen debent Prælati hac diſpenſatione vtentes ſemper condignam ſatisfactionem injungere:& præterea per iſtam conceſsionem hoc non

possunt facere, nisi semel in anno, & illa sola die, videlicet Feria secunda primæ Dominicæ Quadragesimæ.

8 Præter supra dictam concessionem, pro Minoritis aduerto Pium II. concessisse Minoritis vt cum suis subditis possent condescendere, & compati in equitando, licèt non sit arcta necessitas, vel infirmitas: & in receptione frumenti pro induendis fratribus vbi non est alius modus habendi: & similibus, habetur concessio viuæ vocis oraculo in Bullario Rodrig. *fol.* 199. & 300.

9 Dixi in prima editione hoc eodem verbo *num.* 8. posse Prælatos dispensare cum subditis in irregularitate homicidij voluntarij, si delictum fuit occultum. Nunc addo Martinum V. huius concessionis Authorem apud Compendium Mendicantium, verb. *Dispensare*, §. 24. quando hoc concesit dixisse: *Dummodo notorium non sit.* Multum verò refert ad quietem Religiosi dispensandi aduertere quod sit crimen notorium, pro quo sufficiat audire Nauarrum *in Sum. Latina, cap.* 25. *num.* 73. vbi agens de suscipiente Ordines cum peccato notorio, definiens quid sit notorium, ait: *Diximus notorium, quia ad hunc effectum non sufficit esse famosum nec testibus probabile. Notorium autem dicitur quoad hoc, quod est confessum à parte in iudicio; vel super quo est lata sententia, quæ transiuit in rem iudicatam: aut est manifestum, vt nulla tergiuersatione celari possit.* Et paucis interiectis subdit, etiam esse delictum notorium: *Quando scit euidenter maior pars populi, vicinorum, aut Collegij, modò in eo saltem sint decem.* Vbi nota singula verba, primò enim ponit exempla de crimine notorio, primò quando scilicet confessum est in iudicio: secundò, si sententia est damnatum: tertiò, si nulla tergiuersatione potest celari: quartò, si scitur euidenter

à ma

à maiori parte communitatis. Et in ſpeciali hoc vltimum dictum eſt notandum, quod ſcilicet non ſufficiat vtcumque ſciri à communitatis parte maiori: vnde nō ſufficit quod ſciatur per famam: ſcire enim per famam non eſt ſcire euidenter. Et hoc ipſum poſuit Nauarr. in verbis prioribus dicens, non ſufficere quod crimen ſit famoſum, id eſt, ſcitum per famā: nec ſufficere quòd poſſit teſtibus probari, niſi de facto habeat illas quatuor conditiones proximas poſitas, vel aliquam ex illis. Et mox ſubdit Nauarr. ſcientiam pauciorum quàm ſex, non facere rem notoriam: neque ſex ſufficere quādo illi non ſunt maior pars illius congregationis, cuius reſpectu illud dicitur notorium. Vnde colliges quòd ſi in magna congregatione ſex tantùm ſciunt, imo, & dicto, tale crimen non eſt notorium ſi deſint illæ quatuor priores conditiones, vel vlla illarum, ex quibus omnibus facile erit Prælatis cognoſcere quando homicidium voluntarium fuerit notorium, vt poſsint diſpenſare in irregularitate inde ſecuta. Recole etiam ad hoc intentum, quæ diximus ſupra verbo *Abbas à n. 4. vſque ad 10.* de crimine occulto, inſeruiunt enim etiam ad hoc propoſitum.

10 In omnibus, in quibus poſſunt Prælati diſpenſare cum ſuis ſubditis, poſſunt diſpenſare etiam ſi ipſi Prælati ſint extra ſuum territorium: vel etiam ſi Prælati exiſtant in ſuo territorio, & ſubditi ſint abſentes: idque in foro interno tantùm extra Sacramentum. Hæc colligitur ex Sanchez *libr. 3. de Matrim. diſput. 19. num. 7. & ſequent.* vbi docet dari duplicem iuriſdictionem, aliam ſcilicet contentioſam, quæ exercetur inter partes litigantes, actorem ſcilicet, & reum cum ſtrepitu iuſtitiæ; & proinde dicitur contentioſa, quia exercetur inter litigantes, quorum alter eſt inuitus. Et iſta iuriſdictio non

potest exerceri à Prælato extra suum territorium, ne turbet Prælatum alieni territorij. Secunda iurisdictio dicitur voluntaria, quæ scilicet non exercetur inter litigantes, neque erga inuitos, sed circa voluntarios, ac volentes: & ista potest exerceri à Prælato vbique extra territorium modo supra dicto, quia hæc exercetur sine strepitu iudicij, & neminem lædit. Et ita censet Suarez *de Censur. disput.41.sect.2. num.10.*

11 Si Prælatus dispensat cum aliquo, non petente subdito, nec petente aliquo alio, dispensatio valida est: quia vt ea sit valida non requiritur quod præcedat postulatio alicuius: Suarez *tom. de legibus libr.6. cap.13. num.8.* vnde patet verum fuisse dictum olim à nobis in prima editione, verbo *Abortus num.11.* quod scilicet si Prælatus regularis in Capitulo Conuentuali, vel Prouinciali dicat, in communi, absoluo vos, & dispenso vobiscum, &c. omnes circunstantes necessitatem habentes illius absolutionis, & dispensationis manent absoluti, & dispensati in omnibus, quæ potest Prælatus, etiam si antea nihil petierint. Et cõfirmatur, quia tunc Prælatus habet voluntatem, & potestatem absoluendi & dispensandi, & vt absoluat à pœnis Ecclesiasticis, & dispenset in irregularitatibus non requiritur contritio, vel Confessio Sacramentalis ex parte pœnitentis.

12 Prælatus inferior dispensans in lege superioris sine iusta causa, & subditus petens dispensationem absque iusta causa, peccant ambo: at excusabitur si vterque probabiliter, & moraliter credant subesse causam licitam, & iustam. Suarez *citat. cap. num.14. & 16.* Et subditus faciat simplicem informationem bona fide.

13 Prælatus dans litteras dimissorias alicui subdito quem scit esse irregularem, & concedit vt Ordines

Digitized by Google

ſuſcipiat in ipſo facto cum illo diſpenſat in prædicta irregularitate, ſi aliàs poteſt in illa diſpenſare, Medina *in Sum. 1. par. cap. 11. §. 12.* & Ludouicus Lop. *Inſtruct. 1. par. cap. 4.*

14 Diſpenſandi poteſtas alicui conceſſa, ſiue ordinaria, ſiue delegata, eſt amplè interpretanda: & poteſt aptari, vt per illam poſſit illam habens diſpenſare in caſibus qui aptabiles ſunt caſibus conceſſis expreſsè, & incluſis in caſibus expreſſis. At verò ipſa diſpenſatio à Superiori iam data eſt interpretãda ſtrictè, & rigorosè in propria verborum acceptione: neque extendenda ad ſimiles caſus. Eſt communis Doctorum latè diſcuſſa à Sanchez 8. *de Matr. diſp. 2.* vbi ponit duas limitationes de poteſtate iſta amplè interpretanda. Prima eſt, quòd ſi vrgeat præiudicium tertij, ſit ſtrictè interpretanda. Secunda eſt, quòd ſi committatur, vt diſpenſet cum certis perſonis nominatis, eſt ſtrictè interpretanda: ſi verò perſonæ diſpenſandæ non nominentur in conceſſione, erit amplè interpretanda. Vnde colligit Sanchez *num. 9.* quod ſtante dubio, poteſtas diſpenſandi, extendatur ad aliquem caſum, erit interpretanda, quod extendatur ad illum. At ècontra, ſi ſit dubium, an diſpenſatio iam facta extendatur ad hunc caſum, non eſt extendenda ad illum. Ratio eſt, quia diſpenſandi poteſtas eſt amplè interpretanda rationabiliter ad caſus neceſſariò incluſos: at diſpenſatio ipſa eſt ſtrictè interpretanda.

15 Superior qui eſt immediatè ſuperior tamquam cauſa vniuerſalior in regimine ordinario, poteſt validè in lege inferioris, vt poteſt Generalis diſpenſare in lege Prouincialis: & iſte in lege Prælati conuentualis. Et quamuis talis Superior ſine cauſa diſpenſet, valebit diſpenſatio, quidquid ſit de peccato maiori, vel minori talis diſpenſantis ſine cauſa.

At si talis Superior non sit immediatè Superior in regimine ordinario, sed solùm sit Superior per appellationem, quia scilicet ad illum Superiorem potest appellari, talis Superior non potest dispensare validè in lege inferioris, verbi gratia, Archiepiscopus est Superior Episcopo solùm per viam appellationis, non in regimine ordinario immediatè: ac proinde non potest dispensare validè in lege Episcopi sibi subiecti. Et confirmatur, quia Generalis potest sibi reseruare regimé Prouincialis quoad aliquod negotium particulare si viderit expedire. Et eodem modo poterit legem sui Prouincialis annullare si viderit conuenire. Suarez *cit lib. 6. de Legibus. cap. 19. ad finem.*

16 Circa renunciationem dispensationis sibi factæ, sicut potest renunciare officio, vel priuilegio quod habet. Nota secundò, duplicem esse posse istam renunciationem: alteram expressam, alteram tacitam. Ad renunciationem expressam requiritur voluntas interna, & verba expressiua voluntatis istius: & præterea requiritur, vt ista renunciatio intimetur dispensanti, & ab illo acceptetur: quamdiu enim illi non fuerit intimata, & ab illo acceptata, poterit dispensatus mutare voluntatem, & vti sua dispensatione, & idem dic de renunciatione priuilegij, & officij. Renunciatio tacita est illa quæ fit per aliquod factum indicans voluntatem renunciandi. Dixi, *per aliquod factum*: quia non sufficiet non vsus circa illam dispensationem, quia cum isto non vsu potest manere voluntas vtendi: sed requiritur, vt ita dicam, contrarius vsus, seu factum contrarium voluntati vtendi illa dispensatione. Suarez *citat. lib. 6. c. 20. n. 8.* At bene *ibid. n. 9.* pro maiori explicatione addit: quòd qui dispensatus iam fuit in ieiunio (idem dic de aliis) & quærit nouam dispensationem de eadem re, dubius an prima valuerit, non censetur renunciare primæ

primæ dispensationi procurando secundam, neque per hoc amittitur prima: quia procurans secundam, non habuit animum absolutum renunciandi primam, sed solùm conditionatum, videlicet si prima sit inualida: ac proinde non obtenta secunda, poterit manere cum prima. Si verò quis post primam dispensationem obtineat aliam secundam contrariam priori, iam renunciauit priori, & non poterit illa vti. Vnde infert Sanchez 8. *de Matrim. disp.* 22. *n.* 19. quod impetrans dispensationem ad contrahendum matrimonium cum vna consanguinea, & postea secundò impetrat aliam ad contrahendum cum alia, iam non potest contrahere cũ priori, quia per secundam dispensationem repugnantem, renunciauit primæ. Addit tamen Suarez *citat. cap.* 20. *n.* 11. quod licèt dispensatus rumpat litteras dispensationis ex animo renunciandi, non tenet renunciatio, quousque à Principe acceptetur. Quæ omnia possunt applicari ad renunciationem officiorum.

17 Si Prælatus cum subdito dispensauit validè in aliquo voto, vel illud irritauit: non potest iterum reuocare illam dispensationem, vel irritationem iubendo, vt stet priori voto. Probatur, quia per illam validam dispensationem, vel irritationem fuit votum verè ablatum, & extinctum: ergo non potest prælatus idem votum iterum imponere subdito: quia votum non ligat, nisi ex libera voluntate vouentis, & proinde vt iterum obliget debet iterum subditus vouere. Suarez *citat. lib. 6. cap.* 21. *num.* 6. *ad finem.*

18 Quæris. Quidam Religiosus habet irregularitatem, vel inhabilitatem super qua poterat suus Prælatus dispensare. Ille huius rei inscius Papam, vel Nuncium adiit pro dispensatione obtinenda. Papa, vel Nuntius dispensationem denegauit: Quæris, an post hanc denegationem Papæ possit suus prælatus cum illo

illo dispensare, sciens quòd Papa negauit? Ego iam de isto casu rogatus respondi, & modò respondeo, posse Prælatum Regularem cum illo dispensare, non obstante quod sciat Papam, vel Nuntium noluisse dispensare, dummodò causa iusta intersit. Hunc casum ponit Sanchez *lib.*8. *de Matrimon. disp.*14. in illo qui prius petiit à Papa negante dispensationem, & postea adit Episcopum alias potentem dispensare: tenet quòd potest Episcopus dispensare non obstante quòd Papa negauerit. Et probatur, quoniam ex eo quod Papa negauerit dispensationem, non aufert iurisdictionem ordinariam, quam habet Prælatus inferior dispensandi, aliàs in illo casu: neque Papa negando dispensationem fecit illum casum indispensabilem: neque reuocauit priuilegium quod habet inferior in illo dispensandi: ergo adhuc potest dispensare. Secundò, quia ex eo quòd Papa negauerit, non dicitur præuenire causam, seu interdicere, ne alius dispenset. Neque item subditus adeundo Papam cessit iuri suo quod habet etiam adeundi Prælatum.

19 Limitat tamen ibi Sanchez *num.*5. quòd si Papa negauit dispensationem iudicans non adesse causam iustam dispensandi: tunc non poterit Prælatus inferior dispensare, nisi noua causa adueniat: quia in tali casu, deficiente causa, videtur Papa diffinire non posse in tali casu licitè dispensari. Secùs si Papa neget non ob defectum causæ: sed in pœnam istius, vel criminis, vel personæ; maximè quando sciat inferior quod Papa huic negans, aliis tamen concedit eandem dispensationem. Et *num.ibid.*6. asserit non teneri Episcopum dispensantem sua potestate ordinaria ad illas solas causas, quas solet Papa attendere: nam si sint aliæ iustæ quæ sibi videantur sufficientes, adhuc poterit dispensare. Imò id etiam dicit posse facere dispen-

santem

sentem per potestatem delegatam à papa, quia papa in commissione, qua committit vt dispensetur in aliquo casu, solùm requirit vt sit causa iusta: neque limitat hanc, vel illam.

20 Idem dicendum est in casu, quo Generalis, vel prouincialis denegauit dispensationem. Si enim potest prælatus localis conuentualis dispensare: adhuc poterit dispensare non obstante quod prouincialis, vel Generalis negauit. Imò addit Sanchez *citata disp.* 14. *n.* 7. quod etiam Confessor per Bullam Cruciatæ, vel aliud priuilegium potens aliquid dispensare, vel absoluere, id poterit facere, non obstante quod pœnitens à Superiore iam sit passus repulsam: quia adiisse Superiorem nullum præuentionis effectum operatur. Et rationes adductæ in *n.* 18. etiam militant in prouinciali negante Generali: & in prælato locali negante prouinciali. Dummodo tamen semper sit causa dispensandi, & potestas in inferiori cum iniuncta sufficienti pœnitentia. Imò sicut ibidem innuit clarè Sanchez in his omnibus non est necesse facere mentionem repulsæ datæ à papa, nisi quando ille definiuit non dari causam iustam dispensationis: tunc enim inferior non poterit, vt supra diximus.

21 Dato quod subditus petiit dispẽsationem à prælato, & prælatus remisit ad papam: & papæ fuit præsentatus: an possit adhuc redire ad prælatum, vt dispenset virtute priuilegij validi per quod potest? Respondetur posse iterum prælatum illi causæ intendere, ac dispensare. Neque obstat *cap. licèt. de off. legati*, vbi dicitur iudicem desinere esse iudicem postquam causam ad Superiorem remisit. Nam hic textus intelligitur in causa contentiosa tantùm, qualis non est dispensatio, hæc enim est causa pacifica sine strepitu iudicij. Neque per hoc quod pœnitens iam adierit papam,

Papam, dicitur ſuum delictum eſſe poſitum in foro contentioſo, ac proinde non poſſe diſpenſare Prælatos inferiores, qui nequeunt diſpenſare in aliquibus grauibus deductis ad forum contentioſum. Non hoc obſtabit, quia petere ſolùm aliquid à Sum. Pontifice, non eſt manere caſum poſitum in foro contentioſo illius. Quia forus contentioſus ſignificat locum iudicij, in quo eſt perſona actoris, & rei. Quod non datur quando Romæ poſtulatur diſpenſatio.

ECCLESIÆ FRATRVM.

Vide verbo *Altare*, & verbo *Benedicere*, & verbo *Miſſa*, & verbo *Sepultura*, & verbo *Proceſſiones numero* 10.

1 POteſt Guardianus ſuam nouam Eccleſiam benedicere cum aqua à ſe benedicta,& illam pollutam reconciliare cum aqua tantùm à ſe benedicta. Compend.verb.*Benedicere* §.14.Non verò poteſt conſecrare, vel illam conſecratam reconciliare. Quod autem Eccleſiam ſolum benedictam poſſit reconciliare cum aqua à ſe tantùm benedicta,non verò benedicenda ab Epiſcopo,tenet Henriq.*tom.2.lib.13.c.51.§. pollutio*.Et probatur,quia ſimplex Parochus reconciliat ſuamEccleſiam benedictam cum aqua à ſe benedicta: vt omnes fatentur cum praxi:ergo à fortiori id poterit Prælatus Regularis maiorem habens poteſtatem. Si verò ſit conſecrata debet Regularis Prælatus vocare Epiſcopum:vel ſi ille abſit vltra duas dietas,expectare aquam ab illo benedictam, & tunc Eccleſiam conſecratam cum illa aqua reconciliabit.

2 Eccleſias Fratrum, cœmeteria,calices vbi Chriſma interuenit,& altare portatile, ſolus Epiſcopus poteſt.

Digitized by Google

test consecrare. Hoc tamen potest facere quilibet Episcopus Catholicus, non impeditus irrequisito diœcesano. Compend. eod. ver. §. *ii cum notatione Collectoris ibidem ad* §. 16.

3 Ecclesias Fratrum non esse collegiatas, nec teneri ad duas Missas diebus assignatis à Missali tenet Rodr. *tom.* 1. *q.* 43. *art.* 12. dicens ita declaratum esse in cæremoniali nostri Ordinis facto ex mandato Congregationis Generalis Tolletanæ. At illas esse collegiatas, & teneri ad duas prædictas Missas diebus assignatis expresse tenet Cæremoniale Ordinis factum ex mandato R. P. Generalis Francisci Sozæ per Fratrem Ioantrem Zamorens. qui *libr.* 1. *de Rubricis fol.* 5. *pag.* 2. *Rubrica* 4. *ad finem*, ait sic fuisse Romæ declaratū in Congrega. Cardinalium de Ritibus: & *ibidem* ait esse etiam Cathedrales ad effectum vtendi planetis complicatis.

4 Audientes Missam in nostris Ecclesiis satisfaciunt præcepto Ecclesiæ; & si ibi sermonem audierint non tenentur adire proprias Parochias. Compend. Societatis verb. *Missa*. §. 1. ex Paul. III. & §. 2.

5 Ecclesias seu loca Fratrum temerariè infringentes incurrunt excommunicationem. Compend. verb. *Ecclesia* §. 3. Et hoc inseruit contra Ministros iustitiæ aliquando insequentes illos qui ad Ecclesias confugiunt, de quo paulo infra. vide ver. *Confessor n.* 29.

6 Leo X. prohibuit ne Regulares in Sabbatho sancto campanas pulsent pro Alleluia, antequam pulsentur in Matrice Ecclesia Cathedrali. Compend. verbo *Ecclesia* §. 10.

7 Possunt Regulares in suis Ecclesiis exhumare corpora defunctorum ex vno sepulchro ad aliud in eadem Ecclesia de consensu illorum quorum interest. Compend. verb. *Ecclesia* §. 17.

ECCLESIÆ IMMVNITAS *pro fugientibus ad illam.*

QVia casus quotidianus est apud Religiosos, & vidi magnas molestias ob hanc causam eis illatas, sequentia pono pro remedio aliquo futurorum. Neque in hoc recedo ab intento.

8 Gaudent priuilegio Ecclesiæ ne possint ab illa extrahi fugientes ad illam, etiam si adhuc in illa non sint celebrata diuina mysteria, dummodo iam sit dedicata ab Episcopo. Gaudet etiam Ecclesia etiam si sit polluta, & interdicta. Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 3. cap. 9. num. 4. & 6.*

9 Horti, & septa Conuentuum, & totus ambitus cum officinis gaudet hac immunitate, & proinde ab horto Fratrum extrahi non potest culpatus. Compend. Societatis IESV, verbo *Immunitas.* §. 2. dicit quod per Ecclesias Fratrum intelliguntur horti, hortalitia, officinæ, & omnia contenta intra ambitum Conuentus. Et Rodriguez *tom. 2. quæst. 75. art. 2.* dicit ex Eugenio IV. quod etiam grangiæ Cistertiensium gaudent hac immunitate sicut Ecclesiarum atria (*alpendres*) ita vt inde extrahi nequeant fugientes. Probatur etiam ex Bulla Gregor. XIV. adducta à Capucino verb. *Ecclesia, fol. 306. & 307.* in qua Gregor. restringens aliam Sixti V. permittentem extrahi bannitos ab Ecclesiis: & modificans quomodo sint extrahendi, ait ne extrahantur (ab Ecclesiis, Monasteriis, sacellis, domibus Regularibus, locisve sacris, aut Religiosis.) Vide verba: primò enim per Monasterium, intelligitur etiam hortus: nam Religiosus existens in horto, dicitur esse in Monasterio. Secundò ibidem dicit (*loca Religiosa*) hortus autem Monasterij est locus Religiosus.

Licèt

Licèt verò illa Bulla sit pro sola Italia: mens tamen, & intentio Papæ debet extendi ad simile. Præterea quia Fratres admittentes mulieres intra hortos Monasterij sunt excommunicati, vt omnes fatentur explicantes Bullam Pij V. Hoc autem non ex alia causa prouenit, nisi quia hortus est Monasterium. Vltimò quia priuilegium extenditur ad loca cohærentia, vt probat Henriquez *tom. 1. lib. 7. de Indulg. capit. 27. §. 6. littera D. in gloss.* maximè si loca sint intra Monasterium.

Quia verò Ministri iustitiæ vt plurimum sunt feruidi, & nimij in extrahendis, saltem aliquando id ostendunt percupere, ex dicta Bulla Gregor. Et ex piissimis Ordinationibus regni Portugalliæ colligo modificationes à Papa ibi positas, & à Rege *lib. 2. Ordin. titul 5.* ambo enim piissimè decernunt modum extrahendi.

Primò ergo iubet Papa ne extrahantur (etiam non gaudentes immunitate) absque expressa licentia Episcopi, vel eius officialis, & non alterius. Secundò vt extracti reponantur in carcere Ecclesiastico, & non in sæculari vsque dum causa terminetur.

Rex autem *citato loco*, primò iubet vt antequam extrahatur processus fiat summarius, vt videatur an reus gaudeat immunitate Ecclesiæ. Secundò iubet vt vocetur Prælatus, Rector, Vicarius particularis, aut generalis, vt videat, & examinet delictum & processum. Tertiò ait Rex, & requirit vt concordet Vicarius cum Iudice sæculari, & secundùm vtriusque decretum fiat, & alia ibi pro Ecclesiæ fauore decernit. Quæ vellem hodie melius obseruari ab aliquibus ministris iustitiæ, qui Conuentus ingrediuntur inconsulto aliquando Prælato, imò septa saltantes, quod neque Papa, neque Rex permittit.

Addit Capucinus *citato loco*, vt Prælati Regulares vigilent, & non ſinant culpatos extrahi abſque diligẽtia ibi aſſignata, aliàs incurrent pœnas bullæ prædictæ. Quamuis autem pœnæ ibi poſitæ in Hiſpania non ligent, vt diximus, tamen Prælatus eo ipſo quod Prælatus eſt tenetur ſub mortali defendere immunitatem ſuæ Eccleſiæ, nec ſinere culpatos indebitè extrahi, vt clarè decernitur *cap. inter alia. de immunit. Eccleſiæ.* Vt autem hoc melius poſſint facere, pono in ordine caſus magis contingentes in quibus culpati gaudent, vel nõ gaudent immunitate Eccleſiæ.

10 Iuxta probabiliorem ſententiam non gaudet immunitate infidelis niſi fortè fugiens ad illam petat baptiſmum. Suarez *lib. 3. de Relig. tom. 1, cap. 10. nu. 9. & 11.* Hæretici verò pro crimine hæreſis non gaudent,

11 Non gaudet priuilegio iſto ſeu immunitate Clericus quouis modo culpatus, reſpectu iudicis Eccleſiaſtici, ſed ab illo poteſt extrahi, cùm ab illo non ſit occidendus. Non verò poteſt extrahi à iudice ſæculari. Si verò Clericus ſit primæ tonſuræ, non portans habitum, & tonſuram clericalem, poteſt extrahi à Iudice ſæculari, Suarez *citat. capit. 10. numer. 6. & ſequentibus.* Et poteſt etiam laicus extrahi à Iudice Eccleſiaſtico pro omni crimine pro quo poteſt illum punire, vt quia non vult contrahere cum ſponſa cui debet promiſſum, vel pro alia culpa contra ius Eccleſiaſticum Suarez *ibid. n. 8.*

12 Gaudet haç immunitate qui non valens ingredi adhæret portæ Eccleſiæ non habentis cœmeterium: aut ſi eſt ſupra tectum Eccleſiæ. Suarez *cit. lib. cap. 9. nu. 8.* & ratio eſt, quia in vtroque caſu dicitur ille fugere ad Eccleſiam, & eſſe in Eccleſia moraliter, & fauores ſunt ampliandi.

13 Gaudet etiam ſeruus fugiens ſæuitiam domini, niſi

niſi dominus iuret de impunitate ſerui. Gaudet etiam fidelis excommunicatus niſi delictum ſuum id prohibeat. Gaudet etiam fidelis interdictus. Suarez *cit. lib. cap.* 10.*nu.*3.

14 Gaudet etiam culpatus ciuiliter,vt verb.grat. fugiens ad Eccleſiam propter debita.Suarez *cit. lib. cap.* 11.*nu.*3.Non verò gaudet fur quando eſt graſſator viarum & incendiarius.Ordinationes Regni Portugalliæ, *lib.*2.*tit.*5.BEne tamen gaudet fur ordinarius, *ibid.*§.4. Non verò gaudet adulter extrahens fœminam,vel virginem à domo viri,vel patris.Gaudet tamen adulter ordinarius,vel deflorator non extrahens illas à domo.Ordination.Portugalliæ,*ibidem.*

15 Non gaudet immunitate qui commiſit delictum aliquod intra Eccleſiam.Suarez *cit.cap.*11.*n.*6.Neque, qui crimen fecit extra Eccleſiam per inſidias, vel ex propoſito,vt communiter dicitur. Neque is qui ex Eccleſia alium extra illam fecit,vel mandat ferire: neque qui extra Eccleſiam exiſtens aliquem ferit intra illam. Suarez *vbi proximè.*

16 Gaudet immunitate fugiens à carcere etiam ſi illum infringat.Gaudet etiam is qui iam captus fugit de manibus iuſtitiæ,etiam ſi iurauerit miniſtris iuſtitiæ ſe non fugiturum ad Eccleſiam, quidquid ſit de peccato ſuo. Suarez *cit.cap.*11.*n.*18.*&* 20.de raptore virginum alij affirmant,alij negant gaudere.

17 Si fugiens ad Eccleſiam habeat corpus intra Eccleſiam,& veſtes extra illam, non poteſt extrahi, quia iam eſt moraliter intra Eccleſiam.Suarez *cit. lib.*3.*cap.* 12.*nu.*3.Si verò eſt iam intra Eccleſiam,& gaudet immunitate, poteſt ibi à iudice ſæculari ſpoliari armis prohibitis,vel aliis rebus alienis ſi ibi habet.Nõ poteſt tamen ibi ligari,vel condemnari,vel aliam violentiam pati.Suarez *ibidem.*

Denique ordinationes Portugalliæ *citato lib. 2. titul. 5. §. 1.* pro regula generali dicunt quod Ecclesiæ immunitate solùm gaudent malefactores qui merentur mortem naturalem, aut ciuilem, vel abscissionem membri, vel quamcumque pœnam sanguinis. At ius Canonicum *citato capit.* inter alia loquitur generalius, dicens non esse ab Ecclesia extrahendos, vel extrahendum (quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit, nec inde debet damnari ad mortem, vel ad pœnam. Sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam.) Sic ibi. Vbi excipit solùm extrahi posse latrones publicos. Et adde tu à nobis supra exceptos qui à Doctoribus iuxta ius canonicum dicuntur extrahi posse.

ADDITIO.

Vide supra verb. *Alienare*, maximè *num. 1. quia pro hoc etiam inseruiunt.*

1 DIxi olim hoc verb. *num. 1.* posse prælatum localem reconciliare suam Ecclesiam pollutam aqua à se benedicta: de quo non est dubium, si Ecclesia non sit consecrata. Nunc addo quod Ecclesiam non consecratam potest quiuis Sacerdos reconciliare. Ita Sà *in Aphoris.* verb. *Ecclesia, num. 10.* & alij. Secundò dico, quod Prælati Regulares possunt suas Ecclesias consecratas pollutas reconciliare, cum hac conditione, si videlicet Episcopus Diœcesis distet à loco vltra duas diætas, id est, 14. leucas. Si enim distet per duas diætas, poterunt illam reconciliare etiam consecratam, idque cum aqua benedicta per ipsos prælatos Regulares. Si verò Episcopus non distet per duas diætas, & Ecclesia sit consecrata, expectare debent, ac pe-

tere

tere aquam benedictam ab ipso Episcopo cum vino scilicet, & cinere, & cum illa sic benedicta poterunt reconciliare suam Ecclesiam consecratam. Ista explicatio ponitur à Rodrig. *tom.* 1. *quæstionum, quæst.* 19. *art.* 6. si bene attendatur, & colligitur ex verbis Leonis X. quæ citat.

2 Quæris vnde possit agnosci Ecclesiam aliquam esse consecratam: vel non consecratam? Respondetur primò, si constet ex aliqua scriptura authentica. Secundò, Sà *in Aphoris. ver. Eccl. num. cit.* ait, si vnus tantùm testis id affirmet, reputandam pro consecrata. Tertiò ex eodem Sà, si in illa recitatur officium dedicationis illius singulis annis certa die. Quartò, si in illa extant consecrationis signa. Quæ verò sint hæc signa consecratæ Ecclesiæ, non exprimit. Durant. *de Ritib. Ecclesiæ libr.* 1. *capit.* 24. *numer.* 18. referens singulas cæremonias factas ab Episcopo in consecratione Ecclesiæ, nulla signa impressa, & remanentia recolit, nisi Cruces appositas, & affixas parietibus Ecclesiæ intus, & foris. Cæteræ cæremoniæ ab Episcopo factæ sunt transeuntes. Neque Durand. in Ration. Diuini Officij plus exprimit *lib.* 1. *cap.* 7.

3 Causæ ob quas Ecclesia polluitur sunt quinque, positæ à Sà *cit. ver.* & aliis: Prima per effusionem sanguinis illicitam intra Ecclesiam. Secunda per effusionem humani seminis illicitam, vel licitam intra eandem. Tertia per sepelitionem in illa alicuius excommunicati declarati. Quarta si sepeliatur infidelis intra illam. Quinta si fuit benedicta, vel consecrata ab aliquo Episcopo excommunicato declarato. Has omnes causas persequi sigillatim, neque est animus, neque intentum compendij: in aliis videantur. Solùm circa primam magis vsitatam de sanguinis effusione,

aduerto, quòd si vulnus intra Ecclesiam inferatur, & vulnus, seu percussio sit parua, ita vt sanguis solùm per guttas distillet è naribus, vel quid simile; in tali casu Ecclesia non polluitur, quia ius requirit effusionem, quæ effusio significat largitatem fluentiæ. Et ita vidi declarari in facti contingentia à quodam Vicario Generali Episcopi. Circa tertiam aduertit Nauar. *libr. 5. consil. titul. de hæreticis consil. 15. numer. 4.* non pollui Ecclesiam, si in illa sepeliatur homo hæreticus, qui est de facto excommunicatus, si non sit declaratus: & tamen polluitur, si sepeliatur Christianus excommunicatus declaratus: & explicat hoc certum esse, etiam si hæreticus sit notorius. Quia, inquit, Ecclesia non iubet sub peccato vitari hæreticum non declaratum.

4 Bene tamen aduertit Sà *citat. verb. Ecclesia num. 19.* quod etiam si aliquis casus ex quinque prædictis contingat in aliqua Ecclesia, si factum non sit notorium per rei euidentiam publicam, aut confessionem iuridicam rei, non est reputanda Ecclesia pro polluta, neque est reconcilianda, etiam si aliqui pauci sciant. Quia in tali casu daretur occasio infamandi fortè rei occulti.

5 Notat *eodem loco* Sà: quod si aliquis Sacerdos, bona fide celebrauit in Ecclesia polluta, per talem celebrationem manet Ecclesia reconciliata. Et ait sic alios secum sentire. Sed res est dubia: neque ego id consulerem. Quando enim Ecclesia certam formam præscribit pro re aliqua facienda: non est licitum talem formam omittere, etiam si loco talis formæ aliud fiat plus meritorium quàm sit illa forma: cùm ergo Ecclesia pro Ecclesiæ reconciliatione certam formam reconciliandi assignet etiam si Missa quid maius sit, quàm illæ cæremoniæ reconciliationis, non videtur

tolli

tolli illa Ecclesiæ pollutio, quia omittitur forma ab Ecclesia assignata.

Quia verò bis iam vidi necessitatem reconciliandi Ecclesiam Regularem, neque Prælatus illius habebat cæremoniale ad id faciendum, hoc enim magis practicatur à Parochis sæcularibus; & in casu simili solent cum labore Religiosi recurrere ad Parochos pro dicto cæremoniali accommodando: in gratiam Religiosorum, quibus hîc præcipuè seruire intendo, volui hîc ponere formam reconciliandæ Ecclesiæ transcriptam ex cæremoniali Eborensi, quæ sic habet.

FORMA RECONCILIANDÆ Ecclesiæ simul cum cœmeterio quando ambo polluta sunt.

PRimò, Prior, vel Parochus Ecclesiæ indutus amictu, alba, stola & pluuiali (si detur) sin minus cum superpellicio, & stola: comite alio Sacerdote ad minus vestito cum superpellicio, in quacumque die, si Ecclesia sit in vrbe, vel populo: si verò Ecclesia sit in agro, fiet in die Dominica, vel festo, vocato populo.

Sic omnes procedent simul cum processione ad portam principalem Ecclesiæ ex parte interiori illius cum Cruce leuata, Sacerdos cum hyssopo aquæ benedictæ aspergens dicet Antiphonam: *Asperges me* prosequentur cæteri: illáque finita, Sacerdos cum clero dicent Psalmum: *Miserere mei Deus*, alternatim totum cum *Gloria Patri*. Quandiu verò durauerit recitatio prædicti Psalmi, parochus cum hyssopo asperget parietes, & pauimentum totius Ecclesiæ incipiens à parte dextera portæ Ecclesiæ versus altare maius: & reuertetur ab altari maiori, aspergens similiter partem sinistram Ecclesiæ vsque ad locum vnde incæpit. Cùm

verò peruenerit ad locum vbi crimen commissum est, ibi sæpius, & crebrius asperget cum hyssopo. Finito verò semel Psalm. *Asperges*, & Antiphona: iterum repetant modo prædicto Tunc exiet Sacerdos cum processione prædicta ad cœmeterium : durantéque recitatione Psalmi, Sacerdos aspergat totum cœmeterium modo quo fecit in Ecclesia. Finita vero aspersione, & Psalm. redibunt omnes ad Ecclesiam, & sistent in loco, in quo incæperunt, Sacerdos verò ibit ad locum, in quo delictum patratum est: & dicet sequentes orationes.

OREMVS.

OMnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tãtam præ cæteris gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè, & perfectè ab eis agitur, à te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam, vt quidquid modò visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi sumus, benedicas (hæc dicens manu facit signum Crucis) sitque ad nostræ humilitatis introitum Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. Respon. Amen.

Tunc dicit Sacerdos : *Oremus.* & Diaconus si adsit, dicit, vel Sacerdos socius: *Flectamus genua: Leuate.* Tunc Sacerdos reconcilians, dicit.

Aufer à nobis Domine cunctas iniquitates nostras, vt ad loca tuo sancto nomini purificanda puris mereamur mentibus introire. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus, *Flectamus genua: Leuate*: sicut supra.

ORA

Digitized by Google

ORATIO.

DOmine pie, qui agrum figuli pretio ſanguinis tui in ſepulturam peregrinorum comparari voluiſti, quæſumus dignanter, reminiſcere clementiſſimi huius myſterij tui: tu es enim Domine figulus noſter: tu quietis noſtræ ager, tu agri huius es pretium: tu dediſti etiam, & ſuſcepiſti: tu de pretio, & in pretio viuifici ſanguinis nos quieſcere feciſti, & donaſti. Tu ergo Domine, qui es offenſionis noſtræ clementiſſimus indultor, expectatiſſimus iudicator, iudicij tui ſuperabūdantiſſimus miſerator, iudicium tuæ iuſtæ veritatis abſcondens, poſt miſerationem tuæ piæ redemptionis, adeſto exauditor, & effector noſtræ reconciliationis. Hoc cœmeterium Mauſolæum peregrinorum tuorum cæleſtis patriæ incolatum expectantium benignus purifica, & reconcilia, & hic tumulatorum, & tumulandorum corpora de potentia, & pietate tuæ reſurrectionis ad gloriam incorruptionis, non damnans, ſed glorificans reſuſcita. Qui venturus es iudicare viuos, & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſpon.* Amen.

Quo finito, pergunt Sacerdotes ad gradus Altaris maioris: ibíque flectant genua, & populus extra capellam in corpore Eccleſiæ. Et dicat Sacerdos Littanias publicas, & ſolitas: reſpondentibus aliis. Cùm verò peruenerit ad illum verſum: *Vt nos exaudire digneris.* Sacerdos eleuet vocem, & manu Crucem faciens ſtans, ter dicat: *Vt hanc Eccleſiam, & altare, & hoc cœmeterium purgare, & reconciliare digneris.* Reſponſ. *Te rogamus audi nos.* Et ter repetent: tunc poſitis genibus dicentur Littaniæ vſque ad finem. Quo finito, Sacerdos reconcilians: ait; Oremus. *Flectamus genua.* Reſponſ. *Leuate.*

ORATIO.

DEus qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua posteritatis genus omne succesſerat, Christi filij tui Domini nostri soluisti, da propitius vt conformes eidem effecti, sicut imaginem terreni parentis naturæ necessitate gerimus, ita imaginem cœlestis gratiæ sanctificatione portemus, IESV Christi Domini nostri, qui tecum viuit, & regnat in vnitate, &c. Amen.

Hoc finito, si Missa non sit celebranda (Missa enim hîc non est de obligatione) Sacerdos benedicat populum.

Quando verò sola Ecclesia, sine cœmeterio est reconcilianda, non dicitur oratio supra: *Domine pie.* Nec dicitur, hoc cœmeterium: nec exit processio ad cœmeterium: sed finita prima vice, Antiphona *Asperges*, cum Psalm. dicuntur duæ orationes, scilicet: *Omnipotens, & misericors Deus.* Et alia: *Aufer à nobis.* Et illis finitis, dicuntur Littaniæ.

Ne verò mireris de aduertentia proximè posita, scilicet, quando reconciliatur sola Ecclesia absque cœmeterio: nota quòd licèt violata Ecclesia, violetur etiam cœmeterium; in hac habet locum de ordinario, quando cœmeterium est coniunctum Ecclesiæ. At quando cœmeterium est disiunctum ab Ecclesia, vt fit in multis locis, tunc violata Ecclesia, non violatur cœmeterium separatum: & tunc reconciliatur sola Ecclesia absque cœmeterio iuxta clausulam proximè positam.

FOR

FORMA RECONCILIANDI *cœmeterij, absque Ecclesia.*

COemeterium reconciliabitur die Dominica, vel quouis festo, si Ecclesia fuerit in campo: Si intra populum, quouis die. Tunc Sacerdos indutus, vt supra, cum alio Sacerdote, vel Clero, & populo, Cruce, & cæteris, vt supra, procedent ad medium cœmeterij: ibique flexis genibus incipient Littanias. Et peruenientes ad locum, seu versum: *Et nos exaudire digneris*: surgit Sacerdos, & benedicens, ter dicit: *Vt hoc cœmeterium reconciliare digneris.* Et ter respondetur: *Te rogamus, audi nos.* Tunc iterum flexis genibus Sacerdos finiat Littanias, absque precibus. Quibus finitis, iterum surgit Sacerdos, & sumpto hyssopo cum aqua benedicta, & aspergens cum Antiphona: *Asperges me*, dicetur Psalm. *Miserere mei Deus*: & dicetur totus Psalmus absque *Gloria Patri.* Durante verò Psalmi recitatione, Sacerdos aspergat aqua benedicta totũ cœmeterium, incipiens à parte dextera, & finiens in siniſtra. Veniens autem ad locum vbi delictum factum est, ibi multiplicet aspersiones. Finita verò sic aspersione, redeat Sacerdos ad locum vbi cæpta est Littania, & ibi stans dicat; *Oremus*: & Diaconus, vel socius Sacerdos, dicat: *Flectamus genua. Leuate.*

ORATIO.

OMnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contuliſti, vt quidquid in tuo nomine, perfectéque ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam tuam clementiam, vt quidquid modò visitaturi sumus, visites: &

quid

quidquid benedicturi sumus,benedicas(faciat Crucem manu)sitque ad nostræ humilitatis introitum Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO.

Flectamus genua. Leuate. Oremus.

AVfer à nobis quæsumus Domine omnes iniquitates nostras,vt ad loca tuo sancto nomini purificanda puris mereamur mentibus accedere.Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus. *Flectamus genua. Leuate.*

ORATIO.

DOmine pie,qui agrum figuli pretio sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quæsumus dignanter,reminiscere clementissimi huius mysterij tui,tu es enim Domine figulus noster:tu quietis nostræ ager:tu agri huius pretium:tu dedisti etiam, & suscepisti : tu de pretio viuifici sanguinis nos quiescere fecisti,& donasti. Tu ergo Domine,qui es offensionis nostræ clementissimus indultor,expectatissimus iudicator, iudicij tui superabundantissimus miserator, indicium tuæ iustæ seueritatis abscondens , post miserationem tuæ piæ redemptionis adesto exauditor , & effector nostræ reconciliationis:hoc cœmeteriũ Mausolæum tuorum peregrinorum cælestis patriæ incolatum expectantium benignus purifica , & reconcilia: & hic tumulatorum,& tumulandorum corpora de potentia, & pietate tuæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis

ruptionis,non damnans,sed glorificans resuscita. Qui venturus es iudicare viuos & mortuos,& sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Hoc finito,Sacerdos cũ populo redit ad Ecclesiam: & dicitur Psam. *De profundis*.Et perueniens ad altare, dicat vnam orationem pro defunctis. Et in fine dicat: *Requiescant in pace*. Amen. Et conuersus ad populum, illum benedicat:si non sit statim Missa celebranda.

FINIS.

DE REBVS ECCLESIÆ non applicandis ad vsus prophanos.

5 SOlet aliquando collapsa,& vetusta Ecclesia diruui,ex qua remanent lapides,ligna,ferrum,& similia : sicut etiam vasa,& omnia pertinentia ad ornatum Ecclesiæ. De lignis ergo Ecclesiæ destructæ disponit ius Canon. *cap. ligna. de consecrat. distinct.* 1. quod non applicentur ad vsus humanos laicorum. Excipit tamen ac permittit, vt de lignis Ecclesiæ possit ædificari capitulum , & dormitorium fratrum , & alia loca regularia , per quæ intelligo alias officinas honestas fratrum,dummodò non sit coquina,vel alius locus inhonestus,vel turpis. Excipit enim,& prohibet comburi in coquina ad coquendos cibos. Vidi ego virum valde doctum explicantem : quod Sacrista posset ligna Ecclesiæ comburere pro hostiis faciendis in sacristia. Idem dic de lignis imaginum Sanctorum, sunt enim maximè ligna Ecclesiæ. Quæ omnia ligna si non inseruiant pro alia ecclesia construenda , vel pro dormitorio Fratrum , vel Capitulo , iubet textus vt comburantur. Ait tamen Sà *in Aphorism. verbo Ecclesia numer. secund.* posse episcopum dispensare.

fare, vt materiali Ecclesiæ dirutæ possint applicari ad vsus prophanos. Prohibetur etiam *citat. cap.* ne ligna Ecclesiæ applicentur pro vineis Fratrum: ibi in gloss. ver. *Profectum.*

6 Eadem prohibitio fit *citata dist. cap. altaris, & cap. vestimenta.* circa pallas altaris, ornamenta ipsius, & Sacerdotum vestes, quæ nullo modo licet applicare, seu conuertere ad vsus prophanos. Idque per regulam etiam generalem quæ in 6. de Regul. iuris habetur: *Semel Deo dicatum, non est ad vsus humanos vlterius transferendum*: ibi Gloss. explicat de quauis re inanimata Ecclesiæ deputata ad sacros vsus. Et addit quod licèt prædictæ res sint vetustæ ex petiis, seu partibus illius non potest fieri alia res inseruiens vsui prophano: sed debet comburi, & cineres in piscinam, vel loco decenti reponendi: nisi fortè in alio vsu possit Ecclesiæ inseruire. In quibus omnibus attendant Sacerdotes ad duo exempla. Primum ex lege veteri *Leuitici 6.* vbi postquam tota die, ac nocte comburebantur animalia in holocausto, & sacrificiis, iubebatur Sacerdos, vt vestitus certis vestibus deferret cineres residuos extra castra, & reponeret ibi in loco mundissimo: eo quòd remanerent ex re Deo oblata. Secundum exemplum sit ex lege noua. Refert Lorinus *ad c. 6. Leu.* quendam hæreticum Proculum rapuisse pallas altaris, & ex illis fecisse camisias, & femoralia: qui paulò post ipse suam linguam frustatim comedens breui consumptus est morte turpissima.

7 Permittitur etiam quod calix consecratus, non in propria forma manens, sed confractus, & comminutus, possit vendi sæcularibus. Idem dic de aliis vasis Ecclesiæ confractis, & comminutis, maximè pro redemptione captiuorum, & pro magnis debitis Ecclesiæ, vt ait Gloss. cit. regula *semel Deo dicatum*, citans alios

alios textus. Concedit etiam Concil. Trident. *sess.21. cap.7. de reformat.* vt Episcopus possit vetustam, & collapsam Ecclesiam, si sibi videbitur, conuertere ad prophanos vsus, non tamen sordidos; & erecta tamen ibi cruce.

EIICERE, SEV EXPELLERE ab Ordine.

Vide supra verbo *Apostata.* & infra verbo *Manu violenta, num.* 11.

1 POtest Generalis Minorum de consilio Diffinitorum, & prouinciales in Capitulo cum maiore parte Capituli incorrigibiles ab ordine eiicere. Compend. Minorum verb. *Eiicere.* §. 4. Imò ibidem Alexander VI. hoc concedit Generalibus vt per se ipsos duntaxat possint eiicere. Circa id verò quod dicitur de Prouincialibus posse id facere in Capitulo, credo quod etiam possunt id facere in Congregatione intermedia habente vicem Capituli, iuxta supradicta verb. *Dispensare, num.* 2. Imò cùm ego essem prouincialis in præsenti materia, responsum mihi fuit à R. tunc Commissario Generali posse prouincialem eiicere incorrigibiles etiam sine Capitulo, & sine congregatione, congregatis tamen omnibus Diffinitoribus qui diffinire solent in Capitulo vel congregatione: ibi enim finis legis impletur.

Secundò nota. Incorrigibilem iuxta ius canonicum dici, qui ter conuictus, & punitus de tribus criminibus grauibus, & atrocibus, non fuit emendatus. Vnde colligo non sufficere quod Religiosus committat tria crimina atrocia ex vna quasi vice morali vnum post aliud, vel simul, vt dicatur incorrigibilis, si non sit ter puni

punitus cum distinctis interuallis,& distinctis punitionibus. Sed opus est,vt per interualla fiant crimina, & cuilibet statim adhibeatur punitio & Monachus non resipiscat. Aliàs non dicetur incorrigibilis,quia pertinacia propriè consistit in resistentia per distinctas obiurgationes: non verò satis colligitur ex vna sola resistentia. ET ipsum nomen *incorrigibilis* proprie, non denotat continuationem ad crimina, sed respectum ad correptionem,vel punitionem ter contemptam.

Tertiò nota,dari incorrigibilem de iure,& incorrigibilem de facto. Incorrigibilis de iure est ille ordinarius,de quo proximè,qui scilicet ter conuictus & punitus non resipiscit, tunc enim ius Canonicum illum reputat incorrigibilem. Incorrigibilis de facto est ille, qui licèt ter non fuit conuictus, & punitus; tamen de facto,id est,spectata illius natura,moribus & conditionibus per longum tempus, in criminibus paruioribus non iuridicè punitis reputatur incorrigibilis. Ita Sylu. verbo *Abbas*, *num.* 6. ET hunc etiam incorrigibilem de facto,etiam si non fuerit ter conuictus, & punitus, posse eijci ab Ordine,tenet Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 30. *art.* 15. quando scilicet ex vna vice commisit apostasiam diuturnam,habitu relicto, ibique commisit multa crimina grauia,& scandalosa.

2 Statuta generalia Minorum pro incorrigibili declarant illum qui commisit per tria interualla, tria crimina grauia,& atrocia,modo proximè dicto, siue sint eiusdem speciei,vt tres apostasias, siue diuersæ speciei. Statuta Vallis Oleti secunda, & alia pro apostatis his quales esse debeant,vide verb. *Apostata*.

3 Pius V. concessit Fratribus Sancti Hieronymi in Hispania, vt possint pro vno tantùm crimine Monachum eijcere ab ordine,& ad triremes damnare,quando pro illo crimine ius commune pœnam mortis imponit,

ita ille anno 1566. Bene tamen aduertit Rodrig. *tract. quæstion. artic. 17.* aliqua crimina in iure ciuili pœna mortis damnari, pro quibus non est Monachus eiiciendus, verbi gratia, eripere vinctum de manibus iustitiæ ductum ad patibulum, plectitur in iure pœna mortis, & tamen pro hoc solo, vel similibus non est Monachus eiiciendus. Bene tamen eiicietur pro homicidio, pro crimine nefando, maximè sæpius continuato, pro furto grauissimo, scandaloso, & similibus. Vide ibi Rodrig. *cit. quæst. art.* 18. Hyperbole verò est quòd dicunt aliqui, Monachum fugientem à carcere reputari incorrigibilem: hoc enim falsum est, neque adeo grauis culpa est sola fuga è carcere vt faciat plusquam vnam apostasiam, vide supra verb. *Correctio, tit. semiplena probatio n.* 35.

4 Paulus V. mandauit Canonicis Regularibus Sanctæ Crucis Conimbricæ, vt Monachum incorrigibilem, vel carceri perpetuo damnarent, vel ad triremes relegarent, & aliter non possent eiicere. Idque fecisse dicitur sciens multos ex industria fieri inobedientes, & incorrigibiles vt simpliciter eiecti manerent viuentes in sæculo. Sic Paulus V. concessit anno 1613. die 5. Aprilis. Et puto audisse me ita etiam practicari Romæ, & cùm hoc sit priuilegium, puto posse in illo communicare cæteros cum illis communicantes.

5 Eiectus ab Ordine, tenetur ad votum castitatis, & ad horas canonicas, etiam si sit laicus, vel sacro Ordine carens: (laicus verò dicet horas suo modo iuxta Regulam) tenetur etiam ad ieiunia Regulæ; si illa obligent sub mortali vt obligantur Minoritæ. Probatur, quia illis culpa sua non debet prodesse, neque per eiectionem cessant vota, quæ possunt obseruari, possunt verò supradicta. Prædicti tamen non tenentur

ad obedientiam, neque ad paupertatem. Rodrig. *cit. q. art.* 19. & eiectus debet manere ſubditus Epiſcopo originis, non verò domicilij: vt ait Nauarr. *Coment. 2. de Reg. num.* 32.

6 Eiectus ab Ordine, & damnatus ad triremes non poteſt iterum recipi ad Ordinem etiam ſi roget. Sic apud Minores ſtatutum eſt in Capit. Generali Romæ ſub Generali R. Ioann. Ferro. ann. 1612. & quamuis ſolum damnetur ad triremes abſque eo quòd ſententia declaret expulſionem ab Ordine, intelligi-gitur expulſio, ſic ibi. Et Rodriguez *tom. 1. quæſt. 25. art. 5.*

7 Etiam ſi eiectus ab Ordine non damnetur ad triremes, adhuc non poteſt iterum recipi, eſt enim inconueniens eo quòd ſit infamis. Rodrig. *tom. 1. q. 30. art. 2.* & Mirand. *tom. 1. q. vlt. art. 7.* dicit eſſe neceſſariam diſpenſationem Papæ.

8 Si Monachus in profeſſione rogatus vtrum in ſæculo aliquid ſcandaloſum delictum commiſerit, & ille negauerit; & poſtea reperta veritate ſcitur quod de aliquo graui delicto fuit conuictus, vel diffamatus, poteſt eici ab Ordine ex conceſsione Leonis X. in Compend. verb. *Eiicere* §. 6. ſed nota quod tex. ibi dicit in plurali (*grauiſsimis, & ſcandaloſis delictis notati*) & ponit grauiſsimis.

9 Cum eiiciendis ab Ordine ante lectam illis ſententiam, poſſunt, ac debent Prælati diſpenſare in irregularitatibus, & cenſuris quas aliàs poſſunt tollere: ne miſeri exeant inmodati, & cogantur quærere illarum abſolutionem, & diſpenſationem cum nimio labore, & infamia. Et quod hoc poſsint ante lectam ſententiam conſtat, quia adhuc ſunt ſubditi. Nam poſtquam exierint, neque Generalis habet ſupra illos iuriſdictionem. Nau. *lib. 3. Conſil. tit. de Regul. conſil. 51.*

10 Eie

10 Eiectus ab Ordine non potest prædicare, neque confessiones audire absque licentia Prælatorum Ordinis; secus facientes poterunt excommunicari per Prælatos Ordinis. Compend. Minor. verb. *Apostata*, & Miranda *cit. q. art. 5. concl. 3.*

ADDITIO.

1 QVoniam vt plurimum per tria crimina grauia, & atrocia reputatur quis incorrigibilis vt eiiciatur ab Ordine, dubitas quæ sint crimina atrocia, ad hunc finem. Ad hoc respondet Iul. Clar. *in Pract. crimin.* §. 1. *num.* 9. in Senatu Mediolanensi responsum, ac decretum fuisse approbante Rege, sequentia delicta esse atrocia. Læsa Maiestas: homicidium ex proposito: falsificatio monetæ: vulnus illatum cum sclopeto, etiam morte non secuta, si fiat proditorie: raptus virginis honestis parentibus ortæ: coitus cum Moniali intra septa Monasterij: sodomia: latrocinium in viis; falsificatio sigilli principis vel senatus. Hæc ille. Et ipse statim ex sua opinione quasi per summam dicit: sibi videri atrocia omnia illa crimina, pro quibus lex, vel statutum imponit pœnam mortis naturalis, vel ciuilis, scilicet triremium perpetuò, dummodo talis pœna sit in vsu.

2 At in Religionibus (de quibus non loquitur citatus Doctor) pro delicto atroci reputari debet apostasia, saltem habitu dimisso, vel cum habitu per longum tempus: vnde nostra statuta Generalia Romana, anno 1612. ob solas quatuor apostasias absque aliis delictis iubet dari repudium. Neque ex hoc credat Minorita non posse Prælatos Franciscanos vti, seu stare statuto generali Vallisoletano priori, anno 1593.

Digitized by Google

quo iubetur dari repudium, vel ob vnum tantùm crimen per leges ciuiles punitum pœna mortis: vel ob tria delicta grauia, siue sint eiusdem, siue diuersæ speciei: non, inquam, illud statutum Romanum posterius, reuocat hoc prius, Vallisoletanum: sed statutum Romanum vltimum loquutum est de solo delicto apostasiæ: & quamuis hoc requirat quatuor, cùm præcedentia requirant tres, possum credere loquutum esse hoc Romanum de apostasiis minoribus factis ad breue tempus, non dimisso habitu, & adito statim superiore: si verò fuerint apostasiæ graues, standum est statuto Vallisoletano prædicto: videant aliæ Religiones sua statuta. Scio in Regula sancti Benedicti c. 29. præcipi vt Monachus tertiò fugiens à Monasterio, amplius non recipiatur.

3 Dixi olim verb. *Bona* ad quem pertinerent bona apostatæ, vel Religiosi degentis extra claustra cum licentia. Nunc quæris, ad quem pertineant bona Religiosi electi ab Ordine propter culpas, si fortè iste in sæculo bona temporalia acquirat? Hac de re neminem vidi clarius dicentem quàm Azorium *tom. 1. Sum. lib. 12. c. 16. q. 4.* vbi sic ait: *Monasterio electus nihil sibi proprium potest acquirere, neque capere: sed solùm ius habet ea sibi quærendi, quibus omnino ad victum, vestitum, & habitationem indiget. Neque horum proprietatem, dominium, aut vsum fructum, qui in iure consistat, vllo modo sibi comparat; sed nudum vsum, qui est res facti, non iuris, &c.* Hæc ille. Et potest confirmari, quia in tali electo durat votum paupertatis solemne, in quo Prælatus non potest dispensare, ergo circa bona acquisita non acquiret dominium, vel proprietatem illorum, quia hæc pugnat cum voto paupertatis: acquiret verò solùm vsum simplicem, seu vsum facti, qui potest esse cum voto paupertatis.

4 Hinc

4 Hinc duo colligo euidenter. Primum est, eiectum ab Ordine, de bonis acquisitis, non posse testari: constat, quia in rigore est Monachus, & Monachus non potest condere testamentum, neque potest quis donare id, cuius non habet dominium. Secundum est, quod consanguinei huius eiecti ab Ordine non possunt succedere in bonis illius: patet, quia illa bona non sunt bona illius eiecti, quia in illis non habet dominium, vt diximus. Cuius ergo erunt bona prædicti eiecti ab Ordine post mortem? Intelligo quod sunt Cameræ Apostolicæ, per ea quæ dicit, ac citat Azor, *tom. 2. Sum. lib. 8. cap. 3. q. 15.* & idem Azor. *tom. 1. libr. 12. c. 16. q. 9.* Vide Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæstion. 30. art. 25.*

5 Eiectus ab Ordine per sententiam, si ante ingressum illius Ordinis habebat votum simplex Religionis: post illam expulsionem non tenetur ingredi aliium Ordinem ex vi prioris voti antiqui: nam illud prius votum simplex fuit extinctum per professionem solemnem, & sic non potest reuiuiscere. Azor. *cit. cap. 17. q. 5.* & alij multi.

6 Monachus eiectus ab Ordine non tenetur se præsentare Episcopo originis, vel loci, vt illi specialiter obediat vel ab illo viuendi normam accipiat, sed sufficit vt illi Episcopo obediat sicut cæteri Clerici, vel sicut cæteri Parochiani: probat hanc fusè, & efficaciter Azor. *citat. cap. 15. quæst. 11.* & Molin. *2. 2. tractat. 2. de Iust. disputat. 140. pag. 768.* Quia talis Monachus solutus est ab obedientia Prælati Regularis cui solùm obedire promisit: non verò Episcopo: Neque datur aliquis textus obligans illum exeuntem, & eiectum particulariter se præsentare, vel obedire Episcopo speciali obedientia. Quare credo iuxta prædicta ab Azorio, eiectum ab ordine si sit Sacerdos, & non

impeditus aliqua irregularitate, vel ſimili impedimento, poſſe celebrare, non adito Epiſcopo originis, vel loci: & per hoc corrigo quod olim dixi hoc eodem verb *num.* 5. Nauarrum ſecutus. Idem dico de eiecto ſolùm Diacono vel Subdiacono non impedito: ſufficit enim his viuere in quauis Diœceſi, ſine præſentatione ſpeciali coram Epiſcopo, dummodo illi obediant ſicut cæteri Diœceſani. Ad quæ verò teneantur iſti eiecti, vide olim dicta hoc eodem verbo *num.* 5.

7 Debent Prouinciales Monacho eiecto dare litteras patentes teſtimoniales ſuæ eiectionis, ſecuritatis gratia, ne in ſæculo cogniti Apoſtatæ credantur, & incarcerentur. Formam harum litterarum, quia non eſt omnibus cognita, hîc volui ponere, quia vidi iam Religioſum Doctorem Iuris Cæſarei illius ignarum, & ab alio poſtulantem. Omitto formam ſententiæ repudij, qua debet condemnari ſpecificando delicta à Prouinciali, ac Diffinitoribus: illi videant formam vſitatam in ſententiis. Forma vero litterarum quas Prouincialis dare debet eiecto ſecuritatis gratia ſubticendo culpas in ſpeciali, hæc eſt.

FORMA LIBELLI, SEV carta repudij danda eiecto.

N. Prouincialis prouinciæ, &c. Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis notum facimus, quod in hac noſtra Prouincia habitum noſtri Ordinis aſſumpſit, & veram profeſſionem emiſit, Fullanus Sacerdos, (vel Diaconus, vel Subdiaconus, laicus, choriſta, &c.) & in eadem per aliquot annos vixit. In his tamen ſuæ obligationis, & profeſſionis oblitus, & à lege Dei, ſuæque regulæ tramite declinans, aliqua delicta grauia, per

per interualla commisit, de quibus conuictus, admonitus, & punitus non solùm non resipuit, sed etiam illa iterans, vel continuans manifestæ incorrigibilitatis signa monstrauit: sicut in processu penes me seruato iuridicè continetur. Quapropter ego cum iis patribus, quibus hac de re iudicare incumbit, prouidentes bono communi Ordinis, ne infectæ, & morbidæ ouis consortio contaminetur, imò & in bonum ipsius delinquentis, attenta ipsius contumacia incorrigibili inhærentes concessionibus, & Bullis Apostolicis nobis concessis, ac nostris statutis generalibus, prædictum Fullanum sententia diffinitiua per nos subscripta, priuauimus in perpetuum habitu Religionis, sicut per præsentes litteras priuatum declaro. Illum insuper damnauimus ad triremes, vel exilium ad partes vltra marinas, per quatuor annos (videatur tenor sententiæ, & sic ponatur) in quorum omnium fidem, & pro ipsius expulsi securitate, præsentes litteras dedimus, nostro maiori sigillo, & propria manu subscriptas, ac munitas. Tali die, anno, &c.

Declaret insuper in fine harum litterarum, si ejectus portet aliquod impedimentum ne celebret, vel ministret in sacris Ordinibus. Declaret item, quòd non potest contrahere matrimonium si est solùm laicus, vel choristа carens Ordine sacro: aliàs peccabit contrahens grauissimè, & matrimonium erit nullum. Et tenentur dicere horas Canonicas iuxta suum statum.

8 De Bulla Leonis X. concedente vt possint ejici ab Ordine, qui in sæculo notati fuerant de criminibus grauissimis, ac diffamati; & de his vitiis in communi rogati in professione negarunt: de his, inquam, vide in Bullario Rodrig. *fol.* 647. vbi solùm noto ibi Papam non requirere vt de talibus delictis in sæculo

fuerint cõuicti, neque accusati: sed solùm dicere, quòd fuerint de grauissimis, & scandalosis delictis notati, & infamati. Vnde non requirit quod eorum delicta fuerint notoria, neq; publica: sed sufficit fuisse notatos, & diffamatos: quod intelligo dummodò in veritate talia delicta commiserint, & de hoc publica fama increuerit. In lib. Declarationum Cardinalium, impresso Duaci, anno 1618 fol. 358. §. *seuerè puniatur*: dicitur declarasse, vel decreuisse illos Doctores illustrissimos ne in posterum vllus Regularis, etiam incorrigibilis ab Ordine eiiciatur; sed intra Ordinem carcere, vel alia pœna seuerè puniatur. Hoc tamen in Hispania non credo seruari, imò oppositum practicatur quotidie.

9 Propter specialem casum hoc tempore ortum, & magnæ controuersiæ inter potestates Ecclesiasticam, & sæcularem, quæris breuiter an possit expelli ab Ordine, qui in professione tacuit morbum Gallicum, vel alium contagiosum quo laborabat, & de quo saltem in genere fuit rogatus ante professionem, & negauit. Casum ponit Nauarr. *lib. 3. Consil. tit. de Regular. consil. 5.* & Rodrig. *tom. 3. qq. q. 17. art. 9.* Respondẽt ambo, quòd si Religio habet statutum aliquod Papæ, vel à Papa confirmatum, per quod annulletur professio taliter negantis: in tali casu poterit expelli ab Ordine. Quòd si non habeat tale statutum, ait Nauarr. posse Prælatum procedere contra sic professum, & in pœnam delicti illum expellere ab Ordine. At meritò Rodrig. *ibidem* hoc secundum reiicit: quia si professio valida fuit (non dato statuto Papæ,) Prælatus non potest expellere professum ob tam leuem culpam, qualis est negatio illius morbi. Neq; obstat, quòd si Prælatus, & Conuentus scirent morbum, non consentirent in professione: nam ait Rodrig. si Petrus sciret Mariam

esse

esse pauperem, non consentiret illius matrimonio; postquam tamen consensit, inuenta eius paupertate, valet matrimonium, quia paupertas illud non dirimit. Sic de Conuentu aliàs non consensuro: quia morbus Gallicus non est impedimentum annullans professionem de iure communi.

10 Sed insurgit magna instantia contra Rodrig. Nam ipse Rodrig. *eod. tom. 3. q. 11. artic. 2. ad finem*, citat, & sequitur Nauarr. *lib. 3. Consil. titul. de Regular. consil. 5. num. 15.* vbi Nauarrus ait, quòd dato statuto in aliquo Ordine à Papa, non confirmato, quo iubetur expelli ab Ordine, descendens ex Iudæis, iure Canonico non prohibitus: iste talis licèt non possit expelli ex vi talis statuti inualidi, potest tamen expelli alio titulo, videlicet, ex defectu consensus ipsius Ordinis. Cùm enim (ait Nauaar.) professio sit quidam contractus inter professum, & Conuentum admittentem, & proinde ad hunc contractum requiratur consensus profitentis, & Conuentus, dato illo impedimento ex parte professi filij Iudæi, deficit consensus Conuentus, & proinde professio poterit annullari ex parte Conuentus. Quod videtur hic posse applicari. Nam facta protestatione, & interrogatione nouitio, ne sit infirmus morbo Gallico, vel simili, aliàs professione non valitura; & ipso negante, deficit omnino consensus ex parte Conuentus: & in re æquè graui, seu pœnosa: recipere enim ad Ordinem infectum morbo Gallico, vel febri ethica, non est minus grauamen quàm sit recipere ad Ordinem descendentem ex Iudæis (*Christianos nouos*) ac proinde sicut hîc potest eiici ab Ordine extante solo statuto in contrarium: ita videtur posse dici de infecto morbo Gallico, præcedente interrogatione, & protestatione Conuentus: per talem enim protestationem clarè exprimit Religio se non consentire

professioni,si adsit talis morbus. Instantia hæc videtur vrgere: & puto quod si vera est opinio Nauarri in primo,etiam erit in hoc secundo.Ego tamen circa morbum non consulo, vt seruetur hæc instantia: sed standum dico iudicio fori externi, & melius sentientium.

11 Scio in nostro Ordine Minorum per statutum generale fieri interrogationem nouitio,ac protestationem, ne sit aliquo morbo contagioso infectus. Scio etiam hoc statutum generale esse confirmatum authoritate Papæ à Ministro Generali Gonzaga, vt dicitur in procœmio illorũ statutorum Tolletanorum. An verò Papa specialiter, & expressè voluerit confirmare hoc speciale de annullanda professione laborantis morbo Gallico, quam non annullat Ius Canonicum: hoc nescio (sicut iam supra diximus in materia simili ex eodem Nauarro *eodem consilio* 5.) & sic manet mihi res dubia:ac proinde pro conclusione dico securiùs esse taliter infectum & negantem, non esse expellendum,nisi saltem formata lite coram Ordinario, quatenus professus est in possessione professionis. Sa in Aphoris.verb. *Religio,nu.* 34. absolutè dicit hunc talem esse expellendum ab Ordine.

ELECTIO, ELIGERE.

Vide ver. *Abbatissa de viduis.*ver. *Diffinitores*, *nu.*2. & 3.ver.*Officia Ordinis.nu.*3.

1 IN electione per scrutinium non valet suffragium dubium: vt si dicatur in schedula; eligo Petrum, vel Iacobum.Neque si dicat:eligo quem Petrus elegerit.Neque debet dari sub conditione; vt si dicat, eligo Petrum,si tale,vel tale fecerit, vel contigerit. Rodrig. *tom.*2.*Quæstion.quæst.*51.*artic.*4.vnde videtur non vale-

re

re ſuffragium ſic datum. Eligo quem elegerit maior pars Conuentus, vel quem elegerit Prælatus Præſidens. Eſt enim incerta electio, & ſimilis præcedentibus.

2 In electione Prælati localis, facta per Conuentum, poterunt ſuffragari etiam illi qui ſunt abſque Ordine ſacro. Clementina enim, *vt hi qui. de ætate, & qualit.* non loquitur de Mendicantibus, ſed de Clericis, & Canonicis Regularibus, Rodriguez *citata quæſtione, articul. 5.* Videant tamen Religioſi ſua ſtatuta: nam apud Minoritas quando permittebatur eligi Guardianum à Conuentu, non poterant eligere niſi qui haberent duos annos profeſſionis, & eſſent ſubdiaconi. Laici verò non poterant. Statuta Tolletana, *capit. 7. titulo de Guardianis.* Circa ſuffragia verò Monialium in electione Abbatiſſæ, vide ſupra verbo *Abbatiſſa, numero 5.*

3 Suffragia abſentium non poſſunt ſuppleri: vt ſi dicat præſes Capituli, iſte Petrus det ſuffragium pro Iacobo abſente. Concil. Tridentin. *ſeſſion. 25. capit. 6. de Regular.* Hoc non tollit quod poſſit quis facere Procuratorem, qui ſuo nomine vadat ad eligendum: quod quaſi fit in Ordine Minorum, quando Miniſtri impediti ad eundum ad Capitulum generale, mittunt ſuo nomine Commiſſarium, qui in Capitulo generali det ſuffragium loco Prouincialis.

4 Electio debet eſſe libera: vnde ſi coarctetur ad tres vel quatuor tantùm, eſt nulla. Rodriguez *citata quæſtione 51. articul. 10. & 11.* Et peccat mortaliter elector quouis modo violentiam faciens electoribus. Et affirmat Rodriguez ſe vidiſſe in Ordine Minorum annullari tres electiones Guardianorum factas cum tali coarctatione ad tres vel quatuor tantùm. Ibidem etiam dicit non poſſe Regem vel Prælatum dicere, vt non eligatur Fullanus, aut Fullanus: ſi his prius non dicatur illos

illos esse priuatos voce actiua aut passiua, ob talia demerita, vt se possint defendere, alias vltra peccatum præsidis poterit sic iniustè priuatus opponere exceptionem electioni. *ibidem articul.* 12. Non est autem coarctare electionem, si arctetur ad genus, vel nationes hominum, vt si iubeatur eligi ex Hispania, Gallia, vel ex talibus tantùm Prouinciis eligatur Definitor vnus Generalis, vel quid simile, vt *ibidem* probat.

5 Electio facta per schedulas communiter fieri nequit de nocte. Bene tamen poterit si fiat cum sufficienti numero candelarum: & vrgente aliqua graui necessitate, vt si iam incœpta sit electio, & periculum sit in dilatione. Rodriguez *citata quæstione, articul.* 15. & Nauart. *lib.* 1. *Consilior. titulo de electione, consilio* 2.

6 Electio indigni numquam valet, & est nulla. Regulares verò etiam tenentur ad officia eligere digniores: sunt enim prælaturæ Regulares, & cætera officia, beneficia Ecclesiastica, & proinde etiam in illis militat ratio naturalis, & dispositio iuris vt eligatur dignior. Rabello *de obligation. iustitiæ,* 1. *parte, lib.* 3. *quæstione* 4. *concl.* 5.

7 Præses electionis, non potest confirmare indignum, bene tamen potest confirmare minus dignum electum, quando videt omitti digniorem. Imò tenetur confirmare minus dignum, si tamen verè est dignus. Est communis in materia de electione. Et potest præses quando non cognoscit electum, antequam confirmet, facere inquisitionem iuridicam de vita illius in generali, ne confirmet indignum. *capit. Miramur.* 61. *distinctione, & cap. finali. de elect. in* 6.

8 In Ordine Minorum si electores vna die naturali per discordiam non eligant, præses electionis potest tollit eligere

eligere quem voluerit, etiam si sit electio Prouincialis, Abbatissæ, & similium. Statuta Tolletana *titulo de electione*, & Clementina *exiit de Paradis. de verb. signification.* & Rodriguez *quæstione 52. articul. 5.* vbi ait id fieri non posse in electione discreti mittendi nomine Conuentus ad Capitulum Prouinciale. Non tamen ad hoc dat, nec video causam efficacem: nisi quia text. loquitur de Prælato, & discretus non est Prælatus.

9 Posse electorem negare suffragium illi cuius defectum essentialem scit solùm per confessionem, quando suffragatur secretò, negat Rodriguez *citata quæstione, artic.* 4. sed melius affirmant Nauarr. *capit Sacerdos. de pœnitent. distinct.* 6. *num.* 147. & Henriq. *tom.* 1. *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 22. *nu.* 6.

10 Si omnes electores compromittant in vno tantùm, vt quem ipse elegerit, sit electus præsentibus omnibus compromittentibus, & consentientibus, valet electio pro illo nominato, quæcumque illa fuerit. Se tamen ipsum non potest nominare, nisi id specialiter exprimant compromittentes, tunc enim bene poterit se eligere. Intellige, dummodò eligat dignum. Rodrig. *cit. quæst. art.* 12.

11 In Ordine Minorum eligi possunt in Prælatos Diffinitores, &c. illi qui intra quartum gradum descendunt ex Iudæis, hæreticis, Sarracenis, quorum corpora, ossa, vel statuæ combusta sunt post declarationem hæresis: & electores incidunt in excommunicationem & alias pœnas, neque subditi tenentur illis Prælatis sic electis obedire. Ita enim Paul. IIII. ordinauit & confirmauit Gregor. XIII. in Bullis citatis à Rodriguez, & Miranda mox citandis.

Variant tamen multum Doctores in istarum Bullarum explicatione. Nam Miranda *tom.* 1. *quæstione* 19. *articul.*

artic.7. & tomo 2. quæstione 1. artic.1. constanter tenet, quod in prædictis Bullis prohibetur ne in nostro Ordine fiant Prælati, imò nec Nouitij, illi qui à prædictis Iudæis descendunt intra quartum gradum, etiam si illorum corpora, & ossa, vel statuæ non fuerint combusta; sed ait sufficere quod ab illis descendant cognitis, & declaratis, etiam non combustis. Congerit multa pro hac parte: sed tamen non negat oppositam opinionem At Rodrig. posse teneri; ac defendi à multis Doctoribus. Rodriguez *tom.1.quæst.14. art.1. & art.7.* dicit per Bullam Pauli IV. non repelli ab Officiis, vel habitu Ordinis prædictos descendentes intra quartum gradum nisi quando proauorum ossa, corpora, vel statuæ sunt combusta. Expositio Rodriguez mihi non displicet: eam sufficienter ibi probat; maximè quia Generalis Ordinis Zamora, id ita explicauit: & prædictus Generalis impetrauerat eandem Bullam cùm esset Romæ Procurator Ordinis apud Paul.IV. At Breuia Pontificia possunt validè explicare Generales, vt infra dicetur verbo *Generalis, num.7.* Ratio Rodriguez est: quia particula (*quorum*) posita in Bulla post verbum *Iudæi & hæretici*: qualiter refertur ad Iudæos, & hæreticos. Et textus ait; quorum (id est) Iudæorum, & hæreticorum corpora, &c. Adde quod Papa ibi bis loquitur per particulam copulatiuam, dicens de proauis, & vt tales condemnati, & illi, seu illorum corpora, & ossa, &c. Vide particulam, &, videtur enim requirere simul quod fuerint etiam combusti. Aliàs dicendum erat; *declarati aut combusti.* Aliam rationem ponam infra verb. *Nouitij qualitates, num 30.* Et in particulari de descendentibus à Mauris tenet Rodrig. *tom.3.q.11.art.4.* quod si proaui non fuerunt combusti, non esse inhabiles ad habitum, & prælationem. Et Nauarr. *lib.5. Consil.tit. de Iudæis consil.1.*

dicit

dicit deſcendentes à Mauris poſſe admitti, quando ipſi ſponte ſua conuerſi ſunt. Et hæc ſufficiant pro præſenti materia. Ego in illa ſolùm dico vt caueant Prælati omnino ab illorum electione, & admiſſione ad habitum. Si tamen caſu practicauerint opinionem Rodriguez, non condemno ob iam dicta. Vide ambos Doctores *locis citatis*, vbi alia dicunt pro ſua quiſque opinione, & Bullæ declaratione. Et ſaltem *citata quæſtione 14. articul. 3.* Hoc pro certo tenet Rodrig. quod eligentes aliquem ex prædictis deſcendentibus facientes bona fide, non incurrunt pœnas Bullæ, quia hæ ponuntur ſolùm contra præſumentes, vel ſcientes.

12 Si ad electionem non vocentur ij qui habent ius eligendi, electio eſt nulla, modo infra dicendo. Vocandi tamen ſunt, qui commodè vocari poſſunt: ſecus ſi inſtet periculum bono communi ex dilatione. *capit. coram 35. diſtinct. & gloſſ. capit. cùm omnes: de conſtitut. verb. ipſorum*, & communis. Arbitrio autem ſuperioris cum conſilio peritorum relinquitur examinare periculum. Notat verò Felinus, *capit. cùm omnes citat. numero 22.* quod ad electionem Prælati conuentualis vt Guardiani & ſimilium; ius non requirit vt vocentur, omnes electores abſentes: quia, vt ait, ius hoc ſolùm requirit pro eligendo illo cui titulus canonicus tribuitur: qualis non tribuitur Guardiano, vel Priori Conuentuali, & præterea, quia vocatio abſentium non eſt de ſubſtantia electionis: vt mox dicemus.

13 Si vnus tantùm electorum non vocetur, electio non eſt ipſo facto nulla, ſed poteſt tamen poſtea annullari petente illo contempto. Idem dic ſi duo, vel tres non vocentur, gloſſa *in capit. quia propter. de election. verb. ſanior.* & Innocen. *capit. quod ſicut. de election.* & alij. Et illud quod dico idem cenſeri, ſi duo, vel tres non vocentur, intelligo quod erit valida, ſi non annulletur

letur à prætermissis: etenim non est ipso iure nulla, quia non habet defectum in substantia.

14 Non tenentur Minoritæ in electionibus seruare apices electionis, sed sufficit quod seruent substantiam formæ. Clementina *exijt de paradiso de verb. signif.*

De substantia verò electionis sunt sequentia, iuxta glos. *in cap. quia propter. de elect. ver. sanion.* Primò, vt secretò & sigillatim per scriptum suffragia recipiantur. Secundò, vt publicatio fiat in communi. Tertiò, vt collatio, publicatióve, fiat statim nullo actu contrario interposito. Quartò, vt maior pars Capituli suffragetur electo, idque iuxta leges canonicas, & particulares latas de excessu suffragiorum.

Apices electionis sunt cætera præter proximè dicta. Et ibidem ait glos. non esse de substantia electionis vocare omnes absentes. Si enim non vocentur, valebit: poterunt tamen non vocati annullare electionem, si velint. Si verò taceant, valet. Neque item est de substantia electionis, vt sint tres scrutatores suffragiorum: si enim adsint qui sufficiant ad fraudem impediendam, valet, quia in ore duorum vel trium, &c. glos. *ibidem.* Neque est de substantia, quod scrutatores sint de corpore Capituli. *ibidem.*

15 In Ordine Minorum pro electione quacumque sufficit excessus dimidij suffragij tantùm. Sic habent statuta Tolletana, ver. *Electio.* & practicatur quotidie. Sit exemplum. Si sint electores 31. is qui habet suffragia sexdecim manet electus. Dimidium, triginta vnius, sunt quindecim, cum dimidio. Tunc verò qui habet sexdecim suffragia, habet excessum tantùm dimidij suffragij supra alios.

16 Quando Trid. *sess. 22. cap. 4. de reform.* ait quod non habeat vocem in Capitulo is qui non fuerit Subdiaconus, non prohibet quin illam habeat aliquis in illo

Ordine

Ordine in quo per ſtatutum,vel conſuetudinem ſuffragium dant etiam carentes Ordine ſacro per declarationem Cardinal.ſuper Trident. anno 1573. vt refert Compend.Minimorum,ver. *Conſilium* dicens ita vigere apud illos.

17 Priuatus ipſo facto voce actiua,& paſſiua ob ſubornationem,verb grat.etiam in foro conſcientiæ occultus non poteſt eligere:& ſi faciat,peccat mortaliter. Suarez *tom.de Legib.lib.5.cap.9.* maxime *num.5.& 6.*

18 Si alicui electo conſtet ſe eſſe electum ab vno, qui erat inhabilis,& priuatus voce actiua, ſed occultè: etiam ſi ſit electus ob ſolum illius ſuffragium, electio valet,nec tenetur renunciare:quia ille occultus toleratus erat,*l.Barbarius ff. de offic. prætoris. & extrauag. ad euitanda.* & Suarez vbi proximè *num.5.* Si verò electo conſtet ſe eſſe priuatum voce paſſiua, & non potuiſſe eligi,tenetur renunciare,vel remedium quærere iuxta infra dicenda verb. *Officia Ordinis,* Suarez ait *proximè citato loco num.7.* vide tamen infra, *verb. citato Officia Ordinis* de remedio iſtius.

19 Ad impediendam electionem alicuius inhabilis ſufficit vnus teſtis qui probet illius inhabilitatem, ſicut ſufficit vnus teſtis ad probandum impedimentum matrimonij.Rodrig.*tom.1.quæſt.14. artic.3.*

20 Si video Petrum eſſe digniorem,& tamen maior pars communitatis eſt inclinata infallibiliter ad Franciſcum minus dignum,ſed tamen dignum:poſſum ſuffragari Franciſcominus digno: quia tunc fruſtraneum eſt ſuffragari Petro digniori,& nemo tenetur ad actum fruſtraneum.Vega *in Sum. Moral.1. parte ver. Electio, caſu* 1.At ſi maior pars inclinat ad indignum,nunquam licet illi ſuffragari.

21 Denique pro complemento,& conſolatione aliquando Religioſorum attendenda eſt doctrina D.

Thom. *quodlib.*8. *art.*6. quam tradit Comitolus *libr.*1. *Resp. Moralium quæst.*77.cum multis, vbi ex D.Thom. dicit, quòd licet simpliciter & absolutè eligendus sit melior: hoc debet intelligi quod non sit melior simpliciter, & absolutè, sed sufficit quod sit melior ad hoc officium, & hic est melior secundum quid. Et ponit ibi exemplum Comitolus:quod aliquando minus sanctus poterit habere maiorem potentiam,& industriam sæcularem,vel aliquid huiusmodi, quod pro nunc magis conducit ad bonum commune;& dispensationes spirituales ordinãtur ad bonum Ecclesiæ.Denique arbitrium boni viri debet pensare varias circũstantias temporis,personæ, &c. ex quibus inferat quis pro nunc sit dignior secundùm quid, id est, in ordine ad hoc officiũ:ita tamen vt nunquã eligatur indignus.

ADDITIO.

Vide infra verb. *Veneficia,n.*18.& 19.

1 VIde supra ver. *Appellare.* vbi dixi posse quemcumque Religiosum appellare ab electione si fiat indebitè,exclusis scilicet iis qui non debent excludi,vel non vocatis electoribus,vel quid simile.

2 Quæris *capit. in Genesi. de electione, & capit. Ecclesia. eodem tit.* expresse dicitur, ac iubetur, vt in electionibus non solùm attendatur numerus suffragiorum; sed multo magis inspiciatur zelus, & dignitas, & meritum suffragantium, ita vt si pauciores suffragatores fuerint plus zelosi, digniores,& pluribus virtutibus ornati, horum suffragiis detur officium,non verò ob suffragia plurium suffragantium, qui in merito, & zelo sunt inferiores. Quod adeo verum est vt *eodem titulo, capit. Ecclesia*, Papa ad Episcopatum

cassa

cassauerit electionem vnius pro quo data sunt 18. suffragia : & confirmauit illum, pro quo inuenta sunt sola 14. suffragia, vt enim ait Glossa *prioris capitis in Genesi*, verb. *ad zelum. In electionibus non semper standum est numero, sed parti saniori. Illa verò pars sanior censetur quæ est iustior, & maiori ratione nititur, & æquitate.* Sic ibi gloss. clarè deducta ex verbis textus. Quod limitatur *cap. si quando. de elect. in 6.* dummodo pars sanior non excedatur in duplo à parte minus sana. Quæris, inquam, an hoc hodie licitè fieri possit in electionibus? Ego video hoc esse ius Canonicum clarum,& expressum: sed reuocatum est in Clementina *exiui. de verb. signif.* quoad fratres Minores tantùm, vbi dicitur quod Minister electus à maiori parte confirmetur, non habita collatione zeli, vel meriti suffragantium.

3 Hoc solùm dico quòd etiam in nostro Ordine Minorum, in suffragiis nouitij ad professionem, hoc debet obseruari, & in praxi seruari, vt scilicet, si constet aliquos ex suffragantibus odio, passione, vel alio respectu humano suffragia nouitio denegare: tunc non erit standum maiori numero suffragiorum, sed parti saniori,& nitenti maiori ratione,in fauorem nouitij. Etenim nostra statuta Generalia Tolletana, *titulo de suffragiis nouitiorum* iubent, vt in dubio tenenda sit pars sanior suffragantium. Et in margine citatur prædictum *caput in Genesi.* ad quod se remittunt:& ad citatam Glossam. *ver.ad zelum*: & idem habet Glossa *capitis Ecclesia, verb. non consenserit.* dicens saniorem partem esse illam quæ fauet causæ piæ: at causa pia est suffragari pro nouitio si sit idoneus.At proinde casus dari poterit, vt nouitius possit recipi ad professionem cum parte minori Conuentus, si constet hanc esse saniorem, & constet maiorem partem

passione, & respectu humano datum. Vide infra *hoc ver. num. 7.*

4 Non licet facere electionem Ecclesiasticam per sortes. Est enim hoc damnatum *cap. sin alt. in fine. de sortilegijs.* Et hoc intelligitur siue electio sit ad officium, siue ad beneficium, siue ad ministerium Ecclesiæ, per quod conferatur iurisdictio Ecclesiastica. Dixi *electionem Ecclesiasticam*, quia ad electionem sæcularium non est illicitum vti sortibus, vt tenet Sanchez *2. Decalog. c. 38. n. 58.* Vnde etiam colliges, neque circa receptionem nouitij licere suffragium dare per sortes, est enim hæc electio cæca, & non discernit inter merita, vel demerita, sed quasi fortunæ committitur. Vnde ego vidi iudicatum fuisse suffragium nullum, cuiusdam Religiosi, qui pro suffragio nouitij, clausis oculis, præ scrupulo, misit manum ad vrnam plenam fabis nigris, & albis: & clausis oculis primam obuiam sumẽs iniecit pro suffragio: hoc enim fere fuit suffragari per sortes, absque discretione, & proinde inualidè, vt enim postea cõstitit, iniecit fabã nigrã reprobatiuam; quam iniecisse illũ mox pœnituit: idque constitit collatione facta ad alios suffragatores. Et sic electio repetita fuit.

5 Potest quis renũciare suffragio quod habet in electionibus: hoc tamẽ limitãdũ est, dũmodo illa renũciatio suffragij non præiudicet bono cõmuni: quãdo scilicet eo quod ille, vel illi non dent suffragiũ eligetur indignus: tũc enim talis renũciãs peccabit mortaliter: & cõpelli debet vt suffragetur. Sic Sylu. *ver. Electio 1. n. 2.* idque propter bonum cõmune, cui tenetur succurrere.

6 Eligens incognitum non satisfacit suæ conscientiæ, quia debet cognoscere partes, & sufficientiam electi. Sylues. *cit. loc. num. 18.* citans Panorm. Excipit tamen vt cognoscat bene partes electi per se, vel per alios timoratos, & fide dignos.

7 Ele

7 Electio per fabas, vel lupinos non potest fieri in eligendo Prælato, tenet Sylvest. *cit. ver. elect. 2. n. 6* quia, inquit, in *cap. Ecclesia. de elect.* sanior pars suffragiorum est attendenda; quo dato electio per fabas non habet locum: cùm taliter eligens non scribat suum nomen, neque vocem exprimat, vnde sciri possit si pertineat ad partem saniorem, vel minus sanam. Vnde colligo, quòd quando in suffragiis dandis pro nouitio dubia fuerint suffragia, & suspicio sit de malo zelo suffragantium, excipienda sunt suffragia, vel per scriptum, vel voce tenus, vt sciatur qui suffragantes pertineant ad partem saniorem.

8 Quando electores compromittunt in tres, vel quatuor vt illi eligant vnum, si vnus ex electoribus tùm, nolit compromittere, compromissio non valet, quia debent compromittere omnes. Sylvest. *cit. ver. elect 2. n. 14.* Quod si compromissarij nominent indignum, vel non idoneum, non tenetur compromittentes recipere. Sylvest. *ibid n. 15.*

9 Si compromissarij sint, ver. gratia, septem numero, vt septem Diffinitores in Religione: & tres illorum dent suffragium vni ex illis septem; vt sit, verb. gratia, custes ad Capitulum Generale, tres verò alij dent suffragium alteri extra illos compromissarios, ille compromissarius de numero septenario, in quem tres compromissarij conuenerunt, manebit electus, si ipse sic dicat: consentio electioni de me factæ. Habetur expresse in iure *cap. cum in iure. de electione*, & tenet expresse Sylvest. *verb. Electio 2. numer. 23.* cum Panorm. & Hostiens. & aliis communiter: ibique Sylvest. rationem assignat quare compromissarius consentiens electioni de se factæ, suo consensu augeat numerum suffragiorum, quando electio fit per compromissarios: non verò augeat numerum con-

ſentiendo electioni de ſe factæ per ſcrutinium : vel in ſcrutinio pro ſe ſuffragando. Neque ab hoc diſſentit Rodriguez *tom* 2. *qq. Reg. quæſtion.* 53. *art.* 10. cùm ait non valuiſſe electionem factam à ſex compromiſſariis, quorum tres dederunt ſuffragium vni ex eiſdem compromiſſariis: qui vnus videns pro ſe tria ſuffragia, renunciauit ſuo ſuffragio, & manſerunt duo ſuffragatores ex alia parte, & ſic ille compromiſſarius electus à tribus allegauit ſe eſſe electum. Quod *ibi* negat Rodrig. dicens illum non potuiſſe renunciare ſuo ſuffragio in præiudicium tertij: & præterea quod talis ſola renunciatione ſuffragij non conſenſit electioni de ſe factæ. Non, inquam, per hoc dictum Rodrig. diſcedit ab illo text. & à Syluestro. Imò Rodrig. *ibidem*, §. *neque etiam obſtat* : expreſsè dicit quòd ſi ille prædictus pater conſentiens electioni de ſe factæ expreſsè ſuffragaretur, maneret electus. Sed ex eo ſolùm ait non fuiſſe electum, quia renunciauit ſuo ſuffragio, & non eſt pro ſe expreſsè ſuffragatus. Quam rationem alij expendant ſi valeat, quando ille pater allegauit in diffinitorio ſe eſſe electum : per hoc enim ſatis exprimebat ſe conſentire electioni de ſe factæ, & ſuo conſenſu numerum augere : quidquid tamen ſit de caſu prædicto, decretum citati tex. & opinio Sylueſt. tenenda eſt, & practicari poteſt. Idque non ſolùm ſi compromiſſarij, ſeu Diffinitores ſint ſeptem, vt in *citato cap. cum in iure*, verùm etiam ſi ſint plures, vel pauciores, vt quinque, & duo pro vno ex compromiſſariis ſuffragentur, & ille dicat, conſentio electioni de me factæ : & ſic in quouis numero, quando pars dimidia ſuffragatur pro vno compromiſſario: ipſe enim conſentiens, ſuo conſenſu auget numerum, vt ait Sylueſt. Secus in electione facta per ſcrutinium.

Pro

Pro electione Abbatissæ, & quæ Moniales in illa dare possint suffragium, vide supra ver. *Abbatissa vsque ad n.* 5. vltra iam dicta in 1. *editione.*

10 Quis nam censendus sit dignior eligendus, vltra iam dicta olim hoc ver. *n.* 21. rursus notat Regin. *tom.* 2. *lib.* 3. *tract.* 3. *n.* 199. digniorem in electionibus arbitrandũ esse ex circunstantiis prudenter attentis. Inquit enim: aliquando doctum præferendum esse sanctiori idiotæ: expertum, meliori inexperto: prudentem, doctiori imprudenti: nobilem, meliori ignobili: prouectum, sanctiori iuueni, & sic de cæteris. Addit *n.* 200. ex Nauar. *in Miscellan.* 38. aliquando posse sine peccato eligi minus dignum omisso digniori, pro quo assignat aliqua exempla: vnum sit: si eligatur indigena minus dignus, omisso alienigena digniori. Alterum est quando dignitas dignioris parum excedit dignitatem minus digni: paruitas enim materiæ excusat. Tertium est, cùm dignior non potest haberi sine magna difficultate. Quartum, quando in minus digno concurrunt indicia pietatis, misericordiæ, vel publicæ vtilitatis, quæ moueant vt minus dignus præferatur digniori. At in omnibus supra dictis semper seruandum est vt nunquam possit eligi indignus.

11 Dixi olim hoc verbo *num.* 11. Minoritas descendentes ex hæreticis, Iudaeis, &c. non impediri per Bullas Apostolicas Pauli IIII. & aliorum Pontificum quin possint eligi ad dignitates, & officia in Ordine Minorum, nisi illorum proaui intra quartam generationem fuerint combusti in corpore vel in statuis: aliàs non impediri: nunc in eadem opinione persistens ad maiorem suasionem eiusdem explicationis, & probationem addo, quod ait Sanchez 2. *Decalog. cap.* 27. *num.* 3. vbi refert Auila *de censur. p.* 7. *disput.* 4. *dub.* 3. asserere, se recepisse à quibusdam viris doctis, & in

praxi peritis, eas Bullas pro Minoritis non esse vsu receptas: sic ibi Sanchez. De praxi verò non assentio, quia oppositum in Portugallia video.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

1 EX *cap. quia propter. de elect. §. illud autem. in fine*, clarè colligitur quod vnus Canonicus potest ferre duo suffragia in electione Episcopi: vnum quod sibi competit ratione Canonicatus: alterum si sibi committatur ab alio Canonico eiusdem Capituli, eò quòd sit absens, & non possit venire. Colligitur clarè ex verbis ibi positis, & vbi de Canonico absente, & non potente venire ad electionem, ait tex. *Et tunc si voluerit, vni committat de ipso collegio vicem suam.* Cùm verò is Canonicus cui suffragari committitur ex ista commissione, non debeat amittere suum suffragium quod habet quatenus Canonicus est, colligit ibi Gloss. & bene, prædictum Canonicum duplici suffragio posse suffragari in electione Episcopi. Hoc ibi asserit Gloss. *ver. venire.* & repetit eadem Gloss. infra *capit. cùm olim. de sent. & re iudicata.*

2 Quæris vtrum hoc hodie possit fieri in Religionibus, vt scilicet absente vno capitulari Priore, vel Guardiano, & non valente venire, possit committere suum suffragium alteri priori, vel Guardiano existenti in Capitulo, qui capitularis ferat duo suffragia in illo Capitulo, vnum pro se, aliud pro illo Capitulari absente qui sibi id commisit. Resp. me non videre inconueniens quod hoc impediat, est enim ius commune quod non est reuocatum per aliud ius in contrarium. Neque hoc est supplere suffragia absentium, quod prohibet fieri Concil. Trident. *sess. 25. cap. 6 de Regular.* Non inquam hoc est supplere suffragia absentium: quia

quia supplere illa suffragia erat quando absente Capitulari, neque suum suffragium alicui procuratori committente, præsens Capituli dicebat isti Capitulari, vel non Capitulari, tu da suffragium pro N. absente: ignorante penitus absente, neque committente. Cùm verò absens committit suum suffragium, seu daris suffragium per suum procuratorem, tunc nemo supplet votum illius. Si verò dicas in aliquibus Religionibus hoc non esse in vsu, dico quod istud non est priuilegium Papæ, quod possit perdi per non vsum, sed est jus commune omnibus concessum quod non perditur per non vsum: sed solùm per contrariam legem, vel per contrarium vsum.

3 Sed notat Gloss. *capit. si quis. de elect. in 6. ver. si quis.* quod quando aliquis committit suo procuratori, vt in Capitulo pro se ferat suffragium, non potest in suo scripto dicere, suffragium dabis Fulano, nominatim: hoc enim iam esset publicare suffragium, extra scrutinium, quod in iure vetatur, maxime in Concilio Trident. *citat. capit.* 6. Neque etiam talis committens suffragium alteri debet illi assignare certam personam pro qua suffragetur: iam enim non esset votum secretum. Sic declaratum fuit ab Illustr. Cardinalibus teste Marzilla *in suis declarat. adcitatum cap. 6. Trident. §. test. alios quoscunque.*

4 Si Superior aliquis prohibeat suo mandato ne aliqua Communitas, vel Capitulum celebret electionem, & nihilo minus celebretur electio, & eligatur vnus dignus, tenet electio, nisi Superior possit per se irritare electionem, & dicat in scriptis quòd electio aliter facta sit irrita. Colligitur ex *c. inter cætera, & ex cap. dilectus. de præbend.* Et tenet Gloss. *cap. dilectus el 2. eod. titulo verb. Collata.* Et

probatur, quia si Communitas habet ius ad eligẽdum, & eligit canonicè, sola prohibitio quod non eligat, non irritat electionem : quia multa fieri prohibentur quæ tamen facta valent. Debet ergo Prælatus esse talis qui possit irritare electionem, & quod in scriptis dicat, aliàs factam esse irritam. Et à fortiori colliges quod si Princeps sæcularis prohibeat alicui Capitulo ne celebret electionem, si tamen illa celebretur, valida erit si canonicè fiat.

5 Si præses, qui præest scrutinio electionis, videt esse electum indignum, non poterit electionem supprimere, tacendo solùm non esse factam electionem: sed debet scrutinium publicare: & electum indignum non confirmare : sed de illius insufficientia summariè per testes inquirere : probatáque indignitate, illum eiiciet ab electione. Probatur prima pars, quod teneatur vota publicare, sic enim expressè præcipitur *cap. quiæ propter. de election.* vbi facto scrutinio iubentur statim vota publicari ; secunda pars, quod non possit talem indignum excludere, nisi prius audiatur, & probetur eius insufficientia, patet ex *cap. indemnitatibus. in 6. & cap. Venerabilem, & cap. nihil est. de electione*, vbi præcipitur quod publicato scrutinio, si electus non est cognitus, Prælatus summariè inquirat de sufficientia electi, & si indignum inuenerit, repellat. Adde quod aliàs si taliter indignus electus sub silentio omitteretur, & procederetur ad aliam electionem in rigore ferretur sententia contra aliquem inauditum, & condemnaretur aliquis non citatus in materia graui, quod non est admittendum.

ELEEMOSYNA.

1 INcurrunt excommunicationem ipso facto prohibe-

hibentes dari eleemosynam Carmelitis,& Augustinẽsibus : & contra illos possunt procedere Inquisitores. Compen. Minor.verb. *Eleemosyna* §.8.& 9. Idem pro Prædicatoribus tenet Corduba *ad citatum* §. 9. Aliæ pœnæ ponuntur *ibi* §. 17. contra prohibentes fieri eleemosynam Minoritis.

2 Possunt Generales, & Prouinciales Minorum applicare vni loco indigentiori eleemosynas,& legata relicta alteri suo loco ditiori, ac pinguiori. Leo X. in Compend.*citato ver.*§.14. *illis concessit.*

3 Non potest Religiosus dare eleemosynam absque licentia expressa, seu tacita sui Prælati. Sed in hoc attendantur Regula, statuta, & consuetudines toleratæ cuiusque Religionis.

EPISCOPVS.

Vide supra verb.*Bona,num.*2.& infra verb.*Processiones.num.*2.& verb.*Professio num.*31.

1 POtest Episcopus procedere contra Religiosos prædicantes aliquos errores, seu scandala : & præterea contra illos qui in sermonibus Episcopos, & Prælatos Ecclesiæ reprehendunt illisque detrahunt. Trident. *sess* 5. *cap.*2. §. *si verò.* Pro hoc vide infra verbo *Prædicatores.* vbi clarius dicetur qui intelligantur hîc nomine Prælatorum : idem habetur in Clementina *Religiosi*, §. *quibus etiam. de Religios. & excessib. prælat.* vide Mirandam *tom.*1.*quæst.*50. *art.*7.

2 Vt Episcopi possint punire Regulares in casu scandaloso,requiruntur sequentes conditiones.Prima, quòd delictum sit extra claustrum cõmissum.Secunda, quòd sit notoriũ.Tertia quòd sit scandalosum.Quarta,

quòd

quòd Episcopus instet, vt Prælatus puniat, & Prælatus negligat. Si verò aliqua ex his conditionibus desit, non obligat Tridentin. Si verò localis Prælatus punire non possit, scribet Prouinciali, Aldrete *lib.1.de Relig.disciplin.cap.3.num.35. & seqq.* Hoc, inquam, intellige in casu scandaloso facto in populo extra claustrum, tunc enim debent concurrere illæ quatuor conditiones, circa verò puniendà illa prius dicta in concione ad populum, hæ conditiones non requiruntur, sed sufficit quòd prædicent intra suos Conuentus, nec requiruntur cæteræ conditiones quo ad prædicata punienda.

3 Episcopi, & inferiores parochi non possunt prohibere parochianis venire ad Conuentus Mendicantium audire prædicationes: aliàs saltem parochi excommunicantur per Bonifacium IX. citat Miranda *citata quæstione artic.*8.

4 Religiosus non potest acceptare Episcopatum sine licentia sui Prælati. Est communis Doctorum. Et Monachus factus Episcopus perdit priuilegia Ordinis, & vocem actiuam, & passiuam in Ordine. Rodrig. *tom.2.quæst.*58.*art.*4.

5 Factus Episcopus ex Religioso tenetur ad obseruandas illas obligationes monasticas quæ non contrariantur dignitati Episcopali: quales sunt continentia, ieiunia, vestitus; & similes compatibiles. Soto 10. *de iust.quæst.*5.*artic.*7. ex D.Thom. Non tenetur verò ad illas quæ dignitati Episcopali contrariantur, vel illum impediunt ab officio exequendo. Sot. *ibidem.*

6 Bona Episcopi titularis tantùm, si moriatur, debentur suo Monasterio. Et idem dicendum de bonis Episcopi Ordinarij acquisitis ante confirmationem, & consecrationem si moriatur intestatus. Rodriguez *tom.* 3. *quæstione* 69.*artic.*4.*in fine.*

7 Potest

7 Potest Episcopus mandare Regularibus vt in offertorio Missæ maioris proponāt populo festa, & ieiunia illius hebdomadæ. Rodr. *tom.* 1. *q.* 43. *art.* 7. & sic deberet fieri à Religiosis etiam si Episcopus nō obligaret.

8 Potest Episcopus obligare Prælatum Regularem vt puniat Religiosum delinquentem extra claustrum scandalosè: idque intra tempus ab Episcopo assignatum: sin minus potest Superiorem ab officio priuare, & Religiosum delinquentem punire. Trid. *sess.* 25. *capit.* 14. *de Regular.* Quod si Prælatus delinquentem mutet dolosè ad alium Conuentum vt effugiat iurisdictionem illius Episcopi; Clemens VIII. contra talem Prælatum dedit Bullam particularem cum pœnis impositis: & illum delinquentem iubet reduci ad priorem Conuentum. Si verò Prælatus illum non reducat ad priorem Conuentum puniendum à priori Episcopo: tunc Episcopus ille, ad cuius Diœcesim fuit translatus, potest illum seuerè punire instante priore Episcopo. Prouincialis verò, vel Prælatus ipsum non restituens ad priorem Conuentum instante priore Episcopo, vel non prius puniens instante priore Episcopo intra tempus ab illo præfixum, manet priuatus officio, inhabilis, &c. ponit hanc Bullam Rodrig. *tom.* 2. *q.* 2. *art.* 6. Vide etiam infra ver. *Suspensio, n.* 2. *Suspensione* 11.

9 Si Monachus percutiat Clericum sæcularem extra Conuentum, non potest Episcopus ipsum declarare excommunicatum, neque carcerare, coget tamen Superiorem vt puniat modo supradicto. Rodriguez *tomo* 2. *quæstion.* 63. *art.* 7.

10 Potest Episcopus Religiosos vagantes absque licentia per suam Diœcesim punire. Trident. *sess.* 25. *c.* 4. *de Regular.* secus si probent se adire Superiorem querelandi causa præmissa iusta appellatione coram aliquibus testibus. Rodrig. *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 4.

11 Potest

11 Potest Episcopus de licentia Prælati Regularis habere Regularem suo seruitio addictum, causa prædicationis, lectionis, vel similis operis pij. Concil. Trid. *loco proximè citato.* Inuito tamen suo Superiore non potest.

12 Non potest Episcopus procedere contra Nouitium etiam ob delictum commissum in sæculo nisi constet Nouitium ingressum fuisse Ordinem in fraudem illius. Rodrig. *tom. 2. q. 63. art. 7. §. infertur.*

Aliqua alia in quibus Regulares subduntur Episcopis maximè per Concil. Trid. vide apud Rodrig. *cit. proximè q. art. 11.* Omitto verò quia facile est illa reperire, & causa breuitatis facio. Et ponentur infra verb. *Trident. Concilium, ad finem.*

13 Si Prælatus Regularis subiiciat Monachum Episcopo vt Episcopus illum absoluat ab aliquibus, in quibus ipse Prælatus dubitat an possit, maximè circa hæresim occultam: potest Episcopus Regularem prædictum absoluere. Rodrig. *tom. 2. q. 63. art. 1. in principio,* & Henriq. *tom. 1. lib. 7. de Indulg. cap. 25. n. 2.* & alij. Sà in Aphor. verb. *Exemptus.*

Huius occasione nota quòd aliqui tenent non posse hodie Episcopum absoluere suum subditum in foro conscientiæ: ab hæresi occulta, & proinde neque Regularem. Sic expressè tenet Suar. *tom. de pœnit. disput. 3. sect. 2. num. 11:* citans quandam declarationem Romæ per Cardi. Concil. At Nauar. *lib. 5. Consil. 2. impress. tit. de priuilegiis, consil. 11.* constanter tenet quod possunt saltem extra Italiam, idque probat sufficientissimis rationibus, & respondet prædictæ declarationi Cardinalium. Idem tenet, & probat fusè citans multos recentiores, Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 14. num. 7.* & mihi videtur satis probabile ob dicta, & citata ab his duobus tam grauibus Doctoribus.

13 Epi

14 Episcopus non potest interpretari priuilegia Regulariũ in causa tangente Episcopum : sed id per Iurisperitos debet fieri , & facient cæteris paribus, in fauorem Religionis,id est,in dubio. Rodrig.*tom.*2. *q.*63. *art.*7.& habetur in Compend. Societ.Iesu verb. *Priuilegia* §. 4.

ADDITIO.

1 DIxi supra ver. *Bulla Cœnæ*,posse Episcopos hodie per Tridentinum absoluere suos subditos in foro conscientiæ à casibus Bullæ Cœnæ. Dixi item olim ver.*Episcopus n.*13.posse Episcopum etiam hodie absoluere suos subditos ab hæresi occulta ex cõmissione Tridentini:Nunc vt status opinionis innotescat, aduerto quod Sanchez 2.*Decalog.cap.*11.*an.*26.pro parte negatiua , quod scilicet id non possint Episcopi, citat sexdecim Doctores graues quidem,& ferè omnes recentiores. At pro parte affirmatiua quod possint citat ad finem capitis viginti duos Doctores æqualis dignitatis, & authoritatis : ipse tamen hoc non obstante sequitur partem negatiuam , vt securiorem , vt videas quàm probabilis sit vtraque opinio,& quàm possit absque scrupulo vtraque teneri.

2 Stante ergo opinione affirmatiua quod possit: & constando quod Prælati regulares non possint suos subditos absoluere ab hæresi , &c. casibus Bullæ Cœnæ : Quæris vtrum Religiosus possit se subdere Episcopo vt absoluatur ab aliquo prædictorum casuum? Et quidem cum licentia sui Prælati,omnes concedunt id posse facere : At Sanchez amplius procedens ait *lib.*4. *Decalog.cap.*39. *num.*32. quod id poterit licitè facere Religiosus absque licentia sui Prælati:quia ex generali consuetudine , & tacito consensu Prælatorum

quicun

quicunque extranei sunt vt incolæ,& subditi Episcopi in cuius Diœcesi viuunt quod spectat ad Sacramentum confessionis: & cùm Religiosi sint velut extranei ad Episcopum, idem poterit Episcopus circa illos, quod poterit circa alienigenas tunc agentes in sua Diœcesi: quos etiam alienigenas sæculares posse Episcopum absoluere à prædictis probat Sanchez *cit. opere Decalogi lib. 2. c. 11. n. 9 & 10.* Ad hoc igitur faciendum primò dicit Sanchez *cit. priori loc.* valere,& tutius esse si fiat cum licentia Superioris. Secundò sufficere licentiam tacitam illius vt si illo sciente, vel præsente subditus faciat,& ille taceat. Tertiò ait sufficere licentiam petitam, & non obtentam. Idem ob eandem causam dicendum est de Monialibus non solùm subditis Episcopo, sed etiam de subditis Regularibus. Addit tamen *ibi num.* 36. ex Molina, quòd si Prælatus iusta de causa negaret subdito hanc licentiam, in dubio an licita sit, & iusta sit causa negandi, parendum Prælato. Sed rarò dabitur ratio iusta ob quam bonum sit manere per tempus in peccato hæresis, vel alio reseruato.

3 Quod si Prælatus ipse indigeat hac absolutione Episcopi? Respondet idem Sanchez *num.* 37. illum posse se subdere Episcopo pro tali absolutione recipienda: quia potest vti licentiis pro se, quas subdito potest concedere. Et præterea seruiunt ad hoc optimæ rationes quas affert *num.* 32. quas, quia vtiles sunt, & ad alia inseruientes, breuiter subiicio. Prima, quoniam exemptio Religiosorum est præcipuè inducta in fauorem Religionis, vt Religiosi quietiùs viuant: vnde in eis quæ pertinent ad quietem non debent esse peioris conditionis quàm cæteri Diœcesani. Nec rationi consonat, vt exemptionis priuilegium in hoc casu operetur contra finem eiusdem priuilegij impediendo

hanc

hanc subiectionem, & quietem conscientiæ: Atque adeo per Epichæam videtur in hoc tota Religio consentire. Secunda, quia *cap. luminoso* 18. *q.* 2. dicitur Episcopum de consensu Abbatis posse exercere iurisdictionem in Monasterio exempto. Quod si illud conceditur, de iurisdictione contentiosa (vt videtur) multo melius de iurisdictione interna intelligetur. Tertia, quia vnusquisque potest cedere iuri suo seu fauori suo: vel etiam exemptioni suæ si non contentiosæ, saltem potest cedere iuri, & exemptioni suæ in iurisdictione voluntaria pro solo foro interno exequenda, qualis est ista absolutio in foro interno.

4 Seruanda sunt tamen duo in hac subiectione erga Episcopum notanda, primum, vt subiiciatur Episcopo illius Diœcesis in qua viuit, non alterius Diœcesis; quia solus Episcopus illius Diœcesis hoc potest erga incolas illius. Secundum est, quod si aliquis Prælatus illius Religionis potest absoluere, vel dispensare in tali casu subditi, tunc subditus non poterit adire Episcopum, quia iam obuiaret reseruationi factæ intra Ordinem, & pateret multis fraudibus, neque in hoc Religio, per Epichæam consentit, ac proinde si Prouincialis, vel Generalis possunt, non poterit adiri Episcopus.

5 Vidimus de potestate benigna Episcopi erga Religiosos, nunc de eius potestate iuridica contentiosa erga eosdem, quæris an Episcopus possit excommunicare Religiosos in casibus illis in quibus per ius commune, seu Tridentinum potest in illorum causis esse iudex vel licitè se immittere? Quæstionem mouet Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 33. n. 21.* in casu quo Religiosus, vel Monialis citatur coram Episcopo pro causa matrimoniali dum vterque citatur quasi contraxerit matrimoniũ. Et quærit an Episcopus iudex causæ

illius possit cogere censuris Prælatum Regularem, vt reddat talem Religiosum. Respondet Sanchez *ibidem n.* 23. non posse Episcopum cogere Religiosos Mendicantes habentes expressum priuilegium Sedis Apostolicæ, ne possint cogi per censuras ab Episcopis (idem dic de gaudentibus illorum priuilegiis) non posse, inquam, Episcopos eos cogere aliqua censura excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, nisi illis expressè aliqua concessione speciali concedatur. Vnum solum casum vel alterum excipit Concil. Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regular. & cap.* 5. In quorum primo concedit Episcopis, vt per censuras cogant restituere nouitiis masculis, vel fœminis exeuntibus ante professionem, omnia data illis à consanguineis. Secundum est *cit. cap.* 5. vbi concedit Concilium Episcopis vt per censuras cogant Moniales seruare clausuram. Et tertium *in sess.* 12. *decreto de obseru. in celebr. Missar.* concedit Episcopis, vt si sibi visum fuerit, cogant, vel prohibeant Regulares celebrare in Oratoriis particularibus. His ergo tribus casibus exceptis, non possunt Episcopi fulminare censuras contra Religiosos habentes prædictum priuilegium expressum. Vnde quando aliàs dicitur in Trident. vt Episcopi compellant Religiosos ire ad processiones, vel vt possint illos punire, intelligi debet de cõpulsione per alias pœnas, nõ verò per censuras. Nam, vt bene ait Sanchez, quoties, Tridentinum voluit concedere Episcopis, vt contra Religiosos fulminarent censuras, Concilium id expressit vt in illis tribus casibus citatis: ergo vbi non expressit noluit reuocare priuilegium Mendicantium. Et citat Sanchez in huius rei probationem multos tex. & Doctores Theologos, & Iuristas. Vide quæ dixi olim in prima editione verbo, *processiones num.* 2. vbi dixi aliquos Doctores asserere, Cardinales Tridentini Romæ decla

declaraſſe poſſe Epiſcopos cogere per cenſuras Religioſos ire ad proceſſiones. Quæ declaratio Cardinalium oportet vt ſit & oportet vt oſtendatur authentica. Vide infra verb. *excommunicationum.* 1. vnde non placet quod ait Rodriguez *quæſt.* 63. *art.* 7. *tom.* 2. quòd quando Epiſcopus iuxta Concil. Trident. *ſeſſ* 25. *de Reg. cap.* 14. poteſt punire Monachum notorie delinquentem extra clauſtra, non puniente Prælato, poſſe tunc Epiſcopum punire cenſuris talem Monachum: non, inquam, placet: quia ibi Concilium non concedit vt puniat per cenſuras, & poteſt aliter punire.

6 Epiſcopus non poteſt punire per ſe illos Religioſos qui prædicauerint abſque licentia in Eccleſiis extra ſuum Ordinem: ſed debent punire à ſuis ſuperioribus. Sic habetur in Bullario Rodriguez *fol.* 1200. *col.* 1. *num.* 2. ex declaratione Cardinalium ibi citata.

7 Paulus IV. propria Bulla decreuit vt Religioſus ad Epiſcopatum promotus nullum officium poſſit in Religione obtinere. Habetur Bulla in Bullario Rodriguez *fol.* 851. in Paulo IV.

8 Quanuis per Concil. Trid. permittatur vt Epiſcopus poſſit apud ſe domi habere aliquem Religioſum cum licentia Superioris; talis tamen Religioſus eſt omnino ſubditus Prælatorum Ordinis, qui poterunt proinde punire, & amouere; patet ex Bulla Greg. XI. in Bullario Rodrig. *fol.* 137. vbi decernitur quod etiam Religioſi capellani Papæ ſunt ſubditi ſuorum ſuperiorum Regularium, & nota quod de iure communi Epiſcopus Monachus debet habere ſocium Monachum. *cap. quod Dei timorem, de ſtatu Monach.*

9 Clemens IV. conceſſit Patribus Prædicatorum, vt poſſent vti, & frui gratiis ſibi conceſſis à quouis Epiſcopo, etiam illo mortuo, & Sede vacante. Bullarium Rodrig. *fol.* 74. *col.* 1.

DE EPISCOPO EX MONACHATU ASSUMPTO.

NOnnulla dubia possunt moueri circa Monachum Episcopum, eo quòd per Episcopatum non exuit obligationem Monachi, sed manet perfectus Religiosus: præcipua verò dubia sic per compendium resoluo.

10 Episcopus Monachus tenetur sub mortali portare habitum suæ Religionis. Probat multis Rodrig. *Addition. ad sum. verb. Episcopus cap.* 68. *concluſ.* 6. maximè ex Concil. Lateranens. Et addens Sixtum V. semper gestasse habitum Ordinis Regularem. Et citat Cæremoniale Papæ Clement. VIII. vbi iubetur quod Episcopus Monachus non portet Rochetum, sed vestes coloris sui habitus Regularis, cum birreto nigro, & galero circumcirca fibrato viridis coloris. Sed addit non manere excommunicatum prædictum Episcopum tali habitu Regulari non vtentem.

11 Monachus Episcopus tenetur seruare tria vota essentialia quoad poterit. Est etiam certissima, & communis opinio, maximè Rodriguez *citato loco concluſ.* 4. & quidem de voto castitatis non datur vlla limitatio, & sic Episcopus in illo voto peccans tenetur fateri circunstantiam voti solemnis. De voto paupertatis, & modo quo illam debeat seruare, & in quibus, *ibidem* agit Rodrig. *concluſ.* 4. licèt enim debeat sustentare statum & familiam suam suo statui congruentem cum famulis, & erogatione eleemosynarum, in aliquibus tamen seruare tenetur votum paupertatis. Primò, quia licèt possit adire paternam hæreditatem, non potest tamen per testamentum illam donare

nare

nare alicui, Episcopus verò clericus potest facere testamentum, & donare bona paterna hæreditate acquisita, vel sua industria parta, quod nō potest Monachus Episcopus: tenetur enim voto paupertatis, & sic eius bona patrimonialia, & propria industria parta sunt Cameræ Apostolicæ vel suæ Ecclesiæ. Præterea quando Monachus Episcopus petit à Papa licentiam condendi testamenti, debet exprimere se esse Monachum. Imò si renunciauit Episcopatui, & petit à Papa Abbatiam, vel beneficium Ecclesiasticum, debet declarare se esse Monachum, si verò non declaret, collatio est nulla. De voto obedientiæ, non video, neque Rodrig. explicat quomodo obliget Episcopum, durante, vel renuntiata dignitate Episcopali.

12 Quidquid acquirit Monachus Episcopus ante consecrationem suam, pertinet ad suum Monasterium. Acquisita verò post consecrationem spectant ad suam Ecclesiam.

13 Episcopus Monachus non tenetur sub mortali seruare obseruantias Regulares sui Ordinis, etiam si sint compatibiles cum suo statu Episcopali, ver. gratia, non tenetur ad ieiunia Ordinis, etiam si sint obligantia sub mortali, qualia sunt ieiunia Ordinis Minoritarum. Ita in terminis Soto 10. *de Iustitia quæst. 5. art. 7. paulò ante finem.* & Rodrig. *citat. loco, conclus 7. & 8.* citans alios: vbi bene duo aduertit: primum est quod Episcopus Monachus securitatis gratia secum dispensset in his obseruantiis Regularibus, quia potest. Secundum est, quòd præter exemplum honestatis in Episcopo requisitum, tenetur ad maius exemplum dandum in victu, vestitu, familia, &c. eo quòd Episcopus Monachus est.

14 Episcopus Monachus non tenetur dicere officium per Breuiarium suæ Religionis, sed suæ Ecclesiæ:

& socij illius Religiosi possunt se illi conformari in dictis horis Canonicis recitandis. Rodriguez *citato loco concluſ. 9.* Sed quæris an Religiosus socius Episcopi clerici qui non fuit Monachus, assignatus tamen illi per suum Superiorem, si recitet cum illo Horas Canonicas, possit tamen omittere aliquibus diebus ritus, & rubricas Breuiarij sui Ordinis, & se conformare cum Episcopo clerico cuius est socius? Rodriguez *citat. concluſ. 9.* de hoc nihil dicit, solùm loquitur de Episcopo Monacho: & socio Monacho. Ego credo etiam posse: quia per accidens est quo ad hoc Episcopus sit Regularis, vel clericus: talis enim licentia solùm conceditur eo quòd Episcopus est, & eo quòd socius est.

15 Episcopus Monachus non gaudet priuilegiis, & indulgentiis quæ sunt concessæ Religiosis sui Ordinis. Rodriguez *citat loc. Addit. concluſione* 10. Est enim iam persona exempta ab Ordine. Et hoc intelligo etiam si Episcopus renuntiauerit Episcopatui, & viuat intra septa Monasterij: quia etiam sic est persona exempta, & non subditus Prælato Regulari. Nec potest dare suffragium in Capitulo Fratrum. Ex Sixto IV. Bullar. Rodrig. *fol.* 354. *col.* 1. quanuis expressè non loquitur de Episcopo. Et loquitur Sixtus, postquam adepti fuerint pacificè beneficia sæcularia Ecclesiastica. Vnde innuit quòd Monachus iam præsentatus ad Episcopatum, nondum tamen consecratus, vel confirmatus à Papa, habet vocem in Capitulo Regulari, quia non dum obtinet pacificè.

EXCOMMVNICARE.

Vide supra ver. *Abbas. n.* 1. & infra. ver. *Suspensio n.* 8. circa cēsuram ferendā in scriptis, & ver. *Confessor. n.* 29.

1 POssunt Prælati Regulares in die festo ferre excommu

communicationem contra subditos, & possunt de nocte. Rodrig. *tom. 2. q. 59. art. 2. & 3.*

Minoritæ tamen ex suis statutis Generalibus Tolletanis debent illam ferre in scriptis, si fuerit statuta per modum ordinationis vel statuti: aliàs erit nulla. *cap. 6. tit. de excom.* Et nota, quod ait per modum statuti, vel ordinationis: & proinde secus videtur dicendum apud illos si ponant excommunicationem pro casu solùm præsenti, & lite pendente, vel ab homine, vt Fullanus tale faciat, vel non faciat: hoc enim non est statutum permanẽs, & in hoc casu non videtur statuta obligare ponatur in scriptis, nec annullare posita sine scriptis. Si verò hanc ab homine proximè dictam ponant sine scriptis, non incidunt in pœnas iuris, ex concessione Leonis X. Rodrig. *tom. 2. quæst. 59. art. 3.* vbi dicit quòd Prælatus ponens sine scriptis excommunicationem per modum statuti incurret pœnam iuris, quæ est suspensio officij. Illa autem erit per modum statuti, vel ordinationis, quæ ponitur omnibus Fratribus Prouinciæ, & permanenter. Rodrig. *ibidem.* Et re vera Leo X. Compend. verb. *excomm.* §. 7. excusans Prælatos excommunicantes absque scriptis, solum loquitur de excommunicatione ab homine, & contra particularem. Et proinde si stat per modum statuti, & non ponatur in scriptis incurrũt pœnam prædictã. Et quid si Guardianus pro suo triennio dicat sub excommunicatione, ne sui subditi talem domum ingrediantur, vel quid simile: Si hoc faciat sine scriptis, si incurret: Ego credo quod sic; quia illa non est ab homine, neque contra aliquem Fratrem particularem: & si non est statutum, est saltem ordinario. Et Leo X. solùm excusat excommunicantem aliquem particularem. Excusabit tamen inaduertentia, ignorantia, vel consuetudo præscripta. Vide infra ver. *Suspensio num.* 8.

2 Episcopi non possunt excommunicare Religiosos, nisi in causis in quibus à Papa, vel à iure constituuntur Iudices delegati Religiosorum: nam Religiosi sunt exempti à iurisdictione illorum per multa iura, & Bullas. Nicolaus IV. *in Cæremonial. Bibliothec. Vaticanæ.*

3 Si aliqua excommunicatio etiam Paulina, feratur à Legato à latere in communi; non ligat Religiosos Mendicantes, nisi id in illa exprimatur. Sic Nicolaus V. concessit, & habetur in Compend. Societat. IESV, *titulo Excommunicatio* §. 3.

4 Posse me aperire caput, & illud inclinare leuato galero excommunicato denunciato si est officialis Regis, vel nobilissimus, tenet Rodriguez *Addit. ad Sum. tom.* 3. *capit.* 110. *num.* 1. vbi citat Couarruuiam, & Carolam: & dicit sic decisum fuisse Neapoli in facti contingentia per doctos viros. Vide tamen Sayro *de censuris, fol.* 156.

5 Percutiens Fratrem, vel Clericum excommunicatum incidit in excommunicationem, quia excommunicatus non amittit priuilegium fori. Capucinus *super Compend.* 1. *parte, fol.* 28.

6 Viginti quatuor excommunicationes continentur in iure Canonico quas Regulares possunt incurrere: quas omitto, vel quia non sunt nimis in vsu: vel quia Compendij breuitas non patitur, & videri possunt apud Rodrig. *tom.* 2. *quæst.* 60. *art.* 1. & Mirandam *tom.* 2. *quæst.* 35. *art.* 18. & fere patebunt ex dictis sparsim in hoc opere.

7 Excommunicatio lata contra aliquid facientem, non ligat consulentem illud ipsum, vel mandantem, nisi lex illud specificet. Nau. *lib.* 3. *Consil. tit. de Cler. non residentibus consil.* 10. *n.* 6. Lex enim valde pœnalis est restringenda, qualis est excommunicatio; & videndum est

est præcisè pro qua actione fertur: & non extendenda ad alios casus.

ADDITIO.

EXCOMMVNICATIO.

1 VIde supra verbo *Episcopus*, *numer.5.* vbi dicitur non posse Episcopum ferre censuras contra Religiosos, nisi prout ibi dictum fuit. Addo tamen Legatum à latere posse contra Religiosos, etiam exemptos fulminare excommunicationem, & cæteras censuras, id tamen non poterit alius Legatus, qui non fuerit à latere. Sic Clemens IV. in Bullario Rodriguez *fol.79. col.1. in Clem.4.* Cardinalis verò Legatus id etiam poterit, quia iste vt plurimum semper est à latere. colligitur ex Bullario Rodrig. *fol.124. col.2. num.1.* Sed nota quòd quando Legatus à latere fulminat censuras in communi, non ligat Religiosos, nisi illi exprimantur. Rodrig. *tom.2. qq.Regul.quæst.59. art.5.*

2 Vltra illa quæ olim dixi hoc verb. *Excommunicatio.* maioris claritatis gratia, addo ex Bullario Rodrig.*fol.731. col.2. n.66.* Leonem X. viuæ vocis oraculo ita concessisse Minoritis vt scilicet Prælati Ordinis, cùm aliquem Fratrem propter apostasiam, vel aliam causam excommunicant, in Capitulo Fratrum, vel in communitate non teneantur sententiam proferre in scriptis, prout in iure, sub pœna excommunicationis præcipitur proferentibus. Quando verò statuta Minorum Generalia Tolletana prohibent Prælatis ne ponant excommunicationes absque scriptis ad euitandum ingressum in cellas, vel certas domos sæcularium, & lata excommunicatio absque scripto in hac

materia non valeat: explicat Rodriguez *tom.2. qq. Regul.q.59. art.3.* hoc intelligi quando talis excommunicatio ponitur omnibus, & singulis Fratribus Prouinciæ, vel Conuentus: tunc enim ponitur per modum statuti. Quando verò illa excommunicatio ponitur vni, vel alteri Fratri, tantùm ligat absque scriptis: neque peccat Prælatus illam ponendo absque scriptis: tunc enim ponitur per modum præcepti, non per modum statuti. Et hoc innuunt verba dictæ concessionis Leoninæ, cùm dicunt: *Excommunicant aliquem Fratrem*, non dicit aliquos, vel Fratres in communi, sed aliquem per viam scilicet mandati, vel præcepti.

3 Clementina 1. *de statu Monachorum*, §. *quia verò*. excommunicantur Religiosi, qui sine suorum Prælatorum licentia, animo inferendi damnum Prælatis, aut Monasteriis ad Curias Principum se conferunt.

4 Omnia gesta per Prælatum, communi errore talem reputatum, & habentem titulum putatiuum, licèt à parte rei non sit verè Prælatus, valent in foro externo, & in foro conscientiæ. Hanc latè probat Sanchez *lib.3. de Matrimonio disput.22. à num.6. & sequentibus*, quam posui, quia vt plurimum iste titulus putatiuus in publico, & à parte rei falsus claudicat propter excommunicationem. Et *ibi num.* 13. ait quod etiam confessiones factæ huiusmodi Prælatis non sunt itèrandæ. Et *ibidem n.*16. ait etiam valere sic gesta, quamuis Prælatus non sit Ordinarius, sed delegatus.

5 Clarius se explicat Sanchez *citata disp. num.*30. *& sequentibus*. vbi ait: gesta per Prælatem habentem titulum putatiuum obtentum tempore quo erat excommunicatus, sed occultè, sunt valida: omnia supra dicta probat ex *l. Barbarius ff. de officio Prætoris*, & aliis text. & rationibus. Iura enim quæ dicunt excommunicatum

catum esse incapacem electionis, non annullant facta à Prælato excommunicato, quando crimen est occultum, & datur ignorantia communis talis incapacitatis: tunc enim pro bono communi, leges ciuiles, & Ecclesiasticæ ratum habent factum à talibus iudicibus incapacibus: & hoc intelligitur siue forent excõmunicati tẽpore electionis, vel post collatum sibi officium.

6 Gesta per quemcumque excommunicatum, dummodò non sit declaratus, vel notorius Clerici percussor, sunt valida, etiam si illius delictum sit publicum, & excommunicatio publica, quandiu non declaratur. Probatur, quia taliter excommunicatus post Concil. Constantiense, est toleratus, ac proinde gesta per illum valent: si enim Concilium vellet, quod non valerent, iuberet illum vitare ne gesta essent inualida. In Sanchez *cit. disp. num.* 32. vnde ibi colligit absolutionem datam ab isto excommunicato, & alia illius gesta esse valida. Et addit *ibidem num.* 33. quòd licet hic talis in alio loco remoto sit declaratus, vel notorius Clerici percussor, in hoc autem loco non est declaratus, neque notoria illius percussio Clerici, sed illa duo hîc sunt occulta, omnia hîc gesta per illum valent in vtroque foro, quia concurrit authoritas Superioris illi conferens titulum ob communem errorem, & ignorantiam delicti. Et *num.* 34. *post medium*, clarè, & expresse ait, excommunicatum occultum validè posse absoluere alium excommunicatum. Imò ait, quòd etiam publicus excommunicatus, si non est denunciatus, nec publicus Clerici percussor, potest absoluere ab excommunicatione, & potest, si est Prælatus, alium excommunicare: quia quandiu est toleratus ab Ecclesia retinet iurisdictionem. Expedit enim hæc omnia licita esse propter commune bonum Ecclesiæ, & propter conscientias quietandas.

7 Om

7 Omnia ſupra dicta etiam valent in Confeſſore ordinario excommunicato occulto, vt geſta per illum ſint valida. Sanchez *citata diſputatione 22. numero 39.* & quòd maius eſt probat idem Sanchez *ibidem numero 43.* omnia ſupra dicta de validitate geſtorum per excommunicatos occultos, vel non denunciatos, ait eſſe hoc verum etiam reſpectu illorum, qui ſciunt de tali excommunicatione Prælati, vel Confeſſoris: quia, inquit, quandiu non declarantur, ab Eccleſia tolerantur, & ab eadem Eccleſia geſta per illos permittuntur, quandiu expreſſe ab Eccleſia non declarantur. Declarare enim illos excommunicatos, eſt illorum geſta annullare. Et *in fine prædicti numeri 43.* ait idem verum eſſe, ſi impedimentum Prælati, vel Confeſſoris eſſet irregularitas, ſuſpenſio, vel interdictum: ad hæc enim omnia extenditur fauor Concilij Conſtantienſis. Excipit tamen *num. 45.* quod ſi tempore, quo fuit electus Prælatus, erat irregularis, ſuſpenſus, vel excommunicatus, & hoc ſciebatur communiter, non valebunt geſta per ipſum; quia vt tunc valeant oportet vt ſit error, ſeu ignorantia communis talis impedimenti. Vnde in hoc caſu etiam ſi ſit error communis, non valebunt eius geſta apud illos, qui ſciunt impedimentum interueniſſe tempore accepti officij.

8 Id quod diximus ſupra validam eſſe Confeſſionem factam excommunicato occulto: ſic intellige, vt non ſit inualida ex defectu iuriſdictionis ad abſoluendum, illam enim habet taliter excommunicatus: ſed poterit eſſe inualida talis confeſſio ex parte pœnitentis, qui poterit peccare in petendo Sacramento ab homine qui exiſtens excommunicatus non poteſt ſine peccato, & irregularitate miniſtrare Sacramentum,

tum, & sic pœnitens ille peccabit dando occasionem proximo peccandi, & proinde pœnitens ob suum peccatum non recipiet validam absolutionem. Quando autem pœnitens possit petere Sacramentum ab excommunicato licitè, & si sine peccato, alibi disputatur. Hoc præcipuum illa de re datur exemplum: quando scilicet Confessor est Parochus obligatus ad audiendam Confessionem, & pœnitens est subditus illius grauiter indigens Sacramento, neque habet alium Confessorem, à quo petat: tunc enim non peccabit petendo ab excommunicato tolerato.

9 Valde consolatorium est quod tradit Suar. *tom de Censuris, disp. 4. sect. 8. n. 18.* ad quietandos scrupulos circa incursionem excommunicationis, & cæterarum censurarum. Ait enim ibi primò, quòd homo doctus si fecit sufficientem diligentiam libros aliquos reuoluendo, alios consulendo, & sic de similibus, & hoc facto putauit se rem posse facere, etiam si alias talis res sit prohibita sub censuris, taliter faciens non incurrit tales censuras, quia sic faciens habuit ignorantiam inuincibilem, vel inculpabilem, etiam, si illa diligentia fuerit tantùm mediocris. Et hoc à fortiori excusabit virum idiotam prius consulentem viros, & doctos, & pios, de quorum consilio errauit. Et hoc locum habet in foro conscientiæ: nam in foro externo aliquando iudicabitur ignorantia culpabilis quæ non est. Secundò ait *citata disputat. numer.* 11. inconsiderationem, seu incogitantiam, seu non aduertentiam naturalem, excusare ab excommunicatione, & cæteris censuris: inconsideratio enim, seu non aduertentia, æquiparatur ignorantiæ inuincibili: Differunt enim valde inter se ignorantia, & inaduertentia. Nam ego habeo scientiam

quod

quod edere carnes Feria ſexta eſt peccatum mortale. Et tamen eadem Feria ſexta appoſitis carnibus poſſum habere inaduertentiam quòd ſit Feria ſexta : vel inaduertentiam quò talis eſus, tali die ſit prohibitus ab Eccleſia. de quo optimè Vaſquez *tom.* 1.12. *diſp.* 107. *cap.* 3. *num.* 8. Sic ergo circa excommunicationem, ego poſſum habere ſcientiam quòd hoc opus ſit prohibitum ſub cenſura : at quando feci omnino non aduerti vel eſſe prohibitum, vel eſſe prohibitum ſub cenſura : tunc ait Suarez *cit. num.* 11. non incurritur cenſura à ſic faciente, aliàs non facturo ſi aduerteret ; quia illa inconſideratio, ſeu inaduertentia naturalis inuincibilis æquiparatur ignorantiæ inuincibili. Tertiò ait Suarez *cit. diſput. num.* 19. ignorantiam inuincibilem Eccleſiaſtici præcepti (idem dic de inaduertentia inculpabili) ita excuſare à cenſura, vt quamuis actus ſit contra ius diuinum, & naturale, & homo contra illud peccet, nihilominus cenſuram non incurret. Ponit exemplum. Scit homo eſſe contra ius naturale, & diuinum occidere Clericum : & tamen ignorat inuincibiliter id prohiberi ab Eccleſia ſub cenſura ; iſte occidens Clericum peccat mortaliter, ſed non incurrit cenſuram.

10 Dixi in præcedentibus, ignorantiam, vel inaduertentiam excuſare à cenſuris incurrendis, quia talis ignorantia, vel inaduertentia non excuſabit ab irregularitate annexa, vt tradit Suarez *eodem tom. de Cenſur. diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 9. Sed hoc ſpectat ad materiam irregularitatis, de quo fortè infra.

11 Quæris. Percuſſit quis Clericum prauo animo, ita vt ex prauo animo percuſſio ſit mortale peccatum, at ex parte operis, percuſſio fuit leuis, & venialis. Quæris, inquam, an ob talem percuſſionem incurratur excommunicatio ? Reſpondet Sanchez negatiuè 2. *libr. Decal.*

*Decal.cap.*8.*num.*7.citat Henriq.Gutierr.& alìos.Et hoc idem dicendum erit in quouis alio opere, cui annexa eſt excommunicatio, ſi opus externum fuit ſolùm veniale, & leue, licèt internum fuerit mortale. Et ratio eſt, quia Eccleſia non excommunicat actus internos, ſed externos, & requiritur vt actus externus ſit de ſe grauis,& mortalis.

12 Quæris an dubitante aliquo ſi incurrerit excommunicationem,ſiue ſit dubium iuris,modo paulò poſt dicendo, ſiue dubium ſit facti, quia ſcilicet dubitat, an tale delictum fecerit, vel hoc delictum ſub tali iure contineatur: dubitas, inquam, an ſtanti tali dubio iuris, vel facti ſe debeat reputare pro excommunicato? Reſpondet Sanchez negatiuè 1. *Decalog. cap.*10. *num.*56. Quia in hoc dubio potior eſt conditio poſſidentis, & habentis bonam fidem: & ideo cùm quilibet fidelis poſſideat ius participandi cum fidelibus, non debet in dubio ſe priuare hoc iure. Dixi, *in dubio*, quia ſi ſit caſus in opinione,debet ſequi opinionem tutiorem,& ſe reputare excommunicatum. Differt enim nimis,dubium,& opinio.Obiter etiam vide diſcrimen inter irregularitatem, & excommunicationem: nam illa in dubio reputatur incurſa, vt diximus ſupra,verb. *Abortus*, *num.*2. hæc autem in dubio non obligat dubitantem, vt ſe reputet excommunicatum. Excipit tamen *ibi* Sanchez *num.*57. ſi dubium eſt,an excommunicatio fuerit iuſta, & lata ex cauſa iuſta: quia tunc tenetur ſe reputare excommunicatum, quia ſubditi eſt obedire, & non examinare cauſam, niſi quando clarè conſtaret fuiſſe iniuſtam. Excipit item, quando eſt dubium, an iudex excommunicationem tulerit, vel pars illam petens habuerit animum ligandi:tunc enim tenetur ſe reputare excommunicatum, ſi contra fecerit: quia in dubio præſumitur lata,vt verba ſonant. At

ſecùs

secùs esset quando verba, quibus ius, aut iudex excommunicant in iure, vel scripto, sunt dubia, an contineant excommunicationem latam, vel ferendam: tunc enim re vera est dubium iuris, an excommunicatio lata sit, ac proinde in hoc dubio, non reputabitur excommunicatus. Si verò dubitetur, an sit iam absolutus ab illa, debet se reputare excommunicatum, & quærere absolutionem, quia tunc possessio est pro excommunicatione, quam scio incursam, sed dubito, an sit absoluta, vel sublata.

12 Notat *ibidem* Sanchez *num.* 58. quòd si dubium sit de excommunicatione, eo quòd fuerit conditionalis, & dubitatur, an conditio fuerit impleta, tunc non censendum excommunicatum: quia cum valor excommunicationis pendeat ex tali conditione, & hæc dubitetur an sit impleta, nulla est pro excommunicatione possessio donec constet conditionem esse impletam. Si denique dubitatur de valore excommunicationis, eo quòd dubitatur, an appellatio ab ea interposita præcesserit, an secuta sit; tunc in vtroque foro præsumitur excommunicatio lata ante appellationem, ac proinde valida.

13 Stante dubio de excommunicatione, non licet aliquem ad aliquod officium, vel dignitatem promouere: ne forte postea cum infamia ab illo deiiciatur, & animarum sequatur periculum. Nota tamen quòd omnia supra dicta circa dubium excommunicationis, locum habent & sunt applicanda ad cæteras censuras suspensionis, & interdicti stante dubio simili circa illas: non verò sic de irregularitate, quæ non est censura, vt supra dixi *num.* 10.

14 Hoc verbum *Anathema sit*, positum à Conciliis in decretis pertinentibus ad fidem, declarat esse hæreticum oppositum sentientem, & proinde inuoluit,

excom-

excommunicationem latam, & non ferendam: si verò ponatur id verbum in iure extra Decreta ad fidem pertinentia, continet solùm excommunicationem ferendam, & comminatoriam. Idem dic de hoc verbo, *Excommunicatus sit* continet enim solam excommunicationem comminatoriam, non ipso facto. Sanchez 2. *Decalog. cap.* 38. *num.* 91.

DE EXCOMMVNICATIONE lata à iure, vel ab homine.

NON est facile dignoscere quænam excommunicatio dicatur lata à iure, & quæ ab homine: & quis possit ab vtraque absoluere, maximè deducendo hoc, & applicando excommunicationibus latis à Prælatis Religionum. In summa ergo, accipe sequentia.

14 Excommunicatio lata à iure est illa quæ lata est ab habente potestatem condendi perpetuum ius Ecclesiasticum per statutum perpetuum. Hãc potestatem habẽt ordinariam Episcopi, & illius superiores, vt Archiepiscopi, legati Papæ, & ipse Papa, imò & delegati illorum, quia cùm sint Prælati, possunt condere ius perpetuum. Hæc autem lata à iure est duplex: alia lata à iure communi, id est, obligante totam Ecclesiam, quales sunt excommunicationes positæ in corpore iuris Canonici: & Bullæ Pontificis summi obligantes totã Ecclesiam: & similes etiam sunt latæ à Conciliis generalibus Ecclesiæ. Alia verò est lata à iure particulari, qualis est excommunicatio posita in Ecclesia particulari, verbi gratia, Tolletana, Eborensi, & similibus: ita enim cùm Synodalis sit, & Prouincialis, est quidem lata à iure, sed est particularis iuris Tolletani scilicet, & similis quæ non ligat nisi in Tolletana Diœcesi.

15 In Religionibus verò excommunicatio lata à iure erit illa quæ ponitur ab habente poteſtatem illam ferendi ſtatuto perpetuo, vt ſunt excommunicationes latæ in Capitulo Generali:& in Capitulo Prouinciali: ambæ enim illæ ſunt de iure perpetuo, quia Religiones habent cum ſuo Prælato vim condendi leges, & ius Eccleſiaſticum perpetuum.In his tamen latis à Religionibus, illæ quæ poſitæ fuerint in Capitulo Generali, erunt latæ à iure, & iure communi obligante totum Ordinem: latæ verò in Capitulo Prouinciali dicentur latæ à iure,ſed iure particulari. Illæ verò quæ à Prælatis Religionum poſitæ fuerint per ſe abſque Capitulo Generali, vel Prouinciali, non dicentur à iure, quia hi Prælati Prouinciales, & etiam generales cum de ordinario non ſint perpetui (ſaltem in Ordine Minorum)non habent authoritatem vt per ſe ſolos condant ius perpetuum,qualem habent Epiſcopi,& cæteri Superiores vſque ad Papam: & nota quòd excommunicatio à iure communi nunquam fertur contra perſonam determinatam,ſed in communi,*cap. vt primarum §.ſtatuto.de conſtit.in 6.*

16 Excommunicatio lata ab homine eſt illa quæ fertur à potente excommunicare, ſed abſque intentione, vel abſque poteſtate faciendi conſtitutionem perpetuam, ſed ſolùm ad tempus definitum ſiue indefinitum. Clarius exemplum pono primò in Epiſcopis, qui cùm aliàs eo quòd perpetui ſint, poſſunt per ſe condere, ſeu ferre excõmunicationem à iure, & perpetuam; tamen ferunt aliquas non perpetuas, ſed ad tempus:vt quando iubent tempore viſitationis ſub excommunicatione vt omnes veniant ad viſitandum: hæc enim non eſt à iure,ſed ab homine:non eſt perpetua, ſed ad tempus viſitationis tantùm. Similes ſunt aliæ Epiſcopales latæ ad præſens tantùm,vt prouideatur certo negotio,

gotio, & certis perſonis. Et hoc etiam venire poteſt in excommunicationibus latis à Papa quando non intendit ferre legem perpetuam, ſed prouidere ad tempus, qualis fuit illa Sixti V. lata contra viarum graſſatores Italiæ, quæ ſolùm fuit ab homine, non à iure. Dixi, *vel à non potente ferre excommunicationem perpetuam*; propter Prælatos Ordinum, qui vt plurimum abſque Capitulis licèt poſſint excommunicare: per hoc tamen neque intendunt, neque poſſunt per ſe ſolos ferre excommunicationem à iure quæ eſt perpetua, ſed ſolùm ab homine, quæ durat tantùm ad tempus. Hinc iam vides totum, ac præcipuum diſcrimen inter excommunicationem latam à iure, & latam ab homine, eſſe quod lata à iure perpetua eſt, & non ſpirat mortuo authore illius: at lata ab homine eſt ſolùm ad tempus, & ſpirat mortuo illius authore, niſi à ſucceſſore confirmetur, vel fuerit confirmata à ſuperiore viuente authore illius. Ita Nauarr. *in Sum. cap. 27. num. 2.* & alij communiter.

17 Hæc excommunicatio ab homine eſt duplex: alia generalis, alia ſpecialis. Generalis eſt quæ fertur generaliter contra omnes ſpecies delinquentium, vel contra plures delinquentes vnius ſpeciei, vt quando fertur contra omnes fures viarum, vt fuit illa Sixti V. idque quandiu durauerint fures tempore indefinito, vel quando fertur contra non reſtituentes: huic perſonæ, & ſic de cæteris. Specialis lata ab homine, eſt illa quæ fertur contra aliquam determinatam perſonam, vt contra Petrum, vt reſtituat, vt recipiat talem in vxorem, &c. Ita Reginald. *tom. 1. libr. 5. numer. 3.* In Religioſis pone exemplum: Fert Prælatus excommunicationem ne quis ingrediatur talem domum, vel vt omnes qui talia rapuerunt, reſtituant. Hæc excommunicatio eſt ab homine, generalis: ab homine qui-

dem, quia non eſt perpetua per modum iuris, & ſtatuti. Eſt verò generalis, quia cum pluribus, vel omnibus loquitur. Rurſus ſi Prælatus contra determinatum Petrum ferat excommunicationem, ne tale quid faciat: eſt excommunicatio ab homine, ſed ſpecialis.

18 Hoc poſito, circa abſolutionem vtriuſque excommunicationis à iure, vel ab homine, accipe ſequentia. Ab excommunicatione lata à iure ſiue communi, ſiue à iure particulari, ſi talis excommunicatio non ſit ibi reſeruata, poteſt abſoluere quilibet cõfeſſor approbatus, etiam ſi non ſit parochus: ac proinde talis confeſſor poteſt abſoluere ab omni excommunicatione non reſeruata contenta in iure Canonicõ, & in iure particulari Synodalium conſtitutionum. Hæc eſt hodie fere communis opinio, & ſeruata in praxi, de qua latius Reginald. *tom.* 10. *lib.* 9. *num.* 14. quot verò ſint excommunicationes in corpore iuris non reſeruatæ, & quot reſeruatæ, vide in Nauarr. *in Sum. c.* 27. *a num.* 75. *& ſequent.* hinc colliges poſſe quemuis confeſſorem Ordinarium Fratrum abſoluere Religioſos ab omni excommunicatione contenta in ſuis ſtatutis generalibus, vel prouincialibus ſi illa non ſit reſeruata, eſt enim eadem ratio.

19 Ab excommunicatione lata à iure reſeruata, ſolùm poteſt abſoluere is cui reſeruatur: & quia in iure communi Canonico, vel in Bullis Pontificiis, vt plurimum non reſeruatur excommunicatio niſi Rom. Pontifici: ideo ab illa ſolus Rom. Pontifex poteſt abſoluere. Poſſunt etiam ab illa abſoluere delegati Papæ quibus ipſe commiſerit: vt ſunt etiam Religioſi, quibus Papa concedit per ſua priuilegia abſoluere à multis cenſuris reſeruatis, tum Religioſos, tum ſæculares, de quo alibi. Si verò in tali iure communi vel

iure

iure particulari excommunicatio lata à iure reseruetur alicui inferiori Papæ, vt Episcopo, Legato, & similibus, tunc à tali excommunicatione reseruata poterit absoluere ille cui reseruatur: item illius legitimus superior, maxime Papa: Item omnes delegati quibus commiserit Episcopus successor, Superior (non Archiepiscopus nisi per appellationem, quia non est Superior immediatè nisi per appellationem) hi enim omnes habent eandem authoritatem, vel maiorem, quàm habet Episcopus cui reseruatur.

20 Applicando Religiosis, si in illorum statutis generalibus, vel prouincialibus sit posita excommunicatio reseruata alicui, vt generali: solus generalis poterit absoluere, vel habens commissionem illius. Si verò sit reseruata alicui inferiori, poterit absoluere successor illius, & Superiores istorum; imò, & delegati horum omnium habentes commissionem supra dictorum.

21 Ab excommunicatione lata ab homine potest absoluere qui illam tulit: vel eius successor, vel eius Superior, vel delegati illorum habentes commissionem illorum. Regin. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 23. quod est intelligendum quando excommunicatio est lata specialiter ab homine: Si enim sit ab homine lata generaliter, de hac potest absoluere quiuis confessor ordinarius, vt idem Reginal. explicat statim *num.* 30. exemplum facile erit in Prælatis Ecclesiasticis sæcularibus inuenire. In Religiosis sic accipe: quidam Prælatus conuentualis, vt Guardianus, posuit excommunicationem generalem ab homine, ne quis ingrediatur talem domum, vel ne ingrediatur cellas, &c. Et hanc non posuit reseruatam. Ab hac possunt absoluere confessores Fratrum Ordinarij, quia est ab homine generalis. Secus si poneret illam reseruatam, tunc enim

non possent, nisi Superiores vel delegati, & similes sicut supra. Rursus si Guardianus ponat excommunicationem ab homine specialem, vt verbi gratia, contrum Petrum determinatum, vel contra duos, vel tres monachos nominatos, vt aliquid faciant, vel non faciant, ab hac excommunicatione speciali non poterit absoluere nisi is qui tulit illam vel successor, vel Superior, vel horum delegati. Applica ad Prouincialem, &c.

22 Sunt tamen aliqui casus in quibus is qui tulit excommunicationem non potest ab illa absoluere, ponit illos Reginald. *citato lib. à num.* 31. Non est meum omnes persequi: pono tantùm pro Regularibus inseruientes. Primus sit, si postquam quis excommunicauit, amisit authoritatem, & iurisdictionem absoluendi, per priuationem ab officio vel renunciationem, &c. Secundus, si excommunicatio lata ab inferiore confirmetur à Papa: iam enim per illam confirmationem Papalem manet reseruata Papæ: Quod intelligit *ibi* Reginald. si excommunicatio fuerat lata contra personam certam nominatam, & Papa confirmauit ex certa scientia: si enim non ita confirmet, & via tantùm communi, neque excommunicatio fuerat lata contra nominatam personam, non manet reseruata. Hinc colligo quod si Guardianus excommunicauit aliquem Monachum nominatim, & prouincialis confirmauit, vel generalis, non poterit iam Guardianus ab illa absoluere, quia iam manet reseruata prouinciali. Secus si Guardianus excommunicationem tulit generalem: tunc enim etiam si prouincialis, vel generalis confirment, adhuc Guardianus poterit ab illa absoluere.

EXEM

EXEMPTIO.

DE exemptione Religioſorum, & rerum ſuarum ab Epiſcopis, à foro ſæculari, tributis, gabellis, & ſimilibus, res adeo notiſſima eſt per tot iura, Bullas, & cõceſſiones, vt ſuperuacaneum ſit hac de re tractatum facere: praxis enim ſola, & inueterata ad hoc ſufficeret. Satis ſit videre Compend. Mendicantium, & Compendia Ordinum particularium, verb. *Exemptio.* verb. *Gabella, Tributum, & ſimilibus.* & Rodrig. *q.* 63. *tom.* 2. & *q.* 65. & 66. Vide etiam infra verb. *Generalis, n.* 3. & ver. *Tributum infra.*

ADDITIO.

OLim hoc verbo remiſſiuè citaui Compendia, & Rodriguez *in duabus qq. tom.* 2. *queſtion.* 65. & 66. multa dicentem circa exemptionem Religioſorum ab aliis Prælatis, & poteſtatibus ſæcularibus, ita vt neceſſe ſit ad aliud pergere, neque in re tam clara immorari. Solùm addo me poſt illud audiuiſſe, quendam doctum Canoniſtam clericum ſæcularem, olim officialem cuiuſdam Epiſcopi & nunc conſtitutum in dignitate Eccleſiaſtica per modum querelæ dixiſſe Religioſos tot fuiſſe priuilegiis munitos à Summ. Pontificibus olim Monachis, & ſatisfacientibus ideo Religioſis. Duo tantùm obiter dico in contrarium: primum, non ſolos Papas olim Religioſos fauiſſe illis cum priuilegiis multis, videant in compendio multos Sum. Pontifices nunquam Monachos quot, & quàm magna priuilegia conceſſerint Religioſis: ſufficiant Leo X. & Greg. XIII. Martinus V. & alij quorum priuilegiorum liberalitate compendium Mendicãtium refertum eſt.

Digitized by Google

Secũdò dico dato quod aliqui illorum Monachi olim, Monachis priuilegia varia conceſſerint, quaſi ex officio tenebantur id facere, vt fere Monachos liberarent à grauaminibus quæ Epiſcopi faciebant Monachis, & illorum clerici. Alexander IV. & Aluarus de planctu Eccleſiæ citati à Rodrig. *citata quæſt. 63.* citant viginti quatuor grauamina quæ Epiſcopi, & clerici Monachis inferebant, ob quæ debitum fuit Monachos ab Epiſcoporum iuriſdictione eximere, maximè cùm Epiſcopi, illorumque officiales Monachorum leges & mores ignorent; in quorum obſeruatione Religionis neruus conſiſtit.

EXORCISMVS.

SOlent aliquãdo arreptitij, & à diabolo oppreſſi ad Religioſos adduci pro remedio quęrendo, olim audiui nullum clericum tales poſſe exorciſare niſi eſſet deputatus ab Epiſcopo, & ab eo licentiam impetraret. Nunc dico Religioſos poſſe huiuſmodi arreptitiis impendere tales exorciſmos abſque licentia Epiſcopi. Nam de iure communi illi non prohibentur. Si autem Epiſcopi in ſua Diœceſi id prohibeant fieri abſque expreſſa illorum licentia, talis conſtitutio ſolos clericos ligat, non verò Religioſos exemptos, qui aliàs iure communi non prohibentur, & ex ordine Eccleſiaſtico exorciſtæ, & Sacerdotes id facere permittuntur. Tenet hoc expreſſe Sanchez 2. *Decalog. cap. 42. num. 18.* dicens hanc adiurationem ſolemnem competere ſolis Miniſtris promotis ad Ordinem exorciſtarum. Fortè tamen id ſibi reſeruarunt Epiſcopi quo ad ſuos clericos, vt ſcirent quibus id foret cõmittendum, piis ſcilicet, ac prudentibus propter multam prudentiam, imò, & ſcientiam in tali officio requiſitam. Conſulo verò Religioſos

ſos id facturos, vt cautè videant pertinentia ad tale officium, de quo aliquid Sanchez *citato loco*, & alij. Et præterea illud faciant per Cæremoniale Romanum quo vtuntur parochi in ſuis Diœceſibus. Scio namque in lib. qui dicitur *Malleus maleficarum poſt medium*, *à fol.* 130. contineri ſeptem modos exorciſmorum, qui valde prolixi, & diffuſi ſunt, & neſcio an ſint conformes Romano Cæremoniali. Scio item in *eodem lib. infra fol.* 378. contineri tractatum primum de exorciſmis, qui omnino indignus eſt qui legatur; aliqua namque continet falſa, & indecentia, quæ ego iam detuli ad tribunal ſancti Officij.

FALSARIVS.

POterit hoc delictum aliquando in aliqua Religione committi, & in ordine Minorum eſt caſus reſeruatus circa litteras Prælatorum. Igitur pro cautela, & punitione criminis, aduerto Clementem VIII. in ſuo decreto de caſibus reſeruatis permiſiſſe Religionibus, vt hoc delictum poſſent reſeruare. Sed ſolùm in reſeruatione dicebat, fore reſeruandam falſificationem manus, & ſigilli officialium Conuentus. Ego olim in paruo libello, hunc caſum cum aliis explicaui: & quia libellus ille antiquitate extinctus eſt, & rogatus ſum, vt iterum prælo daretur, quod recuſaui: dicta ibi recolo breuiter in ſummam in gratiam illorum Ordinum qui talem caſum reſeruarunt, vel reſeruauerint.

1 Dixi ergo ibi per manus falſificationem intelligi ſubſcriptionem. (Luſitane, *o ſinal ou firma*) ſigilli falſificatio, clara eſt. Dixi ſecundò, per manum officialis non intelligi ſolùm ſubſcriptionem ad finem ſcripturæ, ſed etiam falſificationem aliquam intra ipſam

ſcripturam quæ reddat falſum ſenſum litteralem. Nam etiam ſcriptura ipſa, eſt manus officialium Conuentus, probaui ibi efficaciter, ex Suarez *tom. 5. de Cenſur. diſput. 21. ſeſſ. 2. num. 44.* Secus ſi aliquam litteram paruam deletam, vel in ſcriptura, vel in ſubſcriptione emendaret, quæ ſenſum non mutaret, tunc enim falſarius non eſſet.

2 Circa ſigillum dixi; non ſolum falſificare ſigillum, eum qui denuo falſum ſigillum affigeret: ſed etiam illum qui verum ſigillum in aliis litteris veris contentum, his falſis litteris apponeret pro ſua falſitate firmanda: Hoc enim verè, eſt falſificare ſigillum.

3 Dixi ibi per officiales Conuentus intelligi Prælatum localem, vt Guardianum, vel ſimilem vicarium præſidentem, ſacriſtam, procuratorem, & omnes alios officiales Conuentus deputatos per Prælatum alicui officio particulari. Non verò intelligi Prouincialem, vel Generalem Ordinis, quia hi non ſunt officiales Conuentus, ſed prouinciæ, vel familiæ totius Ordinis: & lex pœnalis reſtringenda eſt ad propriam verborum ſignificationem. At dixi quo ad Minoritas me credere Syndicum Fratrum eſſe officialem Conuentus, & proinde Religioſum falſificantem eius litteram, vel ſigillum, incurrere caſus iſtius reſeruationem. Dixi pariter non incurrere iſtum caſum illum Religioſum qui in hoc Conuentu degens falſificauit litteram, vel ſigillum alicuius officialis alterius Conuentus, in quo non exiſtit de facto, neque degit: quia talis propriè non falſificat manum, vel ſigillum Conuentus: id eſt, ſui Conuentus, in quo ſcilicet exiſtat, & viuit. Hæc eſt Sum. ibi dictorum.

4 Falſificantes litteras Papæ incurrunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, *in excommun. 7.* At explicat *ibi* Nauarr. *in Sum. cap. 27. num. 26.* iſtam excommunicationem

cationem Bullæ Cœnæ non incurrere falsificantes litteras alicuius Episcopi, vel Nuncij Apostolici: horum enim litteræ non dicuntur litteræ Apostolicæ, sed solæ litteræ Papæ. Neque item hanc incurrunt iuxta Nauar. *ibi*, qui falsificant supplicationes signatas à Papa, quas vocant signaturas: neque illi qui subreptitiè, vel obreptitiè impetrant litteras Apostolicas, vel illis vtuntur: hi enim re vera non falsificant, cùm in rigore illæ litteræ subreptitiæ sint veræ litteræ Papæ: licèt Papa fuerit deceptus in informatione, denique addit *ibi* Nauarr: quod iam diximus, correctionem vnius, vel alterius litteræ per quam sensus non mutatur, non puniri per illã excommunicationem Bullæ Cœnæ. Vide *cap. licet ad regimen. de crimine falsi*, vbi Papa Innocent. III. ponit septem modos quibus litteræ Apostolicæ possint falsificari: quos omitto breuitatis gratia.

5 Quamuis autem in prædicta Bulla Cœnæ non excommunicentur falsarij litterarum Episcopi, vel Nuntij Apostolici, tamen ad cognoscẽdam talis delicti grauitatem duo noto ex Rodrig. *tom. 2. q. 31. art. 1.* ait enim ibi primò crimẽ falsarij reputari inter capitalia: secundò ait iuxta nocumentum datum à falsario, ita illi applicãdam esse pœnam ratione delicti: quamuis autem ibi solùm agat de solicitante testem ad falsum testimonium dicendum, ambo tamen proximè dicta possunt applicari ad falsarium scripturarũ, vt scilicet, pro qualitate delicti, & personæ cuius litteras falsificauit, recipiat maiorem, vel minorem pœnam. Facit quod decernunt Ordinationes Regni Portugalliæ *lib. 5. tit. 52.* vbi punitur pœna capitis qui per se, vel per alium falsificauerit manum vel sigillũ Regis. Qui verò falsificauerit sigillum alicuius iudicis inferioris relegatur ad Africã per decem annos exilij: & omnia illius bona in fiscum Regium rediguntur.

6 per

6 Per ſtatuta generalia Minorum in Capitulo generali Tolletano, falſificantes ſigillum, vel litteras Prælatorum carceri mancipantur ad arbitrium Prælati pro qualitate delicti. Si verò litteræ falſificatæ fuerunt R. R. Generalis, vel Comiſſarij Generalis à carcere liberari non poterunt abſque expreſſa licentia dictorum R.R. Prælatorum generalium. Vide *ibi in titul. de falſariis.*

7 Additionator ad Iulium Clarum *in §. falſum. numer.* 156. dicit ex Caſtrenſ. Afflict. Ceph. & Gabriel. quos citat, vt aliquis puniatur pœna ordinaria falſarij, tria requiri copulatiuè. Primum, mutatio veritatis. Secundum, quod adſit dolus. Et tertiò, quod mutatio veritatis nocuerit, vel nocere potuerit, vel poſſit.

8 Quæris an pœnæ falſariorum incurrantur à falſificante quaſcunque litteras, & ſigillum ſuperiorum: ver.gr. epiſtolas particulares miſſiuas quas dirigunt, vt particulares perſonæ ſunt? Pater Soſa *in explicatione Bullæ Cœnæ in expoſitione ſexti capitis ad litteram n.6.* citat Vgolinum, & tranſit cum illo dicente, falſificãtes litteras particulares Papæ obſignatas, & miſſiuas non incurrere cenſuram illam Bullæ Cœnæ, ſed ſolùm falſificantes litteras patentes, & apertas quas mittit Papa ex officio. Ego circa Religioſos hoc non conſulerem: nam etiam litteræ particulares obſignatæ mittuntur à Prælatis ex officio pro multis negotiis expediendis: & in rigore ſunt veræ litteræ Superiorum: Et lex iſta non diſtinguit de litteris particularibus, vel communibus. Adde quod prædicti Religioſi litteras particulares Prælatorum particulares & obſignatas, falſificantes, committunt aliud peccatum reſeruatum, vel permiſſum reſeruari à Clemente VIII. *in ſuo Decreto caſuum reſeruatorum caſu* 11. contra retardantes litte

litteras Prælatorum ad inferiores : vel illas aperientes: siue prædictæ litteræ sint inferiorum ad suos prælatos. Quod quomodo intelligi debeat explicaui etiam *citato libello de casibus reseruatis casu* 11.

9 Pro Ordine verò Minorum falsificatio sigilli, vel litterarum Superiorum, reseruatur cum maiori rigore : Non solùm enim reseruatur falsificatio in litteris Superiorum Ordinis, verùm etiam cuiusuis alterius personæ in dignitate constitutæ, etiam extra Ordinem, pro quo aduerte ex Syluestro *verbo dignitas.* tria hæc inter se valde differre, videlicet dignitatem, personatum, & officium. Dignitas est administratio rerum cum iurisdictione in foro contentioso : vt Guardianus, Prior, Prouincialis, & Superiores : hi enim omnes, & administrant res, & habent iurisdictionem in foro externo. Officium significat administrationem aliquarum rerum, sed sine iurisdictione, vt sacrista, procurator Conuentus, & similes : administrant enim res aliquas, sed non habent iurisdictionem. Personatus est illorum, qui neque habent administrationem rerum, neque iurisdictionem, sed habent digniorem locum præ aliis in Choro, vel in Capitulo, vt in Ecclesiis Cathedralibus fieri consueuit. Itaque, dignitas habet administrationem, & iurisdictionem simul. Officium habet solam administrationem : personatus neutrum habet, sed solam honoris præeminentiam.

10 Reseruatur ergo sola falsificatio litterarum, earum personarum Ordinis quæ habent dignitatem Ecclesiasticam, quales sunt Prælati locales & omnes Superiores, & ex consequenti reseruatur falsificatio literarum cuiuscunque Prælati alterius Ordinis, & præterea cuiuscunque Episcopi, & aliorum Prælatorum

Eccle

Ecclesiasticorum habentium dignitatem Ecclesiasticam. Nam verba casus generalia sunt ibi: Aut alterius personæ in dignitate constitutæ. In quo differt ista reseruatio à reseruatione Clementis VIII. Nam ista solùm loquitur de officialibus Conuentus vbi habitat Religiosus: At reseruatio Minoritarum latius extenditur; vt vidimus.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

SI quis apud se habeat litteras falsatas, non tamen vsus fuit scienter illis litteris falsis, non punitur pœna falsarij: habetur expresse *cap. inter dilectos. de excess. Prælatorum.* Inde etiam collige quod si quis vsus fuit litteris falsis ignorans, & suam ignorantiam per coniecturas, vel per iuramentum probauerit, in foro Ecclesiæ non punietur pœna falsi. Nam Papa *citato c.* ponit verbum *scienter*: quapropter à contrario sensu, si vsus est illis ignoranter, bona fides & ignorantia probari poterit ex qualitate personæ, coniecturis, iuramento, & similibus.

FAMA.

SAYRO *libr.* 11. *clauis Regiæ cap.* 7. *num.* 15. ait peccare mortaliter Monachum, vel Monialem, qui infamati iniustè ab aliquo remittunt iniuriam factam suæ famæ læsæ. Dat rationem, quia sua fama bona, non est sua præcipuè, sed est etiam Conuentus: quemadmodum eius infamia est etiam infamia Conuentus. Hoc ego solum damnarem in casu litigioso, & publico, quando resultauit magna Ordinis infamia iniustè: tunc enim Monachus, vel Monialis non possunt remittere iniuriam, vt *ibi* tradit Sayro. Si verò remittant

mittant absque licentia Prælati, peccabit saltem venialiter: & condonatio non valebit, quia pars præcipuè læsa non condonauit videlicet Religio: quod adeo verum est, vt si Prælatus Ordinis condonaret, absque consensu Religiosi, condonatio valeret: vt tenet Nau. *lib. 2. de rest. cap. 4. part. 3. dubio 7. num. 392.*

FAMVLI, SEV FAMILIAres Fratrum.

1 POssunt Regulares suis famulis intra Conuentum degentibus omnia ministrare sacramenta etiam in articulo mortis, & illos in sua Ecclesia sepelire, etiam si dum viuerent ibi sepulturam non elegerint. Clemen. IV. in Compend. verb. *Famuli*, & Iul. II. apud Rodrig. *tom. 2. q. 77. art. 1. & 2.*

2 Hi famuli, & famulæ etiam Monialium Sanctæ Claræ habent Indulgentiam plenariam semel in vita, & in morte. Monumenta Ordin. *secundæ impressio. fol. 66. concession. 96.*

3 Tempore interdicti possunt famuli Fratrum admitti ad diuina, & ibi recipere sacramenta, & sepulturam Ecclesiasticam. Compend. Minor. ver. *Interdictum* 3. §. 1. & 6. Et hic etiam includitur Syndicus Minorum. Compend. verb. *Syndicus*, §. 2.

4 Famuli Regularium dum sunt in seruitio Fratrum non possunt excommunicari, vel interdici ab Episcopo. Compend. verb. *Famuli* §. 11. & Henriq. *tom. 1. lib. 7. de Indulg. cap. 25. num. 7. littera L.*

5 Nicolaus V. concessit Patribus Sancti Hieronym. in Hispan. vt quando sunt absentes à Monasterio, possint ibi audire confessiones suorum familiarium, & seruitorum. In Compend. illorum, verb. *Absentes à Monasterio*, §. 4. & verb. *Absolutio quo ad familiare*, §. 9. dicitur

dicitur quod etiam ibidem abſentes poſſunt illos abſoluere à caſibus Epiſcopalibus. In Compend. Minorum, verbo *Familiares*. §. 11. habetur priuilegium conceſſum militibus Sanct. Ioannis, vt familiares illorum dum fuerint in illorum ſeruitio, non poſſint excommunicari, vel interdicto ſupponi ſine ſpeciali mandato Papæ. Sed tamen hoc priuilegium famulis non proderit quando priuilegia Fratrum fuerint ibi derogata. Vide Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. & 5.

FESTI DIES.

Vide infra verbo *Laborare.*

1 FEſta particularia indicta ab Epiſcopo tenentur ſeruare Regulares abſtinendo à ſeruilibus & Miſſam audiendo. Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regular.* In his tamen diebus non tenentur dicere Horas Canonicas ſecundùm ritum Clericorum, neque Miſſas: ſed iuxta ſuam Regulam, & Conſtitutiones. Sic declaratum eſt à Congregat. Cardinal. Romæ, pro vt citat Rodriguez in ſuo Bullario ſub Clement. VIII. *fol.* 1199.

2 Dies feſtos à ſolo Magiſtratu ſæculari præceptos non tenentur Regulares obſeruare abſtinendo à ſeruilibus, & Miſſam audiendo: quoniam Magiſtratus ſæcularis, non habet iuriſdictionem in Regulares. Azor. 2. *parte Sum. lib.* 1. *cap.* 26. *quæſt.* 5.

3 Si contingat dies feſtos iniunctos ab Epiſcopo, habere vigiliam ieiunij, vel per conſtitutionem Epiſcopalem tantùm: aliqui Doctores dicunt teneri Regulares ad illud ieiunium ex conſuetudine Diœceſis. At Suarez *tomo de Legibus, lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 9. & 10. ſentit in conſcientia non teneri, niſi fortè ratione ſcandali, &

niſi

niſi in vſu, & conſuetudine, illud Regulares acceptauerint: citat Paludan. & Antoninum. Rodriguez verò *in Addition. ad Summ. Moral. tom.* 4. *cap.* 110. *num.* 4. ait teneri Religioſos, etiam in ſuo Conuentu ieiunare illa ieiunia quæ per conſuetudinem generalem ieiunantur à ſæcularibus in illa Prouincia, vel loco. Vbi Rodriguez non diſcedit à Suarez, ait enim non teneri Regulares ad ieiunia præcepta ab Epiſcopo: ſed facit differentiam inter præcepta ſolùm ab Epiſcopo, & inter introducta per conſuetudinem generalem illius Prouinciæ.

ADDITIO.

1 SI aliquis dies feſtus ſecum habeat annexam aliquam indulgentiam lucrandam tali die, & contingat quod de tali die feſto non ſit recitandum Officium Diuinum hoc die, ſed in alium diem ſit transferendum Officium Diuinum, tunc indulgentia non eſt transferenda, ſed lucranda eſt in eodem die, licèt feſtum quoad Diuinum Officium transferatur. Ita Azor. *tom.* 2. *libro* 1. *capitulo vltimo*, *quæſtione* 8. Sit exemplum pro Minoritis. Feſtum Diui Bernardini habet ſibi annexam Indulgentiam plenariam in Eccleſiis Minorum ex Bulla Sixti V. Contingit ſæpe feſtum Diui Bernardini occurrere infra octauam Spiritus ſancti in qua non recitatur Officium ſancti Bernardini, ſed transfertur poſt octauam: Tunc Indulgentia lucranda eſt ipſo die feſti, & non eſt transferenda ab illo die. Et confirmatur à ſimili: nam quando aliquis dies feſtus præcepto Eccleſiæ obſeruandus cum ceſſatione à ſeruilibus, incidit in diem in quo Eccleſia de tali feſto non recitat Diuinum Officium, vt quando feſtum

Annuntiationis Beatæ Mariæ venit in Dominica aliqua Quadrageſimæ, tunc obſeruatio talis feſti quoad ceſſationem ab operibus ſeruilibus non transfertur in diem in quem transfertur recitatio Diuini Officij, & idem dicendum eſt de tranſlatione Indulgentiæ annexæ alicui feſto.

2 Pro ſcrupuloſis laborantibus in die feſto tenet Suarez *tom.* 1. *de Relig. libro* 2. *cap.* 31. *numer.* 2. non eſſe peccatum mortale, ſed ſolùm veniale vacare operibus ſeruilibus per vnam horam integram: quia reſpectu 24. horarum, quas dies integer continet, vna ſolùm hora eſt pars modica, ſeu parua. Idem tenet Sanchez 1. *Decalog. capit.* 4. *numer.* 18. Aduertit tamen Sanchez *citato capit. numer.* 12. quod ſi quis in die feſto diuerſis vicibus vacet ſeruilibus, ita vt in qualibet vice ſeparata ſit parua temporis mora, ac proinde parua materia: at ſingulæ vices, & interualla ſimul iuncta efficiant pluſquam vnam horam, tunc dicitur violare feſtum propter operationem ſeruilium, & proinde peccare mortaliter. Ego do exemplum à ſimili: nam furta modica multa ſigillatim per ſe ſumpta non ſunt mortalia, at ſimul ſumpta faciunt quantitatem notabilem, ac proinde mortalem ſi fiant omnia reſpectu vnius tantùm perſonæ. Quod facile applicabis propoſito intento de multis operationibus modicis ſeruilibus factis in eodem die. Dico in eodem die, quia ibi aduertit Sanchez, ſi quis in diebus diſtinctis feſtiuis operetur, ſeruiliter modico interuallo ſingulis diebus tantùm ſemel ſingulis diebus, illæ ſingulæ vices diſtinctæ non efficient quantitatem mortalem, quia non fiunt reſpectu eiuſdem diei feſti, ſed diuerſorum, & non coniunguntur moraliter, poſſet vtcunque perſiſti in exemplo modicorum furtorum diuerſorum, quæ ſi non fiant reſpectu

ctu eiuſdem perſonæ, ſed diuerſarum, non faciunt peccatum mortale, quia nulli ex illis infertur damnum notabile.

3 Quia verò feſti obſeruatio duo includit, & Miſſam audire, & vacare à ſimilibus, non omittam caſum particularem poſitum à Sanchez *libr.* 2. *de Matrimonio diſputatio.* 18. *à numer.* 21. Vbi ſic ait: Non peccare mortaliter illum qui in die feſto oppidi in quo exiſtit, exit, & vadit ad oppidum in quo tale feſtum non obligat, & vadit cum animo ibi laborandi, probat, quia præceptum feſti non prohibet exitum ab iſto loco in quo eſt feſtum: & poſtquam peruenit ad aliud oppidum vbi feſtum non obligat, poterit licitè laborare. Sed maius dubium eſt, an talis exiens in tali die feſto ſui oppidi teneatur prius audire Miſſam, quàm exeat, ad quam in ſuo oppido tali die tenetur? Aliqui dicunt teneri, & probant, quia obligatus ad Miſſam in die feſto, & præuidens hora decima, vel vndecima ſe fore impeditum ad illam audiendam, tenetur ex præcepto illam anticipare in tempore præcedente. At ipſe Sanchez *ibidem* ait, non carere magna probabilitate, & teneri ab aliquibus recentioribus, quod taliter exiens non tenetur audire Miſſam in ſuo oppido, ſi peruenturus eſt ad oppidum aliud tempore breui, quo adhuc Miſſæ ſolent celebrari, verbi gratia, ante meridiem. Nam in proprio oppido vnde exit, poterat differre auditionem Miſſæ vſque ad aliud tempus, quando verò peruenit ad alium locum iam deobligatur ab illo præcepto illam audiendi. Neque obſtat ratio in oppoſitum adducta, nam intelligitur dummodo maneret in eodem oppido vſque ad tempus in quo illud præceptum obligat: Secus ſi exit, & tépore quo non obligatur ad Miſſam, peruenit ad aliud oppidum vbi iam non obligatur: Et clarius dic quòd

impedimentum ſuperueniens non tollit obligationem audiendi Miſſam, ſed excuſat omiſſionem ſi omittatur ob tale impedimentum, vnde nihil mirum ſi præuenire tunc teneatur: cùm verò ante meridiem eo peruenturus eſt in quo id feſtum non ſeruatur, non obligat præceptum dum peruenit: Nec ibi dicitur ſuperuenire impedimentum, ſed non adeſſe præceptum.

4 Feſta non ſolùm indicta ab Eccleſia communi, vel particulari Epiſcopo, ſed etiam ſeruata voto alicuius populi in communi tenentur obſeruare etiam Religioſi illius oppidi, eò quòd facta ſunt ob bonum commune oppidi, cuius Religioſi ſunt vicini, & cuius populi bona participant. Sanchez 4. *Decalog. numer.* 21. & hoc eſt quod in ſimili materia dicit Rodriguez *Addit. ad Sum. tom.* 4. *capit.* 11. *numer.* 4. teneri Religioſos ieiunare ieiunia illorum oppidorum in quibus viuunt, quæ populus ille ieiunat ob conſuetudinem, quia ſunt membra talis populi, eiuſque bona participant. Vnde Sanchez *citato loco* attentis dictis antea *numer.* 16. aſſerit Religioſos teneri ſub mortali etiam ieiunare eos dies ieiunii quos vouit populus voto communi pro aliqua neceſſitate: militat enim eadem ratio, atque in feſto ſeruando. Neque hoc militat contra id quod diximus in *prima editione hoc eodem verbo numer.* 3. ex opinione Suarez, & aliorum, non teneri Religioſos ad ieiunium indictum à ſolo Epiſcopo, concurrentibus circunſtantiis ibi dictis: Non, inquam, obſtat: nam diuerſum quid eſt ieiunium indici à ſolo Epiſcopo, vel induci per votum commune populi, vel per conſuetudinem antiquam quæ habet vim legis quaſi naturalis.

5 Feſtum Patris noſtri Franciſci iuſſit Sixtus IV. ſub præ

præcepto,& obſeruantia ab omnibus Chriſti fidelibus, ſeruari ceſſando ab opere ſeruili.Habetur Bulla in Bullario Rodriguez *fol.* 317.& 318.quæ verba clarè ſonãt præceptum peccati mortalis. Hoc autem volui citare, vt videas quantum valeat mutare vetuſtas temporis, quæ etiam Bullis Pontificiis ſuo modo nocet, vt non obſeruentur.Maior tamen gloria eidem Patri Seraphico accidentalis videtur accreſcere, vt cuncti fere fideles ſuum feſtum obſeruent ceſſando à ſeruilibus, moti deuotione,ac pietate,quam præcepti vinculo aſtricti.

GENERALIS ORDINIS.

Vide infra verb. *Prouincia, numer.*2. & verb. *Prælatus*, & verb. *Eiicere ab Ordine.*

1 GEnerali mortuo non expirant inferiores Prælati, quia ſunt ordinarii. Expirant tamen Viſitatores, quia ſunt delegati. Rodriguez *tomo* 1. *quæſtion.* 9. *artic.* 1. hoc intellige de Viſitatoribus re infecta: id eſt, quando nondum viſitationem incœperant: ſi enim iam incœperunt,poterunt finire:ſi verò non incœperunt,non poterunt inchoare. Si verò iam finierũt viſitationem,debent ſubſiſtere,maximè in Ordine Frãciſcano, vbi per ſtatutum generale finita viſitatione ſi Capitulum dilatetur,tenentur ſe recipere ad ſuas Prouincias.Tenet etiam ſupradictum de ceſſatione viſitatorum mortuo generali.Aldrete *lib.* 1.*de Diſciplin.Religioſa,capit.* 3,*numer.* 30.*& ſequentib.*

2 Solus generalis poteſt relinquere aliquod Monaſterium inutile Fratribus,id tamen faciet coram,vel in manibus Ordinarij. Hoc autem non poteſt facere Capitulum Prouinciale,vel Prouincialis abſque licentia generalis.Rodrig.*tom.*1.*q.*23.*art.*6.

3 Non potest Generalis eximere aliquem Fratrem ne sit subditus sui Prouincialis, vel sui Guardiani, vel similis Prælati localis, esset enim fere cõtradictio moralis, vel saltem confusio, & causa litium, & præter ius totum. Miranda *tom.* 2. *q.* 7. *art.* 6. Idem dic de Prouinciali circa eximendum subditum à Guardiani obedientia.

4 Generalis Minister Minorum, non potest dispensare in statutis Ordinis quando illa sunt contenta in iure canonico, vel ab illo euidenter collecta: tunc enim dispensaret in lege Papæ. Si verò id faciat in aliis statutis debet id facere cum consilio discretorum alicuius Prouinciæ, & per scriptum, aliàs factum non tenet. Sic Statuta Tolletana, *tit. de Dispensatione.* Quod verò Capitulum Generale possit arctare in hoc generalem, tenet Miranda *tom.* 2. *q.* 10. *art.* 3. citans Cordubam dicentẽ, quod Regula Pat. nost. Francisci maiorem iurisdictionẽ dat Capitulo generali, quàm Ministro Generali: nam iuxta Regulã, Capitulum Generale potest priuare Officio Generalem, si non fuerit sufficiens ad vtilitatem Fratrum. Iuuat multũ quod dicit Suarez *tom. de Legibus, lib.* 6. *c.* 15. *n.* 7. nempe Archiepiscopum ligari legibus Concilij Prouincialis, neque in illis posse dispensare, nisi quatenus sibi permissum est: & dispensare in illis esse dispensare in lege Superioris. Quod seruit ad prædictum intentum, pro quo vide pulchram rationem apud Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disput.* 17. *à n.* 33. *& sequentibus*, per quam efficaciter id probatur de Generali cum Capitulo.

5 Potest Generalis in Capitulo Generali cum maiori parte Capituli declarare vtrum conueniat vti aliqua concessione Papali, aut oraculo viuæ vocis concesso: & tali declarationi stare debet tota Religio. Compend. Minorum, verbo *Generalis*, §. 14.

6 potest

6 Potest Generalis interpretari omnia dubia occurrentia in Ordine, Regula, statutis, moribus, & omnibus aliis vt pote in priuilegiis. citat Ioann. à Cruce, *in epitom. lib. 1. cap. 2. dubio 2. concl. 2.* concessum à Clement. VII. Tertiariis.

7 Generalis Ordinis eo ipso quòd electus est, & electioni consentit, manet confirmatus cum plena administratione. Concessum Ordini Sanct. Augustin. Eremetic. Et Paulus III. concessit Generali Societatis. Compend. verbo *Generalis*, §. 1.

ADDITIO.

1 RODriguez *tom. 2. Sum. cap. 29. concl. 5.* tenet non posse Generalem mutare vnum Prouincialem de vna Prouincia, vt sit prouincialis in alia prouincia: neque transferre vnum Guardianum de vno Conuentu, vt sit Guardianus in alio. Hoc non probat textu proprio, sed à simili per textum *cap. 1. & 2. de translatione Episcoporum*, vbi dicitur solùm Papam posse transferre vnum Episcopum de vna Diœcesi ad aliam: quod Doctores applicant ad Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem: & ipse Rodriguez applicat ad translationem prouincialium, & Guardianorum. Quod si verum est, intellige postquam Guardianus est confirmatus à Superiore. Nam in diffinitorio antequam Guardiani confirmentur, & publicentur, electus pro vno Conuentu transfertur ibi pro alio à præside cum Diffinitorio, antequam confirmentur, & publicentur. At post publicationem, & confirmationem non erit licita illa permutatio inter duos Guardianos, iuxta dictum Rodriguez, quamuis vterque guardianus consentiat. Quod intelligo si fiat extra Capitulum, vel congregationem intermediam. Nam in

dicto Capitulo, vel congregatione possunt, & solent permutari.

GVARDIANVS.

Vide infra verbo *Prælatus.num.2.*& supra verb.*Abbas per totum.*

1 GVardianus est verus Prælatus: vnde quando in Regula, & declarationibus Pontificum supra illam,vel in statutis Generalibus,vel in priuilegiis nominantur indistinctè Prælati, etiam intelligitur Guardianus:Corduba sequitur Compend. verb. *Guardianus ad* §.1.

2 Omnia concessa Prioribus Sancti Dominici Conuentualibus, intelliguntur etiam concessa Guardianis Minorum. Iulius II. concessit in Compend. Minorum,verb. *Guardianus*. §.4. & Collector *ibidem*, ait quòd iurisdictio Prioris erga suos Conuentuales æquiparatur iurisdictioni Prouincialium, quod intellige in foro interiori.

3 Guardiano mortuo expirat præses ille, qui à solo Guardiano factus fuerat: habebat enim iurisdictionem delegatam à solo guardiano. Si verò Vicarius illius fuerat factus à Prouinciali, ac Diffinitoribus in Capitulo,non expirauit eius iurisdictio mortuo Guardiano, quia habet iurisdictionem à Capitulo. Et sic olim fiebat in Ordine Franciscano,& fit in multis Prouinciis. Et Vicarij sic creati possent in absentia Guardiani facere omnia illa, quæ Guardiani possunt,saltem in foro conscientiæ,si illis per consuetudinem,vel statutum particulare non fuerint restricta. Scio tamen in aliqua Prouincia Minorum, hodie non fieri Vicarium à Capitulo,neque Diffinitoribus: sed designari à guardiano

diano tantùm, ab ipſoque poſtulari à Prouinciali,& ab ipſo Prouinciali confirmari.Et hunc credo non expirare morte Guardiani, non enim habet iuriſdictionem à Guardiano, ſed à Prouinciali; poſtulatio enim Guardiani non dat iuriſdictionem, ſed Prouincialis approbatio, & confirmatio. Et proinde hic poteſt in abſentia Guardiani, & per mortem illius omnia quæ poſſunt legitimi Vicarij, maximè ſi accedat conſuetudo antiqua,vel ſufficiens. Et conſonat quod ait Rodriguez *tomo 3. quæſtione 76. articul. 3. in fine*: vbi ait quod ſi Vicarius poſitus eſt à ſolo Guardiano, poterit illum amouere Guardianus: ſi verò poſitus eſt à Superiori, non poterit illum amouere; & ſic Vicarius manet tanquam poſitus à Superiori, nec proinde expirabit morte Guardiani, quia eſt delegatus Prouincialis.

ADDITIO.

1 VIde proximè dictum ver. *An Guardianus poſſit transferri de vno Conuentu ad alium.* & in hoc verb. *num. 5.*

2 Guardianus in partibus citramontanis (id eſt, Alpibus verſus Hiſpaniam) non poteſt vltra triennium manere in officio; & Prælatus permittens & Guardianus vltra durans, & ſubditi obedientes excommunicantur, ipſo facto, & priuantur officiis. Habetur in Bulla propria Pauli IV. pro officiis Ordinis Minorum in Bullario Rodriguez *fol. 853. & ſeqq. poſt medium Bullæ.* Et ex tenore verborum, ibi; *In eodem loco non remanebunt*: videtur colligi, quòd neque finito triennio, poterunt Guardiani ibi eſſe Præſidentes cum potèſtate Guardiani, vt ſint ſupremi Prælati talis Conuentus. Hoc, inquam, ſonant citata

verba, & multo magis colligitur ex proœmio ipſius Bullæ: (nam proœmium legis, vel Bullæ eſt mens illius, & ad illud ſunt aptanda ſequentia verba legis, vt *num. 3: ſequenti* dicetur.) At dicta Bulla in proœmio dicit ſe velle obuiare ambitioſæ cupiditati, ortæ ex continuatione officiorum in Religione diabolo inſtigante. Quo poſito contradicitur clarè tali intento, & expreſsè menti papæ, ſi quis, finito triennio, in Guardianatu, per aliud triennium fiat præſes in eodem Conuentu cum regimine independente Conuentus. Adde quòd ſic pateret cauſa fraudis, & doli, & penè daretur lex fruſtratoria: quod non eſt admittendum. Neque ego contra hoc video quid poſſit opponi, neque per aliquam Bullam eſſe reuocatum, vel conceſſum, quoad reelectionem, inquam, eiuſdem in præſidentem abſolutum eiuſdem Conuentus: clarè enim repugnat cum dicta Bulla. Et hoc ipſum in terminis expreſsè decernunt ſtatuta generalia Romæ, anno 1612. *tit. de Prælatis.* Et Segouienſia, *tit. de Guardianis*, §. *Guardiani omnes.*

3 Neque proximè dicto obſtat quod poſt illam Bullam ex Sixt. V. Clem. VIII. & aliis conceſſum eſt, vt triennium Guardiani intelligatur de Capitulo in Capitulum, licèt Capitulum aliquando dilatetur per aliquos menſes vltra triennium,) vt poſſe fieri docet praxis, & Rodr. 1. *tom. qq. Reg. q.* 16. *art.* 2.) hoc, inquam, non obſtat, quia durare Guardianum duos, vel tres menſes poſt triennium iuxta praxim & prædictas declarationes, non permittit vt tranſacto triennio, vel celebrato Capitulo maneat idem qui fuit Guardianus, per alios tres annos ſub titulo Præſidentis abſoluti contra claram, & expreſſam mentem prædictæ Bullæ. Quod verò verba legis non ſint interpretanda contra mentem claram ipſius legis, tenet Nauarr. *libr.* 5. *Conſil. tit.*

vt lite pendente, consil. 1. *num.* 4. Et quod ex proœmio legis colligatur mens legislatoris, & intellectus totius decreti tenet expresse, & efficaciter in simili materia, Sanchez *lib.* 2. *de Matrimon. disp.* 37. *num.* 3. citans Tiraq. Alex. de Neuo, Hypol. Paz, Molin. Bursat. Gutierr. Iam verò supra dixi quod sit proœmium prædictæ Bullæ.

4 Neque contra prædicta obstat statutum generale Victoriæ, anno 1596. quo dicitur, vt si Guardianus continuare debeat suum officium, sit in eodem Conuentu, non verò in alio Conuentu maiori, vel minori. Non obstat, quia illa verba: *Si debeat vlterius continuare officium.* non illi concedunt vt possit continuare officium nomine Præsidentis, neque id concedere possunt contra Bullam prædictam: sed volunt tantùm vt si intra triennatum debeat continuare in Capitulo, vel congregatione, id fiat in eodem Conuentu: quòd si tale statutum Ordinis per contrarium vsum non obseruatur de mutatione Guardiani durante triennio ad alium Conuentum, talis vsus contrarius illi statuto non potest derogare prædictæ Bullæ Pontificiæ, maximè cùm statuta generalia Metinensia, anno 1560. iubent vt prædicta Bulla Pauli IV. seruetur sub his verbis: Vt Guardiani, finito triennio, non possint continuari in eodem Conuentu, de mandato D. Pauli IV. in alio verò Conuentu non poterit quis esse præsidens finito triennio Guardiani iuxta citatum statutum Romanum: Guardianus verò in alio Conuentu, finito triennio, esse non poterit sub titulo Guardiani, iuxta prædicta statuta generalia Victoriæ. Ex his omnibus volo solùm colligere, quòd licèt Prælati supremi Ordinis possint dispensare in prædicto statuto generali Romano de non continuando triennio Guardiani in eodem Conuentu, etiam sub titulo præsidentis, vel in alio: at

non

non possunt dispensare in prædicta Bulla Pauli IV. nisi ad id specialem habeant facultatem, vt quis in eodem Conuentu post Guardiani officium per triennium postea sit Præsidens absolutè. Dixi *Præsidens absolutè*, quia Vicarius domus vel Præsidens sub Guardiano in eodem Conuentu esse non prohibetur per illam Bullam in eodem Conuentu.

5 Propter id quod dixi supra, verb. *Generalis*. vnum Guardianum post confirmationem non posse transferri de vno loco ad alium : noto quòd Rodrig. *tom. 2. qq. Regul. q. 53. art. 6.* probat Guardianum eo ipso quòd electus est, liberè posse suum officium exercere ante confirmationem sibi datam. Probat id solùm ex priuilegio concesso patribus D. Hieronymi per Benedictum XIII. quo illis concedit, vt vbi primùm fuerint electi in Priores, possint liberè administrare officium Prioris in suo Conuentu, pro quo sunt electi, idque ante confirmationem dicti officij. Et in fine prædictæ concessionis papalis, ait papa : *dummodo infra tempus legitimum, confirmatio electionis huiusmodi fiat.* Quæ verba videntur sibi contraria, & ad intentum Rodriguez non facere. At sic declaranda sunt. Nam electio Priorum Conuentualium sancti Hieronymi, (idem est in aliis Ordinibus aliquibus) electio prioris fit à Conuentu, absente vt plurimum prælato confirmatore, & post electionem factam procuratur electionis confirmatio à prælato absente : tunc ne Conuentus detrimentum patiatur ob vacationem prælati, conceditur sic electo vt exerceat officium Prioris quandiu prælatus confirmaturus admonetur de electione : ei tamen incumbit statuto tempore procurare confirmationem. At Guardiani in Ordine Minorum numquam eliguntur absente confirmatore, sed iuxta illorum statuta quomodocumque

que eligatur Guardianus, semper adest cõfirmator electionis. Ac proinde si quãdo in diffinitorio est iam electus aliquis Guardianus, id fortè sciat illis duobus diebus antequam electio publicetur, & confirmetur, non poterit hic allegare se esse electum; neque posse reuocari suam electionem illo biduo: etenim nondum confirmatus est, & electionis confirmatio est necessaria de iure Canonico. Quapropter sic electus in illo biduo, poterit reuocari, & non poterit se ingerere officio ante confirmationem: sicut Prior sancti Hieronymi, quia est diuersa ratio in electionis confirmatione petenda ab absente. Et illa concessio solùm probat, quòd si ob aliquam causam Prælatus superior in Minoritis iuberet fieri Guardianum alicuius Conuentus modo quo fit apud patres D. Hieronymi, non præsente confirmatore Guardiani electi: si tunc talis Guardiani electio publicaretur, posset taliter electus exercere prædictum officium Guardiani antequam Generalis, vel prælatus absens confirmationem mittat. Vnde colliges dictum Rodrig. *ibidem*, quòd Guardianus ipso facto quod est electus, est confirmatus, eget supra posita explicatione.

6 Vide omnia supra dicta, verbo *Abbas, Prior, &c.* quia omnia ibi dicta pertinent etiam ad Guardianum.

HABITVS.

Vide verbo *Sepelire.*

1 IN Compend. Minorum verb. *Habitus*, §. 3. 4. & 5. habentur priuilegia ne mulieres, vel homines sæculares portent habitum Sanctæ Claræ, vel Fratrũ Minorũ: & quòd Episcopi super hoc requisiti à Minoritis cogant

cogant ſub cenſuris vt habitum ſic portantes illum deponant.

2 *Ibidem* §.8. prohibetur Parochis ſub excommunicatione ferenda, ne prohibeant parochianos ſepeliri volentes in habitu Minorum.

3 Sæculares vtentes habitu Religionum ignominiosè in ludis, vel in laſciuis, peccant mortaliter, & per *l. Authentica, de Sanctiſſim. Epiſcop. §. vltimo*, plectuntur exilio, & inſuper incurrunt alias pœnas ciuiles, & poſſunt puniri etiam per Iudices ſæculares. Sylueſtr. *verbo Habitus*, §.5. In legibus verò Ordination. Portugalliæ, *lib.5.tit.93.* etiam habitum portantibus Ordinum Militarium in ludis, & iocis prima vice imponitur pœna carceris, & pecuniaria. Et pro ſecunda, imponitur pœna exilij, & alia ad arbitrium: ſi verò Religioſus, ac pius Rex taliter punit illudentes habitum Militarium: quid diceret pro illudentibus habitum Mendicantium?

4 Excommunicationem incurrunt Religioſi temerariè dimittentes habitum Religionis. *cap. vt periculoſa, ne Clerici, vel Monachi, in 6. & alibi.* Dicetur verò temerariè dimittere habitum, qui dimittit animo vagandi; vel ob cauſam turpem, vt ſcilicet noctu exeat ad particularem fœminam: vel publicè cum ſcandalo ad arbitrium boni viri, qui iudicet id temerè fieri. Secus ſi fiat cum neceſſitate: vt dormiendi cauſa, vel ne occidatur in terris hæreticorum cognitus vt Religioſus, maximè ſi ſic prætendit ibi fidelibus latentibus ſacramenta miniſtrare, & confortare, & ſic de cæteris. Capucinus *verbo Habitus in Compend.* Rodriguez *tom. 2. q.76. art.6.* & alij. Extra hoc nullus poteſt portare habitum ſuæ Religionis occultè. Concil. Trid. *ſeſſ.25. cap.19. de Regular.*

5 Tertiarij Ordinis P. noſt. Franciſci in Portugallia viuen

viuectes in Congregatione tenentur portare habitum distinctum in forma,& colore ab habitu Fratrum Minorum. Forma verò præscripta est à Cardinale protectore nostro,Mattheo, & confirmata per D. Clementem VIII. Rodriguez *in suo Bullario fol.* 1223. *in Clemente VIII. Bulla* 14. & Compend. *verb. Tertiarij.* §. 18.

6 Nulla Religio potest portare habitum similem habitui alterius Religionis,per Bullas citatas à Rodrig. *tom.*2. *quæst.*76.*art.* 1. Sic enim congruit & honori Ordinum,& satisfactioni sæcularium.

ADDITIO.

1 REligiosus dum transit per oppida hæreticorum deponens habitum Regularem , vt euadat incolumis,neque cognoscatur,non peccat,neque censuram aliquam incurrit : quia præceptum humanum de habitu Ordinis portando non obligat cum tanto periculo.Sanchez 2. *Decalog.c.*4.*num* 11.Caiet. Aragon,& Philarch. *ibi* citati. Idem dic de Clerico sæculari deponente vestem Clericalem eadem de causa.Idem tenet Azor. *tom.*1 *lib.*12.*cap.*12.*q.*8.ambo tamen ponunt exemplum de Religioso transeunte per loca infidelium.

2 Quæris,an etiam possit dari causa alia dimittendi habitum,etiam si non transeat Religiosus per loca infidelium?Glossa *citati capitis,vt periculosa,verb.Tenere*, ait non obligare prædictam ibi censuram , si sit causa iusta dimittendi habitum. Et ponit solùm timorem in exemplum , non dicens quid timendum sit. Azor. *cit. q.*8. explicat illam glossam , & per timorem intelligit timorem mortis, periculi, mali grauioris,captiuitatis, seruitutis,carceris , ignominiæ, dedecoris : tunc ponit exem

exemplum in Religioſo per terras infidelium tranſeunte, cumque exemplorum veritas ſeu exempla non arctent: & gloſſa prædicta ſolam cauſam iuſtam, ac timorem requirat, videtur colligi, quod etiam ſi Religioſus non vadat per terras infidelium, ſi tamen timeat aliquod ex prædictis periculis ab Azorio aſſignatis, non incurrit cenſuram.

3 In particulari poteſt eſſe caſus. Religioſus iniuſtè grauatus notabiliter à Prælato, & maius adhuc timens grauamen, nec habens aliud remediúm, fugit ad Prælatum ſuperiorem longè diſtantem, ita vt, in iſta fuga nullo modo peccet, nec venialiter, vt ſuppono (quod fieri poſſe multi dicunt) in hac tamen fuga, & longo itinere certò moraliter ſcit ſe fore detegendum, & comprehendendum ab inferiore iniuſtè grauante ſi portet habitum Ordinis propter cuſtodes in viis adhibitos: In quo caſu puto poſſe prædictum cum ſupradictis circunſtantiis habitum dimittere, donec tutò accedat ad Prælatum, ad quem appellat: probatio facilis eſt: quia portare habitum Ordinis eſt præceptum humanum tantùm, vt ſupra diximus cum Sanchez, at præceptum humanum non obligat cum tanto periculo famæ, carceris, & iniuſti grauaminis ſperati certò moraliter: & præterea quia neceſſitas, quæ talem Religioſum facit iuſte, id eſt, ſine peccato exire à Cõuentu abſque licentia Prælati localis, eadem ſufficit vt poſſit deponere habitum Ordinis vrgente eodem periculo, & neceſſitate. Facit ad hoc omnino quod tradit Sanchez *lib. 7. de Matrimon. diſput. 37. num. 3.* vbi ait reclamantem ob nullitatem profeſſionis, etiam ſi dimiſerit habitum antequam exaudiatur, contra Concil. Trident. decernens vt ſi habitum dimiſerit non audiatur: ait nihilominus Sanchez prædictum reclamantem, poſſe ac debere audiri, ſi habuit iuſtam cauſam

dimit

dimittendi habitum: vt ſi non potuit obtinere licentiam eundi ad reclamandum: nec potuit ire niſi habitu depoſito: vel non permittitur cauſas allegare coram Ordinario, & ob id habitu depoſito fugit, vt reclamet. Quæ omnia poſſunt applicari iſti Religioſo cum prædictis circunſtantiis fugiente ad Superiorem, & deponente habitum neceſſariò, vt coram Superiore cauſam ſuæ appellationis, & grauaminis proponat. Vide *ibi* Sanchez alia pro hoc intento dicentem.

4 Oſculantes habitum Patrum Dominicanorum, & proinde Minorum, lucrantur quinque annos, & totidem Quadragenas de iniunctis pœnitentiis. In qua indulgentia continentur duo mille & ſeptuaginta quinque dies indulgentiæ, vt reſumit Collector priuilegiorum Mendicantium, verb. *Indulgentia quoad ſæculares, n.* 6. §. 9.

5 Olim dixi ver. *Sepultura, n.* 9. apud Minoritas non poſſe dare habitum ſæculari vt cum illo ſepeliatur, niſi ſit prælatus. Vide infra ver. *Sepultura.*

ADDITIO AD ADDITIONEM.

1 VT defunctus ſepeliendus cum habitu Fratrum Minorum lucretur indulgentiam plenariam conceſſam à Summo Pontifice Leo. X. & aliis, non eſt de eſſentia quod defunctus det aliquam eleemoſynam Fratribus pro habitu, quia Bullæ Pontificiæ illam indulgentiam concedentes nihil loquuntur de obligatione dandi eleemoſynam pro illo. Ita notauit Rodriguez *tom.* 2. *quæſtionibus Reg. q.* 76. *art.* 10. *ad finem.* Aduertit tamen *eadem q. art.* 9. ex conceſſione Sixti IV. in Bulla aurea quod prædictus habitus vt valeat, *debet dari per Prælatum ſuperiorem Ordinis, aut per alium cui ille duxerit cõmittendum: & non per alium quauis authoritate*

fulgentem exhiberi debere. Vnde colliges nullum particularem Fratrem, qui non sit Prælatus, vel qui non habuerit licentiam, vel commissionem Prælati, posse dare prædictum habitum.

HÆREDITAS.

Vide infra verb. *Legatum.*

1 SI legatum certum, vel legata, relinquantur duobus Monasteriis, & legatum non sufficiat ambobus, præferendus est Conuentus indigentior, & pauperior. Et vt plurimum Monasterium Monialium præfertur Monasterio virorum, quia illæ vt plurimum magis indigent. Secus si Monasterium virorum magis indigeat. Rodrig. *tom.* 2. *q.* 77. *art.* 7.

2 Hæreditas Nouitij morientis ab intestato non pertinet ad Monasterium, sed ad successores. *Ibidem, articul.* 8.

3 Fratres Minores non possunt constitui hæredes. *Clementina exiui de paradiso. de verb. signif.* & testamentum illos constituens hæredes quo ad hoc est nullum, sunt enim per regulam suam incapaces. Notat tamen Collector *in Compend.* & Rodriguez sequens illum *tom. citato, quæst.* 78. *art.* 1. quod in tali casu poterit Iudex ex officio nemine petente, obligare testamentarium vt det Minoritis per viam eleemosynæ id quod fuit relictum. Et quod hoc etiam potest procurare coram iudice quilibet de populo: dummodo Fratres id non procurent, & sic fuisse factum in facti contingentia in Regno Aragoniæ testatur *ibi* Collector.

4 Potest Minoritis relinqui in testamento aliquid per modum eleemosynæ, vt scilicet aliqua res immobilis, vt vinea, vendatur, & insumatur in necessitatibus

Fra

Fratrum.Capucinus *ver. Hæreditas,§. si autem,*& habetur in declarationibus Pontificiis ſuper Regulam Minorum.

5 Eccleſia Fratrum Minorum poteſt conſtitui hæres poſſeſſionum.Bartol.*in tractat. Minoritarum,* & defendit Rodrig. *quæſt.*78. *art.*5. Ex eo enim quod Eccleſia Minorum ſit hæres, non ſunt hæredes ipſi Minores in ſuis perſonis. Concordat fortè cum dicto, Nauarr.*lib.* 3.*Conſilior.titulo de teſtamentis conſil.*13.dicens validum eſſe legatum annuum relictum Eccleſiæ, vel ſacriſtiæ Minorum, pro fabrica olei, vini, ceræ, & ſimilium, poſſeque Minoritas illud acceptare ob rationes ibi traditas.

6 Monaſterium capax hæreditatis, poteſt ſuccedere in maioricatu, propter Monachum, vel Monialem, quæ ſuccedebat.Rodrig.*cit.q.*78.*art.*12. cum conditionibus ibi requiſitis.

7 Moniales Sanctæ Claræ, primæ Regulæ Capucinæ, dictæ Damianæ, ſeu collectaneæ, ſi velint iuxta Trid.*ſeſſ.*25. *de Reg.cap.*3. poſſunt habere bona immobilia in communi,vt latè,& efficaciter probat Rodrig. *tom.*3. *q.*29. *art.*14. Quo dato videtur quod illæ etiam hodie ſint capaces hæreditatis,qui enim poteſt habere bona immobilia,poteſt eſſe hæres boni immobilis, vt patet: ex hoc enim fundamento probat Rodriguez *quæſt.*78.*citat.tom.*2. ferè in omnibus articulis ideo aliquos Religioſos poſſe capere hæreditatem,quia habere poſſunt bona immobilia, maximè *art.*8. *& ibi art.* 12.ideo dicit Minoritas non poſſe ſuccedere in maioricatu, quia non poſſunt habere bona immobilia:ergo ſi illa poſſent habere, poſſent ſuccedere.Vnde arguitur contra ipſum Rodriguez, non fuiſſe conſequenter locutum, cùm dixit *citata quæſt. art.*11. has Capucinas non poſſe capere hæreditatem ſicut alias Moniales.Si

enim illæ iuxta ipſum Rodrig *cit.loc. tom.* 3. poſſunt ex Trid.habere bona immobilia:ergo poſſunt capere hæreditatem.

8 Monachi capaces hæreditatis ſuccedunt ſuis parentibus, & conſanguineis ab inteſtato morientibus, imò,& parentes non poſſunt illos repellere.Capucinus *cit.loco.§.circa autem*,cum multis citatis,ſecus in Ordine incapaci hæreditatis.

HÆRESIS.

Vide ſupra verbo *Epiſcopus*,*n.*12.an poſſit abſoluere ab hæreſi occulta.

COmpendium Societatis Ieſu ver.*Abſolutio.§.*3.*&* 7.*&* 8.ait Gregor.XIII.illis conceſſiſſe vt poſſint abſolui ab hæreſi occulta, & à relapſu illius per Prælatos modo proximè dicendo.

Et §.8.dicit idem Compend.quòd iuxta priuilegium conceſſum Minoritis Generalis,& Prouincialis Societatis abſoluere poſſunt,ab hæreſi ſuos ſubditos,vel ab apoſtaſia, & eorum pœnas à iure conſtitutas commutare augendo vel minuendo, dummodo crimina non ſint publica,& apud ſæculares notoria.

Et *in fine dicti* §.8. notat Collector illius Compendij: quòd quando res non eſt dubia,reſeruatur abſolutio Præpoſito generali: ſed ne pœnitens cogatur tandiu ſine abſolutione manere communicatur Præpoſitis Prouincialibus ita vt pœnitens teneatur,vel ſe Generali præſentare,vel ipſum monere quãtocius.Ita *ibi*.

Ego in hac materia de meo nihil dico: & nihil pono:ſolùm refero quod ipſi dicunt ſe poſſe per Gregor. XIII. illi viderint; & alij videant. Nihil conſulo, vide ſupra verbo *Abbas*,*num.*11.

ADDI

ADDITIO.

Vide infra verb. *Libri, n. vlt.*

SOlent Religioſi, maximè ſcrupuloſi moleſtari tentationibus blaſphemiæ, & hæreſis, præcipuè tempore orationis cuiuſque: & quando illis id non accidat, ſaltem de his interrogantur à ſæcularibus idiotis. Qua de cauſa non eſt præter intentum ad horum inſtructionem, & conſolationem ſequentia tradere.

1 Non eſt blaſphemus neque hæreticus qui inuitus patitur cogitationes hæreticas, & blaſphemias contra Deum & Sanctos, atque turpiſſimas aliquas, quamuis ſibi videatur conſentire. Eſt communis Doctorum maximè Torres *de Trinit. quæſtion.* 32. *aricul.* 4. 2. *par. Commentarij in fine*, & aliorum. Probatur, quia actus peccaminoſus debet eſſe voluntarius, & præcipuè hæreſis debet eſſe aſſenſus pertinax: at prædictæ tentationes ſunt inuoluntariæ: ergo, &c. Quòd autem ſint inuoluntariæ, eſt ſignum clariſſimum, quia patiens has tentationes timet ſe hæreticum, & illis tranſactis dolet, & iudicat ſe hæreticum: ergo ſignum eſt quod non conſenſit, nec fuit hæreticus. Nam hęreticus non iudicat ſe hęreticum, ſed putat ſe verum dicere: item non timet de hęreſi, ſed ob pertinaciam putat non habere quod timeat: nec denique dolet de facto: quę omnia cùm ſecùs accidant in patientibus has tentationes mòdo ſupra dicto, ſequitur quòd ſint inuoluntarię. Prętereа eſt aliud ſignum clarum, nam quando patiuntur has tentationes ſentiunt ſe vexari, & pœna affligi: quę pœna, & vexatio

naſcitur ex diſſenſu voluntatis,& ex amore erga fidem & Sanctos.

2 Probat & Torres *citato loco* quòd rariſſimè hæ tentationes accidunt viris malis,quia eos vinctos,& quaſi ſuos dæmon poſſidet.Sed ſolùm eueniunt viris bonis, vt ſic illos diabolus ab oratione,& via Domini deterreat. Quare melior,& conuenientior modus illas vincendi eſt illas contemnere, & ita ſe habere ad illas,ac ſi prorſus non eſſent.Ita D. Bonauen. *opuſc. de profectu Religioſorum,cap.3.* ſic dicens:*Tentationes contra fidem, ac de ſpiritu blaſphemiæ, & ſimiles, nec fugere poſſumus, nec repugnando vincere:quia quanto plus indignamur nobiſmetipſis, & diſputamus cum eis, magis refricatur earum rabies, & accenditur.* Sic ille egregius, & ſanctus Doctor, idem docet Gerſon *tract. de Fœda tentat. blaſphemia,*& alij. Optimum exemplum affert Surius *tom. 2. in vita beatæ Catharinæ Senenſ. fol.*1038. *in fine*, cui poſt multas carnis tentationes apparens Chriſtus, ac dicens ſe fuiſſe in corde illius.Et illa dubitans quomodo ſic fuerit in corde ſic tentato: quæſiuit ab illa, an tunc illa doleret de illis tentationibus: & illa dicente quod nimis dolebat,quietauit illam.

2 Conſtat ex definitione hæreſis, & communiter ex Doctoribus, hæreſim eſſe aſſenſum alicuius erroris cum pertinacia. Conſiſtit verò hæc pertinacia vt quis ſciens & prudens teneat aliquid contra Eccleſiam Catholicam:& conſtat ex *cap.vnico de Summa Trinitate,& fide Catholica,*vbi damnantur vt hæretici præſumentes tenere aliquid contra Eccleſiam Catholicam: at non dicitur ſic præſumens niſi nouerit Eccleſiam oppoſitum tenere. Erit tamen pertinax, & hæreticus, qui ſciens Eccleſiam hoc tenere, nihilominus oppoſitum ſentit,quamuis ſit paratus Eccleſiæ conſentire,ſi argumentis conuincatur. Hæc enim præparatio animi non tollit

Digitized by Google

tollit quin iam ſentiat ſciens, prudens contra Eccleſiam, ſi quidem non vult Eccleſiæ aſſentiri, niſi conuictus argumentis. Sic Vaſquez 1.2.*q.*76.*art.*3.*diſp.*126.*cap.*3.*n.*9.& alij. Denique hæc pertinacia non requirit moram temporis, ſed poterit haberi in inſtanti, ſicut poſſunt cætera peccata.

3 Si quis errorem contra fidem ſolùm habeat exterius verbis, vel ſignis, taliter verò in intellectu non credens, non erit hæreticus in rigore, neque excommunicationem incurret, quia oportet vt intellectu diſſentiat: peccabit tamen mortaliter, & in foro externo hæreticus iudicabitur. Eſt communis Doctorum, maximè Nauarr. *in Summa*, *cap.*11.*n.*27. & aliorum. Si quis tamen exterius tantùm fidem negaret eo fine vt faueret hæreticis circunſtantibus, tunc incurreret excommunicationem, non quia hæreticus ſit, ſed quoniam eſt fautor hęreticorum, iuxta Bullã Cœnæ tales hęreticorũ fautores excommunicantem, iuxta Nau. *proximè cit. loc.*

4 Magna quæſtio eſt inter Doctores, an dubius in fide ſit hæreticus? ver. gratia, dubitans an Chriſtus Dominus verè ſecundùm totam humanitatem ſit in Euchariſtia, qualiter dubitantem ego iam inueni in Sacramento Confeſſionis cuius curatio non modicum me torſit, Sanchez 2. *Decalog. cap.*7.*n.*11. citat ſexdecim Doctores graues aſſerentes talem dubitantem eſſe hæreticum, & ait alios Doctores præter illos idem tenere. At ipſe ſtatim *n.*12. cum paucis aliis, Cano videlicet, Sà, & aliis tenet non eſſe hæreticum. Rationes efficaces aſſignat, quibus potius ſtandum eſt quàm turbæ Doctorum. Prima eſt, quia de ratione hæreſis eſt electio erroris contra fidem: at dubitans nondum aliquid eligit, ſed manet in dubio, & in ancipiti: ergo non eſt hæreticus. Secunda, quia hæreſis eſt error fidei contrarius, ſeu aſſenſus contra fidem: at dubitans nullum

fert àssensum pro, nec contra, hoc est enim dubitare, id est, neque assentire, neque dissentire: ergo si nullum habet assensum, nullum errorem habet contra fidem, nec proinde hæreticus est. Tertia, quia fides, & hæresis sunt duo extrema: illa importat assensum circa res fidei; hæc verò importat dissensum circa illas: at dubitans nondum dissentit, quia dubitans pendulus est: ergo non est hæreticus. Et hac de causa Sanchez hanc opinionem probabiliorem iudicat, & mihi idem videtur: & huic nitens curaui supradictum dubitantem mihi occurrentem etiam de consilio cuiusdam insignis Theologi quem tunc consului: & propter similes occasiones hîc volui tantisper immorari. Fortius argumentum partis oppositæ sumitur ex *cap. 1. de hæretic.* vbi dicitur quod dubius in fide, est infidelis. Respondet Sanchez *cit. loco* cum Cano, dubium in fide esse infidelem, non contrariè, quasi habeat actum fidei contrarium, cùm reuera non habeat: sed dici infidelem priuatiuè, quia scilicet priuatur certitudine assensus necessaria ad habitum fidei retinendum. Secundò explicatur textus ille, & clarius, vt ibi dubius in fide dicatur infidelis in foro externo, quia communiter cum tali dubio præsumitur assensus erroneus: Non verò reputabitur infidelis in foro interno, si verè dubius, & pendulus est iuxta prædicta.

5 Limitat tamen seu exponit *ibi* Sanchez hanc opinionem, vt sit vera, dummodo intellectus talis dubitantis perpensis rationibus vtriusque partis verè dubius, & pendulus sit, nullumque iudicium formet. Nam si intellectus reflectat supra suum actum dubitandi, iudicãs illam rem fidei esse dubiam, aut esse sub opinione, tunc erit perfectè hęreticus: quia tunc iam vltra dubium datur cõsensus, & iudicium intellectus affirmãtis rem fidei non esse certã: quod iudiciũ erroneum est, &

proin

proinde hæresis aperta. Vnde moraliter loquendo cum dubio intellectu circa res fidei solet esse cõiunctus hic actualis error, quo iudicat illas non esse res certas: quod si taliter nõ iudicet, sed merè dubius sit absq; prædicta reflexione, nõ erit hæreticus iuxta ea, quæ diximus *n.* 4.

6 Ignorantia crassa circa res fidei etiam excusat: & facit vt quis non sit pertinax, nec proinde hæreticus. Probatur, quia de ratione hæresis est vt opponatur Ecclesiæ: at ignorans, etiam crassè, non opponitur illi, imò paratus est ab ea corrigi. An verò ignorantia affectata circa res fidei etiam excuset ab hæresi alij affirmant, alij negant. Sanchez *cit. cap. num.* 23. conciliat dicens ex animo ignorantis affectatè id colligendum esse. Si enim affectat ignorantiam ex prauo animo contra Ecclesiam, quia scilicet putat parui momenti esse, quæ illa proponit, iste hæreticus est: quia pertinax satis est, qui Ecclesiæ authoritatem contemnit. Si verò illa ignorantia affectata sit tantùm ex negligentia, ac tædio discendi, ille non erit hæreticus si aliquid dixerit contra fidem ortum ex tali ignorantia affectata.

7 Si quis ex ignorantia aliqua ex supradictis aliquid dicat contra fidem, imò argumentis defendat credens se non contradicere Ecclesiæ, imò paratus ab illa corrigi, non erit hæreticus in foro conscientiæ, imò paratus ab illa corrigi, non erit hæreticus in foro conscientiæ, etiam si suus Episcopus, vel Inquisitor dicant esse de fide. Tenet Sanchez *citat. cap. num.* 25. cum Cano, Torres, Valentia, Vasquez, & Sayro quos citat: probat, quia talis non est pertinax contra Ecclesiam, id est, Summ. Pontificem caput Ecclesiæ, cùm nesciat Ecclesiam sic determinasse, & paratus sit ab illa corrigi. Neque obstat Episcopum, vel Inquisitorem opposítum dicere: quia Episcopus, & Inquisitor

non sunt caput Ecclesiæ, & possunt aliquando errare: ac proinde iste non credens se repugnare Papæ, seu certæ regulæ Ecclesiæ, non erit hæreticus. Ait tamen Sanchez quod iste aliàs peccabit mortaliter ex temeritate non acquiescendi talibus viris. Et ego addo quod in foro externo reputabitur, & damnabitur tamquam hæreticus.

8 Erit etiam pertinax, & hæreticus, qui in rebus nondum definitis ab Ecclesia aliquam partem alicuius opinionis tali animo amplectitur, & ita tenaciter illi adhæret, & ita affectus est ad illam tuendam, vt Ecclesiæ contrarium definienti non acquiescat: probatur, quia etsi pars, quam modò defendit, nondum hæresis sit: ac quia paratus est non obedire Ecclesiæ oppositum dicenti, ex tali animo hæreticus est. Ita Sanchez *n.* 29. cum aliis ibi citatis: ego exemplum assigno pro Minoritis & Patribus Dominicanis, non vt damnem, sed vt moneam, vt caueant in defendenda Dei para ab originali, ne suæ opinioni prædicto modo adhæreant, sed semper prompti sint animo, vt futuræ Ecclesiæ definitioni libentissimè conformentur. Est etiam hæreticus, qui falsò putans aliquid definitum esse ab Ecclesia (cùm à parte rei non sit) nihilominus sentit contra illud quod putat ab Ecclesia definitum. Probatur eadem ratione, quia iste in animo pertinax est, & Ecclesiæ non acquiescit.

9 Negans hanc propositionem: *Christus est risibilis*, quæ deducitur ex vna propositione de fide, *Christus est homo*: & ex alia clara in lumine naturali: *Omnis homo est risibilis*. Negans, inquam, illam ex ambabus deductam, videlicet, *Christus est risibilis*, præsumitur formaliter hæreticus in foro externo. Corduba *in qq. lib.* 1. *q.* 17. §. 7. *dub.* 3. *not ab.* 3. Ratio est, quia licèt ista propositio, *Christus est risibilis*, non sit de fide immediatè: at illam

illam negans censetur illam negare, non quatenus deducitur ab illa nota lumine naturali, *Homo est risibilis* (hoc enim nemo negat) sed censetur illam negare prout deducitur ab illa de fide, *Christus est homo*. Et per hoc regulabis alias propositiones deductas ex naturali consequentia ex propositionibus formaliter de fide.

10 Nullus hæreticus, vel apostata incurrit pœnas impositas hæreticis, nisi suam hæresim foris ostendat verbo aliquo, facto, vel signo. Quamuis enim hæc peccata solo animo consummentur, tamen Ecclesia non punit externis pœnis delicta occulta. Est communis Doctorum, de qua nemo dubitat. Vnde fit vt hæreticus purè mentalis possit absolui à quocunque Confessore, stãdo solùm in Bulla Cœnæ, quæ solos externos hæreticos excõmunicat. Dixi, *stando in Bulla Cœnæ*. quia si aliquis Episcopus hæresim solùm mentalem in sua Diœcesi reseruaret (vt potest secundùm Doctores, & fit in aliquibus Diœcesibus) tunc non posset absoluere quiuis Confessor illius Episcopatus, sed habens ad id licentiam. Sed circa talem casum notat Sanchez *citat. lib.* 2. *Decalog. cap.* 8. *n.* 4. imprimis reseruationem talis hæresis mentalis non esse propriè pœnam Ecclesiæ: sed solùm esse negationem absolutionis, & ademptionem iurisdictionis. Secundò notat, quòd si in aliquo Episcopatu talis hæresis mentalis reseruetur, se credere, non reseruari hæresim purè internam, nisi claris, & expressis verbis in reseruatione declaretur talia peccata purè interna reseruari. Nam, vt ait, alienum est à prudenti Ecclesiæ regimine talia peccata reseruari, ac proinde talis reseruatio præsumenda non est, nisi claris verbis exprimatur. Dato autem quod hæreticus suam hæresim internam foris explicauit verbo, signo, scripto, aut facto, statim incurrit pœnas omnes hæreticorum quantumcumque illud signum externum,

verbum,

verbum, aut ſcriptum, occulta ſint, & à nemine ſciantur, nec poſſint probari, id enim per accidens eſt, iam enim hæreſis eſt externa. Ita Corduba *qq. libr. 1. q. 36. opinione 3. verſ. confirmatur ſecundò.* Nau. *in Sum. cap. 27. n. 56.* & omnes communiter.

11 Triplex tamen conditio requiritur vt verbum, vel factum, vel ſignum externum dicantur confirmare hæreſim internam, & facere illam externam. Prima eſt, vt verbum illud, ſiue ſcriptum, vel ſignum externum manifeſtet ſufficienter hæreſim internam, vt ſi aliquis adeſſet, poſſet illam percipere, vel ratione temporis, vel ratione circunſtantiarum. Si enim hoc ſigno, verbo, vel modo non manifeſtat hæreſim, adhuc dicetur purè interna. Ita Henriquez *libr. 6. de Pœnitent. cap. 14. num. 6.* Sà *Aphoriſ. ver. Excommunic. in Bulla Cœnæ num. 3.* & eſt ferè communis. Vnde ſi quis apud ſe tantùm legens librum hæreticum circa rem, de qua vacillabat in fide, aſſentiens intus alicui errori, exterius palma percutiat menſam, genu, vel quid ſimile, volens dicere per illud ſignum externum, ita eſt: talis manifeſtatio non facit ſuam hæreſim verè externam, & capacem pœnarum cẽſuræ, &c. Quia talis percuſſio de ſe non manifeſtat illam hæreſim: & ſic de ſimilibus exemplis: niſi fortè quis, ſi adeſſet, ex circunſtantiis perſonæ ſciret, ſe per illud ſignum tale quid velle exprimere. Secunda conditio eſt, vt actus ille externus, ſeu ſignum externum ſit de ſe opus malum, & mortale, non ſolùm ex relatione ad talem actũ internum, ſed ex ſe, & ex quantitate operis mali: nam cùm Eccleſia non excõmunicet, niſi actũ externum, oportet vt iſte ſit malus, & mortalis exteriùs. Ita Henr. & Sà. Tertia conditio eſt, vt actus ille externus ſit hęreſis confeſſio. Vnde ſequitur non eſſe hæreticum externum, qui manifeſtat hæreſim per actus externos indifferentes, vt ſi hæreſi internæ

ternæ assentiens percutiat femur sicut supra diximus, vel similem actum indifferentem efficiat, aut verbo pronuntiet: quod de se non est magis significatiuum veri, quàm falsi: quia tunc ille actus externus malus licèt sit malus ex malitia mali animi operantis, non est tamen malus ex malitia obiecti externi, quod obiectum externum solum damnat Ecclesia coniunctum cum actu interno. Ita Sanchez *cit. c.* 8. *n.* 8. Vbi ponit ex Petro Ledesma curiosum exemplum videlicet: aliquis intra se tantùm hęreticè credidit, Christum Dominum non esse verum hominem. Iste ad confirmandum suum errorem, exterius coram aliquo, hæc solùm verba pronunciauit: *Verè non est homo.* Hic taliter proferens non est hæreticus externus incurrens pœnas; quia illa proxima verba non plenè, neque planè explicant suam hæresim mentalem.

12 Colligitur ex supradictis non esse hæreticum externum, qui suam hæresim mentalem scribit litteris, vel notulis, quæ vulgo, *Cifra*, vocantur, quæ vt plurimum non intelliguntur à vulgo, sed soli scribenti inseruiunt: quia adhuc sua hæresis mentalis occulta est, cùm à nullo per illas cifras intelligatur. Huius verò occasione, quomodo se possit defendere in foro externo ille apud quem reperta sunt scripta hæretica: vide optimè Nauarr. *libr.* 5. *Consil. titul. de Hæreticis consil.* 17. cuius doctrina poterit etiam inseruire ad defensionem aliarum scripturarum falsarum, maximè quando illas retinens illis non est vsus.

13 Hæreticus mentalis si exeat in blasphemiã extetnam non hæreticalem, non erit hęreticus externus: secùs si talis blasphemia sit hęreticalis. Exemplum. Si credens Deum esse tristitię capacem, aut non esse potentem, proferat hanc blasphemiam, pœnitęat Deum: vel

non

non ſit poteſtas Dei : hæc enim verba externa nullam hæreſim important , nec proinde internam hæreſim particularem de ſe confirmant , neque hæreſis præſumptionem inducunt.

14 Si verò quis credens pueros rebaptizandos , exterius rebaptizaret , quia per id ſuum errorem mentalem explicat,& per opus externum, præſumitur hæreticus. At non eſſet hæreticus externus , qui credens intus fornicationem eſſe licitam , fornicaretur exterius:quia fornicatio de ſe non eſt ſignum hæreſis mentalis , neque quiſquam ex illa concipit ſuſpicionem hæreſis.

15 Proditur etiam hæreſis mentalis aliquando,& fit externa , non ſolùm per opus externum factum , ſed etiam ex omiſſione alicuius operis debiti. Vt ſi quis non credens myſterium Euchariſtiæ , omitteret genu flectere coram illa: Vel numquam templum ingrederetur,& ſic de cæteris operibus,quæ vel ex natura ſua, vel ratione temporum , vel hæreſum tunc vigentium internum errorem oſtendunt ex omiſſione talium operum.

16 Si quis putans erroneè licere in Quadrageſima edere carnes , exterius manducet tantillum carnis in paruitate materiæ , licèt talis actus externus ſit pro tunc manifeſtatiuus erroris interni : nihilominus non erit hæreticus externus ád incurrendas pœnas,quia illa comeſtio externa fuit venialis , & parua materia. Diximus autem ſupra Eccleſiam non excommunicare opus internum , niſi opus externum illi reſpondens,ſit de ſe quantitas grauis & mortalis.Sanchez *cit. cap.*8.*n.*17.

17 Si quis per iocum,vel ignorantiam dicat ſe olim credidiſſe aliquid contra fidem (quod modò non credit) non eſt hæreticus externus , quia non manifeſtat

hære

hæresim præsentem, sed præteritam, quam iam non habet. Sicut contra, si quis dicat exterius se habere propositum incidendi in hæresim, quod propositum revera habet: non est hæreticus externus, quia illa verba non declarant hæresim præsentem internam, sed propositum futuræ. Sanchez *n.* 22.

DE COMMVNICATIONE cum hæreticis externis.

18 EST communis sententia, quod quantuncunque hæreticus sit externus, & notorius, non obligamur illum vitare in communicatione, donec declaretur ab Ecclesia nominatim. Ita præcipuè Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. q.* 65. *art.* 4. *disp.* 18. *sect.* 12. & Azor *tom.* 1. *libr.* 8. *cap.* 13. *q.* 7. Vbi vides grauius punire Ecclesiam quoad hoc, notorium clerici percussorem, quàm hæreticum notorium. Nam illum ante declarationem punit ne communicet cum fidelibus, idemque prohibet fidelibus: at nõ prohibet communicare cum notorio hæretico ante declarationem: idque colligunt Doctores ex Concilio Constantiensi. Ipse tamen excommunicatus nondum declaratus tenetur non communicare, quia Concilium Constantiense in hoc noluit fauere excommunicatis, sed fidelibus nõ excõmunicatis.

19 Catholici in Anglia, vel Germania, cæterisve locis conuersantes cum cæteris Lutheranis, & aliis hæreticis nec peccant venialiter. Est eadẽ ratio supra posita, quia licèt sint hæretici notorij, non tamen sunt nominatim declarati. Ita Nauarr. *libr.* 5. *consil. tit. de hæreticis in* 1. *edit. consil.* 15. *& consil.* 16. & alij. Hinc colliges licere Catholicis in illis locis simul cum hæreticis non denunciatis, orare, & Missæ interesse, & hæreticorum funus comitari, & ad sepulturam deducere. Nam cùm

non

non ſint denunciati, nemo tenetur eos vitare, & ſicut licitum eſt cum viuo communicare, ita & cum mortuo ad ſepulturam licet. Hoc tamen triplicem habet limitationem. Prima eſt, vt hoc non fiat animo fauendi hęretico quatenus hęreticus eſt: tunc enim erit fautor hęreticorum. Secus ſi faciat amicitiæ, vel alterius obligationis gratia. Secunda eſt, vt hoc fiat abſque ſcandalo aliorum fidelium. Tertia vt hęreticus non deducatur ad ſepulturam in loco ſacro: tunc enim peccabit comitando funus prohibitum ab Eccleſia prohibente hęreticum ſepeliri in loco ſacro, *cap. 1. de hæreticis in 6.* Huius tertij dicti occaſione noto quod ſi hęreticus notorius ſepeliatur in Anglia, verbi gratia, in illis templis hęreticorum quę denuo ſunt ædificata ſine authoritate veri Epiſcopi, tunc dicentur ſepeliri in loco prophano, & non ſacro: illa enim templa non ſunt loca ſacra. Si verò illa templa ſint antiqua, fundata authoritate veri, & Catholici Epiſcopi, etiam ſi hodie ab hęreticis prophanata ſint, dicetur tunc hęreticus ſepeliri in loco ſacro, quia re vera illa Eccleſia eſt locus ſacer, licèt aliàs ſit prophanatus cæremoniis hæreticalibus.

20 Omnia ſupradicta quæ licent Catholico circa hæreticum notorium in Anglia, & cæteris locis hæreſi infectis, licent etiam in terris Catholicis, verbi gratia, Olyſſipone, &c. vbi hæretici notorij permittuntur degere gratia negotiationis. Eſt enim vtrobique eadem ratio: quod intellige niſi tales hæretici in terris fidelium agentes nominatim declarati ſint.

21 Religioſi & cæteri fideles qui in terris hæreticorum adeunt illorum templa, eorumque ritibus interſunt, non peccant quidem eo quòd participent cum excommunicatis: nam tales nominatim non ſunt denuntiati: At peccare poterunt ob rationes ſequentes.

Prima

Prima eſt: Si dant ſcandalum cæteris fidelibus. Secunda, ſi ibi communicant in aliqua cæremonia hæretica, vt ſi ibi comedunt panem ab illis benedictum, vel recipiunt illum. Tertia, ſi adeſt ibi periculum propriæ peruerſionis. Ait tamen Sanchez 2. *Decalog. cap.* 4. *n.* 19. *&* 27. quod Catholicus, ſi illa tria deſint, & non vadit ad illorum templa tempore quo hæretici vocantur ad illas cæremonias ſigno publico ad profitendam ſuam ſectam, ſed vadit alio tempore, maximè vt notet, & irrideat illas falſitates, tunc non peccabit. Et hoc dicit locum habere ſi tunc non vrgeat neceſſitas confitendæ fidei Catholicæ: ſi enim vrgeat, nihil horum poterit efficere.

22 In locis, ac terris hæreticorum licitum eſt catholico fideli recipere ſacramenta à ſuo parocho, vel Epiſcopo hæreticis notoriis, ſi tamen parochus eſt verus Sacerdos, & Epiſcopus verus Epiſcopus. Probatur eadem ratione, quia non ſunt nominatim declarati. Dixi *ſi ſunt verus Sacerdos*, &c. quia Sacerdos factus à Lutheranis, vel Epiſcopus illorum, non ſunt verus Sacerdos, nec Epiſcopus extra veram Eccleſiam, & proinde nullum verum Sacramentum poſſunt conficere, vel miniſtrare, excepto Baptiſmo ſi baptizent cum intentione Eccleſiæ. Ita Nauarr. *citat. conſil.* 15. *num.* 2. Quod explica poſſe ab illis peti Sacramenta, dummodo non ſit periculum peruerſionis propriæ, vel ſcandalum cæterorum fidelium. Adde quod peccabit etiam fidelis in petitione Sacramenti ab illo quem ſcit non poſſe miniſtrare illud abſque peccato, idque tunc maximè quando non adeſt extrema neceſſitas talis Sacramenti. Vide Suarez *tom.* 3. *part. quæſt.* 65. *art.* 4. *diſp.* 18. *ſect.* 1. *notab.* 3. exemplum dedit ſanctus Herminigildus, qui adueniente obligatione communicandi in Paſchate Euchariſtiam noluit recipere ab

Episcopo hæretico:non enim erat tunc extrema necessitas. At si daretur extrema necessitas confitendi peccata vt in articulo mortis, neque esset copia alterius, puto non peccaturum fidelem petentem hoc Sacramentum Confessionis ab hæretico notorio vero Sacerdote,si speraret tale Sacramentum rite ab illo fore ministrandum.Secus si hoc de illo non speraret.

23 Ex dictis colligitur hæreticum sacerdotem notorium vel excommunicatum occultum non amittere iurisdictionem, quam habebat ad ministranda Sacramenta antequam nominatim denuncietur, tenet Sanchez 2. *Decalog.c.9.n.*10.contra Azor.

24 Vltimò colligitur licitum esse in terris hæreticorum filios illorum admittere ad scholas publicas catholicorum. Item licere esse compatrem hæretici leuando filium eius de fonte Baptismi, dummodò Baptismus conferatur ritu catholico, non autem hæretico modo, probatur, quia supponitur tales hæreticos non esse declaratos, nec proinde ex obligatione vitandos.

25 Paulus III. concessit Minoritis degentibus in Austria, & Bohemia, vt possint quoscunque Lutheranos ad pœnitentiam recipere,eósque absoluere iniuncta illis debita pœnitentia, eósque ad Ecclesiæ vnitatem restituere.Quæ concessio per communicationem priuilegiorum debet extendi ad omnes Religiosos viuentes in aliis terris infidelium. Habetur concessio in Bullar.Rodriguez *fol.*820.*col.*1.*num* 6. Neque ista concessio pro illis regionibus censeri debet reuocata per Bullam Cœnæ prohibentem ne quis absoluat ab hæresi: talis enim concessio pro terris hæreticorum nunquam censetur reuocata per Bullam Cœnæ: Tenet expressè pater Sosa *in explicatione Bullæ Cœnæ disp.*100. *num.*2. de illis particularibus Religiosis qui

à Papa

à Papa mittuntur ad prędicandum hæreticis cum potestate illos absoluendi, quam licentiam dicit non reuocari per Bullam Cœnæ; aliàs daretur grandis confusio, & magnum inconueniens: quod idem militare videtur in supra dicta concessione circa Minoritas degentes in terris hæreticorum.

26 Neque per Bullam Cruciatæ, neque per Iubilæum conceditur facultas absoluendi ab hæresi nisi exprimatur, Sanchez 2. *Decalog. c.12.num.10.* & Rodriguez *Addit. ad Bullam Cruciatæ §.9. num.66.* affert Motum proprium Gregor. XIII. pro hoc intento. Et tenent multi citati à Sanchez *citat.num.* Tota, & præcipua ratio est, illa regula generalis *de regulis iuris in 6.* Quod scilicet in concessione generali non includuntur illa, quæ Princeps specialiter rogatus denegaret. At Papa, si rogaretur de hac re, responderet se non concedere in Iubilæo facultatem absoluendi ab hæresi propter pericula inde secuta.

HOMICIDIVM.

QVoniam inter casus reseruatos, vel reseruabiles ex decreto Clem. VIII. decimus est occisio seu vulneratio cuiusuis personæ: quia item Religiosi habent multas concessiones, vt cum illis dispensetur in irregularitate, talis, vel talis homicidij contracta ante, vel post ingressum Ordinis; & aliàs difficile est in praxi noscere qualiates talis, vel talis homicidij, necessarium duxi per summam breuem tradere quot sint species homicidij, & quando per illas contrahatur irregularitas: non intendens tractare materiam homicidii, sed solùm dare notitiam Regularibus pro cognoscenda irregularitate ex illis secuta.

1 Quinque ergo possunt distingui species homicidii.

Prima, & peior est homicidium voluntarium: per quam incurritur irregularitas, in qua Papa fere nunquam dispensat. Secunda est homicidij casualis, in quo frequentius dispensatur cum irregularitate inde secuta. Tertia est homicidium factum in defensionem proprtiam vitæ, vel bonorum, quæ si sit inculpata, neque est peccatum·, neque incurrit irregularitatem. Quarta est homicidij iusti imperati à Rege; vel iudice per iustam sententiam. Et hæc iussio non est peccatum, sed incurrit irregularitatem. Quinta esse potest ex homicidio facto in bello iusto, vel iniusto. De quibus sic breuiter.

DE HOMICIDIO VOLVNtario, & mutilatione.

2 IGitur homicidium voluntarium est illud per quod iniustè occiditur homo præcedente voluntate, & proposito occidendi. Etenim ante occisionem triplex voluntas, seu propositum, potest inueniri in occisore. Prima est, si expresse proponat occidere. Et de hac constat clare causare homicidium voluntarium, & proinde irregularitatem secuto effectu homicidij. Secunda voluntas potest præcedere definita non occidendi, sed directa vulnerandi, absque vulnere lethali. Tertia erit indefinita, videlicet percutiendi, vulnerandi, vel in communi se vindicandi. Illud ergo tantum dicendum est hoc loco ad inducendam irregularitatem, esse homicidium voluntarium, quod fit ex proposito occidendi. Si enim clarè præcedat voluntas definita non occidendi, iam erit inuoluntarium, vt patet. Si verò præcedat voluntas indefinita solùm percutiendi, aut vulnerandi non lethaliter, & nihilominus sequatur homicidium, iam erit præter voluntatem, &

non

non intentum voluntate directa in homicidium : tale enim euenit præter voluntatem. Quod intelligendum eſt in foro interno conſcientiæ : Nam in foro externo præſumendum eſt eſſe voluntarium , vt tenet Anton. Gomez *tom. 3. Variar. cap. 3. num. 15. & ſeqq.* In hoc enim foro in dubio ſemper præſumitur contra occiſorem , quod colligendum eſt à Iudice ex coniecturis delicti, loco ſcilicet, modo occiſionis, inſtrumento, & cæteris.

3 Aliquando etiam in foro conſcientiæ pro impetranda diſpenſatione oportet conſiderare, & exprimere prædictas circunſtantias occiſionis: maximè quando occidens neſcit explicare ſuam intentionem , ſed ſolùm dicit habuiſſe animum percutiendi non expreſsè includendo occiſionem, neque etiam excludendo, aut limitando: tunc enim circunſtantiæ ſunt conſiderãdæ, nam ex illis pẽdet cognitio cauſæ, & irregularitatis. Si enim circunſtantia ita ſit efficax, & proxima vt ex illa applicata moraliter loquendo mors ſequi ſoleat , erit voluntariũ. Vt ſi quis vtens ſclopeto, dicat ſe neſcire an habuerit intentionem occidendi ex circunſtantia tãlis inſtrumenti, credendum eſt etiam in foro conſcientiæ fuiſſe voluntarium : quia moraliter loquendo ex tali modo percutiendi ſequitur mors. Et ſic de cæteris circunſtantiis. Secus ſi cum leui baculo percutiat, & mors ſequatur, tunc enim non præſumetur voluntarium. Et pro hoc regula clarior, & generalior eſſe poterit quod ſcilicet quando percutiens vult, & intendit cauſam ex qua certò moraliter ſequitur homicidium , tunc erit voluntarium, qui enim vult cauſam, potentem ſcilicet, & efficacem, etiam vult effectum inde ſecutũ, licèt de tali effectu non cogitauerit. Vt qui vult dare potionem venenoſam, vult mortem inferre. & ita ſentit Couarr. *relect. de homicidio part. 2.* & alij: Vnde colliges, quod ſi

causa prius volita de ordinario nunquam est causa homicidij, tunc illud inde secutum non erit voluntarium. Colliges secundò quod poterit aliquando homicidium esse voluntarium, licèt expresse non intendatur in se; dummodo intendatur causa quæ per se semper est causa homicidii, vt propinatio veneni, sclopeti, & similes æqualiter efficaces homicidii. Ad eum scilicet modum quo vellens applicare ignem segeti, vult illam comburere. Pari modo volens percutere ense absolutè, in quacunque parte corporis, & quomodo potest: taliter percutiens secuto effectu, erit homicida voluntarius: quia hoc modo percutere, moraliter loquendo est velle causam, vt plurimum efficacem homicidii, & proinde velle homicidium.

4 Addit tamen Suarez ad proximè dictum, *in tom. de censur. disp.* 64. *sect.* 1. *num.* 4. quod si vtens ense, vel simili graui instrumento directè procuret non ferire lethaliter, vel in parte corporis vnde mors sequi possit, & nihilominus inde mors sequatur, non erit dicendus homicida voluntarius, quia mortem non intendit, sed contra voluntatem euenit. Et hoc intellige in foro conscientiæ pro irregularitate talis homicidii: erit enim tunc saltem casuale, & illius irregularitas mitior erit.

5 Vt ergo incurratur ista irregularitas homicidii voluntarii, necessaria est expressa, directa, ac spontanea voluntas occidendi: idque aut expresse volendo mortem: aut expresse volendo causam, vel actionem illam, quæ moraliter loquendo est causa efficax, & causa per se talis mortis, quod si duo prædicta non cõcurrant, homicidium non erit voluntarium, sed casuale, vel aliud de cæteris, vt dicemus. Dixi, *præexquiri voluntatem spontaneam occidendi*, vt excludatur voluntas se defendendi, & pro iusta defensione velle occide

occidere: tunc enim voluntas occidendi pro iusta defensione, non est voluntas spontanea occidendi, sed quasi coacta, & proinde non inducit irregularitatem, vt infra dicemus. Et ex supra dictis satis poterit considerari quando homicidium dici debeat voluntarium, vel inuoluntarium,& casuale.

6 Ex mutilatione voluntaria alicuius membri,etiam sequitur irregularitas, diuersa tamen, & minor quàm irregularitas homicidii voluntarii, & magis dispensabilis, maximè si est occulta. Habetur *cap. in Archiepiscopatu. de rapt. & Clem. vnica. de homic.* vt verò cognoscatur an ista mutilatio membri sit voluntaria, considerandæ sunt eædem regulæ supra positæ pro cognoscendo homicidio voluntario. Ad hanc tamen mutilationem aliqua requiruntur. Primum, vt membrum humanum penitus abscindatur, vel omnino desinat esse in propria forma, nam si manus verb.gratia, solùm lædatur, (vulgo, *Aleiiada*) & inhabilis reddatur ad suum ministerium, maneat tamen integra,non erit mutilatio. Ita Panormit. *in cap. 1. qui Clerici,vel vouentes*, & Doctores communiter. Et Nauar. *in Summa, cap. 27. num. 206. & 219.* Debilitatio enim membri non est mutilatio, & lex ista valde pœnalis est,& proinde restringenda.

7 Ad istam irregularitatem ex mutilatione non sufficit copiosa sanguinis effusio, si non sit mutilatio. Quamuis autem Martinus V. & alii Pontifices concesserint Religiosis facultatem dispensandi in irregularitate orta ex homicidio,mutilatione,& enormi sanguinis effusione;ibi sanguinis effusio vel addita est ad tollendos scrupulos, vel sumenda est non per se sola, sed vt coniuncta cum abscissione membri. Neque item incurritur si pars aliqua carnis abscindatur à corpore,quia non est mutilatio.

8 Membrum propriè dictum est pars illa corporis humani, quæ est integrum, & proximum instrumentum alicuius actionis, vt manus, pes, oculus. Non verò tales sunt partes aliquæ alicuius membri, pertinentes scilicet ad ornatum, vt palpebræ, auris externa, & similes: dentes verò non sunt membrum, quia non sunt instrumentum integrum comestionis cùm absque illis etiam comedi possit. Quamuis circa auris externæ abscissionem varient Doctores: alij enim dicunt esse mutilationem, quia per illam valde membrum deformatur, & impeditur: ita Nauarr. *cit. c. 27. n. 223.* & inclinat Suarez *cit. disp. sect. 2. n. 8.* Alij negant vt Cou. citatus, & Salzedo *in pract. crim. c. 99.* elige quod volueris. Ait tamen ibi Suarez abscissionem mamillæ in fœmina esse mutilationem inducentem irregularitatem, quia est instrumentum proprium ad lac generandum: quod à fortiori dicendum est de abscissione genitalium in homine. Imò si aliquis mutilet se ipsum, eandem incurrit irregularitatem. Si verò membrum in corpore erat omnino aridum, iam non informatum anima rationali, abscissio illius non erit mutilatio. Secus si erat læsum, & anima rationali informatum, & valde debilitatum, tunc enim erit mutilatio. Qui verò oculum ita læsit, vt ex vi læsionis arescat, & exsiccetur, quamuis partem oculi non abscindat, manet irregularis. Sylvest. *homicidium 3. a. 3.* & Angel. *homicidium 5. n. 5.*

9 Incurrunt etiam hanc irregularitatem homicidij voluntarij, personæ sequentes. Primò, in genere omnes concurrentes ad talem mortem etiam remotè, si quis concurrat sciens, & videns talem suam actionem operaturam ad mortem, vt qui parat venenum ab alio propinandum, & similes. Satis enim est quod præsciat, & applicet talem causam certam mortis, etiam si remotè concurrat: iam enim mortem intendit in se,

vel

vel in cauſa efficaci. Idque verum eſt, etiamſi ſimul cum veneno applicaret alia via remedium impeditiuum veneni, ſi enim etiam appoſito illo remedio contra venenum, mors ſecuta fuit, manebit irregularis, quia tandem mortem voluntariè cauſauit. Ita Suarez *cit. diſp. ſect. 3. n. 5.* Idemque dicendum ſi poſt applicationem veneni, vel alterius cauſæ cauſantis mortem, aliquis pœniteat facti: quia illa pœnitentia non tollit irregularitatem futuram, ſicut nec pœnitentia, imò neque abſolutio ſacramentalis tollit irregularitatem præteritam, vt *ibidem* tenet Suarez.

10 Incurrit etiam hanc irregularitatem mandans fieri homicidium, vt patet *ex cap. vltim. de homic. in 6.* & Doctoribus communiter. Si verò mandans fieri homicidium, reuocauit mandatum: & reuocatio mandati intimata eſt mandatario, & nihilominus mandatarius inobediens hominem occidit, in tali caſu mandans non incurrit irregularitatem. Eſt communis opinio Nauarr. *citat. cap. 27. num. 23.* & alij. Dixi, *ſi reuocatio intimata fuit mandatario*, quia aliàs nihil fit, & mandans incurrit. Quod ſi intimata fuit, iam mandatarius operatur voluntate propria, non voluntate mandantis. Si verò mandatarius primò non acceptauit mandati executionem, & id mandanti innotuit, poſtea verò idem mandatarius acceptans mandatum, fecit homicidium inſcio denuo ipſo mandante, adhuc mandans eſt irregularis: quia homicidium factum fuit ex vi illius mandantis, & ipſe mandatum non reuocauit: & hoc locum habet etiamſi ipſe mandans poſtquam ſciuit mandatarium non acceptaſſe, mutauerit voluntatem de occidendo homine. Nam hac mutatione non obſtante homicidium factum eſt ex vi illius mandati ab ipſo non reuocati cum intimatione reuocationis facta mandatario.

Ita Maiolus *lib.5. cap.*48. §.2. *num.*3. citans Innoc. & Baldum.

11 Incurrit etiam hanc irregularitatem consulens homicidium. *cap. perniciosè. de pœnitent. dist.*1. *& cap. si quis viduam.* & alibi sæpe, communis Doctorum. Pro huius verò intelligentia nota discrimen inter has personas videlicet, mandantem, consulentem, & petentem. Nam mandans sola voluntate mandat, & per solam voluntatem operatur. Consulens verò plura adhibet, nam proponit rationes ob quas id conueniat: petens verò adhibet solas preces. Auxilians verò dicitur qui concurrit adhibendo aliquod seruitium, vel ministerium. Et hæc nimis inseruiunt ad cognoscendum quis sit consulens, vel mandans in homicidio.

12 Vt ergo quis verè dicatur consulens homicidium, primò requiritur, vt homicidium fiat ex vi sui consilij. Si enim is cui consilium dedit, re vera non moueatur ex vi talis consilij, sed ex alio affectu, vel ex alia ratione, talis consulens non incurrit. Quæstio verò est: si consulens homicidium retractauit illud consilium, intimans illi cui dederat illud, suadénsque vt illo non vtatur: & tamen id assequi non potuit. Vtrum, inquam, si hac dissuasione non obstante sequatur homicidium, talis olim consulens incurrat irregularitatem? Nauarr. *citato loco* tenet sufficere illam retractationem vt euadat irregularitatem, sicut in mandante sufficit retractatio mandati intimata mandatario: Maiolus *cap.*48. sentit idem quod Nauarr. sed addit teneri hunc consulentem monere occidendum, vt sibi caueat. Quæ opinio tantorum Doctorum satis probabilis est: & saltem adhibita monitione notata à Maiolo, credo quòd sufficiet: quid enim vltra potest facere consulens? Sicut enim mandans, eo quòd sola voluntate mandauit, excusatur

cusatur ab irregularitate, solùm retractando voluntatem præteritam contentam in mandato: ita etiam malè consulens, qui antea rationes adhibuit ad suadendum, modò retractans, adhibet rationes ad dissuadendum, vt suppono. Et præterea monet occidendum, vt sibi caueat. Quid ergo vltra ab illo expectari potest? Etenim, si hoc non obstante, mors sequatur, credendum est iam non sequi ex consilio dato, sed ex praua malitia eius, qui ante consilium audiuit, vt supra diximus de mandatario occidente, non obstante facta reuocatione mandati sibi intimata. Scio Suarez *cit. sect. 3. à n. 11.* multa ad hoc congerere, & adducere, quæ ferè coincidunt cum dictis à duobus citatis Doctoribus. Imò ait *ibid.* Suarez *n. 12. ad finem*, limitationem Maioli; vt scilicet consulens teneatur monere occidendum, esse nimis grauem, & proinde non imponendam absque magna consideratione, videlicet, si sciret consulens quod is cui consuluit duræ ceruicis sit, & non desistet: & tunc per tertiam personam saluo suo honore, poterit monere occidendum.

13 Sufficit ad incurrendam hãc irregularitatẽ consilium homicidii datum solùm indirectè: vt si quis amico iniuriato dicat, illum ex iniuria mansisse oneratum iuxta legem politicam, & proinde oportere satisfactionem sumere, vel postulare. Est communis Doctorum; *ver. Homicidium*, vel *verb. Irregularitas*, citantur à Nau. *n. 231.* & aliis. Simile exemplum, & fortius est. Si amicus dicat amico iniuriam passo, vel dominus famulo: non ingrediaris domum meam, donec aliquid nouum facias, vel quid simile, & de hoc consilio nemo dubitat sufficere. De consilio verò dato sub verbis priori modo dictis aliqui dubitant, an sit sufficiens ad irregularitatem, sed tutius est credere quod sufficiat: nam prædictus modus proponendi clarè sonat consilium

mora

morale,& efficax ad vindictam maximè cùm homines nimis moueantur ad recuperandum honorem proprium per iniuriam læsum.

14 Circa hoc tamen consilium homicidij indirectum nota quod si ita consulens indirectè,suo consilio directè intendit, vt mors sequeretur, & materia præsens moraliter postulabat mortem pro satisfactione: taliter consulens incurrit irregularitatem homicidij voluntarij. Si verò materia non erat nimis grauis, nec pro satisfactione mortem requirens: neque ipse consulens mortem intendit, tunc secuto homicidio, irregularitas ab illo contractu, non erit irregularitas homicidij voluntarij, sed casualis, iuxta dicta in præcedentibus,& infradicenda. Colligitur ex Armilla,*verb. Irregularitas,n.25.& seqq.*

15 Si fortè is qui recepit mandatum,vel consilium, executioni intendens, occisus est ab inimico valentiore:tunc mandans, vel consulens non incurrunt irregularitatem homicidij voluntarij,sed solùm casualis. Patet prima pars, quia sic consulens non intendit omnino mortem illius cui dedit consilium:vel mandatum, & proinde inuoluntariè mors illius secuta est. Patet secundum,quia saltem exponens illum periculo mortis notabili,causa fuit talis homicidij,indirectè tamen, & non voluntariè. Et ex his colligitur quid dicendum sit de consulente amicum vt offerat,vel acceptet duellum:si enim sic consulens intendit mortem, & illa sequatur illata ab eo cui consuluit,erit homicida voluntarius Si verò occidatur ille cui consuluit,erit homicida casualis.

16 Incurrit etiam hanc irregularitatem homicidij voluntarij, ille qui consentit homicidio dum actu fit suo nomine, vel propter ipsum: nam iste consensus dum fit homicidium, est etiam suo modo cooperatio

ad

ad illud. Si verò homicidium non fit propter me, nec meo nomine, & ego solùm habeo purum consensum nihil cooperando, non incurro irregularitatem. Est communis sententia, maximè Summistar. *verb. Homicidium*, vt autem quis euadat irregularitatem istam ortam ex consensu, necessarium est vt exterius non consentiat, sed repugnet, & se alienum à tali morte ostendat. An verò is, qui audito homicidio nomine suo facto, illud ratum habet, & consentit in illud iam factum, incurrat irregularitatem? Multi & graues Doctores affirmant, vt Nau. *c.* 27. *n.* 233. citans alios. At non incurrere tenet Suarez cum multis, *cit. sect.* 3. *n.* 24. quia re vera iam iste nullo modo concurrit ad homicidium, cùm illud iam factum sit. Et præterea quia in toto iure non inuenitur posita talis irregularitas pro ratificante homicidium factum suo nomine: & irregularitas pœna grauissima non est imponenda alicui, nisi inueniatur à iure imposita. Verum quidem est, quòd si iste ratum habens homicidium, ratificauit homicidium, vel percussionem Clerici factam suo nomine, tunc incurret excommunicationem latam in *c. si quis suadente*: quia ibi excommunicatur ratam habens percussionem Clerici factam suo nomine: non tamen illi imponitur irregularitas. Vide Vegam 2. *p. Sum. moralis, ver. Irregularitas casu* 3. vbi citat Cou. & Armill. Imò addit Suarez *n.* 29. quòd si quis manu propria occidat hominem inculpabiliter, & omnino ignorans: & postea sciens: ratum habeat homicidium, talis non incurrit irregularitatem, quia iam non incurrit ad homicidium, & ille non fecerit culpabiliter, quidquid sit de sua peccaminosa complacentia.

117 Cooperans ad homicidium etiam incurrit irregularitatem iuxta vim, & modum suæ cooperationis. Si enim mortem intẽdat, vel adhibeat cooperationem

de

de se efficacem vt vulnerando lethaliter ad mortem, erit irregularis homicida voluntarius. Si verò taliter non cooperetur, iudicabitur de illo iuxta dicta in superioribus. Nota tamen quòd si solùm assistit, vel comitatur illum quem scit intendere mortem, & pugnat cum illo secuta morte, erit homicida irregularis, etsi ipse non voluerit: sola enim assistentia, & comitatio cum tali scientia causat homicidium voluntarium. Et colligitur *ex cap. sicut dignum. de homicidio*: secùs si iste cooperator sciat socium non intendere mortem: tunc enim erit solum homicida casualis morte secuta.

18 Ista irregularitas contracta ex homicidio voluntario non priuat homicidam ipso facto beneficiis iam obtentis: neque de se inhabilitat ad futura, vt probat latè Suarez *disp. citata sect.* 4. de facultate verò dispensandi in hac irregularitate homicidij voluntarij facta Religiosis à Sede Apostolica dixi sufficienter supra *in his Add. verb. Dispensare n.* 9. *& in 1. editione eodem verb. Dispensatio, n.* 8.

DE HOMICIDIO CASVALI.

SI attendantur regulæ supra positæ pro cognoscendo homicidio voluntario, facile erit cognoscere homicidium casuale, quod scilicet casu fit, id est, præter voluntatem, & intentionem occidentis. Et imprimis quod irregularitas mitior contrahatur etiam ex isto homicidio, habetur *capit. significasti*, 1. *& cap. dilectus. de homicidio*, & est communis Doctorum.

19 Regula igitur generalis sit. Si quis non intendat mortem, neque applicet causam de se efficacem ad mortem, imò clarè illam non intendat, sed excludat, &

tamen

tamen aliquid faciat, mandet, vel consulat vnde sequatur mors ; est homicida solùm casualis. Probatur, quia mors inde secuta aduenit præter voluntatem ipsius, & proinde non est voluntaria, quia ad illam non habuit voluntatem directam, & spontaneam, nisi indirectam, quatenus appossuit causam remotam, & non efficacem de se ad homicidium. Vt si quis vulnerat non lethaliter, nec mortem intendens, si verberet grauiter, sed non lethaliter, vel quid simile: inde tamen, vel ex mala complexione percussi, vel ex cæli influentia, vel alia causa simili, sequatur mors : erit irregularis sola irregularitate homicidij casualis. Dixi, *si causa de se non sit efficax ad mortem*, quia etiamsi de se sit sufficiens ad mortem si ipse operans id ignoret inuincibiliter, adhuc non erit homicida voluntarius, sed casualis. De efficacia tamen causæ adhibitæ an fuerit sufficiens nec ne, in conscientia iudicabit prudens Confessor : in foro autem externo iudex arbitrabitur attentis circunstantiis. Ad hoc verò intentum non oportet distinguere an operans intenderet rei licitæ, vel illicitæ, parum enim id ad rem facit : opus enim esse licitum, vel illicitum cui intenditur, non faciunt ad mutandam qualitatem homicidij : sed sola voluntas directa intentans mortem, vel causam efficacem mortis : vel è contra non intendens directè aliquid istorum.

20 Potest etiam fieri hoc homicidium casuale non solùm aliquid operando illicitè modo prædicto : sed etiam per omissionẽ, omittendo scilicet aliquid ex cuius omissione mors sequatur: talis enim omissio etiam cooperatur ad mortem, vt si quis obligatus ex officio, vel ex iustitia teneatur obuiare morti, & non obuiet, vel quid simile. Vide tamen infra *hoc verb. numer.* 24.

21 Ex

21 Ex propoſita verò regula homicidij caſualis multa exempla, & caſus ponuntur à Doctoribus pro cognoſcendo peccato, & irregularitate incurſa in hoc caſuali homicidio: accipe ſequentia. Primum, ſi quis applicauit potionem quam neſciebat eſſe mortiferam; vel ſimul cum illa applicauit pharmacum contra venenum,& tamen mors ſecuta fuit.Secundò,ſi quis aliquem vinctum detineàt nolens eum dimittere, & ſciens periculum eſſe quod ille ab alio percutiatur, & inde mors ſequatur illata ab alio. Tertiò,ſi mandauit alicui, vt ſolum alium verberaret, vel leuiter percuteret limitans,& monens ne occidat:& mandatarius excedens mandatum occidit. Bene tamen aduertit in hoc tertio caſu Suarez *diſp.45.eodem tom.ſect.2.num.4.* quòd ſi is qui iuſſit verberari iuſtè mandauit, & poterat iuſtè verberare, vt faciunt Prælati Religionum,& ex tali verberatione moderata mors ſequatur, non erit Prælatus irregularis,niſi interueniat exceſſus in verberatione, vel alia notabilis negligentia, vt circa inſtrumentum verberationis,vel quid ſimile.Intelligitur erge illud tertium exemplum communiter de mandante verberare iniuſtè. Quartum ſit de percutiente mulierem prægnantem, quæ ex percuſſione fecit abortum animatum:idque intelligendum de percuſſione ſolum graui, & potente cauſare abortum: ſecus,ſi fuit leuis percuſſio, & inſufficiens. Quintò de cõſulente alicui, vt ſumat vindictam pro iniuria, etiam ſi moneat ne occidat: ſi enim vindicans ſe ob tale conſilium, occiderit,erit conſulens irregularis,quia indirectè cauſauit homicidium. Sextò, de cooperante remotè ad homicidium, vt ſi quis aſſiſtat, vel comitetur occiſorem quem ſcit nolle interficere alium, neque ipſe comitans voluit occidere,& tamen mors ſecuta fuit:tunc enim talis concomitans erit irregularis inuoluntarius.

Ad

Ad idem ſpectat, qui commodauit gladium, vel ſimile inſtrumentum ad rixam, vel pugnam, vnde mors fuit ſecuta, ſi non intendit occiſionem, neque ſciebat potentem velle occidere, ſed ſolùm velle rixari, & mors ſecuta fuit.

22 Si quis ſciens Petrum reſolutè velle occidere Paulum, conſulat Petro ne occidat, & ſuppoſito quòd talem habet animum, ſolùm vulneret: & Petrus vulnerans occidit Paulum non intendens occidere, tunc iſte conſulens non manet irregularis, imò neque peccauit: quia non concurrit ad homicidium, imò ſuaſit ne fieret: & aliàs licitum eſt parato facere maius malum: ſuadere, vt faciat minus malum: hoc enim non eſt ſuadere malum, ſed diſſuadere maius malum, vt Doctores alibi docent.

23 Si plures rixantur cum alio fine propoſito occidendi, ſed ex repentina occaſione, & modo ordinario, ſecuto inde homicidio omnes qui rixati ſunt manent irregulares ob homicidium caſuale, idque ſiue omnes vulnerent, ſiue vnus tantùm vulneret. Suarez *diſp. 45. cit. ſect. 3. num. 9.* citans tex. & Bartol. & Syluestrum. Et probatur, quia omnes illi concurrunt ad illud homicidium moraliter, naturaliter, & proinde ſufficienter ad irregularitatem inducendam ortam ex homicidio caſuali. Imò addit *ibid. n. 11.* hoc eſſe verum etiam ſi vulnus inflictum vnum tantùm ſit, & lethale, & cognoſcatur author vulneris: quia etiam tunc alii non vulnerantes concurrerunt ad homicidium cooperando, fauendo, & adiuuando authorem, qui cum ſociis animoſior redditur. Secus ſi multis exiſtentibus ſimul in vna domo, & vno tantùm lapidem inde mittente, vel ſclopetum, aliis autem nullo modo ad id cooperantibus: tunc enim ſolus percutiens eſſet irregularis in foro conſcientiæ: nullus verò in foro externo

talis computandus erit cùm ignoretur verus author illius. Si verò ex quatuor ibidem existentibus singuli lapides, vel sclopeta mitterent, sine mutua cooperatione, idque facerent casu, & constaret inde occisum hominem cum vno tantùm vulnere, omnes absoluuntur, quia præstat non damnare nocentes, quàm vnum innocentem condemnare. Et hic valde notandum est quantum malum sit ad hoc, illos cooperari socialiter, ad vnum intentum cum animo occidendi, vel vulnerandi: si enim lapides proiicerent socialiter, & aliquis moreretur, omnes manerent irregulares. Vide Henriq. *tom.2. libr.14. capit.14. numero 3.fine.*

24 Potest etiam incurri ista irregularitas ex omissione pura ex qua sequitur homicidium ob culpam omittentis. Primò si quis occultet arma alterius quibus se poterat defendere, & dare noluit. Secundò, quando interuenit obligatio de iustitia obuiandi homicidio, & omittitur actus debitus defensionis. Ita Nauarr. *cap.27. num.232.* citans multos alios. Exemplum sit de seruo non defendente dominum: de patre erga filium & contra: de ministro iustitiæ erga sibi subditum quem tenetur defendere cùm potest: & è contra de subditis erga Superiores. Bene tamen duo ad hæc notat Suarez *disp.cit.sect.4. n.8.* Primum est, vt talis omissio debeat esse culpabilis: aliàs non indicet irregularitatem, si non sit voluntaria, & culpabilis, vnde si quis omittat defendere quia non potest absque periculo vitæ, excusabitur. Secundum est, hanc irregularitatem ex omissione esse homicidij casualis, si fiat ex negligentia, neque omittens cogitet vel præsumat futurum homicidium. Nam si certò moraliter timeat futurum homicidium ex sua omissione, vel ideo omittat quia intendit tale homicidium, talis irregularitas erit ho-

micidij voluntarij, vt facile ex dictis colligi potest. Et per hæc iudicabis de mandante vel consulente alicui ne defendat alium instante periculo vitæ.

25 Si quis obligatus solùm ex charitate omittat succurrere alicui, & inde sequatur mors, non erit irregularis, quia non interuenit ibi obligatio iustitiæ: vt qui denegat eleemosynam indigenti. Nauarr. *cap.* 27. *num.*231. sed quæris in speciali de illo qui inter Religiosos habet ex officio curam infirmorum (virgo *enfermeiro*) si iste omittat succurrere suo infirmo notabiliter, vt ex tali omissione moriatur; an maneat irregularis? Et videtur quod sic, nam cùm teneatur ex officio, videtur obligari de iustitia. At responderi potest ex Suarez *tom. de censuris disp.*47. *sect.*7. *num.*3. vbi ait quòd si isti qui habent curam infirmorum conuenientem prouidentiam adhibeant, nunquam incurrunt irregularitatem nisi interueniat culpabilis negligentia, ita vt periculum accelerationis fuerit præuisum, vel præuideri potuerit, & ex notabili negligentia omissum fuerit: sic ille. Prudentis ergo arbitrio relinquitur iudicandum si ibi interuenit notabilis negligentia, & fuerit præuisa: & an talis omissio mortem causauerit. In particulari verò notat Hentiq. *tom.*2. *libr.*14. *cap.*15. *num.*5. quòd infirmarius bona fide versans infirmum ne angustietur, & mollit lectum, & similia, non se debet irregularem reputare, nisi coniectura sit ex lata culpa mortem acceleraſſe.

26 Adhuc circa istam omissionem causantem hanc irregularitatem quando datur opera rei licitæ, sit pro regula: si adhibita fuit sufficiens diligentia ad vitandam mortem alterius, non incurritur. Si verò interueniat negligentia vitandi periculum, incurritur, quamuis aliàs opus sit licitum, & factum bona intentione. Est communis Doctorum, maximè Nauarr. *capit.*27.

numer. 290. Quanta vero negligentia ſufficiat adhoc (omittens tractatum de culpa leuiſſima, leui, & lata tunc negligentia.)In hoc caſu inducet irregularitatem, cùm tanta fuerit vt ſit peccatum mortale.Si enim fuerit ſolum veniale,non inducet irregularitatem.Quando verò iudicanda ſit talis, relinquitur arbitrio prudentis viri attentis circunſtantiis perſonæ, negotij,loci,temporis, & ſimilibus. Sic colligitur ex Caiet. 2.2. *q.*64.*a.*1.8.ob diuerſitatem enim circunſtantiarum poterit eſſe negligentia mortalis in vna perſona:& in alia cum eiſdem circunſtantiis non erit talis. Si verò tantùm interſit culpa venialis, non incurretur iſta irregularitas.Ita Sot.5.*de iuſt.q.*1.*art* 9.& alij.Et hoc intelligitur quando datur opera rei licitæ in qua propter opus licitum minor forte diligentia ſufficit propter bonam intentionem.

27 Si verò detur opera rei illicitæ, vel prohibitæ, quantumcunque adhibeatur diligentia pro vitando homicidio,ſi illud ſequatur,non vitatur irregularitas. Eſt communis Doctorum D. Thom.1.2. *quæſt.*73. *artic.*8. Caietan. *ibidem*, Nauarr. *numer.*219. *cap.*27. & aliorum. Ratio eſt, quia iura voluerunt punire tale homicidium propter ſolam malitiam actionis ex qua ſecutum eſt, etiam ſi ſpecialis malitia non intercedat, neque indirecta voluntas homicidij. Quod iura ſic decreuerint,patet ex *c. tua nos.de homicidio.* Vbi declaratur irregularis Religioſus chirurgiam exercens,etiam ſi ſit peritus & faciat cauſa pietatis. Qui proinde debuit adhibere omnem diligentiam: & declaratur irregularis ſi ex ſua curatione ſecutum eſt homicidium, ex eo ſolùm, quia exercuit artem ſibi prohibitam, & proinde dabat operam rei prohibitæ, id eſt, ſibi illicitæ,etiam ſi in curatione neque negligentia venialis interuenerit. Eſt autem hoc intelligendum cum limitatione,

tione, vt bene ait Saurez *citata disp.* 45. *sect.* 6. *n.* 9. videlicet quando opus cui intenditur est illicitum, seu prohibitum propter periculum proximum vt ex tali opere sequatur homicidium. Quale fuit exemplum proximè positum de Monacho chirurgo: in hac enim arte exercenda est periculum proximum homicidii. Si enim opus illicitum cui intendit non sit de se causa proxima homicidii, etiam si inde sequatur mors, si tamen adsit diligentia sufficiens ad illam vitandam, vitabitur irregularitas. Exemplum sit de adultero, qui si temerè, absque diligentia, & cautela accessit ad vxorem alicuius, vnde resultauit, vt vir eius illam occideret, manet irregularis, quia non adhibuit debitam diligentiam vitandi homicidium. Si verò adhibuit sufficientem diligentiam, vt delictum cælaretur, & nihilominus mors fœminæ secuta est, non incurrit irregularitatem: quia quanuis dedit operam rei illicitæ, & prohibitæ, videlicet adulterio, non est opus prohibitum tanquam occasio proxima homicidij, (vt est chirurgia) licèt alias adulterium sit opus malum lege diuina prohibitum. Vnde ponit Nauar. aliud exemplum de Minorita equitante super mulo mansueto, ex quo casu calcitrante aliquis occisus est: & ait talem Minoritam non esse irregularem si aliàs adhibuit sufficientem diligentiam: quia licèt daret operam rei sibi illicitæ per suam regulam de non equitando: equitatio tamen non est vt plurimum causa proxima homicidii, sicut chirurgia. Idem dic de venatore. Si sit clericus, cui prohibetur venatio: si enim casu hominem facta debita diligentia occidat intendens feram occidere, non erit irregularis, qnia licèt tale opus sibi sit prohibitum, non est prohibitum eo quòd sit causa proxima homicidii, sed propter alias causas. Et in eodem casu venationis, sæcularis alius adhibita diligentia ne peccet

mortaliter etiam vitabit irregularitatem, imò & peccatum.

28 Posse verò Prælatos regulares dispensare cum suis subditis in irregularitate contracta ex homicidio casuali, etiam si sit publicum, dixi olim in *prima editione ver. dispensare n.* 9. posse etiam Episcopum dispensare in illa cum suis subditis si sit occultum, tenet Suar. *tom. de censur. disp.* 45. *sect.* 1. *num.* 2. ait tamen id non posse si fuit publicum. Vbi vides maiorem in hoc facultatem, seu priuilegium habere regulares erga suos subditos: sicut etiam maius habent priuilegium circa irregularitatem homicidij voluntarij occulti quam dispensant quo ad subditos, non verò Episcopi.

DE HOMICIDIO FACTO *ob defensionem vitæ, & bonorum.*

29 PRIMO constat apud omnes occidentem alium pro defensione vitæ propriæ seruato moderamine inculpatæ tutelæ, neque peccare mortaliter, nec incurrere irregularitatem. Est adeo communis, vt probatione non egeat. Sufficit illud naturale principium, quod vim vi repellere licet. Neque huic veritati repugnat Concil. Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de reformat.* vbi supponit esse irregularem etiam illum, qui occidit alium in sui defentionem, & vim vi repellendo. Vt enim explicat Nauarr. *consil.* 36. *de homicidio*, Concilium ita loquitur, quia supponit non seruatum fuisse moderamen inculpatę tutelæ. Nam iura cùm audiunt, vel tractant, de verbo homicidij, supponunt esse culpabile: & sic *ibi* Tridentin. supponit tale homicidium esse culpabile non seruata moderata tutela: si enim hæc seruetur, in rigore non est homicidium, sed defensio

fensio iusta, naturalis, inculpabilis. Si verò non seruetur moderamen inculpatæ tutelæ, tunc habet locum decretum Concilij, quia tunc vocatur homicidium culpabile. Habetur doctrina supra dicta etiam *in Clement. si furiosus. de homicidio.* Quæ verò conditiones necessariò seruandæ sint, vt defensio dicatur fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, sic accipe ex Doctoribus communiter.

30 Prima est, vt si possit fugere aggressorem, fugiat. Limitant omnes non teneri fugere virum nobilem, & robustum, maximè ab homine inferiori, quando talis fuga sibi danda est opprobrio. Nam quod fieri non potest sine magno dedecore non obligat in lege etiam naturali: ac proinde cùm ibi non adsit culpa mortalis non incurretur irregularitas. Secunda est, vt qui occidit, sit aggressus ab alio, & non aggressor. Si enim esset aggressor, non diceretur defensio, sed aggressio. Non tamen semper necesse est vt quis expectet ictum, seu impetum alterius: aliquando enim poterit præuenire istum; vt si quis desperet se posse resistere inimico propinquius accedenti, vt tenet Nauarr. *consil. 32. de homicid.* quia tunc illa præuentio non est aggressio, sed pura defensio. Imò ait Henriquez *lib. 14. tom. 2. cap. 10. num. 2.* posse tunc aggressum voluntariè, ac directè eligere occisionem aggressoris, si videt aliter non posse propriam vitam tueri, pro quo citat Sot. Victo. & multos alios: talis enim tunc voluntas non facit homicidum voluntarium, quia non est spontanea, vt supra diximus, sed quasi coacta. Tertia conditio est, vt pro defensione inferat minorem læsionem aggressori quæ possit inferri. Vt si possit se defendere solum vulnerando, vel solum mutilando & sic de cæteris, non occidat: nec faciat maius malum quandiu poterit se defendere cum minori malo illato.

31 Quarta conditio, ad quam ferè redigi possunt aliæ, est, vt non se defendat cum tali excessu, qui faciat grauem culpam ita vt talis culpa potius videatur aggressoris, quam aggressi: vnde si aggressorem iam fugientem insequatur: erit excessus, & culpa grauis. Vnde colliges quod si excessus fuit cum culpa mortali, incurretur irregularitas homicidii casualis tantùm. Si verò excessus defensionis fuit tantùm cum culpa veniali, nullo modo irregularitas contrahetur. Ita innuit Henriquez *citato numer.* 3. & exprimit Suarez *disputatione* 46. *sect.* 1. *numer.* 9. aliàs esset hæc irregularitas ineuitabilis, quia excessus venialis in tali defensione moraliter loquendo est ineuitabilis, & pro omnibus homicidiis regula generalis sit quod causa homicidii si sit causa venialis tantùm excusat ab irregularitate.

32 Si quis prius iniuriatus, post transactam iniuriam, interuallo morali, aggrediatur iniuriantem, & occidat: erit irregularis, quia illud iam non est defendere, sed vindicare. Quid, si adulter inuentus cum vxore alterius, & videns virum vxoris intrantem, illum virum adulter occidat in sui defensionem? Duplex est opinio, prima dicit non incurrere, quia illa censetur moderata, & iusta defensio: ita Sylvest. *homicidium* 3. *quæst.* 4. & alii, tenet etiam Henriquez *tom.* 2. *libr.* 14. *capit.* 10. *num.* 3. Secunda opinio dicit illum incurrere, quæ est Nauarr. *consil.* 32. & 33. *de homicidio*. Et in hanc inclinat Suarez *citata sect.* 1. *num.* 11. probatur hæc, quia in hoc casu adulter prius iniuriam intulit marito, in adulterio: Et proinde mortaliter prius inchoauit iniuriam, & sic manet aggressor, & non aggressus. At iam supra diximus aggressorem in hoc homicidio non liberari ab irregularitate. Secundò, quia leges ciuiles licèt non puniant pœna ordinaria aggressum occidentem:

tem: puniunt tamen pœna arbitraria quando ille occasionem dedit: quod militat in hoc casu. Vide Iulium Clarum *in practic. Crimin. §. homicidium. à numer. 30. & in Additionibus paruis eiusdem.* Vtraque opinio est probabilis: & in re tam difficili, vbi nec radius rationis fulget, nec ratio verba gubernat, potest quis vtramque vel quam maluerit sequi: Addit tamen Suarez *ibidem numer.12.* quòd si adulter potest fugere absque periculo proprio, & absque læsione mariti, tenetur id facere, aliàs secundùm vtramque opinionem fiet irregularis, vt patere potest ex dictis. Imò addit quod licèt ex fuga resultet illius infamia, tenetur fugere, eo quòd ipse prius intulit iniuriam.

33 Neque illam incurrit qui occidit alium pro defensione bonorum temporalium, vel honoris proprij, quando aliter ista non potest defendere nisi occidendo: si enim possit absque morte, incurret. Tenet Couarr. *in Clementina vnica de homicidio 3. p. in fine*, Castr. *libr. 2. de lege pœnali cap. 14* & est de mente Soti *libr. 5. de iust. artic. 8.* & aliorum. Et ratio est quia tunc hoc homicidium est inculpabile. Et bona externa sunt valde necessaria ad vitam; eadem ratio est de honore. Vnde in iure ciuili bona temporalia fere æquiparantur vitæ. Argumento *legis aduocati in fine Cod. de aduocatis diuersorum iudicum.* Et videri potest Iulius Clarus *verb. homicidium. numer. 25.* Et hoc locum habet etiam in Clericis, & Monachis pro defensione suorum bonorum, si fiat inculpatè. Neque oppositum decernitur *in capit. suscepimus. de homicidio*, vt bene illud explicat Couarr. supra citatus *num. 6.* cum aliis quos refert.

34 Neque item irregularis est occidens alium pro defensione vitæ proximi, vel bonorum ipsius tempo-

talium si defensio sit inculpabilis carens peccato mortali. Est eorundem Doctorum: licitum est enim; immò obligatorium innocentem defendere à morte, in aliquibus casibus: cumque bona temporalia illius æquiparentur vitæ illius, vt supra diximus, sequitur inculpabile tunc esse tale homicidium, & proinde non causare irregularitatem. Et hoc locum habebit maximè, ac præcipuè quando in tali casu homicidium non solùm fit licitè, sed etiam ex obligatione. Et probatur adhuc, quia occidens clericum in defensionem iustam proximi, non incurrit excommunicationis sententiam: ergo neque occidens aliquem pro defensione proximi incurret irregularitatem.

DE IRREGVLARITATE CONtracta à iudice damnante ad mortem vel similibus.

35 COmmunis sententia est iudicem ferentem sententiam in causa sanguinis secuto effectu, manere irregularem: quanuis enim iudex non peccet in ferenda tali sententia si iustè iudicat: inducitur tamen ista irregularitas ex iure ob defectum leuitatis. Idem intellige de sententia mutilationis, vt si iudex iussit amputare manum. Idem fiet si ex præcepto iudicis ita duro carcere, & inedia reus macerètur, vt ea de causa moriatur. Si verò iudex tulit sententiam mortis, vel mutilationis: & tamen effectus est impeditus quacumque ex causa, non fiet irregularis.

36 Quæris: iudex inferior tulit sententiam mortis: fuit appellatum ab eius sententia: delata ad superiorem, confirmata fuit à superiore, & mors secuta: An iudex inferior incurrat? Et videtur quod non, quia illius sententia non est sortita effectum, sed sola sententia

Supe

Superioris: ac proinde iudex inferior non videtur occidere. At mihi videtur incurrere, quia confirmata sententia inferioris, eadem sententia inferioris videtur permanere, & sortiri effectum.

37 Princeps, vel Superior delegans alicui, vel aliquibus iurisdictionem ad executionem iustitiæ, per talem solam delegationem in communi non incurrit irregularitatem, etiam si delegatus condemnet ad mortem. Secus si in delegatione exprimeret, vt damnaret ad mortem. Habetur *ex c. vltimo. ne clerici, vel Monachi, num. 6.*

38 Eandem incurrit accusator, & aduocatus, notarius in causa sanguinis effectu secuto. Excipitur clericus qui sua bona petens in iudicio facit solitam protestationem se nolle effusionem sanguinis; sed restitutionem suorum bonorum. Tunc enim non erit irregularis. Incurrit similiter testis in causa sanguinis effectu secuto. Excipe testem deponentem coram Inquisitoribus in causa fidei, cuius testimonio reus postea traditus est brachio sæculari; & combustus. Talis enim testis non est irregularis, quemadmodum, neque Inquisitores ferentes sententiam declaratoriam hæresis, eumque tradentes sæculari potestati, illam incurrunt, sed ab illa sunt immunes, vt est communis sententia. Alia omitto ad hæc pertinentia, quia vt dixi non profiteor nisi compendium, & solùm intendo dare notitiam religiosis in communi. Et hæc aliàs apud Summistas obuia sunt. Vide inter alios Henriquez *tom. 2. libr. 14. toto cap. 12.* posse autem Prælatos regulares dispensare cum subditis in istis omnibus patet ex dictis in prima editione verb. *dispensare.*

DE

DE IRREGVLARITATE militum in bello iusto, vel iniusto.

QVia solent aliquando recipi ad habitum Religionis illi qui olim in bello fuerunt milites: Et præterea Religiosi aliquando in bello hortantur milites, vt pugnent, vt sciatur quomodo ibi contrahatur irregularitas, & quomodo possit à Prælatis dispensare ante vel post professionem, accipe sequentia.

39 Primò ergo supposito, duplex esse bellum, aliud iustum, aliud iniustum. Sententia communis est quòd omnes militantes in bello iniusto, si in illo fiant homicidia, vel mutilationes, fiunt irregulares; quanuis non fundant sanguinem propriis manibus. Sylu. *verb. bellum* 3. *q.* 3. & alij. ¶ Qualis verò sit hæc irregularitas, dicendum est cum Suarez *tom. de censur. disp.* 47. *sect.* 5. *n.* 2. esse homicidij voluntarij. Patet ex prædictis, nam sic occidentes, & mutilantes, habent voluntatem directam occidendi, vel mutilandi, & hæc voluntas est iniusta, & culpabilis mortaliter.

40 Hinc reflecto supra id quod olim dixi *in prima editione verb. Prælatus. n.* 38. ibi enim dixi posse Prælatos regulares dispensare cum subditis in irregularitate contracta ab illis ex homicidio in bello iusto, maximè si fuit bellum contra infideles. Nihil ibi dixi, neque *verb. Dispensare*, de irregularitate contracta à subdito ante, vel post professionem ex homicidio in bello iniusto. Nunc addo, ex modò dictis, Prælatum regularem non posse dispensare in irregularitate ista orta ex homicidio in bello iniusto si illud fuit notorium, & publicum. Patet, nam fuit homicidium voluntarium, &

iniu

iniuſtum, & publicum, vt ſuppono, quale debuit eſſe in exercitu. Si tamen homicidium alicuius factum in bello iniuſto ſit modò hîc ignotum, tum ob nimiam diſtantiam locorum, tum ob diuturnitatem temporum, poterit Prælatus regularis diſpenſare in illo, quia tunc homicidium cum illis circunſtantiis æquiparatur homicidio occulto voluntario: & in hoc poſſunt Prælati Regulares diſpenſare. Et hactenus dicta de militante in bello iniuſto intellige, ſi ſit bellum iniuſtum aggreſſiuum: ſi enim ſit defenſiuum, non irregularitas homicidii voluntarii eſſet: ſed vel caſualis, vel fortè nullius pro neceſſitatis qualitate.

41 Si bellum ſit iuſtū, vt pro defenſione perſonæ, patrimonii Regii, pro fidei defenſione, quale inter cætera eſt bellum Hiſpaniæ contra rebellatos Principes Flandriæ: militantes in illo, non ſunt irregulares ſiue bellum ſit aggreſſiuum, ſiue defenſiuum, idque, ſiue propriis manibus occidant, & mutilent. Eſt communis, maximè Nauar. *cap. num.* 212. & aliorum, & probatur quia defenſio prædictorum eſt licita, iuſta & inculpabilis. Quod intellige ſi bellum ſit defenſiuum. Si enim bellum iuſtum ſit aggreſſiuum, & ſequantur homicidia, & mutilationes: occidentes, & mutilantes erunt irregulares, ad eum modum quo eſt irregularis iudex occidens iuſtè authoritate publica ſeu regis. Quodintellige ſi ipſi militantes propriis manibus occidant, vel mutilent: ſi enim id per ſe non faciant licèt faciant alii, ipſi non facientes, non incurrent. Ita Sylu. *citata q.* 3. Tabien. *irregularitas* 3. *n* 20.

42 Clerici, & proinde regulares non poſſunt pugnare in bello iuſto aggreſſiuo, vt colligitur ex *cap. petitio. de homicidio, & c. clerici.* 23. *quæſt.* 8. & tenent Doctores cõmuniter: poſſunt tamen huiuſmodi bello aſſiſtere ex pia cauſa, & licẽtia ſuperioris, vt ait D. Th. 2. 2. *q.* 4. *a.* 4.

Et

Et probatur, quia huiusmodi assistentia non est mala & fit in praxi ad profectum spiritualem militum fidelium. Immò dicunt aliqui etiam clericum, ac religiosum posse adesse, & assistere in bello iniusto non animo fauendi iniustitiæ belli, sed pro bono spirituali militum in confessionibus,& similibus: maximè cùm multi ibiignorent iustitiam belli, & possint bona fide saltem in mortis articulo saluari.

43 Religiosus, & clericus in bello iusto exhortans milites ad strenuè pugnandum,non est irregularis.colligitur *ex cap. penul. de homicidio.* Et tenet Gloss. *in c. sciscitaris 7.quæst.1.ver. prodire.*& Doctores communiter. Et probatur, quia sic exhortando non facit contra iustitiam, neque contra aliquam particularem prohibitionē sibi factam.Rursus sola exhortatione non prouocat directè ad homicidium, sed solùm ad fortiter pugnandum, si enim in particulari hortetur ad homicidium, erit irregularis. Si etiam id faceret absque licentia superioris,vel Prælati,adhuc non esset irregularis:quia carentia illius licentiæ non inducit irregularitatem. A contrario verò intelliges quod clericus exhortans prædicto modo in bello iusto erit irregularis. Vt tradit Henriq.*tom.2.lib.12.c.13.n.3.* licet ipse neminem occidat.

44 Si clericus vel religiosus in bello iusto militet propriis manibus, (quidquid sit de peccato militandi contra sibi facta de hoc speciali prohibitione:) talis Clericus non erit irregularis si ipse propriis manibus nullum occidit, neque mutilauit, nec fuit causa proxima vt alij facerent aliquid ex his duobus. Ita Nauarr. *cap.27. num.215.* & alij quos citat & sequitur Suarez *disp.47. cit. sect.6. num.9.* Neque obstat *caput quod in dubiis.de pœnis.*vbi iubetur deponi clericus gubernans nauem in prælio: vel militans in bello: vel hortans in illo:

illo : neque ibi requiritur, vt detur sanguinis effusio. Non, inquam, obstat : quia primò *citatum caput* exponi potest de clerico illa faciente in bello iniusto. Secundò exponitur de clerico quando sua exhortatione hortatur in particulari ad homicidium : quod supra diximus non licere. Intelligitur si pugnat secuta morte, vel mutilatione propriis manibus causata. De gubernatione verò nauis non curo, quia non facit ad intentum argumenti, & aliqui in hoc Clericum non excusant ab irregularitate, quia gubernans nauem magis influit in mortes contrariorum, quàm singuli milites quorum ictus vt plurimum sunt cassi, & frustrati. Ex hoc collige Clericum, vel Prælatum Ecclesiæ, qui dedit arma militibus ad pugnandum in bello iusto non esse irregulares etiam si milites cum dictis armis mutilent vel occidant. Ita Nau. *c.* 27. *n.* 21.

45 Quod tandem attinet ad dispensationem cum prædictis militantibus in bello iniusto, vel in bello iusto modo illicito, dicendum est posse Prælatos regulares cum subditis dispensare in irregularitate inde orta per sua priuilegia, vt latè diximus supra *in his addit. ver. dispensare* : & clarius in 1. *editione eodem ver. dispensare. & ver. Prælatus ad dispensandum.* modò in aliquo euentu ex supradictis ad arbitrium prudentis viri, non interuenerit homicidium voluntarium notorium.

46 Adhuc de Religiosis qui comitantur ductos ad patibulum ; vel mortem quancunque : Noto Nauarr. *in Sum. cap.* 27. *num.* 217. cum Antonino, & aliis quos citat, tenere esse irregularem Sacerdotem qui dicit illis vt ascendant scalam; vt apponant caput ad cypum, aut faciant aliquid ex quo mors acceleretur. At Henriquez *lib.* 14. *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. primò dicit Sotum irrisisse rogantem à se, an esset irregularis comitans ductum

ductum ad patibulum ſuper aſino, quem aſinum ſiſtentem Sacerdos punxit, vt ambularet. Et in *ſumma* dicit Henriq. facientem rem minimam ad accelerandam mortem non eſſe irregularem, vt ſi dicat patienti, vt aſcendat vnum tantum ſcalæ gradum. Ait item non eſſe irregularem ſacerdotem, qui à iudice obtinuit ne ductus ad patibulum ducatur per plateam patris, vel vxoris, tollendę moleſtiæ cauſa, reſpectu patiẽtis, & cõſanguineorum, quanuis aliàs ductus per aliam plateam breuiorem, & inſolitam citius pateretur mortem. Neque item eſſe irregularem illum qui lictorem inexpertum doceret modum quo dandus eſſet nodus. Ait enim in his dari paruitatem materiæ. Volui hæc recenſere, vt videas quàm variè Doctores in hoc loquantur. Mea verò ſententia eſt circa præſentem materiam religioſum infirmarium, vel comitantem ductum ad patibulum, non eſſe irregularem ſi bona fide, abſque culpa mortali, & in re parua dicat, vel faciat aliquid ex quo per tantillum tempus mors dicatur accelerari: colligitur ex dictis ab Henriq. *cit. loco*. Et præterea probatur, quia cùm iſta irregularitas ſit pœna, & incurratur ob culpam, requiritur vt in his præcedat culpa mortalis. De qua culpa iudicio prudentis Theologi ſtandum erit.

47 Per illa verò quæ ſupra diximus de homicidio, iam manet clarum quid dicendum ſit in illa Religione, quæ homicidium fecit caſum reſeruatum ex decreto Clementis VIII. vt tetigimus in principio huius verbi *homicidium*. Primò enim loquitur Clemens VIII. de omni, ac ſolo homicidio, quod fuerit culpa mortalis, quia non poteſt reſeruari culpa venialis. Vnde conſtat non reſeruari homicidium factum in propriam defenſionem cum moderamine iuſto: nec quodcunque aliud ex ſupradictis quod non ſit peccatum mortale,

ſed

ſed reſeruari omne homicidium quouis modo factum ex ſupradictis,& quouis modo ad illud concurrerit Religioſus, ſiue per ſe,ſiue per alium, dummodo fuerit peccatum mortale.

48 Quoad alias partes prædicti caſus reſeruati,vulnerationem ſcilicet, vel percuſſionem grauem, ſtandum erit prudentis arbitrio. Ibi enim vltra homicidium comprehendetur mutilatio alicuius membri:vulnus in facie,vel in alia parte ſi ſit vulnus notabile.Percuſſio etiam erit dira verberatio,& inſolita. Alapa inflicta interdiu, maximè Religioſo, graui Sacerdoti. Et ſic de cæteris,quæ conſiderare debet Prælatus prudens attentis circunſtantiis perſonæ, loci, & vulneris, ſeu percuſſionis.

HORÆ CANONICÆ.

1 REligioſi Minoritæ profeſſi etiam carentes ordine ſacro tenentur ex vi Regulæ,& conſuetudine ad horas Canonicas:etiam ſi pro culpis eiiciantur ab Ordine. Patet ex Regula Minorum:& quia eiectio non debet fauere ſua culpa. Et cum ſic eiecto tranſit onus qui poteſt ſatisfacere, ſicut & caſtitati. Eodem modo tenetur etiam Clericus degradatus. Sanchez *lib.* 8.*de matrim.diſp.*8.*n.*11.

2 Eodem modo tenentur cæteri Mendicantes profeſſi carentes ordine eo ſacro ex eo ſolùm, quod per profeſſionem ſunt poſiti in ſtatu irreuocabili, ſeu omnino impedito ad matrimonium,& choro addicto.Rodrig.*in Addit.ad Sum.tom.*3.*verb.Horæ Canon.concl.*12. cum ibi citatis.

3 Tenentur etiam Moniales profeſſæ ad chorum, dicere Horas Canonicas. Nau.*de Oratio. & Horis Canonicis.c.*7.*n.*21.& Durant.*de Ritibus Eccleſiæ lib.*3.*c.*22.

& Rodr, *citato proximè loco Addit.* Moniales verò Sanctæ Claræ, quæ propter imperitiam nesciunt dicere Officium diuinum, de iudicio Prælatorum vel Abbatissæ, satisfaciunt dicendo Officium laicarum. Compend. Minorum, ver. *Moniales* §. 3.

4 Laicus Frater Minorita si fuerit ordinatus in sacris absque licentia Prælatorum prohibetur dicere horas Canonicas; sed iubetur dicere horas laicorum positas in Regula pro laicis, ex Leone X. Compend. Minorum, verb. *Laici. Fratres.* §. 5.

5 Omittere omnes horas Canonicas vna die est vnum tantùm peccatum mortale. Item omittere modò primam dicta 3. 6. & 9. & postea omittere Completorium est vnum tantùm peccatum mortale. Suarez *tom. 2. de Relig. libr. 4. capit. 25. numer. 18. & numero 20.*

6 Regularis non addictus Breuiario Romano, extra chorum, potest recitare iuxta Romanum absque licentia Prælati, quia Pius V. solùm loquitur de horis in choro. Rodriguez *citat. loco Addit. capit. 195. concl. 1.*

7 Non potest Generalis Ordinis addicti Breuiario Romano mutare aliquid de dicto Breuiario absque licentia Papæ. Pius enim V. in Bulla præfixa dicto Breuiario id clarè præcipit. Rodrig. *tom. 1. quæst. 42. art. 11.* & notatur in Compendio Ord. D. Hieronym. in Hisp. verb. *Officium D. in fine.* Vnde non potest præcipere vt recitetur tale officium non contentum in tali Breuiario, nec concessum Ordini per aliquod priuilegium. Ait tamen Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. c. 11.* posse Prælatum ex causa iusta, vna vel altera vice dispensare in officio vnius diei: Sed adhuc puto non posse introducere nouum officium.

8 Si Religiosus habeat priuilegium recitandi Breuiario

uiario breui : vel dicendi horas ante tempus, poteſt ſocius illius recitare eodem modo cum illo abſque culpa. Henriq. *lib.7. de Indulgentiis, cap.30. numer.4.* & alij.

9 Matutinæ horæ tum in æſtate, tum in hyeme poſſunt dici veſpere ab hora 4. poſt meridiem : idque ſi adſit honeſta neceſſitas, vt ſtudium defectus viſus, & ſimiles. Suarez *citat.libr.4.cap.27. numer.*14. In Compend. Societatis verb. *Horæ Canonicæ* §.1. conceditur quòd de licentia ſuperiorum, & cum cauſa, maximè itinerantes, poſſint dicere Officium diuinum poſt Miſſam.

10 Leo X. conceſſit Minoritis vt ſatisfaciant diuino officio,etiam ſi recitent ſedendo, ambulando,vel non integrè verba proferendo,propter imperitiam,vel defectum linguæ:vel ſi fiat cum mentis euagatione,dummodò non fiat ex malitia, id eſt, cum aduertentia. Et præterea conceſſit quod recitantes cum malè pronunciantibus,vel facientibus ſupradictos defectus,non teneantur poſtea iterare malè ab illis pronuntiata, vel à ſeipſis malè audita propter diſtantiam localem, vel ſtrepitum factum,ſed his omnibus non obſtantibus ſatisfaciant,maximè in choro.Compend.Minor.verb.*D. Officium.*§.8.& alia ibi,§.9.

11 Prælati Regulares poſſunt diſpenſare ne recitet Horas Canonicas Religioſus qui eſt infirmus,vel abſque graui tædio,ſeu difficultate non poteſt, ſiue ſit febris, ſiue alius dolor. Compend. *ibidem* §.10. Et hoc poteſt etiam diſpenſare Vicarius in abſentia Guardiani.Compend.verb.*Infirmi Fratres.*§.11. *&* 12. *& cit.*§. 10.*ver.Officium Diuin.*& licèt Leo X. *ibi* citatus, dicat hoc maximè poſſe Prælatum, quando Medicus id prælato dixerit,citatus tamen locus, verb. *Infirmi Fratres.* §.12. non requirit dictum Medici. Imò Rodriguez

*Addition.ad Sum.tom.3.cap.*197.*concluſ.*1.dicit ſufficere Religioſo quod dicat illi Medicus ne recitet diuinum officium : neque in rigore requiri licentiam Prælati, pro quo citat Nauar. melius tamen,ac certius eſt ſemper conſulere Prælatum.

12 Poſſunt Minoritæ in officio diuino dicere ſolum mentaliter Pater noſter , & cætera quæ iubentur dicere ſecretò,ne aliis ſint faſtidio , idque poſſunt mentaliter abſque labiorum motu. *in eodem Compend.* Poſſunt etiam itinerantes,vel ratione alicuius occupationis grauis dicere mane totum Officium Diuinum, vſque ad Completorium , incluſiuè. Pius V. in Bullario Rodrig.*fol.*979.

13 Non poteſt Prælatus mutare profeſſum ad chorum, vt ſit laicus,& proinde liber ab Officio Diuino, niſi de licentia Papæ. Rodrig. *Addit. Sum. tom.*3. *cap.* 194.*concluſ.*13.ob cauſas ibi datas. Si tamen profeſſus ad chorum ſubitò euadat , vel appareat imperitus , & impotens ad recitandum Horas Canonicas , poteſt Prælatus illi aſſignare , vt dicat Officium laicorum. Compend.*verbo Moniales.numer.*30.

14 Epiſcopi Monachi poſſunt recitare cum ſociis ſuis Regularibus ſecum recitantibus, per Breuiarium ſuæ Eccleſiæ. Rodriguez *Addit.ad Sum. tom.*4.*cap.*68. *num.*10.

15 Ille qui in choro canentibus aliis,vel intonantibus ipſe ſecum dicit ſubmiſsè tantùm , ſatisfacit officio,& non peccat. Suarez *tom.* 2. *de Religio. lib.*4. *cap.* 12.*num.*8.At ſi eſt beneficiarius,non lucratur diſtributiones,quia non ſeruit,vt alij.*ibidem.*

16 Poſſunt Minoritæ ſupplere omiſſum in Officio Diuino finito Officio,dicendo vnũ Pſalmum, vel Orationem Dominicam,vel Aue Maria , vel Orationem Sacroſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.Ita Sixtus IV. &

Inno

Innoc. VIII. in Compend. Minor. verb. *Officium Diui.* 2.§.5.& §.2.& 3.

17 Possunt Patres Societatis IESV mane dicere totum Officium vsque ad Completorium inclusiuè. Cópend. illorum, verb. *Horæ Canonicæ*, §. 2. si adsit causa, maximè itinerantes.

18 Fratres intenti prædicationibus, confessionibus, lectioni Theologiæ, vel Canonum sacrorum, satisfaciunt Diuino Officio dicentes saltem Psalmos 7. assignandos à Priore cum septẽ Pater noster, & bis Symbolum Apostolorum. Compend. Diui Hieronymi in Hispan. verb. *Horæ Canonicæ*, §.7. ex Clemente VII. concessum est Clericis Sancti Syluest. de Vrbe.

ADDITIO.

1 SIxtus IV. concessit Minoritis vt in Officio Diuino, quando fiunt suffragia Sanctorum in feria, vel semiduplici possint sub vna tantùm commemoratione, & antiphona facere commemorationem omnium Sanctorum Ordinis nostri. Habetur concessio in Bullario Rodriguez, *fol.* 514. *col.* 1. *num.* 2. Quod fit in tota Italia apud Minoritas hodie: & cùm sit priuilegium totius Ordinis, in præcipua Ordinis parte habitum in praxi, non dubito posse fieri similiter in toto Ordine. Antiphona (post orationem solius Patris nostri Francisci, quæ prius, & separatim dicitur) est hæc.

Vos Sancti Dei inclyti, qui estis mente lucida Franciscum imitati, orate vt interpidi hîc simus semper feruidi, & postmodum Beati. vers. Æterna fac cum Sanctis tuis Domine. Resp. Gloria munerari.

ORATIO.

1 *DEus qui ſacram Religionem Seraphici Franciſci decorare dignatus es triumpho multorum Martyrum pro Chriſto occiſorum, puriſſimiſque Pontificibus Bonauentura, ac Ludouico, ac feruentiſſimis IESV præconibus, Antonio, Bernardino, ac Didaco Confeſſore, cum Virgine Clara, præſta quæſumus eorum interceſſionibus præſentia vitare pericula, & ad gaudia peruenire ſempiterna. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.* Et dicitur in Veſperis, & Laudibus eodem modo.

2 Clemens VII. conceſſit Minoritis, vt vbicunque degentes poſſint celebrare feſta Sanctorum illorum, qui ſunt protectores terrarum, vel ſub quorum nomine Eccleſiæ noſtræ intitulantur, ſub duplici, reſpectiuè tamen. Habetur conceſſio in Bullario Rodriguez *fol.* 790. *col.* 2. *in fine.* Circa hanc verò conceſſionem noto primò, ſolùm concedi pro Sanctis, qui ſunt protectores terrarum, in quibus degunt. Secundò, pro Sanctis, qui licèt non ſint ex noſtro Ordine, noſtræ tamen Eccleſiæ habent titulum illorum Sanctorum: vt ſi noſtra Eccleſia dicatur Sancti Petri, Matthæi, Martini, vel ſimilium. Tertiò, concedit hoc fieri ſolùm reſpectiuè, id eſt, in ſola illa Eccleſia, non verò in toto Ordine. Vnde colligo per hanc conceſſionem non poſſe celebrari de aliis Sanctis illius terræ, qui non ſunt protectores, verb. grat. Olyſſipone poterunt celebrare de ſancto Vincentio protectore vrbis ſub feſto duplici; non verò de aliis Sanctis, quos celebrat illa Diœceſis, qui non ſunt protectores: excepto ſi fuerint protectores Regni, qualis eſt Angelus Cuſtos in Portugallia.

3 Quæris, an hoc poſſint hodie facere Minoritæ, & commu-

communicantes huic priuilegio, non obstante declaratione Cardinalium Tridentin. quam citaui supra, *verb. Festi dies.numer.* 1. per quam declararunt non teneri Regulares in diebus festis particularium Diœcesium recitare Diuinum Officium illorum Sanctorum sicut Clerici illis diebus recitant: sed secundùm ritus, & regulam suam: solúmque teneri ad cessationem à seruilibus. Quæris, inquam, an hoc non obstante possint vti dicta concessione Clementis VII. & recitare de protectoribus locorum & de titularibus suarum Ecclesiarum. Credo quòd possunt: quia illa declaratio Cardinalium solum intendit, ne Episcopi cogant tunc Religiosos recitare Diuinum Officium, sicut Clerici recitant: item solùm declarauit illos ex *citato ibi loco* Tridentini, ad id non teneri, quæ duo non tollunt, quin Religiosi, si voluerint, vtantur aliàs suo priuilegio, si modo illud habent in vsu, & in praxi. Si enim non sit in vsu, debent dicere Diuinum Officium iuxta ritum & institutum sui Ordinis.

4 Pius V. concessit Minoritis, vt ratione itineris, aut alterius iustæ occupationis possint dicere totum Officium Diuinum simul manè, aut quando ipsis videbitur cum maiori deuotione ipsum posse recitare. Habetur in Bullario Rodriguez *fol.* 981. *col.* 2. *num.* 17. Si quæris ad quid inseruiat hoc priuilegium, vel quæ culpa sit dicere totum Officium Diuinum simul manè, vide Bellar. *in tom.* 1. *libr. de Purgatorio cap.* 7. *prope finem*: vbi refert ex Petro Damiano B. Seuerinum Episcopum Colonienſem apparuisse cuidam Presbytero eique dixisse se esse in Purgatorio, & grauiter torqueri, quod horas Canonicas non distinctis temporibus persoluisset, sed manè omnes simul recitasset vt tota die negotiis imperialibus vacare posset. Vnde colligit Bellarm. fuisse saltem peccatum veniale, & tamen habebat

illam cauſam negotij communis. At ſi fiat ex vi priuilegij iſtius, & cum cauſa, vitabitur illa culpa venialis.

5 Pio conſolatione adhuc, & quiete Regularium, maximè ſcrupuloſorum noto ex Sanchez *1. Decalog. c. 13. a n. 10. & ſequent.* maximè *n. 16. & ſequent.* illum qui incepit recitare horas Canonicas animo non ſatisfaciendi pro tunc, ſed poſtea iterando: & tamen pertæſus poſtea vult ſatisfacere illa prima recitatione: ſatisfacit obligationi cum illa prima recitatione: fundamentum illius eſt à *numer. 10. citato*, quod ad implendam obligationem legis ſufficit vt quis faciat omne illud quod lex imperat, quamuis non habeat intentionem ſatisfaciendi tali legi: hoc probat rationibus efficacibus, vel ſaltem ſufficientibus: ſoluendo rationes in contrarium. Citat pro hac ſua ſententia Valentiam 2. 2 *diſp. 6. q. 2. puncto vltimo in fine.* Suarez *tom. 3. in 3. part. q. 83 art. 6. diſp. 88. ſect. 3.* Vaſquez, Leonard. & alios.

6 Ex qua ſententia, & fundamentis illius, ac Doctoribus, infert Sanchez *citato cap. 1.* recitantem Diuinum Officium primò cum intentione non ſatisfaciendi pro tunc, poſtea ratificantem, ſatisfacere cum præterita recitatione. Secundò idem deducit erga implentem pœnitentiam iniunctam à Confeſſore, qui in principio faciens actum iniunctum, non habuit propoſitum implendi pro tunc: & voluit poſtea implere per illum actum præteritum. Tertiò idem colligit circa audientem vnam Miſſam in die obligationis: qui in principio Miſſæ habuit animum non ſatisfaciendi cum illa, ſed aliam poſtea audire propoſuit: quo non obſtante, ait illum ſatisfacere cum priori Miſſa audita: Quia, vt inquit, cum citatis autoribus *num. ibi 13.* lex diuina ſolùm obligat pro tunc ad talem ſubſtantiam operis

ris exhibendam: & non curat de intentione, qua talis actio debeat fieri, dummodo fiat actu libero, & humano: non enim desinit impleri præceptum eo quòd desit illud ad quod non obligat præceptum. At præceptum in illis tribus exemplis non obligat ad intentionem implendi, sed ad substantiam operis exequendam: & confirmatur claro exemplo. Nam præcepto negatiuo, verb. grat. de non fornicando, verè quis satisfacit, omittendo tale opus, etiamsi non cogitet de illo, neque illi veniat in mentem in tota vita: quod per suam omissionem fornicationis vult satisfacere tali præcepto negatiuo: ergo similiter verè satisfaciet quis præcepto affirmatiuo, verbi gratia de Diuino Officio recitando si opus iniunctum impleat, etiamsi pro tunc non habeat animum satisfaciendi illi præcepto.

7 Bene tamen aduertit Nau. *in c. quando. de consecrat. dist. 1. cap. 13. n. 15.* Aragon. *2. 2. q. 83. art. 23.* & alij, illum qui recitaret Diuinum Officium solùm legendi, vel addiscendi gratia, non animo orandi, non satisfacere obligationi recitãdi, etiamsi postea velit stare priori recitationi, atque etiam si prius recitauerit attentissimè: probatur, quia cùm Diuinum Officium dicere sit orare, de intrinseca ratione illius est, vt recitans intendat orare. Neque hoc dictum contradicit dictis in *n. præcedente*, de satisfaciente Diuino Officio etiamsi habeat propositum non satisfaciendi pro tunc. Nam hæc duo, videlicet nolle orare, & nolle satisfacere, sunt valde distincta, & primum, id est, orare est de intrinseca ratione Diuini Officij, vt diximus. Secundum verò, id est, velle, aut nolle pro tunc satisfacere, non est de intrinseca ratione Diuini Officij, dummodo adsit animus orandi, iuxta dicta à Sanchez *n. præcedente*.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

1 POteſt quis obligatus ad recitandum horas Canonicas eas recitare cum ſocio non habente obligationem recitandi, etiam ſi ſit laicus: & etiam ſi iſte non obligatus recitet ſine vlla attentione interna, dummodo verba pronunciet ita vt intelligat is qui recitat obligatus. Ita Azor. 1. *part. Summ. Moral. libr.* 10. *cap.* 7. *quæſt.* 6. Suarez *tract.* 4. *de Religione, lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 2. & Reginald. 2. *par. Sum. lib.* 18. *n.* 158. *tit. explicatio dubiorum.*

2 Quando quis recitat cum ſocio ſufficit audire orationes, capitula, reſponſoria, lectiones, quæ ab alio dicuntur. Ita Sylu. *verb. Horæ Canonicæ q.* 7. & Reginald. *citato lib. n.* 158. & alij.

3 Circa integritatem Diuini officij recitandi quotidie, accipe ſequentia collecta ex Doctoribus melioribus: primum omittere totum Diuinum officium vna die eſt vnum tantùm peccatum mortale, quia vnum tantùm præceptum datur de Horis Canonicis omnibus vna die recitandis, & in hoc omnes conueniunt. Secundum, omittere in vno die vnam tantum horam etiam ex paruis tertiam ſcilicet, vel completorium, eſt etiam peccatum mortale, quia hæc parua hora reſpectu totius officij diuini eſt pars notabilis. In quo etiam Doctores conueniunt. Tertium omittere etiam in quauis hora, etiam ex paruis, partem notabilem, eſt peccatum mortale, vt omnes affirmant.

4 Tota quæſtio eſt quæ ſit dicenda pars notabilis in quauis hora? Nauarr. *cap.* 10. *de Orat. numer.* 43. & 44. dicit illum qui in hora parua, vt ſexta, omittit initium vſque ad principium primi Pſalmi, peccare mortaliter, aſſignat exemplum, quia qui in Choro non

veniunt

veniunt ante initium primi Psalmi multantur in distributionibus quotidianis iuxta communem consuetudinem. Hanc opinionem reiicit Suarez *tom.* 1. *de Religion. libr.*4. *cap.*25. *nnm.*15. *& num.* 16. vbi in Summa hæc dicit: Primò, illum qui in toto Matutino cum laudibus omitteret vnum nocturnum, peccare mortaliter, quia ille nocturnus est quarta pars illius horæ, & proinde pars notabilis. Secundò ait, quod si quis omitteret in vna die fere dimidiam partem Completorij, se non audere illum dānare de peccato mortali, quia licèt illa omissio sit notabilis respectu illius horæ Completorij, non tamen est notabilis respectu totius officij vnius diei, quod totum officium sub vno tātum præcepto singulis diebus imponitur. Et dat rationem, quia vna hora non est adæquata materia huius præcepti, sed totum officium vnius diei, ac proinde, vt ait, non valet consequentia: hæc omissio, fere dimidiæ tertiæ, est notabilis respectu horæ tertiæ: ergo est notabilis respectu totius officij vnius diei. Et tandem concludit hoc iudicandum esse prudentis arbitrio. Et hoc pro certo tenendum, quod nunquam hora aliqua integra dimittatur, etiam ex minimis, neque pars alicuius horæ quæ æquiualeat vni horæ paruæ, vel dimidiæ parti illius. Cum Suarez concordat Regin. *cit. lib.* 18. *n.* 145. pro se citat Suar. Antonium. Quorum tantorum trium doctorum dictū non audeo reprobare, licèt opinio Nauarr. sit securior, qui ait esse peccatum mortale, in qualibet hora, etiam ex paruis omittere tertiam partem: Non enim Nauarr. considerat hanc horam paruam in ordine ad totum officium diei: sed in se ipsa illam considerat, quia præceptum Diuini officij æqualiter respicit, & omnes 7. horas simul iunctas, & vnamquamque earum. Et potest esse exemplum, præceptum de non laborando in die festo: hoc enim æqualiter

respicit,

reſpicit & omnes horas diei feſti, & ſingulas horas eiuſdem, *in omnibus enim prohibet laborare.*

IEIVNIVM.

Vide ſupra ver. *Feſti Dies n.* 3. *de Ieiuniis indictis ab Epiſcopo.* & infra ver. *Religioſus n.* 3.

1 TEnentur Religioſi abſtinere à carnibus in die Natiuitatis Domini, ſi venerit in Feria ſexta: imò ad ieiunium, ſi ex voto vel regula ad id obligentur. *c. final. de obſeruatione ieiunij.* Et tenentur ſæculares qui vouerunt ieiunare Feria ſexta.

2 Minoritæ non attingentes annum vigeſimum primum, vel antecedentes illum, tenentur ieiunare Quadrageſimam, & Aduentum, quia tenentur profeſſi quicumque ex vi Regulæ, idque ſub mortali. Rodr. *tom.* 2. *q.* 100. *art.* 4. & 8. Non tamen tenentur ieiunare vigilias, & quatuor tempora Eccleſiæ, & Sanctorum. Rodr. *q.* 100. *art.* 6.

3 Minoritæ in ſuo Aduentu ante Natiuitatem ad cuius ieiunium tenentur ſub mortali non poſſunt in Aduentus illius Dominicis diebus carnem comedere, probatur ex conſuetudine, & à ſimili. Nam etiam obligati ad ieiunandam Quadrageſimam non poſſunt edere carnes in Dominicis Quadrageſimæ etiam ſi in illis diebus à ieiunio ſint liberi.

4 Leo X. in Compend. verb. *Ieiunium.* §. 5. conceſſit Minoribus, maximè qui ſunt prædicatores, conſolationis gratia, vt poſſint anticipare ieiunium vna hora ante horam conſuetam: id eſt, comedere vna hora ante horam conſuetam ieiunij.

5 Eugenius IV. conceſſit quod Prælati etiam ſine Medico poſſint diſpenſare cum infirmis circa ieiunium, idque

idque etiam possint Vicarij & Confessores Fratrum. Compend.*cit.ver.Ieiunium.*§.7. *Ibidem* etiam concessit quod possit Prior S. Hieronymi de consilio Medici dare licentiam Fratribus, & familiaribus Conuentus, vt possint comedere carnes, oua, & similia in diebus ieiunij si sint infirmi. An senes sexagenarij etiam validi teneantur ad ieiunium,vide Sanchez *lib.7.de Matr. disp.*32. *n.* 17. vbi ait esse id valde probabile:& Pius V. in Bulla ibi citata dispensauit cum Religiosis sexagenariis,non in ieiunio, sed vt ederent lacticinia;videtur Sanchez fauere sexagenariis.

ADDITIO.

Vide infra verb. *Religiosus num.*3.

1 DIxi supra *hoc eodem verbo*, Religiosos non attingentes annum 21. teneri ad ieiunia suæ Regulæ cum illa obligatione, qua dicta ieiunia obligant ex vi Regulæ. Nunc addo, quòd præceptum Ecclesiasticum ieiunij in anno vigesimo primo non obligat in principio illius anni vigesimi primi,sed requiritur vt ille annus vigesimus primus ad præcepti obligationem sit annus completus omnino de momento ad momentum. Vnde si in die ieiunij alicuius impleat aliquis annum 21. hora diei prima post meridiem: in illa die vsque ad illud tempus,vel terminum non tenetur ieiunare,quia ille annus completus est numerandus de momento ad momentum. Ita Sanchez *lib.2.de Matr.disp.*24.*n.*23.

2 Vide supra verb. *Festi dies.num.*4. Nunc autem ibi dictis addo ex Sanchez *cit. ibi disp.*18. *num.*22. *lib.*2. *de Matr.*abeuntem proprio oppido,in quo seruatur illa die ieiunium, si nocte peruenturus sit ad locum vbi

ieiu

ieiunium non ſeruatur, poſſe in loco vbi non ieiunatur nocte cœnare,& carnibus veſci, quamuis tota die ieiunauerit: nam poteſt tunc nocte ſe conformare conſuetudini loci. Imò ibi putat probabilius hunc talem poſſe mane ientaculum ſumere,ſeu collationem, quamuis peruenturus certus ſit ad locum vbi non ieiunatur, idque quando moraliter eſt certus de profectione,& peruentione ad talem locum, vbi ieiunium non obligat: at non poterit veſci carnibus donec perueniat ad locum vbi ſunt licitæ. Ratio eſt, quia obligatio abſtinendi à carnibus eſt diuiſibilis, nam illa repetita in diebus prohibitis, ſeu comeſtio illius multiplicata in illis diebus multiplicat peccatum: ergo poteſt pro parte diei eiuſdem diuidi, & manè obligare, non verò nocte cum circunſtantiis ſupra poſitis. At obligatio ieiunij eſt indiuiſibilis, conſiſtens in vna comeſtione;ac proinde violans ieiunium vna vice,in illa die non tenetur amplius à cibo abſtinere ſub mortali.

3 Infert *ibidem* Sanchez *num.* 23. illum qui manè exit ab oppido, in quo non ieiunatur, & vbi carnes eduntur,poſſe manè illas comedere, vel non ieiunare, quamuis nocte acceſſurus ſit ad domicilium, in quo ieiunatur,& à carnibus abſtinetur: nam extra domicilium non aſtringitur illius legibus: & in domicilio,ad eius leges tenetur.

4 Solent multi Religioſi facere votum de ieiunando tali die in pane,& aqua;vel id faciunt ſola deuotione, vel ſæculares illos de hoc voto conſulunt. Dubitationes aliquæ circa hoc inſurgunt, quæ breuiter reſoluẽtur per tradita à Sanchez 4. *Decalog. cap.* 11. *à num.* 45. vbi primò dicit: Talem ſi biberit vinum peccare mortaliter. At eo bibito in ea quantitate notabili, vt frangat ieiunium, non eſt amplius peccatum id bibere.

re. Dat ibi cauſam,quæ facilis eſt. Attamen ſi promiſit ſe illa die nihil manducaturū niſi panem,& aquam, tunc quoties biberet vinum,peccaret mortaliter,quia toties frangit votum negatiuum.Differunt enim valde inter ſe duo vota : voueo ieiunium in pane, & aqua: vel dicere, voueo me tali die nihil manducaturum, nec bibiturum,niſi panem, & aquam : & in fractione primi multiplicata non multiplicantur peccata : ſecùs in fractione ſecundi. Idem applicabis ad vota ſimilia affirmando,vel negando. Diſtingue etiam, quod ſi illa dies,in quo promiſit ieiunium in pane,& aqua, ſit ieiunandus aliàs ex obligatione Eccleſiæ, & votum ſit emiſſum primo modo, quamuis non peccet poſtea bibendo vinum, tenetur tamen ad ieiunium Eccleſiæ.

5 Vouens abſtinere à lacticiniis, ſi illi in mentem venit in tali voto includere etiam carnes, tenetur illas non edere, ſi autem dubius eſt an illas incluſerit, poteſt aliàs abſtinendo à lacticiniis carnes edere. Sylu. *ver. Ieiunium quæſt.* 10. Azor. *libr.* 7. *Inſtit. Moral. cap.* 10. *quæſt.* 2. & Sanchez *num.* 46. & alij. Nam licèt tunc tutius ſit abſtinere à carnibus,in voti tamen obſeruatione, ſtante dubio ad quid me obligauerim, non teneor tutius obſeruare. Imò addit Sanchez hoc eſſe verum, etiamſi talis vouens dubius re vera de præterito, modò credat quod ſi ei carnes in mentem veniſſent, illarum etiam abſtinentiam voueret. Nam, vt ait, ad inducendam obligationem voti non attenditur qualis voluntas habenda foret, ſed qualis voluntas actu habita ſit. Item qui vouit abſtinentiam ab ouis, non tenetur abſtinere à lacticiniis,differunt enim inter ſe lacticinia,ab ouis:illa enim ſunt caſeus, lac,butyrum,& ſimilia, quæ emunguntur : oua autem ſunt diuerſa. Et hoc de abſtinentia ab ouis intellige ſimiliter, niſi vō-

uens

uens illorum abstinentiam expresse includeret etiam lacticinia.

6 Quæris de illo qui vouit abstinere à carnibus, an possit vesci, seu bibere ius, in quo carnes sunt decoctæ? Ait Sanchez *ibidem num.* 48. teneri à tali iure abstinere, nisi expressam intentionem habuerit tempore, quo vouit ius tale non excludendi. Nam illud votum obligat ad abstinendum à carnibus, sicut obligat ius Ecclesiasticum: at præceptum Ecclesiasticum obligans abstinere à carnibus, obligat etiam abstinere à iure, in quo illæ decoquuntur, quia carnis substantiam imbibitam habet.

7 Vouens ieiunium, tenetur ieiunare absque lacticiniis: si tamen sic vouens habet Bullam Cruciatæ, satisfacit ieiunio edens lacticinia. Nam quando Pontifex vouenti, aut Confessarius imponũt obligationem ieiunij, imponunt illud modo quo imponit lex Ecclesiastica: at ieiunans cum lacticiniis, & Bulla Cruciatæ ieiunat ad modum legis Ecclesiasticæ. Ita Angles *in Floribus 1. part. quæst. 9. de Ieiunio. art. 1. post 9. difficul. dubio 5.* Rodriguez *tom 1. Sum. in 2. editione cap. 184. num. 10.* Quod idem dicendum est de illo qui habet ex pœnitentia iniuncta obligationem ieiunandi. Si verò sic vouens non habet Bullam Cruciatæ, tenetur abstinere à lacticiniis, quia omne ieiunium Ecclesiasticum exigit abstinentiam à lacticiniis, vel de præcepto iuris vt ieiunium Quadragesimæ, aut saltem ex consuetudine, vt alia ieiunia iuxta multorum sententiam. Abstinere enim à lacticiniis est circunstantia intrinseca ieiunio, pertinens ad substantiam, & finem ieiunij, videlicet macerationem corporis, & hoc de sententia communiori dicendum est. At Sanchez, *citato loco num. 52.* tenet probabile esse sic vouentem ieiunium absque Bulla Cruciatæ, posse comedere lacticinia

nia in illo die ieiunij, extra ieiunia tamen Quadrageſimæ. Quæ eſt probabilior opinio, neque de iure, neque de conſuetudine interdici in die ieiunij lacticinia extra Quadrageſimam.

8 Notat etiam, & acutè idem Sanchez *ibidem. n.* 53. in rigore loquendo ieiunium Quadrageſimale de ſe intrinſecè non includere abſtinentiam à lacticiniis quatenus tale ieiunium eſt: ſed abſtinentiam à lacticiniis in Quadrageſima eſſe diſtinctum præceptum Eccleſiæ à præcepto ieiunij. Nam in *c. dauique 4. diſt.* ſuppoſito præcepto ieiunij Quadrageſimalis, quaſi diſtinctum præceptum tradens, ait: *Par eſt vt qui his diebus à carnibus abſtinemus, ab his quæ ſementi eam trahunt originem à carnibus, ieiunemus.* Hoc probat, quia in diebus Dominicis Quadrageſimæ ceſſante præcepto ieiunij, non ceſſat præceptum abſtinendi à lacticiniis. Hinc infertur illum qui in Quadrageſima abſque cauſa nõ ieiunat, & præterea edit lacticinia, committere duo peccata: vnum contra ieiunium, aliud contra eſum lacticiniorum: idem de tunc comedente carnes abſque cauſa. Qui verò in Quadrageſima ieiunauit, ſed comedit lacticinia abſque cauſa, & ſine Bulla vnum tantum peccatum fecit edendo lacticinia tunc prohibita: non verò is peccauit contra ieiunium, vt *ibi* tenet Sanchez, quia de intrinſeca ratione ieiunii, etiam Quadrageſimalis, non eſt abſtinentia à lacticiniis, ſicut eſt abſtinentia à carnibus. Citat pro his Paludanum *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 4. *art.* 4. *n.* 33. & Antonin. 2. *p. tit.* 6. *cap.* 2. §. 3. & Angles *loco ibi citato.*

9 Qui vouit ieiunare omnia Sabbata, tenetur etiam ieiunare in die Natiuitatis Domini, ſi venit in Sabbato. Eſt communis Doctorum, & probatur, quia ratione voti tunc obligatur.

10 Qui in die ieiunii ſurgit à prandio vt colloquatur

de negotio cum amico, & consumit mediam horam in negotio, vel colloquio, illo finito, potest reuerti ad prandium finiendum, tota enim illa comestio censetur vna moralis comestio. Et arbitrio prudentis viri iudicandum est quanta mora interposita non diuidat moraliter vnam comestionem Requiritur etiam vt relinquens prandium, & surgens ad aliud negotium, habeat intentionem redeundi ad illud. Nam si surgit cum animo iterum non manducandi, vel id quod iam manducauit fuit sufficiens ad sustentationem ieiunij, non potest iterum comedere absque fractione ieiunij. Rodrig. *Addit. ad Sum. tom. 4. verb. Quadragesima cap. 110. n. 10.*

11 Sacerdos celebraturus, & quicunque recepturus Eucharistiam tenetur id facere ieiunus ieiunio naturæ, & non sufficit ieiunium Ecclesiasticum. Est communis sibi explicatione indigens. Videlicet; datur ieiunium naturæ, & est illud quando natura, siue homo nihil adintus recepit, neque comedendo, neque bibendo, neque per modum medicinæ. Talis esse debet celebraturus, vel communicaturus, ita vt nihil illorum sumpserit etiam in parua quantitate. Hoc tamen patitur has breues tres declarationes. Prima est: deglutio saliuæ non impedit hoc ieiunium. Secunda, si quis manè inueniens in ore reliquiam cibi relicti ex cœna hesterna, & deglutiat, non frangit ieiunium naturæ: Nam hæc duo, non sunt noua comestio: quia comestio est noui cibi in os iniectio. Tertia, si quis aqua os lauet eam voluens inter dentes, & aliqua gutta per guttur vadat in ventrem: non frangit ieiunium naturæ, neque impedit communionem: quia vltra quod illud sit paruitas materiæ est etiam præter intentionem: Et tales defectus, vel casus non est in nostra manu vitare. Dixi non posse communicare illum qui non fuerit ieiunus hoc

hoc ieiunio, intelligendum modò non sit in claro periculo mortis, & iubeatur communicare per modum viatici; tunc enim præuisus id poterit facere ac cœnatus. Ieiunium Ecclesiasticum est quod fit seruata lege Ecclesiæ, seu per modum quo satis fiat præcepto Ecclesiæ. Hoc ieiunium est benignius, & potest seruari bibendo manè, vel sumendo paruam quantitatem per modum medicinæ, vt tradunt Doctores in materia de ieiunio, quod fusius persequi non promisi.

12 Qui in die ieiunij per plura interualla sæpius comedit parum quid, ita vt ex multiplicatis pusillis fiat notabilis comestio, frangit ieiunium, si hoc fiat eodem die: exemplum sit de furante sæpius modicadum peruenit ad quantitatem notabilem. Si verò comedat sæpius, & pusillum in diuersis diebus ieiunij, non frangit, quia tunc illa pusilla non vniuntur moraliter. Neque item peccat mortaliter, qui multos simul inducit vt in die ieiunij comedant pusillum, quod simul iunctum esset notabile, Sanchez 1. *Decalog. cap.* 4. *num.* 11.

IGNORANTIA, ET IN-aduertentia.

Vide infra verb. *Pœna.*

REs est quotidiana, & proinde multa explicatione indigens materia breuis de ignorantia: estque præcipuè Religiosis necessaria, tum quod multi illiterati sunt: tum quia pluribus legibus, censuris, ac pœnis subiecti sunt, vtpote quia fideles ordinarii, quia clerici, & quia Religiosi, vnde oportet vt pro illorum quiete sciant quando excusentur ignorantia. Accipe ergo per summam sequentia.

1 Aliud est ignorantia, aliud inaduertentia siue inconsideratio. Ignorantia est carentia scientiæ, quando scilicet de tali re nunquam sciui per aliquem sensum, vel notitiam, vt de illo quod Romæ agitur. Inaduertentia est obliuio scientiæ, & cadit supra illam rem quam ego iam scio, sed intellectus per obliuionem non aduertens, non aduertit ad illud, v.g. scio per lumen naturale fornicationem esse peccatum: sed per motum primo primum, vel secundo primum non aduerto esse peccatum, dicor habere inaduertentiam, quæ etiam dicitur inconsideratio, siue incogitantia: quæ inaduertentia æquiparatur ignorantiæ circa dicenda.

2 Diuiditur primò, ignorantia in ignorantiam facti, & ignorantiam iuris. Ignorantia facti est quando quis ignorat factum, seu qualitatem facti à se patrati. Exempla sunt; percussit quis Petrum, qui erat Clericus, ignorans illum esse Clericum: vel putans mittere sagittam in feram occidit hominē latentem: iste habuit ignorātiam facti, quia ignorauit suum factum esse percussionem Clerici, vel occisionem hominis: Potest etiam afferri exemplum: ego feci hoc opus ignorans esse peccatum: vel ignorans esse simoniam, vel vsuram: dicor habere ignorantiam facti, quia nescio qualitatem illius facti, vel operis. Ignorantia iuris est, quando ignoratur ius, seu lex prohibens talem actum, v.g. scio percutere Clericum esse malum in lumine naturali, at ignoro Eccles. hoc prohibere lege pœna excommunicationis. Item si scio lege naturali prohiberi coitum cum Monali: at nescio Ecclesiam id prohibere lege speciali: in vtroque casu habeo ignorantiam iuris, non facti. At si in vtroque casu habeo ignorantiam, & quod iste sit Clericus, & quod ista sit Monialis, & pari modo in vtroque casu ignoro

legem

legem Ecclesiæ id prohibentem specialiter, in vtroque casu simul habeo ignorantiam iuris, & ignorantiam facti.

3 Diuiditur secundò, ignorantia in inuincibilem, & in ignorantiam vincibilem. Inuincibilis (quæ etiam dicitur inculpabilis, probabilis, antecedens, iusta, & inuoluntaria) est illa quæ inculpabiliter priuat cognitione, & scientia malitiæ actus, qua cognita non fieret. Exemplum est de mittente sagittam in feram putatam, cùm sit homo, adhibitâ solitâ, & morali prudentiâ, quam non mitteret si sciret esse hominem. Dicitur hæc inuincibilis, quia pro tunc vinci non potuit moraliter loquendo: talis est illa qua quis dubitans an aliquid esset peccatum, consuluit Doctorem, peritum virum, qui vel dolo, vel bonâ fide decepit: & ille actum peccaminosum fecit: talis erit ignorans inuincibiliter, quia ignorantiam vincere non potuit. Dicitur etiam hæc ignorantia, iusta, inculpabilis, & inuoluntaria, quia cùm in illa non detur peccatum, vt supponimus, eo quòd adhibita sit moralis diligentia potitiuè, vel non omissa: illæ tres conditiones illi conueniunt, videlicèt, quòd sit iusta inculpabilis, & inuoluntaria, si enim sciretur malitia actus, omnino non fieret. Dicitur denique hæc eadem ignorantia antecedens, non quia antecedat actionẽ illius operis, sed quia nec directè nec indirectè volũtaria est, sed antecedit omnẽ actũ liberæ volũtatis.

4 Ignorantia vincibilis, seu consequens è contra dicitur quæ sequitur voluntatem, vtpote quæ verè volita est, aut directè, vt cùm est affectata: aut indirectè, quia potuit ignorans, & tenebatur illam expellere. Qua ratione dicitur vincibilis, culpabilis, iniusta, voluntaria, & improbabilis. Vt si in casu prædicto sagittæ, aliquis eam mitteret temerariè, non præmissa diligentia, & circũspectione moraliter necessaria. Item, si quis dubi-

tans hoc esse peccatum, nolurit rogare litteratos, cùm posset, ac teneretur, & fecit opus peccaminosum: tunc enim vincere posset, & ideo fecit culpabiliter, iniustè, &c. Differt autem hæc ignorantia ab inuincibili; nam inuincibilis si concurrit ad peccatum, concurrit solùm ad materiale peccatum, non ad formale illius: at ignorãtia vincibilis est causa peccati formalis, & vera causa peccati propriè dicti: dicitur etiam hæc ignorantia consequens, quia cùm sit indirectè saltem volita, consequitur liberum actum voluntatis.

5 Ignorantia vincibilis tribus modis subdiuiditur: primò in illam, in qua datur negligentia grauis sufficiens ad mortale: & in illam, in qua datur negligentia leuis, & venialis. Secundò ignorantia vincibilis alia est affectata, cùm scilicet quis affectat ignorare nolẽs discere, vel percontari: alia verò ignorantia est non affectata, quando scilicet quis, licèt ignoret, non eligit ignorare. Vnde ignorantia affectata est directè volita, quod non habet ignorantia inuincibilis, nec vincibilis: illa enim nullo modo est volita, hæc verò vincibilis est solum indirectè volita. Tertiò ignorantia vincibilis alia est solùm mortalis seu sufficiens ad mortale, alia verò est crassa, seu supina: hæ duæ differunt solùm per magis, & minus. Crassa enim est illa, quam soli homines crassi habent & pingues in re scilicet clarissima, quam omnes sciunt: & nullus nisi crassi ingenij ignorat, & proinde ista nullam omnino adhibet diligentiam. Illa verò sufficiens ad mortale præmisit aliquam diligentiam, & præuentionem, sed non sufficientem, & quæ debebatur apponi, & ideo fuit peccatum mortale non crassum, neque adeo graue. Ita Valentia 1.2. *disp.6. puncto 1. ad finem.*

6 Diuisiones traditæ de ignorantia possunt pari modo tradi de inaduertentia, siue inconsideratione, vt scilicet

licet vna sit inuincibilis,alia vincibilis,alia grauis,alia leuis,&c. Quibus positis ponuntur sequentes conclusiones.

7 Prima conclusio. Ignorantia inuincibilis, siue sit facti,siue sit iuris,excusat omnino à culpa illum actum cuius est causa. Est communis Doctorum ita vt probatione non egeat. Ratio breuis est ; quia factum per talem ignorantiam est inuoluntarium,ac proinde non est peccatum. Idem dic de actuali inconsideratione, vel inaduertentia, hæc enim si sit inuincibilis, quantumcunque adsit scientia habitualis perfectissima,excusat à culpa,imò & à pœna in foro interno. Quòd si actus fuerit diuisibilis habens scilicet partes, vel circunstantias pro diuersitate circumstantiæ, excusabit etiam inuincibilis,v.g.scit aliquis prohibitam esse fornicationem, sed nescit inuincibiliter hanc esse suam consanguineam:ignorantia inuincibilis consanguineæ excusabit illum à parte, vel circunstantia istius actus, quæ est incestus, non excusabit ab alia parte, quæ est fornicatio.

8 Si quis ignorans inuincibiliter præsentis obiecti malitiam,habeat nihilominus animum comitantem, quo dicat actualiter etiamsi esset peccatum id facerem, tunc talis ignorantia obiecti mali, licèt sit inuincibilis,non excusat ab illo peccato mali animi concomitantis,qui ab aliquibus dicitur ignorantia concomitãs. Notat tamen Sanchez 1. *Decalog. cap.* 16. *num.* 14. tribus modis posse hunc malum animum, seu voluntatem comitari istam ignorantiam inuincibilem.Primò, si sit voluntas tantùm habitualis,vt si,v.g. habitualiter tantùm affectus ex odio antiquo, vt si scitet esse hominem inimicum,hunc quem inuincibiliter putat esse feram,illum vtique occideret,& existente hoc solo animo habituali occidẽdi,talis occisio hominis putati

feræ, non est peccatum, quia per solos habitus non meremur, nec demeremur. Idem explica ad alia exempla occurrentia. Secundo modo potest ille animus malus ibi comitari ignorantiam inuincibilem obiecti mali, si videlicet in eo actu habeat voluntatem occidendi hostis si ibi adesset: at putans non adesse mittit sagittam, & proinde illa volitio occidendi solùm comitatur actum externum homicidij. Et tunc externus actus homicidij culpa vacat, solúmque datur culpa homicidij interni ratione propositi occidendi. Tertio modo, si sagittam emittens actualem intentionem habet, vel haberet occidendi quodcunque viuens præsens, siue sit homo, siue fera, & tunc est verus homicida, quia iam habuit voluntatem directam occidendi.

9 Ignorantia inuincibilis pœnæ non excusat formaliter, & directè à culpa. Ratio est, quia ignorantia eatenus tantùm excusat à culpa, quatenus aufert voluntarium: at ignorantia pœnæ positæ pro tali culpa non aufert omnino voluntarium, licèt aliquo modo illud minuat, quatenus ignorata pœna non ita grauitas peccati cognoscitur.

10 Circa ignorantiam inuincibilem notat Sanchez posse in homine rustico dari ignorantiam peccati interni, cum cognitione actus externi peccaminosi: vt si rusticus audiens à viro docto, fornicationem externam esse peccatum mortale: & tamen inuincibiliter ignoret cogitationem internam circa talem actum esse prohibitam. Ita ille *citato capit. 16. num. 17.* fusè id probans. Idem dicit *num. 18. & 19.* de illo qui scit esse peccatum mortale aliquod opus facere, ignorat tamen inuincibiliter esse peccatum illud opus alteri imperare.

11 Tota dubitatio est quando ignorantia, siue iuris, siue

siue facti sit dicēda inuincibilis, seu inculpabilis, idem dic de inaduertentia. De quo multa Doctores, & confusè. Breuiter dico primò, vt ignorantia, vel inaduertentia, vel obliuio dicantur inuincibiles, sufficit quòd nulla notitia, nec specialis, nec confusa, nec aliqua dubitandi ratio in vniuersum, aut peculiariter occurrat. Quare nullum peccatum erit in consensu voluntatis nisi cogitatio aliqua præcesserit, & consideratio expressa circa malitiam moralem, vel periculum peccati: vel saltem expressa aliqua dubitatio, vel scrupulus. Si, inquam, nihil horum præcesserit, talis ignorantia, obliuio, & inconsideratio dicentur inuincibiles. Ita Sanchez *citato c. num.* 21. citans multos Doctores, maximè Vasquez 1.2. *quæst.* 74. *disp.* 107. *artic.* 3. *& disput.* 123. qui prius Compluti docuit ex cathedra, & fuit receptum à Doctoribus Complutensibus. Quæ omnes particulæ, quia claræ sunt, non explicantur. Vnde inferes ab opposito fore ignorantiam vincibilem quoties interuenit aliquid ex prædictis, vt si fuit consideratio expressa, seu actualis, circa malitiam obiecti, vel dubium, vel scrupulus. Adde præterea quod non sufficit vt detur aliqua consideratio malitiæ obiecti, nisi fuerit plena: nec sufficiet semiplena, & imperfecta deliberatio, seu aduertentia mali ad peccatum saltem mortale.

12 Obiicis: Doctores æquiparant scire, ac debere scire, ita vt is qui tenebatur scire, & non sciuit, peccet, ac puniatur sicut qui tenebatur scire, nescisuit. Et ita dicunt de illo qui tenebatur aduertere, & non aduertit. Sed in quouis actu peccaminoso tenetur quis aduertere ad malitiam obiecti; ergo licèt illi non aduenerit consideratio malitiæ, non excusatur à culpa, quia tenebatur aduertere, & non aduertit. Respondetur breuiter ex Sanchez, *numer.* 24. Id quod dicitur

teneri nos aduertere ad malitiam obiecti, intelligendum esse teneri nos aduertere si menti occurrat vt aduertamus: seu si mens dictet esse aduertendū. Si enim in mentem nullo modo venit aduertere ad malitiam obiecti, nullo modo est culpa in non facienda illa consideratione, quæ non venit in mentem, & non potuit vinci. Itaque tenemur aduertere ad malitiam obiecti, si intellectus dictet nunc considerandam esse malitiam obiecti, secus si non aduertat esse aduertendum. Hinc intelligitur quomodo exponenda sit illa regula *iuris in 6.* Ignorantia facti, non iuris excusat. Est enim intelligenda de solo foro externo, in quo lex præsumit neminem ignorare legem latam à Principe. Nam pro foro conscientiæ de quo agimus si ignorantia sit inuincibilis modo prædicto, excusabit, siue sit ignorantia facti, sine iuris.

13 Poterit in aliquo Prælato dari ignorantia inuincibilis iuris, siue legum pertinentium ad suum statum. Nam si aliquid operetur, vel iubeat, nihil omnino aduertens ad legem in contrarium, neque menti ipsius occurrerit dubium, scrupulus, siue cogitatio de lege oppositа, erit ignorantia inuincibilis, vt patet ex supradictis *numer.* 10. & 11. vel potius inconsideratio inuincibilis.

14 Si quis aggrediatur aliquod opus periculosum ex se, vt ignorantia dicatur vincibilis, opus est vt prius aduertat periculum, neque adhibeatur diligentia ad illud cauendum. Si enim non aduertit naturali quadam obliuione, est inaduertentia inculpabilis, vt tradit Nauarr. *lib. 2. de restit. cap. 1. dub. 6.* & alij.

15 Non potest dari ignorantia inuincibilis circa prima duo principia naturalia: quod tibi vis, alteri fac: Et quod tibi non vis, alteri non facias. Idémque multi sentiunt de omnibus præceptis Decalogi circa quæ

dicum

dicunt non posse dari ignorantiam quod nō est metum prosequi, videat qui voluerit, cum alia doctrina de ignorantia apud Sanchez *citat. c.26. sequenti* 17. de iis quæ spectant ad excusandum peccatum propter ignorantiam. Illud solùm in communi pro regula generali dari potest quod scilicet prudentis arbitrio iudicandum est an ignorantia fuerit inuincibilis, vel vincibilis, attendendo tamen ad regulas, ac principia supra posita, vide infra hoc verb. *num.* 24. *& seqq.* Nunc ad præcipuum intentum reuertamur propter quod hîc egimus de ignorantia: vt videlicet sciatur quando ignorantia excusat à pœnis per legem impositis, vt ab excommunicatione, inhabilitate, irregularitate, &c. quæ passim regularibus obuia sunt. De quo etiam optimè tractat Sanchez *lib.9 de Matrim.disp.* 32. Ex quo sic accipe.

16 Post sufficientem legis promulgationem, in foro externo admittitur probatio ignorantiæ si quis velit probare contra illam se inuincibiliter ignorasse illius promulgationem, vt pœnas illius euadat. Ponitur à Gloss. *cap.* 2. *de constit. in* 6. *notab.*1. & est communis Doctorum. Et hæc ignorantia probari potest primò, iuramento ipsius dicentis se ignorasse: Secundò coniecturis, maximè in fœminis. Quòd si lex puniat actum non illicitum aliàs iure naturali, facilius credendum est pro foro interno, & externo alleganti ignorantiam inuincibilem: per regulam *capitis* 2. *de constit.* quod res, quæ culpa caret, in damnum vocari non debet. Nec sine culpa aliquis puniendus est *capit.* 23. *de Reg. iuris in* 6. *sine culpa, &c.*

17 Si aliquis casus lege noua prohibitus sit sub excommunicatione Papæ, vel inferioris Prælati, qui tamen lege antiqua diuina, vel naturali, vel positiua, erat quidem prohibitus, sed nō sub excommunicatione, &

ego

ego ſcio prohibitionem antiquam diuinam, poſitiuam, vel naturalem quæcunque fuerit abſque cenſura, ſed ignoro inuincibiliter nouam legem prohibentem ſub cenſura: non euado peccatum, vt patet, ſed euado cenſuram: ponitur, & probatur latè Sanchez *citat. diſp. 31. num. 9.* pone exemplum de abortu, ſi olim non puniebatur excommunicatione, vt modò punitur, & tamen olim puniebatur, vel prohibebatur lege naturali, & diuina: & ſic de ſimilibus. Probatur, quia taliter peccans ſolum offendit ius naturale, vel antiquum: non verò offendit ius nouum quod inuincibiliter ignorat: at pœna imponenda eſt iuxta qualitatem culpæ. *capit. felices. verſ. illud autem. de pœnis in 6. & capit. 2. in fine. de his quæ fiunt à maiori parte Capituli.* Tertiò ex *lege eum qui* 18. §. *ſi iniuria. verſ. at cùm aliquis ff. de iniuriis.* Vbi dicitur quod cùm aliquis iniuriam infert alicui, & errat in perſona, putans eſſe minorem, cùm ſit re vera maior, non eſſe puniendum vltra ſuam exiſtimationem. Et probatur præterea ex *lege, qui iniuriæ 55. initio ff. de furtis.* vbi diciiur quod ſi quis fregit ianuam alicuius vt illi iniuriam faceret, ex cuius fractione ſequutum eſt vt latrones poſtea furtum illi facerent, non teneri ex furto, ſed ex ſola iniuria. Ex quibus vides etiam cùm datur opera rei illicitæ, non incurri pœnam, niſi iuxta intentionem operantis. Cùm ergo in noſtro caſu iſte malè operans ſolùm putet ſe violare ius antiquum non ponens cenſuram, non incurrit cenſuram, nèc alias pœnas nouæ legis quam ignorat inuincibiliter, & quam non intendit violare. Et notandæ ſunt valde illæ duæ leges citatæ pro caſibus occurrentibus. Addi poteſt *c. cùm voluntate. de ſent. excom.* vbi dicitur maleficia diſtingui voluntate, ac propoſito.

18 Si

18 Si quis ſciat ius nouum prohibere rem aliquam, ſed ignorat quod prohibeat ſub excommunicatione, idque inuincibiliter, licèt multi teneant hoc ſufficere ad illam incurrendam, probabilius eſt non incurrere, ſed requiri vt non ſolùm ſciat de prohibitione, ſed etiam de pœna qua prohibetur. Tenet Henriquez *lib. de excom. cap. 11. num. 1.* & Angel. *excom. 7. caſu vlt.* & Suarez *tom. de cenſur. diſp. 4. ſect. 9. num. 19.* & citati ab iſtis, & probatur, quia excommunicatio non fertur niſi in rebellem, & contumacem: at iſte ignorans excommunicationem in iſto caſu poſitam non eſt rebellis, neque contumax: quia contumax ſolus eſt qui ſcit, & non vult parere.

19 Quæris de irregularitate, ſuſpenſione, interdicto, & aliis pœnis. Et quidem primò de irregularitate præmittendum eſt aliam irregularitatem conſurgere ex delicto, vt ex homicidio, ex celebratione in excommunicatione, ex ſuſpenſione violenta, & ſimilibus impoſitis, in pœnam delicti. Alia verò eſt irregularitas, quæ non ponitur ob delictum, ſed ex indecentia, vel defectu ſignificationis, & comitatur non culpam, ſed indecentiam, qualis eſt bigamia, & irregularitas contracta à iudice ſine culpa damnante hominem ad mortem iuſtè. Et quidem certum eſt apud omnes hanc irregularitatem ſecundi generis certò contrahi etiam ſi operans operetur ignorantia inuincibili: & proinde contrahens cum duabus ſit irregularis bigamus quantumcunque id ignorent inuincibiliter. Eſt ergo ſola quæſtio de irregularitate primi generis orta ex delicto, an iſta quæ pœna eſt ſimiliter & ſuſpenſio, interdictum, inhabilitas, & ſimiles incurrantur ab operante inuincibiliter ignorante?

20 Partem affirmat. tenet Sotus *in 4. diſtinct. 2. 2. qu. 1. artic. 2. ad finem*, Ledeſma *2. part. 4. quæſt. 24. art. 6.* & multi

multi alij quos citat Sanchez *n.* 16. At ipſe tenet *ibi.n.* 17. probabilius cum multis aliis has omnes pœnas non incurri ab operante qui habet ignorantiam iuris poſitiui illas imponentis, faciunt pro hac ſententia textus, & ratio adducta in *n.* 15. *præcedenti*, hic facile applicabuntur. Et præcipuè *cap.* 2. *de conſt. in* 6. vbi dicitur ignorantes non ligari ſententiis. Vbi nomine *ſententiæ* non intelligitur ſola excommunicatio, ſed de omnibus ſententiis pœnalibus: propoſitio enim indefinita iuris tradens regulam, æquiualet vniuerſali, vt iuriſtæ communiter dicunt. Et ita *citato loco* exponit Gloſſ. & multi Canoniſtæ *ibidem*. Et in ſpeciali de interdicto, & ſuſpenſione, probatur, quia hæ duæ cenſuræ etiam ponuntur ob contumaciam, vt inter alios tenet Nau. *in Summ. c.* 27. *num.* 59. at ignorans ius imponens has pœnas non eſt contumax, vt patet. ergo illas non incurrit.

21 Ex prædictis ſequitur quòd quando in noua conſtitutione reſeruatur abſolutio alicuius caſus in odium illius caſus, vt fecit Sixtus V. contra malè promotos ad Ordines, ignorantem inuincibiliter hanc reſeruationem, illam non incurrere, quanuis aliàs ſe peccare cognoſcat. Probatur, quia illa reſeruatio eſt pœna ſtatuta in odium delinquentis. Et ignorantia pœnæ excuſat ab illa pœna. Neque obſtat ſi dicas per reſeruationem, auferri iuriſdictionem ad abſoluendum, & ita ignorantiam non efficere, vt abſolutio ſit valida. Reſpondetur enim aliud eſſe de reſeruatione ſimpliciter facta pro bono communi Eccleſiæ, vt grauiora delicta ſuperioribus reuelentur: Aliud verò de reſeruatione præcepta in lege, quæ eſt pœna, & acceſſoria, quæ ſequitur naturam principalis, & pœnæ. Agere enim bona fide contra reſeruationem primi generis, non facit vt abſolutio ſibi poſſit impendi: ſecus

de ſa

de faciente bona fide contra reſeruationem ſecundi generis.

22 Sicut diximus *num.* 16. ad incurrendam excommunicationem non ſufficere quod ſciam opus eſſe prohibitum ab Eccleſia, ſed vt ſciam de pœna, idque prohiberi ſub excommunicatione: ita de cæteris pœnis, ſuſpenſione, interdicto, irregularitate, &c. dicendum quod vt incurrantur non ſufficit me ſcire opus eſſe prohibitum, ſed requiri vt ſciam eſſe prohibitum ſub pœna ſuſpenſionis, irregularitatis, inhabilitatis, &c. Hæc eſt probabilior, & mitior opinio, quam tenet Nauar. dicens eſſe conſolatoriam circa multos *in Sum. cap.* 23. *num.* 47. *& cap.* 27. *num.* 16. Rodriguez *in Summ. tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 3. *ſecundæ editionis*, & aliorum quos citat Sanchez *num.* 2. dicens *num.* 22. iſtam opinionem eſſe probabiliorem quàm ſit oppoſita, id ſolum concedens in excommunicationis pœna iuxta dicta in *numero* 16. At Suarez *diſput.* 40. *de cenſuris ſeſſ.* 5. *numer.* 9. *& ſequentibus.* cum multis Doctoribus tenet oppoſitum.

23 Ignorantia facti excuſat à pœna impoſita illi facto ignorato: eſt communis, & patet in percuſſione clerici quem non credebam clericum: vbi ignorato facto, ſeu qualitate facti, videlicet percuſſionis clerici, non incurritur excommunicationis pœna. Habetur expreſſe *in cap. ſi verò, 2. de ſiuntent. excommunicat.* Et hoc eſt verum etiam ſi operans daret operam alteri rei illicitæ: quia illa res illicita non concurrit ad occiſionem clerici, vel alterius peccati cui ſit annexa pœna. Excipitur verò vnus tantùm caſus, de quo ſupra ver. *homicidium.* de clerico chirurgo, qui dans operam rei illicitę, ſeu ſibi prohibitę, quantancunque adhibuerit diligentiam pro vitando homicidio, ſi illud eueniat, non euadit pœnam ob cauſam ibi dictam.

24 Si

24 Si quis clericum percutiat ignorans esse clericum, animo tamen tali affectus tunc est, vt si sciret esse clericum, etiam percuteret, non incurrit pœnam excommunicationis: quia in rigore datur ignorantia facti, & ille malus animus non tollit istam ignorantiam facti; imò nec est causa concurrens ad percussionem clerici: sed ibi assistit vt quid concomitans, & extraneum ab hac percussione. Ita Sanchez *cit. disp. num.* 26. cum multis ibi citatis. Econtra verò intendens percutere clericum, & percutiens sæcularem, non incurrit pœnam excommunicationis, quia Ecclesia non excommunicat nisi externam percussionem Clerici manantem ab interna ipsius intentione.

25 Ponit hoc loco Sanchez casum illum. De intendente percutere Petrum Clericum nocte: & casu percussit Ioannem Clericum: & ait talem incurrere excommunicationem. Ego hoc dubium iam posui verbo *Manus violentæ* supra *numer.* 9. vbi dixi alios Doctores affirmare, alios negare: Attuli *ibi* distinctionem qua Suarez soluit dubium, vt intelligatur quando incurrat: Attuli ibi quandam declarationem Cardinalium per quam à simili videtur probari, hunc percutientem, de quo est quæstio, non incurrere. Nam per illam declarationem, iubens occidere Petrum sæcularem, si casu occidatur Ioannes sæcularis, non incurrit irregularitatem: ergo à simili percutiens Ioannem clericum quem non intendebat, licet intenderet percutere Petrum clericum, non incurret pœnam excommunicationis. Est enim vtrobique eadem ratio. Et hoc facit contra Sanchez dicentem *num.* 27. quod talis percussor incurrat: facit, inquam, contra illum, quia ille *ibi num.* 26. ait eandem esse rationem in hac materia de incurrenda, vel non incurrenda excommunicatione, atque de irregularitate. Addit ille *ibidem numer.* 27. quod

quod is qui proiecit lapidem intendens cędere Titum clericum, & lapis casu, & inculpabiliter, percussit Petrum etiam clericum, & mors inde secuta est, quem tamen Petrum clericum ipse non intendebat percutere: istum non esse excommunicatum, neque irregularem. Est enim, ait, casus diuersus ab illo priori: Nam in illo priori, & affectus, & opus ipsum externum sunt penitus mala, & iniusta. Ibi quidem affectus fuit clericum percutiendi, & adfuit voluntas illum clericum putando esse alium similiter clericum, cędendi, & opus secutum est. In secundo verò casu solus affectus malus fuit, qui non inducit irregularitatem, excommunicationémve. Sic ille. Et in hoc secundo casu illiusque explicatione, videtur opinio minus dubia, quàm in priori.

26 Quoties ignorantia iuris, vel facti fuerit talis vt transgressorem liberet à culpa mortali, talis transgressor accusatur ab omni censura, irregularitate, & omnibus pœnis. Hæc quo ad excommunicationem est certissima: hæc enim non incurritur nisi ob peccatum mortale, & idem est de aliis duabus censuris, suspensione, & interdicto, sunt enim pœnæ grauissimæ, & proinde non videntur imponi ab Ecclesia ob solam culpam venialem: quanuis non desint multi, & graues Doctores qui putent suspensionem posse incurri ob solum peccatum veniale; oppositum tamen cum multis Doctoribus tenet & probat Sanchez *cit. disp. 32. n. 26.* & probat ratione proximè posita, quia est pœna grauissima, nec proinde credendum est imponi ab Ecclesia matre pro culpa veniali. Idemque eadem de causa dicendum est de interdicto pœna grauiori quàm sit suspensio, citat ad hoc multos Doctores, quos ibi vide. De irregularitate verò orta ex delicto, quod non contrahatur ex solo delicto veniali, sed mortali, tenet expresse Soto *5. de Iust. q. 1. art. 9. vers. Id autem*, & Nauar.

super capitulo final. 14.q.6.n.16. *& in Summa Latina c.* 27.*n.*251.& alij.

27 De ignorantia inuincibili, & inculpabili hactenus dictum est. Nunc adde hic. Ignorantia vincibilis siue facti, siue iuris imponentis censuras, & alias pœnas spirituales, siue factum illud sit peccatum mortale, si tamen non fuerit ignorantia crassa, & supina, excusat ab omnibus illis pœnis. Et hæc conclusio est magnæ consolationis; estque intelligenda de quibuscunque pœnis siue latis à iure communi Papæ, siue à particulari Diœcesanorum: probatur ex *cap.*2. *de constitut. in 6*, vbi dicitur ignorantia, dummodo non sit crassa, & supina, excusare ab omnibus sententiis. Vbi per verbum, *Sententiæ*, intelliguntur sententiæ latæ pro quibuscunque pœnis vt iam supra diximus. Hanc tenet Sylvester *verb.culpa quæst.*11.§.14.*in fine.* & alij, sicut Vivald. Candelabr.2.*part.tractat.de Irregular.num.* 265.*& sequentib.* Maiolus *lib.*5.*de Irregular.cap.*48.§.3. *numer.*1. Crassa verò,& supina ignorantia est illa quæ procedit ex culpa lata, quæ interuenit in adhibenda diligentia. Culpa verò lata est (vt definit Castr.*libr.*2. *de lege pœnal. cap.*14.*col.*4.) quando ignorans, aut nullam, aut valde modicam adhibuit diligentiam, vt sciret quæ nosse tenetur. Et Graffis 1.*p. decision. libr.*4. *cap.*9. *num.*20. id magis explicans ait, culpam latam, seu ignorantiam crassam esse illam, quæ vel ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Vbi vides posse aliquem euadere prædictas omnes pœnas, etiam si operetur culpabiliter mortaliter cum ignorantia iuris, vel facti, dummodo ignorantia non sit crassa, & supina, siue magna. Vnde etiam colliges non incurri irregularitatem homicidij ob solam culpam venialem.

28 Si Canon ponat censuram contra facientem aliquid scienter, excusatur ab illa pœna etiam ille, qui oppositum

positum fecerit cum ignorantia crassa,dummodo non sit ingens temeritas talis crassa ignorantia. Idem dicendum est excusare ignorantiam crassam , si lex prohibeat sub his verbis,*Si quis ausus fuerit:vel si quis præsumpserit* , vtrobique enim crassa ignorantia excusat: etenim qui ignorat crassè,neque scit,neque audet,neque præsumit:hæc enim tria requirunt, vel scientiam, vel contumaciam , quam non habet ignorans etiam crassè. Et probatur præterea , quia Canon requirens scientiam , ausum , vel præsumptionem supponit dolum,vt patet,vel malitiam ; at ignorans crassè non habet malitiam,seu dolum. Hinc aduerto consolationis gratia excommunicationem Bullæ Cœnæ,latam contra legentes libros hæreticorum , exprimere illos qui legunt scienter : vt habetur in Bulla Cœnæ puto Sixti V. quam explicat Nauarr. *in Sum. Latina c.27. n.55.* & proinde legentes illos, cum culpa notabili ex ignorantia crassa illam non incurrent.Idem dices circa excommunicationem latam contra religiosos admittentes fœminas intra clausuram , ibi enim ponitur verbum , *præsumpserint* , & proinde excusabit ignorantia crassa:vide Nauarr.*in Sum.cap.27. num.141.* Ludouic. Lopes *2.part.instruct.cap.13.de excommunicat.§.sed iam ad secundum punctum.* Henriq. *libr.13. de excommunic. cap.23.num.3.* Dixi supra,*nisi ignorantia crassa esset adeo crassa vt sit ingens temeritas,*quia re vera tunc ille operans dicetur operari cum dolo cum quo supra diximus neminem pœnas has euadere.

29 Ignorantia affectata,qua quis eligit nescire,vt liberius peccet , nunquam excusat à pœnis etiam scientiam exigentibus : probatur ex proximè dictis,quia ignorantia affectata supponit dolum, vt constat;at dolus non excusat.Et præterea,quia ignorantia affectata non minuit culpam,sed potius illam auget.

30 Quandò in *Canone, si quis ſuadente diabolo. 71. q.* 4. excommunicatur clerici percuſſor: per illa verba, *ſuadente diabolo*, non innuitur quod debeat interuenire dolus, ac proinde quod excuſetur percuſſor ignorans clericatum etiam craſsè: non, inquam, ita eſt: ſed illa verba *ſuadente diabolo*; ſolum important, quod ſit percuſſio mala, & illicita: nam ſi ſit licita, vt quæ fit correctionis gratia, per iſtam non incurritur, quia non fit inſtigante diabolo, & proinde in caſu percuſſionis clerici ignorans clericatum, vel ipſum Ius per ignorantiam craſſam non liberabitur: ſed incurret.

31 Ex omnibus prædictis colligit Sanchez *cit. diſp.* 32. *à n.* 43. *vſque ad finem diſputationis*, quod coniux contrahens affinitatem, vel conſanguinitatem ſpiritualem, cum ſua vxore, quia ſcilicet baptizauit ſuum filium, vel acceſsit ad conſanguineam vxoris, per quod incurritur pœna, vt non poſsit petere debitum à tali vxore, vel coniuge, colligit, inquam, hunc talem liberari ab illa pœna non petendi debitum, ſi id fecit cum ignorantia craſſa facti, vel iuris. Explicatur. Ignorauit quis omnino legem Eccleſiæ prohibentis petere debitum præcedente aliquo facto ex illis duobus, idque ignorauit craſsè; iſte habuit ignorantiam iuris, & proinde ab illa pœna, etiam ſi habuerit ſcientiam facti: id eſt, etiam ſi ſciuerit, illum baptizatum eſſe filium ſuum: vel illam, ad quam acceſsit, eſſe conſanguineam vxoris ſuæ, vel coniugis ſui. De ignorantia facti ſit exemplum. Sciebat quis legem Eccleſiæ prohibentem petere debitum præcedente aliquo ex duobus dictis, attamen ille baptizans vel leuans è fonte infantem, quem neſciebat omnino eſſe ſuum: vel acceſsit ad illam quæ verè eſt conſanguinea vxoris, id tamen ille ignorabat, habuit ignorantiam facti, ac proinde excuſatur ab illa pœna non petendi debitum. Imò addit *ibidem* Sanchez

chez *num.*48. quod hoc habet locum etiam, si sit ignorantia circa gradum consanguinitatis, v. g. Accessit coniux ad consanguineam sui coniugis in secundo gradu, ignarus talis consanguinitatis, sed existimans esse in tertio gradu: tunc nõ prohibetur petitione debiti, ac si ignoraret consanguinitatem: nisi esset ingens temeritas sic ignorare, aut esset ignorantia affectata. Probat hoc vltimum de ignorantia circa talem gradum, quia perinde est ignorare consanguinitatem; ac ignorare gradum cui hæc pœna statuitur: in vtroque enim euentu verè ignoratur factum tali pœna punitum. Quod item magna consolatio est, & remedium ad quietandos coniuges quando confessor non habet specialem facultatem concessam ex priuilegio ad dispensandum in tali casu: si enim ibi intercesit vera ignorantia iuris, vel facti modo prædicto, non est necessaria dispensatio. Tandem concludit, quod si in duobus casibus præcedentibus coniux habet tantùm ignorantiam solius pœnæ impositæ, ne petatur debitum; tunc duas esse opiniones, alteram affirmantem, excusari: alteram negantem, quæ verò ex his duabus sit probabilior, diximus in communi supra hoc eod. ver. *n.* 16. 17. *&* 18.

Quando autem probari possit ignorantia per iuramentum ignorantis, vide infra verb. *pœna.*

ILLEGITIMVS, VEL legitimus.

Vide supra verb. *Dispensatio, num.* 1. 2. *&* 3.

1 QVi nam dicendi sint filij legitimi, vel non, quia spectat propriè ad Legistas, & Canonistas omitto. Vide inter alios Sayro, *lib.* 6. *de censur. c.* 10. & alios.

2 Attendenda est forma dispensationis cum illegitimo, quo pacto detur. Si enim dispensatur solum, v.g. vt sit Guardianus, non poterit esse Prouincialis, & sic de cæteris, Capucinus verbo *Dispensare*, & proinde in dispensatione debent exprimi singula pro quibus dispensatur, v.g. Officia, dignitates, &c.

3 Dispensatus ad Ordines, non proinde censetur legitimari. Est enim valde diuersum legitimare, & dispensare. Vnde si dispensatus in Ordine ad dignitates, expellatur postea ab Ordine, non potest in sæculo obtinere dignitates, quia non fuit legitimatus, sed solùm pro Ordine dispensatus. Miranda *tom. 2. quæstione 2. art. 4.*

4 Illegitimus sacrilegus, cuius scilicet mater, aut pater est persona sacra, vel etiam incestuosus, natus scilicet ex parentibus inter se consanguineis, potest hodie admitti ad Religionem, quia licet Sixtus V. id vehementer prohibuerit, Gregorius tamen XIV. Bullam illius reduxit ad terminos iuris communis, per quod ius hi non arcentur à Religione, imò Gregorius in sua Bulla expressè admittit ad habitum, & professionem quoscumque illegitimos. Vide illius Bullam apud Rodriguez *tom. 3. quæst. 54. prope finem.* Requirit tamen Gregorius XIV. vt illegitimè recipiendus sit talis indolis, & probitatis, vt suppleat natalium defectus. Secundò, prohibet Gregorius XIV. ne filius illegitimus alicuius Religiosi recipiatur in Ordine sui patris illo viuente, siue natus sit ante professionem, vel post professionem patris, poterit tamen mortuo patre.

5 Legitimatus à Rege, vel Magistratu sæculari, si intret Religionem non censetur legitimatus ad Ordines, vel officia Ordinis: quia Rex non potest tollere impedimenta canonica: vt non potest tollere impedimenta

menta matrimonij: vel habilitare ad Ecclesiastica. Est communis,& Rodrig. *Addit. ad Sum. verb. Legitimare. concl.* 5. 1. *p.c.* 244.

6 Probabilior opinio est quod Sacerdos illegitimus dispensatus in sæculo & habens ibi beneficium Curatum, si Religionem intret, non est dispensatus ad officia Ordinis, & dignitates in Ordine. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 2. *art.* 5. & Rodriguez *tom.* 1. *quæstion.* 13. *articul.* 10.

7 Electores eligentes vnum indignum in Prælatum, & scientes illum esse illegitimum, si ibi sit præses Capituli potens cum Capitulo dispensare cum eodem, ipso facto videntur cum illo dispensare. Rodriguez *cit. quæst.* 13. *art.* 16.

8 Illegitimus, etiam si sit occultissimus, non potest in Ordine absque dispensatione sequentia officia obtinere. Dico *in Ordine Minorum*, alij viderint. v.g. Non potest esse Generalis, Prouincialis, Guardianus, neque Custos, neque Vicarius Conuentus: quia etiam Vicarius in absentia Guardiani est Ordinarius habens curam animarum, vide Sylvestr. *verb. Prælatus, quæst.* 2. Neque item potest esse Diffinitor, neque discretus, siue Procurator ad Capitulum Generale, vel Prouinciale. Vide Mirand. *cit. quæst. art.* 8. & Rodriguez *cit. quæst.* 13. *art.* 18. 19. & 20. & licèt ibi Rodrig. *art.* 20. dicat illegitimum posse esse Vicarium Conuentus, ego cum Miranda potius nego, quia est ordinarius in absentia, cui tunc aliquæ dispensationes committuntur, & saltem tempore Capituli est ordinarius habens totum quod habet Guardianus: & hæc iurisdictio non permittitur in iure illegitimis.

Possunt tamen prædicti illegitimi esse Magistri Nouitiorum, & Confessores Monialium. Sylvest. *cit. ver. quæst.* 3. Rodrig. & Miranda. Excipe si talis confessor

Monialium habeat iuriſdictionem annexam externam, quales ſunt aliqui apud Minoritas. Non tamen poſſunt eſſe Commiſſarij viſitatores, quia hoc eſt dignitas, ſeu officium cum iuriſdictione.

9 Ad diſpenſandum cum iſtis illegitimis requiritur cauſa: & hæc cauſa relinquitur arbitrio boni Prælati, vt quòd illegitimus ſit nobilis, litteratus, valde Religioſus, &c. Doctores communiter. Sed nota valde quod Patres Congregationis Sanct. Ioann. Euangeliſtæ in Portugallia habent priuilegium in ſuo Compendio, *fol. 9. pag. 2. in principio*, per quod Eugenius IV. conceſſit Conuentui Sancti Georgij in Allega, ſui Ordinis vt admiſſus ad profeſſionem inter illos, ſi habet defectum natalium, ipſo facto ſit diſpenſatus, non ſolùm ad Ordines, ſed etiam ad omnia ſolita gubernari per Fratres illius Ordinis, Prioratus, ſeu Præpoſituras, Rectorias, aut officia ſe inuicem compatientia. Sic ibi. Itaque profeſſus apud illos non ſolùm diſpenſatur ad Ordines, ſed etiam ad officia, & dignitates Ordinis. Et mihi dictum fuit à patre, qui fuit illorum Generalis in Portugallia, apud illos id practicari. An verò poſſint iſto priuilegio vti illi qui communicant cum illis, & hactenus ea ignorantia non fuerunt vſi, vide infra *ver. Vſus priuilegij. ver. Priuilegium n. 60. & ſequentibus.*

10 In Compendio D. Hieronym. Hiſpan. *verb. Diſpenſatio natalium.* §. 1. dicitur, quòd poteſt Prior Conuentualis diſpenſare vt Frater aliquis illegitimus ſit Prior, Vicarius, Confeſſor, & quaſuis alias adminiſtrationes Conuentus habere. Nihil tamen ait de Prouincialatu. *Ibidem* tamen §. 2. ait poſſe ſolum Generalem in hoc diſpenſare, etiam vt Frater illegitimus poſſit eſſe Generalis. Et credo has conceſſiones non eſſe reuocatas, nec modificatas per Gregor. XIV. dicentem

Digitized by Google

tem ſupra *verb. Diſpenſatio, num.* 2. id fieri debere in Capitulo, &c. quia Gregor. XIV. ibi non reuocat priuilegia antiqua Religionum circa diſpenſationem cum illegitimis, imò ait ſe illa reualidare, ſi ſint in vſu, & non ſint comprehenſa ſub vllis reuocationibus.

11 Ad diſpenſandum cum illegitimo requiritur quod illegitimus explicet qualitatem illegitimitatis, ſi videlicet ſit ſpurius, ſi naturalis, ſi ſacrilegus, ſi inceſtuoſus, ſi adulterinus, &c. poſſunt enim hæ qualitates cum aliquibus circumſtantiis maximè duplicatis mouere, aut deterrere ad diſpenſandum, Miranda, *citata quæſt. art.* 13.

12 De Abbatiſſis, vel Monialibus illegitimis circa promotionem ad Abbatiſſatum, vide ſupra, *ver. Abbatiſſa. num.* 6.

13 Paulus III. conceſſit Generalibus Ordinis D. Hieronymi in Hiſp. vt poſſint diſpenſare cum familiaribus, conuerſis, & donatis ſui Ordinis illegitimis vt poſſint obtinere beneficia Regularia cum cura, vel ſine cura animarum in ſuis Monaſteriis, idque etiam ſi ſint illegitimi, inceſtuoſi, & ſacrilegi. Rodrig. *cit. q.* 13. *art.* 23. Potens legitimare adulterinum, & inceſtuoſum, ſeorſim; poteſt etiam legitimare vnum ſimul adulterinum, & inceſtuoſum. Sanchez *de Matr. lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 28. cum multis. Excipit tamen dummodo non ſit in præiudicium tertij: ſi videlicet ex legitimatione perdant partem hæreditatis filii legitimi.

ADDITIO.

1 SI quis coniux in legitimo matrimonio exiſtens poſtea fiat Monachus, cum omnibus licentiis legitimè requiſitis, & poſt profeſſionem accedat, ad ſuã

antiquam vxorem quæ filium pariat, talis filius natus ex vero matrimonio eſt ſacrilegus, vt patet, & proinde illegitimus: habetur in *capit. litteras. de filiis presbyteror.* ex quo capite, ac titulo videtur requiri, vt prædictus monachus non ſolùm ſit monachus, ſed etiam Sacerdos.

2 Si quis naſcatur ex ſoluto, & ſoluta, idque ex coitu illicito, & fornicario, & illi poſtea inter ſe verum matrimonium contrahant, ille præteritus legitimatur eo ipſo per illud ſubſequens matrimonium. Habetur *cap. tanta. qui filij ſint legitimi.* Idem dicendum eſt de filiis qui nati ſunt ex matrimonio à parte rei nullo, putato tamen vero: ſi enim à parte rei extitit impedimentum dirimens matrimonium, propter quod ſolutum eſt matrimoniũ, poſt aliquot annos ſententia iudicis; hoc non obſtante, illi filij qui nati ſunt tempore quo matrimonium putabatur validum, ſunt filij legitimi, ſi matrimoniũ prius contractũ fuit in facie Eccleſię. Habetur *c. cùm inter. qui filij ſint legit.* Quod etiã verũ eſt de filiis, qui concepti ſunt ante latam ſententiam diuortij, & nati poſt illam latam. Tolledo *in Sum. lib. 1. c. 58. n. 3.*

3 Illi qui poſt Baptiſmum, vel ante illum exponuntur à matre ne cognoſcatur, & ponuntur ad portas templi, vel alicuius viri, reputantur pro illegitimis, quia violenta probatio eſt, eos non naſci ex vero matrimonio. Tolledo *vbi ſupra n. 4.*

IMPETRARE INDVLTA *abſque licentia.*

1 NVllus Regularis poteſt impetrare indulta à Sede Apoſtolica cõtra ſuæ Religionis ſtatuta: & obtentum eſt nullum: Idem eſt ſi indultum ſit contra Regulam, & bonos mores. Rodr. *tom. 2. q. 103. art. 2.*

2 Si

2 Si Religioſus impetret ſibi aliquam exemptionem valebit pro forma verborum, ſi videlicet deroget conceſſionem Leonis X. qui prohibuit ſimiles exemptiones obtentas etiam à Legatis à latere, ſi obtineantur abſque licentia Generalis, vel Prouincialis Minorum. Rodriguez *tom.2.q.64. art.1.* Et ibidem etiam Leo X. vt valeat reſcriptum exemptionis pro Fratre Minorita requirit etiam quod interueniat conſenſus Procuratoris, vel Commiſſarij Rom.Curiæ.At ſequentes Pontifices non aſtringuntur illis limitationibus; & proinde inſpiciantur verba conceſſionis Papalis. Supradicta prohibitio Leonis X.habetur in Compend.ver.*Exempti Fratres.*§.9.& 11.

INDVLGENTIA.

ANte omnia ſuppono, vt notiſſimum, multas Indulgentias olim fuiſſe conceſſas diuerſis Ordinibus ac Religioſis,de quibus latè Comp.Minorum ver. *Indulgentia.*Secundò,ſuppono certiſſimum S.Dominũ Paulum V.anno 606.Põtificatus ſui anno primo,reuocaſſe omnes Indulgentias conceſſas per anteceſſores ſuos Sum. Pontifices quibuslibet Regularibus, Religioſis,ac Monialibus cuiuſuis Ordinis, illáſque annullaſſe:ac decreuiſſe,quod loco illarum ibi reuocatarum, omnes, & ſinguli Religioſi gauderent ſolis Indulgentiis in eadem Bulla ibi Religioſis conceſſis ab eodem Sum.Pontifice:quæ ſunt ſequentes.

1 Indulgentia plenaria cuique fideli Chriſtiano ſuſcipienti habitum approbatæ Religionis: cum animo profitendi,ſi ſuſcipiat confeſſus,& ſacra communione refectus.

2 Indulgentia plenaria cuiuis Nouitio profitenti, ſi ſit confeſſus,& ſacra communione refectus.

3 Quiuis Religioſus degens intra clauſuram, in feſto principali ſui Ordinis, confeſſus, & ſacra communione refectus, vel Miſſam celebrans, rogans deuotè pro concordia Principum Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, exaltatione Eccleſiæ, & ſalute Sum. Pontificis, lucratur Indulgentiam plenariam, vbi nota ſpecificare Papam, quod viuat Regularis intra clauſuram Conuentus. Puto autem quod feſtum principale ſui Ordinis erit feſtum Fundatoris Ordinis canonizati; vel illud quod apud illos fuerit declaratum pro principali.

4 Quiuis Religioſus in articulo mortis verè pœnitens confeſſus, & communicatus, & ſi hoc fieri nequeat, contritus, pronuncians, & inuocans ore, vel ſi ore non poſſit, mente, nomen IESV, lucretur indulgentiam plenariam.

5 Indulgentia plenaria cuiuis nouo ſacerdoti confeſſo, & dicenti primam Miſſam. Et eadem datur cuiuis Religioſo illam audienti, ſi ſit confeſſus, & Euchariſtia ſanctiſſima refectus, vel ſi celebrauit confeſſus.

6 Indulgentia plenaria, & remiſſio omnium peccatorum cuiuis Religioſo, qui per decem dies ſegregatus à negotiis ſe collegerit ad aliquod cubiculum, vel ſe ſegregauerit à conuerſatione aliorum, ibique intenderit lectioni librorum ſpiritualium, & cęterorum ad deuotionem excitantium. Et conſiderauerit ſæpe myſteria fidei, diuina beneficia, quatuor nouiſſima, Paſſionem Domini, ſimiliáque exercitia ſpiritualia fecerit. Et ſimul fecerit intra idem tempus, confeſſionem generalem totius vitæ, vel vnius anni, vel ordinariam: & Euchariſtiam ſacroſanctam receperit, vel celebrauerit, & hæc omnia toties quoties fecerit, lucratur Indulgentiam plenariam.

7 Quiuis Religioſus viuens in clauſura viſitãs ſuam propriam Eccleſiam, & orans in illa deuotè pro ſupra dictis

dictis in tertia Indulgentia, lucratur omnes Indulgentias conceſſas viſitantibus Eccleſias intra,& extra muros Romæ,in die ſtationum,ac ſi ipſe illas viſitaret. Et hæc eſt maior & facilior inter ibi contentas.

8 Quiuis Religioſus viuens in clauſura,dicens quinquies Pater noſter,& Aue Maria,coram altari ſuæ Eccleſiæ ſingulis diebus , lucratur quinque annos Indulgentiæ & quinque quarentenas.

9 Eandem Indulgentiam lucratur , qui de licentia Superiorum iter facit,vel eſt extra clauſuram,ſicut Lectores, & Prædicatores, ſi proximè dictum faciant coram Altari alicuius Eccleſiæ.

10 Religioſi qui per ſpatium menſis vnius ſingulis diebus habuerint mediam horam Orationis mentalis, & confeſsi receperint Euchariſtiam in vltima Dominica eiuſdem menſis,lucrantur ſexaginta annos Indulgentiæ,& totidem quarentanas.

11 Qui in Capitulis accuſauerint ſuas culpas,imperfectiones,& peccata contriti, & communicati, & habuerint exercitia virtutum , lucrantur tres annos Indulgentiæ,& totidem quarentenas.

12 Religioſus miſſus à Papa,vel legitimo ſuperiore, ad terras infidelium,vel hæreticorum prædicandi gratia , vel ad docendum ibi Catholicos , vel hæreticos conuertendos , vel infideles reducendos , ſi ad prædictum finem fuerit confeſſus , & ſacra communione refectus,lucratur Indulgentiam plenariam;& hanc lucratur per duas vices diſtinctas : primò , quando recipit prædicta Sacramenta ad illum finem : ſecundò, quando ingreditur prædictam Prouinciam ad quam mittitur.

13 Quando ſuperior in viſitatione generali,pro meliore ſucceſſu viſitationis voluerit inſtituere ſolitas 40. horas orationis ſinguli Religioſi qui durante ſpatio

dicta

dictarum 40.horarum,ad minus habuerint duas horas orationis diuersis etiam temporibus per interualla,rogando deuotè pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, exaltatione fidei, salute Papæ, & augmento Regularis disciplinæ, confessi, & sacra communione refecti lucrantur Indulgentiam plenariam,& remissionem peccatorum.

Post hanc reuocationem generalem; & concessiones prædictas idem Dominus Paulus V. concessit nobis Minoritis Indulgentiam plenariam dicentibus Coronam Beatæ Mariæ, idque ad instantiam Oratoris Hispaniæ, in Curia Romana agentis, & Commissarij nostri in eadem Curia: & dicebat in litteris testimonialibus, quas vidi impressas, se id denuo concedere, non obstante sua generali reuocatione Indulgentiarum supra dicta.

Circa hanc verò reuocationem primò aduerto in illa solùm reuocari Indulgentias olim concessas directè ipsis Religiosis, & Monialibus, seu Religionibus; patet ex verbis Motus proprij, cùm loquitur de reuocatione,ibi, (*quibuscumque Ordinibus, & institutis Regularibus, & quibuslibet personis Regularibus concessas*) quales erant illæ quibus soli Religiosi vtebantur: vt verbi gratia, quoties Minoritæ celebrabant, vel communicabant Indulgentia plenaria, si id facerent in die Dominica,Festis Christi Domini,& B. Mariæ,&c. vel quoties aliqui Religiosi dicerent Psalm. *Miserere mei Deus*: & similes. At non videtur in dicta reuocatoria prohiberi quo minus Religiosi lucrentur alias Indulgentias concessas à Pontificibus vniuersis Christi fidelibus: vt cùm Sixtus V. concedit Indulgentiam plenariam vniuersis Christi fidelibus visitantibus Ecclesias Minorum in festis Sanctorum eiusdem Ordinis: non, inquam, excluduntur Religiosi ab his Indulgentiis.

Primò,

Primò,quia Religiosi etiam sunt fideles. Secundò,quia non sunt peioris conditionis, quàm sæculares. Tertiò, quia hæ vltimæ Indulgentiæ Sixti, & similes,non sunt concessæ primò, & directè personis Regularibus, sed omnibus Christi fidelibus absque limitatione,& restrictione.

Secundum principale occurrit tractandum circa prædictam reuocationem D. Pauli V. an prædictæ Indulgentiæ sic reuocatæ, hodie censeantur reualidatæ saltem apud Minores,eo quòd idem D.Paul.V. post illam reuocationem confirmauit Minoritis sua omnia antiqua priuilegia: dicens in confirmatione se confirmare etiam(gratias,concessiones,& indulta spiritualia) sed tamen non posuit vllo modo Indulgentias? Aliqui affirmarunt in dictis verbis, *gratias,indulta spiritualia*, prædictum D. Paulum V. nobis iterum confirmasse Indulgentias antiquas.

Ego constanter teneo ibi per illa verba non confirmasse antiquas Indulgentias à se reuocatas, & sic nos hodie directè non habere nisi supra positas concessas ab illo:& idem dicendum de cæteris Religiosis si post illam reuocationem non impetrarunt particularem illarum antiquarum confirmationem ab illo. Et huius meæ opinionis fuerunt graues, ac docti Religiosi hac de re consulti in præcipuis Conuentibus Olyssiponens.& in Academia Eborensi, qui dixerunt ita se rem habere, & apud illos non haberi nouum recursum seu confirmationem. Probo primò, quia non est credendum de sanctiss. D. Papa tam citò mutasse sententiam in re grauissima, quam in prædicta Bulla dicit iam intentatam, à Clemente VIII. & sibi etiam à Procuratoribus Ordinum postulatam vt ipsemet Dominus Paulus V. dubia Religiosis quietaret in re tam confusa antiquarum tot Indulgentiarum.Secundò,quia idem

Domi

30 Quando in *Canone, si quis suadente diabolo. 71. q. 4.* excommunicatur clerici percussor: per illa verba, *suadente diabolo*, non innuitur quod debeat interuenire dolus, ac proinde quod excusetur percussor ignorans clericatum etiam crassè: non, inquam, ita est: sed illa verba *suadente diabolo*; solum important, quod sit percussio mala, & illicita: nam si sit licita, vt quæ fit correctionis gratia, per istam non incurritur, quia non fit instigante diabolo, & proinde in casu percussionis clerici ignorans clericatum, vel ipsum Ius per ignorantiam crassam non liberabitur: sed incurret.

31 Ex omnibus prædictis colligit Sanchez *cit. disp. 32. à n. 43. vsque ad finem disputationis*, quod coniux contrahens affinitatem, vel consanguinitatem spiritualem, cum sua vxore, quia scilicet baptizauit suum filium, vel accessit ad consanguineam vxoris, per quod incurritur pœna, vt non possit petere debitum à tali vxore, vel coniuge, colligit, inquam, hunc talem liberari ab illa pœna non petendi debitum, si id fecit cum ignorantia crassa facti, vel iuris. Explicatur. Ignorauit quis omnino legem Ecclesiæ prohibentis petere debitum præcedente aliquo facto ex illis duobus, idque ignorauit crassè; iste habuit ignorantiam iuris, & proinde ab illa pœna, etiam si habuerit scientiam facti: id est, etiam si sciuerit, illum baptizatum esse filium suum: vel illam, ad quam accessit, esse consanguineam vxoris suæ, vel coniugis sui. De ignorantia facti sit exemplum. Sciebat quis legem Ecclesiæ prohibentem petere debitum præcedente aliquo ex duobus dictis, attamen ille baptizans vel leuans è fonte infantem, quem nesciebat omnino esse suum: vel accessit ad illam quæ verè est consanguinea vxoris, id tamen ille ignorabat, habuit ignorantiam facti, ac proinde excusatur ab illa pœna non petendi debitum. Imò addit *ibidem* Sanchez

chez *num.*48. quod hoc habet locum etiam, si sit ignorantia circa gradum consanguinitatis,v. g. Accesit coniux ad consanguineam sui coniugis in secundo gradu, ignarus talis consanguinitatis , sed existimans esse in tertio gradu:tunc nō prohibetur petitione debiti,ac si ignorasset consanguinitatem:nisi esset ingens temeritas sic ignorare,aut esset ignorantia affectata. Probat hoc vltimum de ignorantia circa talem gradum , quia perinde est ignorare consanguinitatem ; ac ignorare gradum cui hæc pœna statuitur:in vtroque enim euentu verè ignoratur factum tali pœna punitum. Quod item magna consolatio est , & remedium ad quietandos coniuges quando confessor non habet specialem facultatem concessam ex priuilegio ad dispensandum in tali casu:si enim ibi intercesit vera ignorantia iuris , vel facti modo prædicto , non est necessaria dispensatio. Tandem concludit , quod si in duobus casibus præcedentibus coniux habet tantùm ignorantiam solius pœnæ impositæ , ne petatur debitum;tunc duas esse opiniones,alteram affirmantem, excusari:alteram negantem, quæ verò ex his duabus sit probabilior, diximus in communi supra hoc eod. ver.*n.*16.17.& 18.

Quando autem probari possit ignorantia per iuramentum ignorantis,vide infra verb.*pœna.*

ILLEGITIMVS, VEL legitimus.

Vide supra verb.*Dispensatio,num.*1.2.& 3.

1 QVi nam dicendi sint filij legitimi , vel non, quia spectat propriè ad Legistas , & Canonistas omitto.Vide inter alios Sayro,*lib.*6. *de censur.c.*10. & alios.

2 Attendenda est forma dispensationis cum illegitimo, quo pacto detur. Si enim dispensatur solum, v.g. vt sit Guardianus, non poterit esse Prouincialis, & sic de cæteris, Capucinus verbo *Dispensare*, & proinde in dispensatione debent exprimi singula pro quibus dispensatur, v.g. Officia, dignitates, &c.

3 Dispensatus ad Ordines, non proinde censetur legitimari. Est enim valde diuersum legitimare, & dispensare. Vnde si dispensatus in Ordine ad dignitates, expellatur postea ab Ordine, non potest in sæculo obtinere dignitates, quia non fuit legitimatus, sed solùm pro Ordine dispensatus. Miranda *tom. 2. quæstione 2. art. 4.*

4 Illegitimus sacrilegus, cuius scilicet mater, aut pater est persona sacra, vel etiam incestuosus, natus scilicet ex parentibus inter se consanguineis, potest hodie admitti ad Religionem, quia licet Sixtus V. id vehementer prohibuerit, Gregorius tamen XIV. Bullam illius reduxit ad terminos iuris communis, per quod ius hi non arcentur à Religione, imò Gregorius in sua Bulla expressè admittit ad habitum, & professiobem quoscumque illegitimos. Vide illius Bullam apud Rodriguez *tom. 3. quæst. 54. prope finem.* Requirit tamen Gregorius XIV. vt illegitimè recipiendus sit talis indolis, & probitatis, vt suppleat natalium defectus. Secundò, prohibet Gregorius XIV. ne filius illegitimus alicuius Religiosi recipiatur in Ordine sui patris illo viuente, siue natus sit ante professionem, vel post professionem patris, poterit tamen mortuo patre.

5 Legitimatus à Rege, vel Magistratu sæculari, si intret Religionem non censetur legitimatus ad Ordines, vel officia Ordinis: quia Rex non potest tollere impedimenta canonica: vt non potest tollere impedimenta

menta matrimonij: vel habilitare ad Ecclesiastica. Est communis,& Rodrig. *Addit. ad Sum. verb. Legitimare. concl.* 5. 1. *p.c.* 244.

6 Probabilior opinio est quod Sacerdos illegitimus dispensatus in sæculo & habens ibi beneficium Curatum, si Religionem intret, non est dispensatus ad officia Ordinis, & dignitates in Ordine. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 2. *art.* 5. & Rodriguez *tom.* 1. *quæstion.* 13. *articul.* 9.

7 Electores eligentes vnum indignum in Prælatum, & scientes illum esse illegitimum, si ibi sit præses Capituli potens cum Capitulo dispensare cum eodem, ipso facto videntur cum illo dispensare. Rodriguez *cit. quæst.* 13. *art.* 16.

8 Illegitimus, etiam si sit occultissimus, non potest in Ordine absque dispensatione sequentia officia obtinere. Dico *in Ordine Minorum*, alij viderint. v.g. Non potest esse Generalis, Prouincialis, Guardianus, neque Custos, neque Vicarius Conuentus: quia etiam Vicarius in absentia Guardiani est Ordinarius habens curam animarum, vide Syluestr. *verb. Prælatus*, *quæst.* 2. Neque item potest esse Diffinitor, neque discretus, siue Procurator ad Capitulum Generale, vel Prouinciale. Vide Mirand. *cit. quæst. art.* 8. & Rodriguez *cit. quæst.* 13. *art.* 18. 19. & 20. & licèt ibi Rodrig. *art.* 20. dicat illegitimum posse esse Vicarium Conuentus, ego cum Miranda potius nego, quia est ordinarius in absentia, cui tunc aliquæ dispensationes committuntur, & saltem tempore Capituli est ordinarius habens totum quod habet Guardianus: & hæc iurisdictio non permittitur in iure illegitimis.

Possunt tamen prædicti illegitimi esse Magistri Nouitiorum, & Confessores Monialium. Sylvest. *cit. ver. quæst.* 3. Rodrig. & Miranda. Excipe si talis confessor

Monialium habeat iuriſdictionem annexam externam, quales ſunt aliqui apud Minoritas. Non tamen poſſunt eſſe Commiſſarij viſitatores, quia hoc eſt dignitas, ſeu officium cum iuriſdictione.

9 Ad diſpenſandum cum iſtis illegitimis requiritur cauſa: & hæc cauſa relinquitur arbitrio boni Prælati, vt quòd illegitimus ſit nobilis, litteratus, valde Religioſus, &c. Doctores communiter. Sed nota valde quod Patres Congregationis Sanct. Ioann. Euangeliſtæ in Portugallia habent priuilegium in ſuo Compendio, *fol. 9. pag. 2. in principio*, per quod Eugenius IV. conceſſit Conuentui Sancti Georgij in Allega, ſui Ordinis vt admiſſus ad profeſſionem inter illos, ſi habet defectum natalium, ipſo facto ſit diſpenſatus, non ſolùm ad Ordines, ſed etiam ad omnia ſolita gubernari per Fratres illius Ordinis, Prioratus, ſeu Præpoſituras, Rectorias, aut officia ſe inuicem compatientia. Sic ibi. Itaque profeſſus apud illos non ſolùm diſpenſatur ad Ordines, ſed etiam ad officia, & dignitates Ordinis. Et mihi dictum fuit à patre, qui fuit illorum Generalis in Portugallia, apud illos id practicari. An verò poſſint iſto priuilegio vti illi qui communicant cum illis, & hactenus ea ignorantia non fuerunt vſi, vide infra *ver. Vſus priuilegij. ver. Priuilegium n. 60. & ſequentibus.*

10 In Compendio D. Hieronym. Hiſpan. *verb. Diſpenſatio natalium. §. 1.* dicitur, quòd poteſt Prior Conuentualis diſpenſare vt Frater aliquis illegitimus ſit Prior, Vicarius, Confeſſor, & quaſuis alias adminiſtrationes Conuentus habere. Nihil tamen ait de Prouincialatu. *Ibidem* tamen §. 2. ait poſſe ſolum Generalem in hoc diſpenſare, etiam vt Frater illegitimus poſſit eſſe Generalis. Et credo has conceſſiones non eſſe reuocatas, nec modificatas per Gregor. XIV. dicentem

tem ſupra *verb. Diſpenſatio, num.* 2. id fieri debere in Capitulo, &c. quia Gregor. XIV. ibi non reuocat priuilegia antiqua Religionum circa diſpenſationem cum illegitimis, imò ait ſe illa reualidare, ſi ſint in vſu, & non ſint comprehenſa ſub vllis reuocationibus.

11 Ad diſpenſandum cum illegitimo requiritur quod illegitimus explicet qualitatem illegitimitatis, ſi videlicet ſit ſpurius, ſi naturalis, ſi ſacrilegus, ſi inceſtuoſus, ſi adulterinus, &c. poſſunt enim hæ qualitates cum aliquibus circumſtantiis maximè duplicatis mouere, aut deterrere ad diſpenſandum, Miranda, *citata quæſt. art.* 13.

12 De Abbatiſſis, vel Monialibus illegitimis circa promotionem ad Abbatiſſatum, vide ſupra, *ver. Abbatiſſa. num.* 6.

13 Paulus III. conceſſit Generalibus Ordinis D. Hieronymi in Hiſp. vt poſſint diſpenſare cum familiaribus, conuerſis, & donatis ſui Ordinis illegitimis vt poſſint obtinere beneficia Regularia cum cura, vel ſine cura animarum in ſuis Monaſteriis, idque etiam ſi ſint illegitimi, inceſtuoſi, & ſacrilegi. Rodrig. *cit. q.* 13. *art.* 23. Potens legitimare adulterinum, & inceſtuoſum, ſeorſim; poteſt etiam legitimare vnum ſimul adulterinum, & inceſtuoſum. Sanchez *de Matr. lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 28. cum multis. Excipit tamen dummodo non ſit in præiudicium tertij: ſi videlicet ex legitimatione perdant partem hæreditatis filii legitimi.

ADDITIO.

1 SI quis coniux in legitimo matrimonio exiſtens poſtea fiat Monachus, cum omnibus licentiis legitimè requiſitis, & poſt profeſſionem accedat, ad ſuã

antiquam vxorem quæ filium pariat, talis filius natus ex vero matrimonio est sacrilegus, vt patet, & proinde illegitimus: habetur in *capit. litteras. de filiis presbyteror.* ex quo capite, ac titulo videtur requiri, vt prædictus monachus non solùm sit monachus, sed etiam Sacerdos.

2 Si quis nascatur ex soluto, & soluta, idque ex coitu illicito, & fornicario, & illi postea inter se verum matrimonium contrahant, ille præteritus legitimatur eo ipso per illud subsequens matrimonium. Habetur *cap. tanta. qui filij sint legitimi.* Idem dicendum est de filiis qui nati sunt ex matrimonio à parte rei nullo, putato tamen vero: si enim à parte rei extitit impedimentum dirimens matrimonium, propter quod solutum est matrimoniũ, post aliquot annos sententia iudicis; hoc non obstante, illi filij qui nati sunt tempore quo matrimonium putabatur validum, sunt filij legitimi, si matrimoniũ prius contractũ fuit in facie Ecclesię. Habetur *c. cùm inter. qui filij sint legit.* Quod etiã verũ est de filiis, qui concepti sunt ante latam sententiam diuortij, & nati post illam latam. Tolledo *in Sum lib. 1. c. 58. n. 3.*

3 Illi qui post Baptismum, vel ante illum exponuntur à matre ne cognoscatur, & ponuntur ad portas templi, vel alicuius viri, reputantur pro illegitimis, quia violenta probatio est, eos non nasci ex vero matrimonio. Tolledo *vbi supra n. 4.*

IMPETRARE INDVLTA *absque licentia.*

1 NVllus Regularis potest impetrare indulta à Sede Apostolica cõtra suæ Religionis statuta: & obtentum est nullum: Idem est si indultum sit contra Regulam, & bonos mores. Rodr. *tom. 2. q. 103. art. 2.*

2 Si

2 Si Religiosus impetret sibi aliquam exemptionem valebit pro forma verborum, si videlicet deroget concessionem Leonis X. qui prohibuit similes exemptiones obtentas etiam à Legatis à latere, si obtineantur absque licentia Generalis, vel Prouincialis Minorum. Rodriguez *tom.* 2. *q.* 64. *art.* 1. Et ibidem etiam Leo X. vt valeat rescriptum exemptionis pro Fratre Minorita requirit etiam quod intercueniat consensus Procuratoris, vel Commissarij Rom. Curiæ. At sequentes Pontifices non astringuntur illis limitationibus; & proinde inspiciantur verba concessionis Papalis. Supradicta prohibitio Leonis X. habetur in Compend. ver. *Exempti Fratres.* §. 9. & 11.

INDVLGENTIA.

ANte omnia suppono, vt notissimum, multas Indulgentias olim fuisse concessas diuersis Ordinibus ac Religiosis, de quibus latè Comp. Minorum ver. *Indulgentia.* Secundò, suppono certissimum S. Dominũ Paulum V. anno 606. Pontificatus sui anno primo, reuocasse omnes Indulgentias concessas per antecessores suos Sum. Pontifices quibuslibet Regularibus, Religiosis, ac Monialibus cuiusuis Ordinis, illásque annullasse: ac decreuisse, quod loco illarum ibi reuocatarum, omnes, & singuli Religiosi gauderent solis Indulgentiis in eadem Bulla ibi Religiosis concessis ab eodem Sum. Pontifice: quæ sunt sequentes.

1 Indulgentia plenaria cuique fideli Christiano suscipienti habitum approbatæ Religionis: cum animo profitendi, si suscipiat confessus, & sacra communione refectus.

2 Indulgentia plenaria cuiuis Nouitio profitenti, si sit confessus, & sacra communione refectus.

3 Quiuis Religioſus degens intra clauſuram, in feſto principali ſui Ordinis, confeſſus, & ſacra communione refectus, vel Miſſam celebrans, rogans deuotè pro concordia Principum Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, exaltatione Eccleſiæ, & ſalute Sum. Pontificis, lucratur Indulgentiam plenariam, vbi nota ſpecificare Papam, quod viuat Regularis intra clauſuram Conuentus. Puto autem quod feſtum principale ſui Ordinis erit feſtum Fundatoris Ordinis canonizati; vel illud quod apud illos fuerit declaratum pro principali.

4 Quiuis Religioſus in articulo mortis verè pœnitens confeſſus, & communicatus, & ſi hoc fieri nequeat, contritus, pronuncians, & inuocans ore, vel ſi ore non poſſit, mente, nomen IESV, lucretur indulgentiam plenariam.

5 Indulgentia plenaria cuiuis nouo ſacerdoti confeſſo, & dicenti primam Miſſam. Et eadem datur cuiuis Religioſo illam audienti, ſi ſit confeſſus, & Euchariſtia ſanctiſſima refectus, vel ſi celebrauit confeſſus.

6 Indulgentia plenaria, & remiſſio omnium peccatorum cuiuis Religioſo, qui per decem dies ſegregatus à negotiis ſe collegerit ad aliquod cubiculum, vel ſe ſegregauerit à conuerſatione aliorum, ibique intenderit lectioni librorum ſpiritualium, & cęterorum ad deuotionem excitantium. Et conſideraverit ſæpe myſteria fidei, diuina beneficia, quatuor nouiſſima, Paſſionem Domini, ſimiliáque exercitia ſpiritualia fecerit. Et ſimul fecerit intra idem tempus, confeſſionem generalem totius vitæ, vel vnius anni, vel ordinariam: & Euchariſtiam ſacroſanctam receperit, vel celebrauerit, & hæc omnia toties quoties fecerit, lucratur Indulgentiam plenariam.

7 Quiuis Religioſus viuens in clauſura viſitãs ſuam propriam Eccleſiam, & orans in illa deuotè pro ſupra dictis

dictis in tertia Indulgentia, lucratur omnes Indulgentias conceſſas viſitantibus Eccleſias intra,& extra muros Romæ,in die ſtationum,ac ſi ipſe illas viſitaret. Et hæc eſt maior & facilior inter ibi contentas.

8 Quiuis Religioſus viuens in clauſura,dicens quinquies Pater noſter,& Aue Maria,coram altari ſuæ Eccleſiæ ſingulis diebus , lucratur quinque annos Indulgentiæ & quinque quarentenas.

9 Eandem Indulgentiam lucratur , qui de licentia Superiorum iter facit,vel eſt extra clauſuram,ſicut Lectores, & Prædicatores, ſi proximè dictum faciant coram Altari alicuius Eccleſiæ.

10 Religioſi qui per ſpatium menſis vnius ſingulis diebus habuerint mediam horam Orationis mentalis, & confeſsi receperint Euchariſtiam in vltima Dominica eiuſdem menſis,lucrantur ſexaginta annos Indulgentiæ,& totidem quarentanas.

11 Qui in Capitulis accuſauerint ſuas culpas,imperfectiones,& peccata contriti, & communicati, & habuerint exercitia virtutum , lucrantur tres annos Indulgentiæ,& totidem quarentenas.

12 Religioſus miſſus à Papa,vel legitimo ſuperiore, ad terras infidelium,vel hæreticorum prædicandi gratia , vel ad docendum ibi Catholicos , vel hæreticos conuertendos , vel infideles reducendos , ſi ad prædictum finem fuerit confeſſus , & ſacra communione refectus,lucratur Indulgentiam plenariam;& hanc lucratur per duas vices diſtinctas : primò , quando recipit prædicta Sacramenta ad illum finem : ſecundò, quando ingreditur prædictam Prouinciam ad quam mittitur.

13 Quando ſuperior in viſitatione generali,pro meliore ſucceſſu viſitationis voluerit inſtituere ſolitas 40. horas orationis ſinguli Religioſi qui durante ſpatio

dicta

Primò,quia Religioſi etiam ſunt fideles. Secundò,quia non ſunt peioris conditionis, quàm ſæculares. Tertiò, quia hæ vltimæ Indulgentiæ Sixti, & ſimiles,non ſunt conceſſæ primò, & directè perſonis Regularibus, ſed omnibus Chriſti fidelibus abſque limitatione,& reſtrictione.

Secundum principale occurrit tractandum circa prædictam reuocationem D. Pauli V. an prædictæ Indulgentiæ ſic reuocatæ, hodie cenſeantur reualidatæ ſaltem apud Minores,eo quòd idem D.Paul.V. poſt illam reuocationem confirmauit Minoritis ſua omnia antiqua priuilegia: dicens in confirmatione ſe confirmare etiam(gratias,conceſſiones,& indulta ſpiritualia) ſed tamen non poſuit vllo modo Indulgentias? Aliqui affirmarunt in dictis verbis, *gratias,indulta ſpiritualia*, prædictum D. Paulum V. nobis iterum confirmaſſe Indulgentias antiquas.

Ego conſtanter teneo ibi per illa verba non confirmaſſe antiquas Indulgentias à ſe reuocatas, & ſic nos hodie directè non habere niſi ſupra poſitas conceſſas ab illo:& idem dicendum de cæteris Religioſis ſi poſt illam reuocationem non impetrarunt particularem illarum antiquarum confirmationem ab illo. Et huius meæ opinionis fuerunt graues, ac docti Religioſi hac de re conſulti in præcipuis Conuentibus Olyſſiponenſ.& in Academia Eborenſi, qui dixerunt ita ſe rem habere, & apud illos non haberi nouum recurſum ſeu confirmationem. Probo primò, quia non eſt credendum de ſanctiſſ. D. Papa tam citò mutaſſe ſententiam in re grauiſſima, quam in prædicta Bulla dicit iam intentatam, à Clemente VIII. & ſibi etiam à Procuratoribus Ordinum poſtulatam vt ipſemet Dominus Paulus V. dubia Religioſis quietaret in re tam confuſa antiquarum tot Indulgentiarum.Secundò,quia idem

Domi

Dominus Paulus V. vt ſupra dixi, concedens nobis Minoritis illam Indulgentiam plenariam pro corona Beatæ Mariæ, dixit ſe illam concedere non obſtante ſua reuocatione generali Indulgentiarum: ſi ergo pro conceſſione vnius tantùm, fecit mentionem ſuæ reuocationis: cur non faceret mentionem eiuſdem reuocationis recentis, confirmans poſtea non vnam ſed tot, tantas, ac tam faciles, de quibus Religioſi ipſi poſtularunt deciſionem? Tertiò, quia Clemens VIII. illius prædeceſſor quando confirmauit noſtra priuilegia, expreſsè dixit ſe confirmare Indulgentias; & cæteri Pontifices ſimiliter: At Paulus V. verbum *Indulgentiæ* ſubticuit omnino. Quartò, quia lex Principis debet promulgari verbis claris, propriis, & communibus ad tollenda dubia, vt Doctores tradunt in materia de legibus: dubium verò valde eſt, imò & inſolitum, quod per gratias, & indulta ſpiritualia intelligantur Indulgentiæ. Adde quòd Indulgentia eſt materia gruiſſima, & habet nomen commune & vſitatum, ac proinde non debuit per circumloquia exprimi. Vltimò, quia, vt Iuriſtæ dicunt, in conceſſione generali Principis non conceduntur illa, quæ ſi Princeps aduerteret, vel rogaretur, non erat conceſſurus: at in illa conceſſione gratiarum, & indultorum ſi Papa nuper reuocans omnes Indulgentias cum tanto fundamento, aduerteret, vel rogaretur, credendum eſt noluiſſe prædictas reuocatas validare: poſſet enim aliqualis videri incōſtantia. Quod verò attinet ad verba citata: *gratia, & indulta ſpiritualia*, non ſignificant ſolùm, & propriè Indugentias. *Gratia* enim nomen generale eſt, ſignificans gratiam infuſam, beneficium, fauores, &c. *Indultum*, etiam ſpirituale multa alia ſignificat: vtpote conceſſiones ad quietandos ſcrupulos, ad abſoluendum à reſeruatis, & alia ſimilia pertinentia ad animam, vt diſpenſationes, quæ non

non ſunt Indulgentiæ. Et probo, quia Iulius III. Sixtus V. & Clemens VIII. locis citandis infra verbo *Priuilegium*, *num.*30. confirmantes priuilegia vltra Indulgentias dixerunt, etiam indulta ſpiritualia tanquam quid diuerſum. Et quod ſub nominibus communibus non intelligantur Indulgentiæ, tenet expreſsè Suarez *tom.de legib.lib.*8.*cap.*9.*ad fin.*& innuit Nau.*lib.*5.*conſil. tit.de pœnit. & remiſ.conſil.*2.*n.*3. Addo quòd Miranda nouiſſimè ſcribens poſt illam reuocationem, in vtroque tomo, neque vllum verbum fecit de Indulgentiis, videns ſcilicet eſſe reuocatas: aliàs non omiſſurus rem tam grauem, communem, & neceſſariam, & conſolatoriam. Quæris: Clemens VIII. apud Bullarium Rodr. cõceſsit Indulgentiam plenariam parentibus Fratrum exiſtentium in Purgatorio & benefactorũ particulariũ Fratres hoſpitãtium, ſi pro illis Minorita dixerit vnam Miſſam. An hæc ſit reuocata per Paulũ V? credo quòd non: quia talis Indulgentia non eſt conceſſa Fratribus ſed parentibus, vel benefactoribus. De illa verò quæ *ibid.*conceditur Fratri defuncto pro quo ſimiliter celébrauerit Minorita, dubito, quia hæc eſt conceſſa pro Fratre, licèt ſit defunctus, imò credo reuocatam.

CIRCA INDVLGENTIAS, & Iubileum, alia.

REgulares prædicantes Indulgentias indiſcretas, peccant mortaliter & grauiſsimè. *Clemen.*1.*de priuilegiis.*§1. ſunt autem Indulgentiæ indiſcretæ, primò, illæ quæ ſunt falſæ, & nunquam conceſſæ. Secundò, illæ quæ ſunt conceſſæ à non habente poteſtatem. Tertiò, illæ quæ probari non poſſunt litteris Papæ, vel alio authentico teſtimonio. Idem erit publicare Indulgentias olim veras, ſed hodie reuocatas.

2 Pro illa Indulgentia Portiunculæ Minorum 2. die Auguſti noto primò illam confirmaſſe Benedictum XIII. in Compend. verb. *Indulgentia quoad ſæculares.* 1.§.13.idque videtur pro ſola illa domo Aſſizij.Secundò noto D.Paul.V. hanc non ponere inter ſuas Indulgentias.Noto tertiò quod Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 58. *art.*1.ait, quod Confratres Chordæ P. noſt. Franciſci illam lucrantur,intellige ſi in Hiſpania gaudent Cruciata. Noto quartò D.Paul.V. illam conceſſiſſe omnibus fidelibus,pro Hiſpania per decem annos,& finitur anno.1618. incluſiuè.

Quæris an Minoritæ poſsint vti illa Indulgentia Portiunculæ extra illam domum Aſsizij? credo quòd non,ſi ſermo ſit rebus,vt nunc poſt annũ 1618.& non renouetur à papa: probo,quia Indulgentia vnius illius loci poſt reuocationem generalem Pauli V.non extenditur ad alios Conuentus eiuſdem Ordinis. Nam Paulus V. reuocauit Indulgentias conceſſas Religionibus, & Religioſis: ſiue ergo illa Indulgentia Portiunculæ extra illam domum fieret per communicationem, Indulgentia Ordinis,ſiue Religioſorum,eſt reuocata per dictam reuocationem Minoritis extra illam domum. Ibi verò lucrabuntur tanquam Chriſti fideles. Extra verò illam in Hiſpania ſolùm vſque ad annum 1618. vt dixi. Si quæ verò conceſsiones erant antiquæ extendentes illam ad Minoritas extra illam domum,cenſeo reuocatas eſſe per illam reuocatoriam generalem iuxta modò dicta. Vide adhuc infra verbo *Priuilegium. numer.*20.

3 Quando Sixtus V. concedit Indulgentiam plenariam viſitantibus Eccleſias Minorum in Feſtis Sanctorum illius Ordinis pro Indulgentia ibi in die S. Claræ viſitanda eſt Eccleſia Monialium, non verò Eccleſia Fratrum, idque intellige pro ſæcularibus. Rodriguez

tomo

Digitized by Google

tomo secundo quæstion. octuagesimaseptima, articul. quinto.

4 Credo quòd Indulgentiæ concessæ ab antiquis pontificibus pro sæcularibus visitantibus Ecclesias Religiosorum non sunt reuocatæ per illam reuocationem generalem Pauli V. Quia illæ non sunt concessæ Fratribus, sed sæcularibus directè: quòd autem concessæ fuerint intuitu Fratrum, vel Ordinis, non facit quòd sint concessæ Fratribus. Nec Paulus V. in Bulla facit mentionem sæcularium, neque Indulgentiarum illis concessarum, verba autem restrictiua ibi sunt strictè accipienda, & non extendenda, vt patet. Est huius opinionis Rodriguez, *Additio. ad Sum. tom. 3. cap. 11. num. vnico*: vbi ait concessam esse Indulgentiam plenariam à Calixto III. parentibus Fratrum Minorum in hora mortis, in qua possunt eligere Confessorem per quem absoluantur plenariè à culpa & pœna. Et eodem priuilegio frui parentes non Mendicantium per communicationem: neque hoc reuocasse Paulum V.

Sunt autem multæ Indulgentiæ concessæ sæcularibus visitantibus Ecclesias Fratrum, maximè si ibi audiant verbum Dei, pro Missa noua: quas brevitatis gratia omitto, quia non pertinent ad Fratres directè, videat qui voluerit multa de hoc in Compend. Minorum verb. *Indulgentia quo ad sæculares.* Vnam vel alteram tantùm refero, quia sunt maiores. In Compend. D. Hieronymi in Hispania, verb. *visitantes Ecclesias*, §. 1. conceditur Indulgentia plenaria visitantibus Ecclesias Sancti Hieronym. confessis, vel cum proposito confitendi in Dominicis diebus quadragesimæ, Resurrectionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, Natiuitatis Domini à primis vesperis vsque ad occasum sequentis diei, & dicentibus ter Pater noster, & Aue Maria ad laudem Sanctissimæ Trinitatis. Et hoc ait concessum Minimis à Leone X. Similem Indulgentiam

plenariam lucrantur visitantes illorum Ecclesias in die Annunciationis B. Mariæ,SS. Philippi & Iacobi Apostolorum, & aliquas orationes ibi fundentes pro statu Ecclesiæ.*Ibid.*§.4.refertur concessum Hospitali Sancti Iacobi incurabilium de vrbe.Sed ego puto quod sæculares non lucrantur illas Indulgentias nisi in Ecclesiis Minimorum, vel illius Hospitalis:licèt enim olim Religiosi quo ad se possent communicare illis Indulgentiis;quo ad se sunt reuocatæ per Paulum V. Sæculares verò non habent communicationem extensionis vt concessum in vna,lucrentur in alia.

5 Quando Indulgentia conceditur tale, vel tale facienti hoc die: verbi gratia: ingredienti talem Ecclesiam, vel quid simile, si sit confessus,& communicatus; is qui fuit confessus, & communicatus quatuor ante diebus, & non habet mortalem culpam, lucratur Indulgentiam: Comitolus *libr.*1. *Resp. Moralium. quæst.*39.

6 Tempore Iubilæi satisfacit qui confitetur die Dominica ante communionem in eadem die. Henriq. *lib.*7.*de Indulg.cap.*10.*num.*8. *& ibidem littera S.in gloss.* ait Gregor. XIV. in quodam Iubileo dixisse,quod possent communicare post illam Dominicam in cuius antecedente hebdomada fecerunt iniuncta à Iubileo: & ita innuit hodie posse fieri iuxta consultationem habitam Salmanticæ. Ego tamen credo id non posse fieri nisi Papa exprimat,vt fortè tunc expressit.Si enim non exprimat, verba sunt accipienda in propria significatione,& non extendenda. Et faciendum totum in vna hebdomada vt verba sonant.Ait tamen idem Henriq. *eod. libr. cap.*12. *num.*2. quòd, qui tempore Iubilei (idem erit de Indulgentia plenaria) non habet conscientiam peccati mortalis, lucratur Iubileum, etiam si non confiteatur de venialibus. Et citat Anton. & Nauarr.

Nauarr. cui non dissentio, quia venialia non impediunt gratiam. Et papa loqui videtur suppositiuè, si scilicet indiget confessione, & maior pars fidelium semper indiget. probabile etiam iudico quod ait Henriq. *eodem lib. cap.* 11. §. *si quis*, (qui est tertius in ordine, licèt ibi ponatur pro quinto) quod si aliquis venit ad confessionem tempore Iubilei, maximè in fine secundæ hebdomadæ, & non potest illum Confessarius plenè audire ob temporis angustias, & quia pœnitens indiget longa discussione ob ferè totius vitæ nullas confessiones, potest illum confessarius contritum & confessum à censuris absoluere, & ab illis quæ de præsenti recordatur, differens absolutionem cæterorum ad dies extra Iubileum, & tunc plenè illum absoluat. Imò ait posse illum intra tempus Iubilei absoluere à censuris tantùm, & à reseruatis, & postea facta disquisitione necessaria absoluet à non reseruatis, imò & à reseruatis, quæ iam non manent reseruata ob priorem dimidiatam confessionem validam.

7 Qui fecit opera iuncta à Iubileo, & fuit confessus, potest transacto tempore Iubilei absolui à reseruatis oblitis, dispensari in irregularitatibus, & recipere commutationem votorum oblitorum: quia priuilegium Iubilei hactenus illi durat etiam transacto tempore circa hæc oblita. Tenet Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 15. *n.* 17. & tenet cum aliis etiam hoc posse fieri, licèt non fuerit confessus tempore Iubilei, eo quòd careret peccato mortali, iuxta illos qui dicunt etiam hunc lucrari Iubileum.

8 Gregor. XIII. concessit Patribus Societatis IESV, quòd quando pro Indulgentia, vel Iubileo requiritur confessio, & sanctissima Eucharistia, si per ætatem, vel aliud legitimũ impedimentum non possint confiteri,

vel communicare, Indulgentiam tamen consequantur. Intellige quòd saltem sint contriti habentes conscientiam peccati mortalis, concessit item quod qui inculpabiliter non receperunt intra tempus assignatum, eo transacto assequantur factis illis quæ iniunguntur. Rodriguez *tom.*2. *q.*87. *art.*2. & hoc priuilegium non est reuocatum, quia non est hoc indulgentia, sed priuilegium. Et idem fere concessum est Patribus S. Hieron. in Hispania vt scilicet infirmi lucrentur Indulgentias iniuncto aliquo opere pro iis quæ sunt præscripta à Papa. Rodrig.*tom.*2. *quæst.*103. *art.*1. Tempore Iubilei potest pœnitens vnum confessarium adire vt absoluat à reseruatis,& alterum vt vota commutet. Sanchez *libr.*8. *de Matrimon.disp.*7. *num.*17. & tempore Iubilei possunt confessores commutare vota extra confessionem sacramentalem. Sanchez *libr.* 8. *disp.*15.*num.*25.

ADDITIO.

1 DIxi supra *num.*2. Indulgentiam Portiunculæ in Ordine Minorum secunda die Augusti extensam ad sæculares in Hispania per decem annos à D. Papa Paulo V. finiri anno 1618. At finito illo decennio, idem Dominus Papa illam denuo extendit,& continuauit in eadem Hispania per septem annos, vt per litteras quibus certiores nos fecit Reuerend pater Generalis Frater Benignus à Genoua. Circa eandem verò Indulgentiam aduerto quòd licèt Sixtus IV. illam extenderit olim in perpetuum quoad Fratres citramontanæ familiæ (id est, ex Alpibus versus Romam) ea tamen extensio etiam quoad Fratres cessauit per reuocationem generalem Indulgentiarum factam à Domino Papa Paulo V. Probatur, quia illa extensio

Sixti

SixtiIV.erat Indulgentia conceſſa regularibus:at Paulus V. reuocauit omnes Indulgentias conceſſas quibuſuis Religioſis præter contentas in ſua Bulla,extenſio verò illa Sixti IV. prædictæ Indulgentiæ quoad Minoritas citramontanos habetur in Bullario Rodrihuez *fol.* 517. *col.* 1. *in fine.* Porro ex illa extenſione ad prædictos Fratres euidenter probatur id quod dixi in *dicto n.* 2. *& ver. priuilegium n.* 2. videlicet illam Indulgentiam conceſſam pro illa Eccleſia Portiunculæ Aſſizij, non extendi ſicut priuilegium ad omnes Minoritas extra illum Conuentum vbique degentes. Si enim extenderetur,non foret neceſſarium,vt Sixtus IV.propria conceſſione illam extenderet ad ſolos Minoritas, & cum limitatione, videlicet ſolos citramontanos,ſed iam hæc omnia ceſſant, quia D. Papa Greg. XV. propria Bulla hanc Indulgentiam perpetuam conceſſit omnibus Chriſti fidelibus.

2 Solent aliqui Religioſi Minoritæ portare appenſa ad cingulum decem grana, quaſi pro decies dicenda oratione angelica, innuentes per hoc conceſſam eſſe aliquam Indulgentiam. Scio de hoc fuiſſe dubitatum, & poſtulatas litteras talis conceſſionis.Neſcio quid ibi allatum fuerit; ſolùm video poſt illam dubitationem adhuc illam conſuetudinem ſeruari. Ego pro illa hoc ſolum inuenio apud Bullarium Rodriguez *fol.* 691. *col.* 1. *in fine*, quod ſcilicet Leo X. approbans, ſeu confirmans Ordines,ſeu confraternitates B.Mariæ Virginis, dicit primam confraternitatem, ſiue primum Ordinem B. Mariæ decem virtutes B. Mariæ in Euangelio deſcriptas continere. Et multùm Deo placere deuotionem qua B.Mariæ virtutes recolimus,& imitamur. Et quod Fratres huius confraternitatis ſeu ſorores dicant quotidie decies Aue Maria, præmittendo vnum Pater noſter pro Papa & Eccleſia idque in honoré de-

cem virtutum B. Mariæ: Et illis concedit centum dies Indulgentiæ toties quoties dixerint, vltra prius conceſſas: Item quòd quando audiunt horas diei, & noctis, dicant vnum Aue Maria ad laudem Virginis vt intercedat ad filium pro pace Eccleſiæ. Tunc ſubdit papa hæc verba: *Debent etiam portare fratres, & ſorores huius confraternitatis decem ſignacula, ſiue decem Aue Maria in memoriam decem virtutum eiuſdem Virginis Mariæ.* Hæc ibi. Et nihil aliud de hac authenticum inuenio. Circa hanc verò conceſſionem primò noto, papam ibi non dicere, quæ ſint in particulari hæ decem virtutes B. Mariæ, neque ego de illis legi in aliquo Doctore; ſatis eſt ſcire illam in gradu perfectiſſimo omnibus virtutibus abundaſſe: ſecundò noto illam Indulgentiam conceſſam eſſe confratribus alicuius confraternitatis, vt verba papæ clarè innuunt. Vbi verò illa confraternitas ſita fuerit & vtrum fuerit extenſa, vel communicata per totam Eccleſiam, ibi non dicitur, neque ego ſcio: neque Rodr. de hoc videtur egiſſe in 2. *tom. tract. de Indulgentiis*: quia in citato loco Bullarij ad marginem non ſe citat in *quæſtionib. regul.* vbi de hoc tractet, vt facit in multis marginibus eiuſdem Bullarij. Tertiò noto, quòd vltra illos centum dies Indulgentiæ debebant confratres illius habere alias Indulgentias, vt clarè papa innuit illis verbis: *Toties quoties dixerint, vltra prius conceſſas.* Quartò noto quod ſi illa confraternitas hodie viget, & per Eccleſiam extenſa eſt pro omnibus Chriſti fidelibus, illa etiam gaudent Religioſi cùm ſint Chriſti fideles: neque has D. Paulus V. reuocauit, vt dixi ſupra. Solùm certum ſcio quod Leo X. Bullam illam dirigit Gabrieli Mariæ Cõmiſſario Generali vltramontano Ordinis Minorum (ex Alpibus ſcilicet verſus Olyſſiponem.) Quod innuit illam confraternitatem fuiſſe inſtitutam pro omnibus

nibus Christi fidelibus: nam confraternitas nunquam instituitur apud solos Religiosos. Hæc habui dicere de re quotidiana, de qua vidi multos dubitare, & audiui in quadam Diœcesi huius Regni ita dubitatum, vt ferè iuridicè postularentur à Minoritis litteræ huius concessionis. Alia verò *ibidem* addit Papa facienda à confratribus prædictæ confraternitatis, quæ quia non video fieri, nimis moueor vt credam prædictam confraternitatem esse extinctam.

3 In Bullario Rodrig. *f.* 1181. Sixt. V. ad instantiam Patrum Carmelitarum discalceatorum concessit omnibus, & singulis Christi fidelibus, qui hoc modo alios salutauerint (suo vulgari, vel Latino sermone,) *Laudetur Iesus Christus*, & his qui sic responderint, *In sæcula, vel amen, aut semper*, vtrisque tam salutantibus, quàm respondentibus quinquaginta dies Indulgentiæ vbicunque id factum fuerit. Nominantibus verò reuerenter nomen Iesu, vel B. Mariæ quinque dies Indulgentiæ. Et ista Indulgentia etiam gaudent Religiosi cùm concedatur omnibus fidelibus: neque est reuocata per Paulum V.

4 A D. Papa Clemente VIII. exiit decretum circa Indulgentias concessas à se, vel à prędecessoribus pro Coronis, calculis, Rosariis, vel imaginibus à se, vel à prædecessoribus benedictis. In quo decreto hæc præcipuè continentur. Primum, vt illa omnia, & singula sic benedicta non transeant personam illorum, qui illa in præsenti obtinent. Vnde mortuo illo, qui aliquid ex illis benedictis calculum scilicet, vel Rosarium habuerit, eius hæredes vel amici aliquid ex illis accipientibus illis non prodest.

Secundum est, quæcunque ex illis non sunt distributa vsque ad illum diem, in quo exiit decretum amplius alteri distribui non possint.

gentia,sed quasi dispensatio,& priuilegium,quod proinde non est reuocatum à Paulo V. Is enim non reuocauit priuilegia,sed Indulgentias.

6 Quæris,pro hac Ecclesia est vna Indulgentia concessa intrantibus illam, & ibi certis vicibus dicenti, *Pater noster*,& *Aue Maria*,vel quid simile. Petrus existens in gratia intrauit Ecclesiam, & recitauit orationes iunctas pro illa Indulgentia lucranda, sed ignorauit ibi talem Indulgentiam illo die concedi. Quæris,inquam, an Petrus sic ignorans lucretur illam Indulgentiam.Rodriguez *in Bulla Cruciatæ* §. 8.*numer.*9. *dubio* 4.tenet quod lucraturus Indulgentiam debet habere intentionem actualem, vel virtualem eam lucrandi quando facit opera iuncta pro illa lucranda. Vbi per intentionem virtualem videtur intelligere, quod licèt quando facit opus illud iunctum,non habeat actualem intentionem lucrandi, requiritur tamen iuxta illum vt antea aliquo tempore habuerit aliquam intentionem generalem,vel specialem illam acquirendi: sic enim habetur intentio virtualis, id est,in virtute intentionis expressæ præcedentis: vt constat ex materia de Sacramentis,quando agitur de intentione actuali,virtuali,habituali.

7 Ego credo absolutè prædictum Petrum intrantem,& prædicta facientem, & ignorantem Indulgentiam, illam lucrari. Moueor primò, quia sic audiui ex ore proprio quondam à Patre Molina, Magistro meo. Secundò,quia vt supra diximus, verbo *Horæ Canonicæ* ex Sanchez 1.2. *Decalog. capit.* 13. satisfacit præcepto recitandi Diuinum Officium,audiendi Missam, & Sacramentalis Pœnitentiæ si fiat opus iunctum,quãuis fiat cum formali intentione positiua non satisfaciendi pro tunc, vt sufficientissimè probat ibi Sanchez *num.*13.Ergo satisfiet præcepto imposito pro faciendis

rebus

rebus iniunctis pro Indulgentia, etiamsi quis careat intentione actuali, vel virtuali eam lucrandi, hoc enim est multo minus quàm in supradictis tribus præceptis habere intentionem actualem non satisfaciendi pro tunc; qua non obstante satisfit, vt ille auctor probat. Tertiò, quia cùm in Compendio Mendicantium sint multæ Indulgentiæ concessæ sæcularibus visitantibus Ecclesias Mendicantium; sequeretur ex opposita opinione has non lucrari illos qui in gratia existentes visitant prædictas Ecclesias, nisi quando intrant, vel antea habuerint actualem intentionem illas lucrandi: quod tamen valde durum est: & nimis rigidum, cùm neque Summi Pontifices id concedentes exprimant, vt id fiat ex tali intentione, & ferè nullus sæcularis id intendat quando intrat; & sic ferè frustrarentur prædictæ Indulgentiæ. Quartò, ratione Theologa. Nam constat vnumquodque opus nostrum factum in gratia, maximè pœnosum, vltra portionem gratiæ quam meretur, mereri etiam certam satisfactionem pro pœna debita in Purgatorio, vt omnes Theologi fatentur. At tale opus meritorium meretur hanc certam portionem satisfactionis pro pœnis, etiamsi operans meritoriè, neque actu, neque virtualiter intendat talem satisfactionem quando actu operatur, vt constat, imò multi, & ferè sæculares omnes id ignorant. ergo cùm Indulgentia suppleat nostra opera satisfactoria circa easdem pœnas purgatorij, habeátque eandem conditionem, vt scilicet opus iniunctum, & factum pro Indulgentia acquirat portionem illam satisfactionis, etiamsi is qui facit tale opus iniunctum nihil cogitet, neque sciat, neque intendat de tali Indulgentia: & confirmatur, quia subrogatum habet naturam quam habet illud, pro quo subrogatur: ergo si opus meritorium factum in gratia, meretur portionem satisfactionis, absque eo

quòd

quòd operans illud intendat, & cogitet, vel ſciat: faciens opus iniunctum pro Indulgentia, (quod opus ſit loco operis meritorij, vel ſatisfactorij nobis deficientis) acquiret illam ſatisfactionem Indulgentiæ, etiam ſi quando tale opus operatur, neque intendat actualiter, neque virtualiter: imò etiam ſi penitus ignoret.

8 Quando conceditur Indulgentia aſſiſtentibus Diuino Officio in Eccleſia, eam lucrantur non valentes intrare præ turba multa: quia illam concedens non videtur attendiſſe ad hunc caſum. Sic Rodriguez *Addit. ad Summam capit.* 211. *concluſ.* 4. ex Roſella, & Corduba. Quod ego explicarem ſi iſti non valentes intrare, ſaltem ſunt in atrio Templi (vulgo, *Alpendro*) nam exiſtentes in atrio habent aſſiſtentiam moralem ad Diuina Officia, ita vt non valentes intrare ex atrio Miſſæ audiendo præcepto ſatisfaciant, vt patet in Eccleſiis campeſtribus, quæ aliquando ſunt paruæ, & populus multus. Si verò prædicta opinio id ſentiat etiam de exiſtentibus circa Eccleſiam, & nec in atrio; id mihi videtur dubium: quia non habent aſſiſtentiam moralem. Et verba Indulgentiæ non ſunt amplè, ſed ſtrictè interpretanda, cùm Indulgentia ſit quid pertinens ad odioſum legis, vt tenet Nauarr. *tractat. de Iubilæo, notab. 9. numer. 9.* & Bellarm. *lib.* 1. *de Indulgent. cap.* 7. *concluſ.* 5. & alij. Hinc infero quod quando Indulgentia concedit aliquid illi, qui intrauerit Eccleſiam, & ibi orauerit: ſi præ turba intrare nequeat, puto quòd non percipiet Indulgentiam ob proximè dictũ Nau. In huius cõfirmationẽ affero quod vidi in illa parua Eccleſia Portiunculę Aſſizij vbi cõceditur Indulgentiam intranti illam ſecunda die Auguſti Hæc enim cùm parua ſit, quaſi ſacellum, cùm vnam tantùm portam haberet tempore P. N. Frãciſci, poſtea creſcẽte

popu-

populi multitudine pro ea lucranda, altera porta in latere Sacelli aperta est, vt populus intraret, & statim exiret; ne ob defectum ingressus priuaretur quis tali Indulgentia.

9 Porro, quamuis tantisper à compendij fine digrediar, & rei Theologicæ speculatiuæ mentionem faciam, quia tamen materia quotidiana est, de qua sæpius inquirunt idiotæ, ac deuoti Indulgentiarum cupientes scire, quid significēt in Indulgentiis verba illa, *plenaria, plenissima, quadragena*, & similia. Quid item significent in Indulgentia *tot anni, vel tot dies*: an scilicet intelligantur anni, vel dies quos anima in Purgatorio debebat transigere: vel significentur dies, per quos in hac vita debeat agere pœnitentiam, & non fecit; quia, inquam, hæc ignota sunt, & sciri desiderantur à lucrantibus Indulgentiam, quasi per summam hîc pono resolutionem.

10 Ergo ex Bellarm. *lib.1.de Indulgent.cap.9.* aduerte primò quinque modis solitos fuisse olim Pontifices concedere Indulgentias. Primo concedendo tot annos, vel tot dies. Secundo, concedendo tot Quadragenas. Tertio concedendo tertiam, vel quartam, vel aliam partem peccatorum. Quarto, concedendo Indulgentiam plenariam. Quinto, concedendo Indulgentiam plenam, pleniorem, plenissimam in forma Iubilæi. Nota secundò, olim in primitiua Ecclesia fuisse in vsu quod publicis peccatoribus imponebantur publicæ pœnitentiæ complendæ per tot vel tot annos: & specificantur certa opera facienda à publicò pœnitente, in vestitu videlicet: in ieiunio feria secunda, quarta, & sexta: ne vterentur balneis, certis cibis, vino, nec matrimonio, & sic de cæteris, vt patet ex Concil. Triburiens. *can.54.*

11 Quando ergo Indulgentiis antiquis conceduntur certi

certi anni, vel dies, ſecundùm veriorem ſententiam intelligitur non de diebus per quos debet pati in Purgatorio, ſed de annis, vel diebus pœnitentiæ quam pœnitens debeat facere ſecundùm illum ritum antiquum Eccleſiæ. Sed quoniam ille ritus pœnitentiæ publicæ, iam ceſſauit: dubium eſt de annis, ac diebus conceſſis, per nouas Indulgentias, vtrum duobus annis, verb. gratia, vel centum diebus Indulgentiæ conceſſis in hac vita, reſpondeant etiam duo anni, vel centum dies qui erant tranſigendi in Purgatorio? Et quidem omnes conueniunt, quod quando Indulgentia remittit pœnitentias aliquot annorum, vel dierum, ex conſequenti remittitur pœna Purgatorij reſpondens illis annis, vel diebus pœnitentiæ faciendæ in hac vita. Sed tota quæſtio eſt, vtrum vnus dies, vel vnus annus pœnitentiæ huius vitæ (ſi ſit grauis, & modo morali continuatur) tantum pœnæ purget apud Deum, quantum in Purgatorio expiabit vnus dies, vel vnus annus? Sotus *in 4 diſt. 21. q. 2. art. 1.* negat, & dicit multo acriorem eſſe pœnam Purgatorij quauis alia pœna graui iſtius vitæ: & proinde vnum diem pœnæ huius vitæ non æquiualere alteri diei, imò nec pluribus Purgatorij.

At Bellarm. *citato cap. 9. §. exiſtit autem*, tenet, ac dicit eſſe communem ſententiam, pro qua citat Nauarr. Palud. Adrian. Cordubam, & alios dicentes oppoſitum pœnitentiam vnius diei, vel anni in hac vita, ſi ſit grauis, & modo morali continuata prudentis arbitrio, æquiualere pœnæ vnius diei, vel anni in Purgatorio. Dat cauſas. Primò, quia licèt pœna Purgatorij ſit acrior, tamen eſt inuoluntaria, etenim animæ ad Purgatorium vadunt inuitæ, & non liberè: at pœna huius vitæ voluntariè aſſumpta, eo quòd voluntaria eſt, plus habet efficaciæ cæteris paribus, quàm pœna aſſumpta inuoluntariè.

tariè. Secundò, quia in hac vita est tempus misericordiæ Dei, qui in hac vita magis miseretur ad condonandas pœnas: at Purgatorium est locus iudicij, vel iustitiæ. Tertiò, ab effectu, quia nulla est pœna licèt grauissima, pro peccatis debita, quæ in hac vita remitti non possit per nimiam contritionem, & pœnitentiam vnius diei, vel paucorum dierum, quæ tamen pœna talium grauium peccatorum in Purgatorio non esset remittenda, nisi per multos annos: de hoc sunt multa exempla in historiis circa multos peccatores conuersos, & contritos, & subitò mortuos, de quibus valde contritis reuelatum est viris sanctis rectà fuisse deductos ad gloriam. Refert hoc Climacus *lib. de Scala Paradisi grad.* 4. de quodam insigni latrone subitò mortuo, & ad Paradisum delato ob vehementiam contritionis. Et in aliis historiis idem inuenies, imò iuuat sanctus latro cum Christo Domino occisus eadem hora delatus ad Paradisum: & Beata Maria Magdalena, quæ, iuxta communem opinionem, ad pedes Christi Domini, ob vehementem contritionem assecuta est remissionem, non solùm peccatorum, sed etiam omnis pœnæ debitæ tot peccatis. Econtra verò constat ex aliquibus reuelationibus quòd animæ aliquorum extiterunt, & existent in Purgatorio per multos annos, vt *ibi* citat Bellarm. ex Climaco: imò aliquæ animæ fuerunt in Purgatorio per longum tempus propter vnum solùm peccatum. Quæ omnia satis probant pœnam vnius diei, vel anni in hac vita æquiualere pœnæ vnius diei, vel anni in Purgatorio, si hic talis pœna sit grauis, & continuata modo humano arbitrio prudentis viri. Et sic constat de primo modo concedendi Indulgentias tot annorum, vel dierum. Vide infra *num.* 15.

12 Quando conceduntur in Indulgentiis antiquis quadragenæ, vel quarentenæ, alluditur ad pœnitentias publicas

publicas primitiuæ Ecclesiæ,iuxta Tolledo *Sum. lib.* 5. *cap.*24. *num.*2. vbi ait,quòd si tunc imponebantur v.g. septem anni pœnitentiæ, non in singulis diebus illorum annorum fiebant opera illa nimis pœnalia, vt ieiunium in pane,& aqua,& similia:sed fiebãt certis diebus illorum annorum, vt certa hebdomada, vel certis diebus hebdomadæ, vt feria quarta vel sexta. Et isti certi dies illorum annorum acrioris pœnitentiæ, dicebantur carena, id est, ferè carentia omnium ciborum: & ab ista carena deductum est nomen quarentena, vel corrupto nomine quadragena: ait ergo Tolledo, quòd quando concedebantur tot anni, & tot quarentenæ; istæ quarentenæ non sunt quadraginta dies vltra illos prædictos annos ibi concessos; sed dies istius quarentenæ sunt numerandi intra illos annos pœnitentiæ publicæ, & ex eadem pœnitentia publica non semper æquali remittebantur tot quarentenæ, id est, tot dies acrioris pœnitentiæ tunc agendæ, siue tot dies carenæ; videlicet quadraginta dies illius carenæ, acriorisve pœnitentiæ: vnde quarentena, vel quadragena sunt quadraginta dies illius carenæ.Exemplum sit in Religionibus: damnatur quis ad carcerem per duos annos,& simul iubetur vt feria quarta & sexta intra hos duos annos in refectorio ieiunet in pane, & aqua, & alia die verberetur.Hi dies designati acrioris pœnitentiæ intra illos duos annos dici nossunt carena, quia caret in illis fere omnibus cibis. Quod si Prælatus propter aliqua festa condonet reo pœnitentias acriores illorum dierum certorum, dicetur suo modo concedere quarentenam ad modum primitiuæ Ecclesiæ.

13 Quando Indulgentia remittit tertiam quartã,vel aliam partem peccatorum,nihil aliud significat,quàm remitti pœnitentiam,quæ in hac vita facienda erat pro

tanta parte pœnæ peccatis debitæ : & ex consequenti remitti eidem portionem pœnæ debitæ in Purgatorio respondentem prædictæ pœnitentiæ,quæ debebat fieri in hac vita.

14 Quando conceditur Indulgentia plenaria, res clara est:nam conceditur remissio totius omnino pœnæ quæ post peccati remissionem permansit. Denique quando conceditur Indulgentia plenior, vel plenissima,nihil differt ista concessio ab Indulgentiaplenaria : vt ait Bellarm. *citato cap.* Vnde ibi reprobat distinguentes quod plena remittat pœnas debitas solis peccatis mortalibus,plenior remittat pœnas etiam debitas venialibus : plenissima remittat vtrasque, & aliquando etiam culpas veniales. Non, inquam, placet distinctio, quia quæuis Indulgentia plena,vel plenaria facit id quod verba sonant, id est, remittit omnem pœnam etiam venialium. Et præterea nulla Indulgentia ex se remittit vllam culpam, etiam venialem. Si verò aliquando Bonifacius VIII. vsus fuit his verbis plenæ,largioris,plenissimæ,vide expositionem apud Nau. *tract.de Iubilæo notab.9.& 31.* nobis hæc sufficiant pro intellectu supradictorum,

15 Propter dicta in *num.11.præcedenti*,quæris:si tempus pœnæ in Purgatorio luendæ respondet, seu æquialet tempori,seu annis pœnitentiæ vitæ istius,& constat diem iudicij probabiliter non tardaturum decem mille,vel quindecim mille annis,ad quid,in aliquibus Indulgentiis conceduntur tot mille anni, vel aliquando conceduntur decem mille anni, vel plus, vel circiter.Ex hoc enim sequitur quod, cùm post diem iudicij non sit futurum Purgatorium, vt colligitur ex Scriptura, sequitur quod multa crimina manebunt impunita post diem iudicij, si Purgatorium tandiu non est duraturum, & sunt peccata aliqua digna Purgatorio

per

per tot mille annos. Ad hoc respondet Bellarm. *cap. cit. post medium.* Primò multos Doctores negare illas Indulgentias concedentes decem, vel quindecim mille annos, esse veras, seu à veris Pontificibus concessas: sed esse confictas ab hæreticis, vel à similibus: ita sentiunt Gerson, & Sotus *ibi* citati: etenim priores Summi Pontifices parcissimi erant in concedendis Indulgentiis, eásque non concedebant, nisi tot annorum, vel dierum: adeo vt Episcopis de iure solùm concedatur vt possint concedere Indulgentiam quadraginta dierum. Secundò respondet Bellarm. dato quod sint veræ Indulgentiæ prædictæ tot millium annorum, non sequi prædictum inconueniens vt post diem iudicij maneant crimina impunita. Nam primò, de fide est neminem scire quandiu tardabit dies iudicij: & Summi Pontifices si illud concesserunt, non curarunt de die iudicij incerto, sed de remedio animarum. Secundò, quia cùm supra dixerimus, pœnitentiam vehementissimam in vna die huius vitæ superare aliquando debitum pœnæ in Purgatorio multorum dierum: fieri poterit vt peccator grauissimus, ob immensa crimina debens facere per totam, & longam vitam, v.g. centum annorum, vel quinquaginta annorum, maneret obligatus ad multos mille annos Purgatorij, si duraret per illos: quos tamen multos mille annos ille compensaret per illos quinquaginta annos grandis pœnitentiæ, vel saltem per Indulgentiam tot mille annorum respondentium in Purgatorio illis quinquaginta annis grandis pœnitentiæ. Idque magis explicat Bellarm. alludens ad tempus primitiuæ Ecclesiæ in qua pro singulis peccatis publicis, & grauissimis imponebantur tres, vel septem anni pœnitentiæ: poterat enim homo aliquis valde facinorosus per triginta, vel quadraginta annos habere, v.g. mille peccata publica gra-

uissima, pro quibus si puniendus esset iuxta Canones patiendo pro singulis septem annos esset reus multorum millium annorum pœnitentiæ in hac vita: & proinde ad securitatem decens fuit vt Summi Pontifices securitatis gratia incerti de die iudicij concederent tot mille annos Indulgentiæ.

PRO IVBILEO, ET INdulgentiis.

16 QVia supra facta est mentio de Iubileo, & iste continet Indulgentiam plenariam, solùm differens in eo quod in Iubileo conceditur facultas absoluendi à reseruatis, quæ non conceditur in sola Indulgentia, ideo pauca volui subiicere de Iubileo sicut olim feci in prima editione. Dico ergo. Quando I bileus conceditur per duas hebdomadas, si quis priori hebdomada illum comparauit, & post illum comparatum, seu lucratum in principio secundæ hebdomadæ incidit in reseruatum, vel deuotionis causa vult illum secunda vice lucrari in secunda hebdomada, quæris an hoc possit fieri? Henriq. *lib. 7. de Indulg. c. 11. n. 1.* ait posse, & dicit sic respondisse multos recentiores Theologos ea de re consultos. Nam, ait, probabile est Indulgentiam pro vna die concessam posse in illa die sæpius comparari, si intra illam diem iniunctum opus pro pœnitentia sæpius repetatur. At contrarium tenet Sanchez *libr. 4. Decalog. capite 54. numero 30.* dicens Iubileum pro duabus hebdomadis in vna sola posse acquiri quoad Indulgentiam Iubilei: nam hoc fere indicat ipsa forma Iubilei. Non enim conceditur copulatiuè pro prima, & secunda hebdomada, vel indefinitè pro illa duplici hebdomada: sed cum disiunctione illis verbis:

verbis : *Qui in prima hebdomada post publicationem, vel in sequenti post illam.* Nam, vt supra iam diximus, verba Indulgentiæ censentur odiosa, & proinde sunt restringenda. Notat tamen, & bene nostet Villalobos 1. *tom. Sum. tract.* 26. *difficul.* 18. *num.* 1. quòd si Indulgentia conceditur pro vna die, non potest acquiri multis vicibus, quia iam conceditur limitata: secus si concedatur non limitatè, vt cùm datur recitanti in Ecclesia tot orationes Dominicas, vel Angelicas, vel Rosarium, tunc enim acquiritur toties quoties.

17 Si Confessarius potens commutare votum per Iubileum, intra tempus Iubilei audiens confessionem pœnitentis, & dubitans in quam materiam æqualem debeat commutare, sic dicat: commuto tibi hoc votum in id quod ego postea, vel vir doctus iudicauerit; valet commutatio voti, & transacto Iubileo vir doctus de licentia confessoris poterit arbitrari materiam. Neque talis Doctor tunc commutat, sed solùm designat materiam voti iam commutati: & potest postea vir doctus laicus id arbitrari, non enim illud opus est iurisdictioni, sed prudentiæ. Rodrig. *in Addit. ad Bullam Cruciatæ.* § 9. *num.* 115. Sayro *Clau. Regia, lib.* 6. *cap.* 12. & alij addunt supradicti quod si talis pœnitens antequam Confessor, vel vir doctus determinet materiam, faciat contra votum, dicetur violator voti antiqui, quia illa commutatio præterita est in pendenti, donec determinetur materia. Imò addit Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto lib.* 6. *c.* 16. *n.* 15. quòd potest Confessor tempore Iubilei non commutare, sed differre hoc faciendum transacto Iubileo vt maturiùs rem consideret, & virum doctum consulat: quia iam acceptauit potestatem, & inchoauit causam, & proinde poterit commutare transacto Iubileo.

18 Qui tempore Iubilei habebat votum, & noluit pro tunc illud sibi commutari; potest nihilominus transacto Iubileo petere illius voti commutationem, eámque dare potest quilibet Confessor, Sanchez *citat. cap.* 54. *num.* 40. Nam concessio illa sibi facta in Iubileo pro commutandis votis est priuilegium, & hoc priuilegiũ non est alligatum tempori quo durat Iubileus, sed potest eo vti eo tempore trãsacto (non sic verò potest vti licẽtia vt absoluatur à reseruatis, nisi de oblitis, Iubileo finito.) Iam enim pœnitens per confessionem factam tempore Iubilei acquisiuit ius ad hoc priuilegium, & vt possit postea dictum votum commutare.

19 Qui in principio Iubilei intendens illum lucrari, confessus est multa reseruata, & absolutus est ab eis, postea ex negligentia non est lucratus Iubileum, aliqui dicunt illum reincidere in reseruata, & in censuras, à quibus est absolutus: sed verior sententia tenet, non reincidere, sed manere verè absolutum, quia peccata, vel censura semel extincta non reuiuiscunt, neque ibi datur absolutio ad reincidentiam, sed absolutè. Ita Cordub. *in Summ. quæst.* 21. Sanchez *citat. cap.* 54. *num.* 44. & multi quos citat. Imò si tempore Iubilei habebat quis peccatum reseruatum, & tunc oblitus est confiteri illud, potest, transacto Iubileo, ab illo absolui à quouis Confessore: quamuis enim tale reseruatum oblitum, secundùm veriorem sententiam adhuc sit reseruatum in se: attamen pœnitens per confessionem præteritam factam tempore Iubilei acquisiuit ius, vt possit postea per quemuis Confessorem absolui ab illo. Vnde colliges, quod si pro Iubileo lucrando non est confessus, quia non habet mortale, vt aliqui dicunt posse facere, (& nos olim diximus hoc eod. verb. *n.* 6.) iste talis non poterit postea absolui ab illo reseruato, quia non est ablata reseruatio illa. Si verò etiam in princi

principio Iubilei intendens illum comparare, in confessione obtinuit commutationem aliquorum votorum,& postea ex negligentia non est eum lucratus:talia vota manent nihilhominus verè commutata.Henr. 7.*de Indulg.c.*11.*n.*4.& Rodr.1.*tom.Sum.in* 1.*edit.c.*184. *n.*15. Secùs dicendum est de votis oblitis in illa confessione facta non lucrato Iubileo:hæc enim non poterunt commutari eo transacto.

20 Non peccat mortaliter ille qui Iubileum lucrari intendens, eáque de causa obtinuit absolutionem à censuris, & reseruatis, & votorum commutationem, & postea retrocedens, Iubileum non lucratur, si dolus defuit. Ita tenet probabilius contra aliquos Sanchez *citat. cap.*54. *numer.*54. *& libr.*1. *de Matrimon. disp.*43. *num.*9. & id verius puto: nam talis retrocedens, & non lucrans nihil promisit: nec Confessarius illi aliquam obligationem imposuit: neque constat de tali Pontificis intentione;si enim tale Papa intenderet, id facile posset explicare, vt fit aliquando in aliis concessionibus Pontificiis. Est enim regula generalis quod quando est dubium, an pro aliqua re sit præceptum impositum, tunc iudicandum est non dari tale præceptum, idque in fauorem libertatis in eo dubio possidentis.

21 Si diuersi Pontifices pro vno eodem opere concedant diuersas Indulgentias, vt pro dicendo quinquies orationem Dominicam,& Angelicam,is qui facit tale opus consequitur omnes illas Indulgentias. Tenet Cordub.*qq. libr.*5. *quæst.*35. & Villalobos *tom.*1. *Sum.tract.*26.*difficult.*19. Sed ego de hoc valde dubito: cùm enim pro valore Indulgentiæ requiratur causa iusta,fieri poterit vt quinque Pontifices pro eodem opere varias quinque Indulgentias concesserint: & tunc illud opus quod ab vno Pontifice reputatum est suf-

ficiens pro vna Indulgentia, non erit sufficiens pro quinque.

24 Tandem circa Indulgentias pro defunctis, nota ex Tolledo *in Summ. libr.6. cap.26. num.5.* quod si quis sit in peccato mortali quando sumit Indulgentias pro defunctis faciendo id opus per quod illas applicant in peccato mortali, tales Indulgentiæ proficiunt defunctis existentibus in Purgatorio. Huius etiam opinionis est Gabr. *supra Canon. Miss. lect.57.* Ratio est, quia ratio satisfactionis, seu pretium pœnarum non est opus illius qui est in peccato: sed Indulgentia ipsa, & thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum. Illud autem opus particulare per quod Indulgentiæ applicantur fit nomine Ecclesiæ, in qua numquam deest gratia. Exemplum ponit in eo qui dat eleemosynam, & mittit illam per manus hominis existentis in peccato mortali, non enim perditur fructus eleemosynæ ex eo quod sit in peccato ille qui exequitur opus. Vnde non solùm hoc intelligitur de sumente Bullam Cruciatæ pro defuncto, si soluens Bullam sit in peccato mortali: sed etiam de illo qui dicit certas orationes iniunctas à Papa pro liberanda vna anima à Purgatorio, est enim vtrobique eadem ratio. Scio aliquos tenere oppositum, vt fatetur ipse Tolledo. Est tamen hæc opinio pia, & ratione sufficienti fundata.

INHABILITAS.

SOlet in multis Bullis Pontificiis sæpius imponi pœna inhabilitatis ad officia, & dignitates: & hac pœna maximè feriuntur Religiosi in multis Bullis. Differt verò hæc *pœna inhabilitatis* ab alia, quæ dicitur *priuatio officiorum*; quia hæc priuat officiis quæ

quæ actu obtinentur: Inhabilitas verò prohibet, & obligat illum, qui caret officio, vt in posterum etiam libenter oblatum non acceptet: & si acceptauerit, peccat mortaliter, & beneficij, vel officij collatio est nulla.

1 Circa pœnam priuationis officiorum quando imponitur à lege, iam dixi supra, verbo *Lex*, *numero sexto* non obligari illum qui habet officium se ipsum priuare relinquendo officium ante iudicis sententiam, maximè si crimen est secretum: nemo enim tenetur exequi sententiam adeo rigorosam contra se ipsum. Vide tamen quæ ibi diximus *citato numero* cum limitatione *ibi* posita ab Henriquez.

2 De inhabilitatione verò specialis quæstio est & nimis necessaria in praxi, vtrum is qui facit opus prohibitum cui imponitur pœna inhabilitatis, statim incurrat ipsam inhabilitatem, ipso facto, antequam per sententiam iudicis declaretur inhabilis. Constat enim quòd aliquæ pœnæ, maximè priuatiuæ, statim incurruntur ipso facto vbi primùm committitur delictum, pro quo imponuntur, vt omnes admittunt. Huiusmodi est excommunicatio, quæ statim incurritur ante Iudicis sententiam. Talis est etiam suspensio, & interdictum, si ponuntur ipso facto, seu latæ sententiæ, teste Sanchez 2. *Decalog. capit.* 39. *numer.* 31. similiter ergo quæritur de inhabilitate, an incurratur statim facto delicto cui imponitur, idque antequam iudex declaret, delinquentem illam incurrisse? Et pars affirmatiua, quod scilicet statim incurratur, potest probari, quia est pœna priuatiua non priuans aliquem aliquo iure iam quæsito ac possesso, sed solùm acquirendo; & proinde non est expectanda sententia Iudicis: sicut non expectatur in excommunica-

tione,& cæteris censuris.Item quando lex infligit pœnam incurrendam ipso facto, seu ipso iure, non expectatur sententia declaratiua iudicis, vt omnes fatentur, & ipsa verba sonant: & sic quoties fere in Bullis Pontificiis ponitur hęc pœna inhabilitatis,ponitur ipso facto,seu ipso iure.Atque ita sentiunt expresse de pœna inhabilitatis statim incursa Sotus *libr.1. de Iust.q.6. post 4.concl.* Cordub.*libr.1. Quæstionum,q.36. paulò post principium,& in solut. ad secundum.* Mexia, & Metina, Aragon,Salon,& Rodr.citati à Sanchez *cit.n.31.*

3 Ipse tamen Sanchez *ibidem* tenet partem negatiuam tamquam probabiliorem, videlicet non incurri inhabilitatem impositam delicto à delinquente,donec per sententiam Iudicis declaretur illam incurrisse. Et hanc sententiam tenet etiam Nauarr. *de datis pro iustitia, & gratia.num.44.* Molin. *tom.1. de Iustit. disp.96. pagin.590.*& Sot.*lib.4.de Iust.quæst.6. art.34. ad finem,* Ledesm.*1. part.4.quæst.18.art.2.dubio vltimo*:probatur à Sanchez. Quia illa particula, (*eo ipso*) solùm importat, vt non requiratur sententia condemnans; seu pœnam statuens, iam enim posita est: at non tollit quin requiratur sententia declarans crimen.Secundò, quia non omnes sententiæ priuatiuæ nullam Iudicis executionem petentes, incurruntur ipso facto absque vlla sententia,sed id peculiare est solùm in tribus censuris excommunicationis & cæteris, & hoc patet in particulari circa priuationem bonorum temporalium quibus priuatur hæreticus, quæ imponitur ipso facto: & tamen iuxta Doctores communiter, imò, & iuxta praxim expectatur sententia Iudicis. Tertiò, quia inhabilitas est pœna valde acerba, & ita per Epicheam excipienda est à regula pœnarum priuatiuarum:maximè cùm pœna priuationis officiorum ob sui etiam acerbitatem expectet Iudicis sententiam. Et quamuis

irregu

irregularitas sit rigidior, neque expectet sententiam Iudicis declarantis illius incursum, id tamen prouenit ex vsu, qui vsus iam declarauit, vt non expectetur Iudicis sententia: quod non declarauit vsus circa inhabilitatem ad officia,& beneficia.

4 Vides vtranque opinionem Doctoribus, ac ratione munitas: prior securior est, & plures pro se habet Doctores. Secunda sufficienter probatur, & habet quinque Doctores graues, & recentiores. Quapropter non condemnabo qui secundam opinionem tenuerit, maximè in casu necessitatis. Nam si hodie est opinio communis, quod ex duabus opinionibus ambabus probabilibus, possum sequi in conscientia, minus probabilem, & habentem duos, vel tres tantùm Doctores: ista secunda opinio habet quinque Doctores, & rationem probabilem. Ex qua constat, quod si delinquens non incurrit inhabilitatem antequam declaretur per sententiam iudicis: poterit talis delinquens quandiu est occultus ferre suffragium in electionibus: vt Sotus *secundo loco* citatus ait Scholasticos in Academiis, qui violantes præceptum, vel statutum illarum incurrerunt inhabilitatem, ait illos posse dare suffragium in electione ad Cathedram, poterit etiam taliter delinquens occultus acceptare officium, vel beneficium antequam declaretur inhabilis per sententiam. Idque stando in secunda opinione: quam ego magis tolerarem in casu quo delinquens occultus nullo modo posset obtinere dispensationem occultam,& ex non suffragrando in electionibus, vel ex renunciando officiis ipsi resultaret grauis infamia. Sed tamen, sicut dixi, etiam facientem sine istis conditionibus occurrentibus, non condemnabo propter iam dicta.

AD

INTERDICTVM.

MAteria ampla est, & quo magis insolita, quando euentu confusionem parit: ideo fusiùs aliquantulum tractanda intra terminos tamen Compendij. Maximè quia, dum hæc scripsi, tota hæc Olyssipo generaliter erat interdicta.

LIGATIO INTERDICTI, VEL cessationis, quoad Fratres.

1 POssunt Prælati Ordinum interdicere illos subditos quos possunt excommunicare. Sayrus *libr. 5. de censuris cap. 10. num. 22.* Et patet, quia maius quid est posse excommunicare, quàm interdicere: excommunicatio enim priuat omnibus Sacramentis actiuè, & passiuè. Et priuat electione actiua, & passiua. Et communione fidelium, &c. quibus non priuat interdictum: & hi Prælati habent iurisdictionem Ecclesiasticam externam, quæ etiam ad hoc extenditur.

2 Leo X. concessit Minoribus quòd illorum Ecclesiæ non possint interdici ad instantiam alicuius personæ nisi fuerit interdicta tota ciuitas, vel oppidum in quibus sunt Ecclesiæ Fratrum. Compend. Minorum *interdictum* 1. §. 15. Idque exprimit de interdicto ponendo authoritate Apostolica, siue ordinaria. Sed nota verbum; (*ad instantiam personæ*) id est, si petit pars vt ponatur, si enim Legatus, vel Episcopus ponit ex se cum causa, etiam si nemo petat, seruandum est à Regularibus.

3 Ecclesiæ Fratrum, non possunt specialiter interdici, nisi Religiosi dederint causam interdicto; vel nisi ille ad cuius instantiam interdicuntur, prouideat

Religio

Religiosis de victu. Leo V. in Compendio *Interdictum* 1.§.15. Nota quòd non est interdici Ecclesiam specialiter quando generale interdictum extenditur etiam ad Ecclesias Fratrum. Sed quando sola Ecclesia Fratrum interdicitur, vel in litteris specialiter, & principaliter nominatur.

4 Personæ Fratrum, non possunt interdici interdicto personali speciali, siue deambulatorio, neque ab Episcopis, neque à Legato à latere, nisi litteræ Legati de hoc faciant expressam mentionem. Ita concessit Clemens IV. apud Rodriguez *tom.2. quæst.108. art.2.* Et vide quod aliud est interdici Ecclesias Fratrum, aliud verò personas Fratrum: illud enim prius interdictum dicitur locale: hoc secundum in personis est personale: & Episcopi possunt aliquando interdicere Ecclesias Fratrum saltem in generali: nunquam verò personas nisi per commissionem Papalem specialem, quia sunt personæ exemptæ.

5 Interdicto Clero vniuerso alicuius vrbis, si verba aliud non indicent, non interdicuntur Religiosi illius vrbis, quia in odiosis nomine Clerici non intelliguntur Religiosi: bene tamen in fauoribus. Sayrus *lib.5. de censuris cap.4. num.29.*

6 Interdictum positum ab Episcopis locale tenentur seruare Religiosi in suis Ecclesiis, ex Tridentino *sessio.25.c.12. de Reg.* Vide limitationem proximè positam, *n.2.3.& 4.*

7 Etiam si interdictum sit nullum, & inualidum, tenentur Religiosi illud seruare si seruatur à matrice, vel ab omnibus parochialibus. Rodrig. *cit.q.108. art.4.* Et tamen Clerici sæculares tunc ad illud non tenentur, si est nullum. *Clementina 1. de sent. excommunica* Regulares verò non seruantes interdictum, sunt excommunicati, *in ead. Clementina.*

8 Si

8 Si interdictum est validum tenentur Religiosi illud seruare, etiam si matrix Ecclesia non seruet: quia tunc per alias leges tenentur, idque sub pœnis ibi contentis. Rodrig. *art. 6. citata q.* 108.

9 Si interdictum sit positum authoritate Apostolica, Minoritæ tenentur illud seruare nulla exceptione, aut excusatione admissa, etiam si cæteri Regulares, vel sæculares non seruent. Compend. Minorum *interdictum*, 1. §. 9.

10 Minoritæ excommunicantur si tempore interdicti admittunt ad diuina Tertiarios, vel Tertiarias sui Ordinis eo solùm quòd Tertiarij sunt. *Clementina 3. de sentent. excomm.* cum gloss. & Doctoribus *ibidem.* Sed postea Sixtus oppositum concessit, de quo vide infra *num.* 72.

QVÆ SACRAMENTA LICEANT, *vel non liceant tempore interdicti: generalis.*

CLaritatis gratia suppono breuiter duplex esse Interdictum, locale scilicet, & personale. Locale est, quando solus locus, id est, sola Ecclesia interdicitur, non verò ipsæ personæ. Et istud locale, adhuc est duplex. Locale scilicet generale, vt quando interdicuntur omnes Ecclesiæ vrbis, vel oppidi, vel potest hoc interdictum locale esse speciale tantùm, vt quando interdicuntur vna, vel duæ, vel tres tantùm Ecclesiæ: cæteris intactis manentibus. Vide *infra num.* 75. Rursus: Interdictum personale est, quando interdictum ponitur in solis personis, non verò in locis. Et hoc etiam personale est etiam duplex, generale scilicet, quando interdicuntur omnes personæ huius populi: vel personale tantùm speciale, vt quando solùm interdicitur vna tantùm,

tantùm, vel duæ, vel tres perſonæ, vel aliquæ nominatim. Et hoc ſecundum interdictum perſonale ſpeciale tantùm, dici ſolet deambulatorium, quia deambulat, & ſequitur perſonam quocumque vadat: & idem fit quando interdictum eſt perſonale generale: quotieſcumque enim interdictum eſt perſonale, ſiue illud ſit generale, ſiue ſpeciale, perſonæ ſic interdictæ nullibi poſſunt audire diuina: quod non fit quando interdictum eſt locale tantùm: quia tunc perſonæ habitantes in loco interdicto, ſi ipſæ non ſint interdictæ, poſſunt audire diuina in alia Eccleſia non interdicta. Et hæc ſunt certiſſima. Igitur proſequentes in ordine de Sacramentis tunc miniſtrandis dico.

11 Tempore interdicti cuiuſcumque licitum eſt miniſtrare Baptiſmum paruulis, & adultis, *c. quoniam. de ſententia excom. in 6.* & alibi communiter. Et hoc Sacramentum poteſt tunc miniſtrare perſona quæ non fuerit ſpecialiter interdicta perſonaliter; ſi verò fuerit generaliter tantùm interdicta, neque cauſam dederit interdicto, poteſt. Suarez *de cenſur. diſput. 33. ſect. 1. num. 6.*

12 Poteſt Epiſcopus miniſtrare Sacramentum Confirmationis tempore interdicti, niſi dans, vel recipiens fuit cauſa interdicti, vel ſit impeditus cenſura alia Eccleſiaſtica. Suarez *loc. cit. n. 9.*

13 Tempore interdicti poteſt miniſtrari Sacramentum Pœnitentiæ cuiuis fideli tum ſano, tum infirmo, etiam in Eccleſia ſpecialiter interdicta: *cap. alma mater.* Nota verò quod ſi detur homini ſano intra Eccleſiam, debet fieri in tempore quo non celebrentur Miſſæ, vel Officium Diuinum in choro: quia talis pœnitens admiſſus ad Sacramentum Pœnitentiæ per *dictum caput*, non poteſt admitti ad Miſſam, vel cætera Diuina Officia, ſecus ſi habeat Bullam, vel priuilegium aſſiſtendi

ſtendi generaliter omnibus diuinis Officiis. Excipe etiam, quod tunc hoc Sacramentum non poteſt miniſtrare qui cauſam dedit interdicto, nec recipere qui cauſam dedit niſi prius ſatisfacta parte.

14 Licitum eſt tunc dare Euchariſtiam exiſtenti in periculo mortis. *cap. quod in te. de pœnit. & remiſſ.* dummodo non ſit perſona ſpecialiter interdicta, tunc enim debet prius dare ſatisfactionem, clericus item ſpecialiter interdictus, vel ſi illi cauſam dedit, non poteſt illam miniſtrare. Poteſt etiam tunc dari Euchariſtia fœminæ exiſtenti prope partum timenti periculum. Rodriguez *tom. 1. quæſt. 109. art. 3.* ex Couar. *& ibidem* ait non poſſe tunc Clericum ſanum communicare ex manu aliena in ſua Eccleſia, quia hoc non exprimitur in iure: poſſe tamen celebrare priuatim, quia hoc exprimitur.

15 Quando Euchariſtia deferenda eſt ad infirmum periculoſum tempore interdicti, deferenda eſt cum omni comitatu, & honore conſueto, iuxta *caput ſanè, de celebrat. Miſſarum*, & in tali delatione debet pulſari campana, neque opus eſt expectare euidens periculum mortis, ſufficit iudicium Medici dicentis bonum eſſe quod ſe paret ad mortem. Suarez *cit. ſection. n. 24. vſque ad 29.*

16 Homini ſano, & non habenti periculum mortis non licet tunc dare Euchariſtiam: patet in iure, & eſt communis, niſi habuerit expreſſum ad id priuilegium. An verò de iure communi poſſit tunc dari Euchariſtia Clericis pertinentibus ad talem Eccleſiam, & valentibus tunc ibi intereſſe diuinis, id eſt, Clericis non celebrantibus, vel nondum presbyteris; alij negant, ſicut Rodrig. citatus *n. 13.* & alij at verò alij affirmant. Suarez putat probabile, *n. 39.* ſed remittit ſe ad conſuetudinem Eccleſiæ. Poterit tamen dari ſæcularibus ſolùm

pro

pro implendo præcepto communicandi in Paſchate, Suarez *ibi num.*37.

17 Extrema vnctio dari non poteſt, neque Clericis qui aliàs tunc poſſunt de iure communi ſepeliri in Eccleſia.*c.quod in te.de pœnit.& remiſſion.*

18 Ordines ſacros non licet dare,neque recipere in loco interdicto, ſi dans aut recipiens cauſam dederint interdicto. Couarr. *capit. alma mater. part.*2. §. 3. *numero* 4.

19 Licitum eſt tunc contrahere ſponſalia, in loco interdicto: vel inter perſonas interdictas: talis enim contractus, neque eſt ſacramentum, neque Officium diuinum. Benedictiones tamen nuptiales non poſſunt dari à Parocho, quia ſunt Officium diuinum. Ipſum etiam matrimonium in facie Eccleſiæ,non eſt licitum, quia eſt Sacramentum.Si tamen de facto fiat,erit validum,quidquid ſit de peccato.Suarez *n.*46.*vſque ad numerum* 58.

CVLPA, ET POENA VIOlantis Interdictum circa Sacramenta.

20 VIolans interdictum in materia Sacramentorum actiuè, aut paſſiuè peccat mortaliter,eſt enim res grauiſſima ex parte prohibitionis,& ex parte materiæ.

21 Clerici violantes interdictum in materia Sacramentorum irregulares fiunt; & fiunt inhabiles,vt poſſint eligi,& ſuſpenſi ab officio, & beneficio: & incurrunt priuationem beneficij, non ipſo facto, ſed ferendam: tres verò priores pœnas incurrunt ipſo facto. Miranda *tom.*2. *q.*37.*art.*9.*concl.*1. Si verò ſunt Monachi incurrunt etiam excommunicationem,ſupra *n.*7.&

deducitur ex *cap.* . *de sentent.& re iudic.* potest autem hæc violatio fieri tribus modis. Primò si persona interdicta conferat Sacramentum personæ non interdictæ,etiam in loco licito.Secundò si persona non interdicta conferat Sacramentum alteri non interdictæ, sed in loco interdicto. Tertiò, si conferat Sacramentum personæ interdictæ etiam in loco non interdicto. Et nota,quod easdem pœnas incurrit Clericus interdictus celebrans in loco specialiter interdicto, vel non interdicto. Sic ex *cit.c.*& Doctoribus colligitur. Et ista violatio interdicti siue tradat substantiam Sacramenti, siue solemnitatem tantùm antecedentem ipsum Sacramentum,quales sunt cæremoniæ Baptismi,benedictiones nuptiales,& similes.

22 Prædictas pœnas non incurrunt recipientes Sacramenta, quia recipere Sacramenta non est actus deputatus alicui Ordini. Suarez *cit.disp sect.*3. *n.*22. peccant tamen mortaliter.

23 Neque etiam illas pœnas incurrit Sacerdos assistens matrimonio, quia ibi non assistit vt minister Sacramenti, neque confert Sacramentum. Neque item incurrunt has pœnas ipsi coniuges sibi inuicem Sacramentum ministrantes,quia non ministrant vt ministri sacri:neque sæcularis baptizans in necessitate. Incurrit verò Clericus baptizans cum solemnitate. Suarez *vbi proximè*.Omnes tamen hi peccant mortaliter si illicitè faciant violando interdictum: non verò baptizans in necessitate.

PROHIBITIO DIVINORVM, & quæ sint hæc diuina tunc prohibita.

24 VLtra Sacramenta prohibita, prohibentur etiam

etiam Diuina Officia,quæ ſunt varia;& illa explicatione ſummaria,ſic intelliges.

25 Primò, prohibetur celebratio Miſſæ in omni loco interdicto ianuis apertis : & proinde in Oratoriis, domibus,viis,agris vicinis,&c. Poteſt tamen celebrari ianuis clauſis ; ſubmiſſa voce, excommunicatis, & interdictis excluſis,& campanis non pulſatis. Et eodem modo poſſunt fieri cætera diuina Officia,cum proximè dictis circumſtantiis. *cap.alma mater*, & praxis Eccleſiæ.Et hoc etiam de celebratione Miſſæ, poteſt fieri in Oratoriis, ab Ordinario approbatis , cum eadem moderatione , & excluſis non habentibus priuilegium, etiam ſi non ſint ſpecialiter interdicti. Nauar. *in Sum. capit.* 27. *numer.* 175. Et hoc cum cæteris ſequentibus intellige tantùm quando Eccleſia eſt generaliter tantùm interdicta , ſecus ſi ſit ſpecialiter interdicta, quia tunc non licent niſi modo ſtatim explicando in §. *dixi hæc.*

26 Prohibentur etiam Horæ Canonicæ , niſi fiant cum moderatione proximè dicta,de ianuis clauſis,&c. de quibus proximè *n.*21. ſunt enim Horæ Canonicæ Officium Diuinum.

27 Prohibentur Sacramentalia, cuiuſmodi ſunt cæremoniæ præcedentes Sacramentorum miniſtrationem ; vt benedictio olei, chriſmatis, aquæ benedictæ, Eccleſiæ, vaſorum, veſtium ſacrarum , &c. ſimilium, quæ ab Eccleſia ſpeciali ritu publico ſunt inſtituta. Nau.*in Sum.c.*27.*n.*172.& Doctores communiter.Alij ſic explicant;vt per Officia diuina prohibita, intelligatur illud omne quod ſolùm poteſt fieri à Clerico ſpecialiter ad illud munus deputato , ac inſtituto , & eſt communis expoſitio : per Clericum verò intellige etiam Subdiaconum,& Diaconum. Et adde quod ſupra dicta ſacramentalia non licent, niſi cum moderationi-

bus ſupradictis,de ianuis clauſis,&c.& in Eccleſia quæ non ſit ſpecialiter interdicta.

Illa verò quæ non ſunt deputata vt fiant à Miniſtro Eccleſiæ ſpecialiter deputato, vel inſtituto, licèt ſint ſpiritualia & deuota, non ſunt prohibita, v. g. concio ad populum, benedictio menſæ, non ſolemnis,orationes pro itinerantibus poſitæ in Breuiari,opriuatæ orationes ſæcularium,intra Eccleſiam,quandiu non celebrantur diuina in illis:adoratio Crucis in die Veneris maioris hebdomadæ, dummodo tunc ceſſet cantus, & preces pro tali adoratione inſtitutæ, quia tunc, neque ſubmiſſa voce poſſunt dici adorante populo.Ex his colliges,quæ ſint alia Diuina Officia tempore interdicti prohibita.

Dixi hæc licere cum moderationibus dictis de ianuis clauſis, &c. idque ſi Eccleſia ſit tantùm generaliter interdicta,ſi enim ſit ſpecialiter interdicta,prædicta non licent niſi cum hac moderatione, vt vna tantùm dicatur Miſſa in hebdomada ad renouandam Euchariſtiam. Cætera verò Diuina Officia non licent etiam permiſſa in *capit. alma mater.* Suarez *tom. de cenſur. diſputat.*34. *ſect.*2. *numer.*1. Ad maiorem verò explicationem de diuinis Officiis licitis, vel tunc illicitis, & ſpectantibus ad illa, accipe ſequentia in ordine.

Si Sacerdos faciens aliquod Diuinum Officium in loco generaliter interdicto, omittat aliquam ex illis quatuor conditionibus de ianuis clauſis, &c. peccat mortaliter & violat interdictum, vt ſi celebret ſolùm ianuis apertis:vel ſolùm admiſſis laicis non priuilegiatis:vel ſolùm pulſatis campanis:peccat enim in materia graui,Suarez *tom.de cenſur.*34.*ſect.*4.*n.*13.*& ſequent.* Sayro *lib.*5.*de cenſ.c.*14. *à n.*30. Reginald.*tom.*2.*lib.*32. *ſect.*3.*num.*49.

28 Tem

28 Tempore interdicti, non possunt pulsari campanæ ad Missas, & Horas Canonicas: possunt tamen vocari Clerici, & Regulares ad chorum cum aliquo signo externo, vulgo (*matracas*) tali enim signo, ligneo scilicet, iam populus intelligit se non vocari ad diuina. Rodriguez *tomo* 2. *quæstione* 109. *articul.*4. & Suarez *disputat.*34. *sectione.*1. *numer.*16. Neque prohibentur campanæ nisi ad vocandum populum, ad Diuina Officia: non verò prohibentur si sonent ad concionem, salutationem Angelicam, & similia. Neque Acolutus seruiens Missæ potest tunc pulsare campanam tempore eleuationis hostiæ, vel calicis. Neque item licet pulsare organa. Suarez *cit.loco*, *num.*19. cum aliis citatis *ibid.*

29 Sacerdos celebraturus si non habet qui ministret nisi laicum, poterit illum assumere etiam non priuilegiatum, dummodo non sit excommunicatus, &c. Suarez *n.*31. Si verò Clericus in Ecclesia sæculari habet alium Clericum maximè non presbyterum, vel presbyterum qui velit ministrare, vel laicum priuilegiatum qui idem faciat, non potest assumere laicum non priuilegiatum. Idem dic de Clerico sæculari in Ecclesia Regularium, si ibi sint Acoluti Regulares qui ministrent, tunc enim non potest assumere laicum non priuilegiatum, vt tenet expressè Rodr. *tom.*2.*q.*114.*art.*4. Et his ibi deficientibus poterit vocare alium, si poterit, priuilegiatum. Excipe si Clericus in Ecclesia Regularium adducat suum famulum sibi seruientem, & se comitantem, quia per priuilegium famulatus posset illum admittere secum, & idem siue sint duo vel tres famuli pro comitatu illius ordinario, dummodo non admittat in fraudem, non suos.

30 Potest tunc Clericus assistere morienti, eidémque dicere Litanias, Psalmos, Passionem Domini, etiam

coram laicis,dummodo non dicat, *Dominus vobiſcum.* Rodriguez *tom.2.quæſt.109.art.2.*

31 Priuilegiati ad audienda diuina tempore interdicti ſiue per Bullam,ſiue per priuilegium, poſſunt ſecum adducere familiares, domeſticos,qui ipſos comitantur. *cap. licet. de priuilegiis*: ſed nota per hos familiares ſolùm intelligi, qui talem perſonam de ordinario comitantur,& honorant. Vnde non poſſunt aſſumi extraordinarij famuli, etiam ſi aliàs ſint de familia, neque illi qui inuenti ibi volunt eſſe famuli, neque illi qui non ſunt neceſſarij moraliter. Doctores communiter.

32 De infantibus, ſiue puellis alij dicunt poſſe illos audire diuina abſque priuilegio:alij negant. Vtrumque probabile ſecurius eſt, vt arceantur, & omnino arcendi ſunt amentes adulti.

33 Si ſacroſancta Euchariſtia ſit publicè locata per horas 40. vt ſolet, vel pauciores, adoranda, & ſpectanda populo, poſſunt intrare, & adorare,etiam ſpecialiter interdicti, quia hoc non eſt Officium diuin. Suarez *citat.ſect.1. numer. 36.* Excipe, niſi tunc Miſſa celebretur, vel aliud Diuinum Officium: & ſupradicta etiam intellige dummodo non ſit Eccleſia ſpecialiter interdicta.

34 Poſſunt etiam in interdicto generali extra Eccleſiam in domo priuata tres, vel quatuor, dicere Horas Canonicas, dummodo à ſæcularibus non audiantur. Suarez *diſputatione 34. citat. ſection. tertia. numero 13.*

35 Non prohibentur ſæculares generaliter interdicti aſſiſtere in Eccleſia, quando licitè miniſtratur Euchariſtia priuilegiatis, vel datur Baptiſmus paruulis, dummodo tunc non dicatur Miſſa, vel Horæ Canonicæ: quia duo prædicta non ſunt recipere Sacramen

cramentum, sed solùm videre, vel audire Sacramentum, & hoc non prohibetur. Suarez *sectione.* 4. *numer.* 31. & 32.

CVLPA, ET POENA VIOLANTIS *interdictum quo ad Diuina Officia.*

36 CLerici etiam primæ tonsuræ, & Regulares violantes interdictum circa diuina Officia, peccant mortaliter iuxta communem opinionem, est enim materia grauis ex se, & nimis prohibita. Idque etiam si exerceant actum deputatum Ordinibus tantùm Minoribus. Intelligitur etiam de benedictione aquæ posita in Missali, & similibus. Potest tamen Sacerdos intrans Ecclesiam cum sæcularibus aspergere illos aqua benedicta, hoc enim non facit tanquam Minister Ecclesiæ.

37 Clerici violantes interdictum exercendo actum proprium sui Ordinis, eo modo quo à laicis non potest exerceri, fiunt irregulares, suspensi, & inhabiles. Est communis Doctorum in *cap.* 15. *qui, de sentent. excommun. in 6.* Excusabitur tamen is qui bona fide fecerit etiam si interueniat ignorantia culpabilis, dummodo non sit affectata. Suarez *sect.* 4. *num.* 15. & in his pœnis suo modo comprehenduntur etiam Moniales. Suarez *ibidem num.* 16.

38 Eandem irregularitatem incurrunt violantes interdictum personale, siue illud sit speciale, siue generale, siue sit tantùm interdictus ab ingressu Ecclesiæ. Suarez *num.* 22. Sed hanc irregularitatem non incurrunt Clerici, vt dixi, nisi ministrent ex proprio officio ad quod sunt consecrati in diuinis, qualis est Missa, Euangelium dicere, Subdiaconum in Missa, cantare in choro ex obligatione Ordinis sacri. Secus si Reli-

gioſus carens Ordinibus cantet in choro. Nau. *c.27.in Sum.n.*187.peccant tamen mortaliter.

39 Prædictam etiam irregularitatem non incurrit Clericus celebrans coram interdictis perſonaliter, quia talis pœna pro illo non inuenitur expreſſa in iure, quidquid ſit de peccato. An Clericus non excludens laicum à ſua Miſſa non priuilegiatum,qui non eſt ſpecialiter interdictus:& celebrat Sacerdos ſolùm in loco generaliter interdicto, an, inquam, hic Clericus peccet mortaliter,vide *ſupra n.*23.§.*dixi*.An verò incurrat irregularitatem,negat Viualdus *in Candelabro. ver. Interdictum.* §.6. *n.*10. cum Federico,& Cou. quos citat, dat cauſam, quia talis ſæcularis permiſſus non peccat mortaliter. At in oppoſitum affirmat Sayrus *Libr.5. de cenſur.lib.*14.*à n.*3. & citat Greg.Valent. & innuit Suarez,& Regin.citati *n.*23.*cit.*§.*& eſt ſecurius.*

40 Laici violantes interdictum locale, vel perſonale, ſiue ſit ſpeciale, ſiue generale, peccant mortaliter, eſt enim materia grauiſſima, & nimis prohibita. Panormit.cum multis *c. vltim.de exceſſibus Prælatorum,&* Suarez *diſp.*34.*ſect.*5. ita vt nec poſſit laicus canere in choro cum Clericis abſque priuilegio. Si verò laicus ſit perſonaliter interdictus,multo magis prohibetur aſſiſtere,& grauius peccat.

Quæris an peccet mortaliter laicus qui tempore interdicti, furtiuè vt ita dicam, & ſciens eſſe interdictum, & prohibitum, intrat Eccleſiam, & Miſſam audit abſque priuilegio? Non peccare mortaliter tenet Rodriguez cum Syluestr. & aliis *quæſtion.*100. *artic.*4. & dant cauſam, quia Eccleſia id non prohibet laicis directè; ſed prohibet tantùm Clericis ne admittant. Et proinde concludunt cum Soto, non peccare mortaliter laicum niſi fiat ex contemptu, vel ex malitia, prohibente ianitore Eccleſiæ. Alij verò dicunt

cunt peccare mortaliter, inter quos est Suarez *citata disput.34. sect.5. num.4.* Et probat, quia etiam ipsis sæcularibus directè prohibetur ne tali tempore se ingerant diuinis. Et citat pro hoc *cap. si sententia.de sententia excommun.* vbi dicitur: *ciuitate interdicta licitum esse ciuibus, qui culpam interdicto non dederunt, extra ipsam intereſſe diuinis.* Vbi videtur supponere quod intra ipsam non possunt:& ipsis directè prohibetur. Saltem petenti consilium ante factum, ego dicerem esse mortale,quia in hoc maximè cernitur violatio diuinorum à sæculari.Et citat Suarez alios pro se,dicentes esse mortale.

41 Laicus violans interdictum in diuinis nunquam fit irregularis.Couar. *cap.alma mater.part.1.§.1.num.3.* Neque Clerici non assistentes vt Clerici, sed more laicorum.

42 Si verò laici cogant aliquem celebrare Diuina Officia in loco interdicto,incurrunt excommunicationem,ex *Clementina 2.de sentent.excommun.*Excommunicantur etiam *ibidem*, qui publicè prohibitos vocant vt interſint: vel prohibent, ne interdicti exeant à Missa, postquam moniti sunt:& pariter ipsi interdicti, qui moniti non exeunt.

INTERDICTI PROHIBItio quoad sepulturam Ecclesiasticam.

43 PEr interdictum generale loci prohibetur ne quis in illo loco sepulturam Ecclesiasticam accipiat,& multo magis per interdictum speciale.*cap. quod in te, de pœnitent. & remiss.* & alibi. Adeo vt neque infantes baptizati valeant sepeliri, quia textus neminem excipit. Imò neque ossa defuncti olim mor-

tui, possunt translata, nunc sepeliri tempore interdicti in Ecclesia interdicta generaliter: quia hoc est verè donari sepultura Ecclesiastica: neque etiam si pro his ossibus sumatur Bulla Cruciatæ. Oportebat enim habere illam ante mortem, & non sufficit sumere post mortem. Si verò interdictum sit generale, sed personale tantùm, non prohibentur sepeliri infantes baptizati. Suarez *disp.* 36. *sect.* 2. *num.* 8. Excipiuntur Clerici, etiam primæ tonsuræ (non verò Clerici coniugati) tales enim non coniugati possunt tunc sepeliri, cum his conditionibus; prima, vt non sint personaliter interdicti. Secunda, vt non sint excommunicati. Tertia, ne causam dederint interdicto. Quarta, vt fiat sine pulsatione campanę. Quinta, vt fiat cessantibus omnibus solemnitatibus: & fiat cum silentio. Circa quod aduerte, quod tunc in tumulando tali Clerico dum defertur per viam ad Ecclesiam nō posse dici Psalm. etiam submissa voce. Postquam verò intra Ecclesiam fuerit corpus, potest dici Missa, & cætera solita pro Clerico mortuo submissa voce, & ianuis clausis. Suarez *disput.* 35. *sectio.* 1. *à num.* 4. *vsque ad* 10. Si verò Ecclesia sit specialiter interdicta, & sit alia non sic interdicta specialiter, poterit Clericus sepeliri in illa non sic interdicta specialiter: & non in interdicta specialiter. Si verò sit vna sola Ecclesia, & hæc specialiter interdicta, poterit ibi sepeliri. Suarez *sect.* 2. *num.* 4.

44 Persona specialiter interdicta à fortiori priuatur Ecclesiastica sepultura. Patet ex multis textibus & doctoribus. Et illi qui sepeliunt nominatim interdictos etiam excommunicantur, si faciant scienter, & cum præsumptione. *Clementina* 1. *de sepulturis.*

45 Sepelientes aliquem in loco interdicto etiam excommunicationem incurrunt. *eadem Clementina*: intellige verò quod etiam, si faciant bona, vel mala fide, non debet

debet exhumari corpus, si sit corpus fidelis. Angelus *interdictum 6.num.33.* & alij.

46 Si verò interdictum non sit locale, sed sit interdictum tantùm personale generale, non priuantur fideles Ecclesiastica sepultura, nisi fuerint nominatim interdicti. Suarez *disput.35.sect.3.num.2.*

Pro illis verò qui tempore interdicti per Bullam, vel priuilegium, sepeliuntur in loco sacro, dicente prilegio, vel Bulla quod fiat cum pompa moderata: quæ sit pompa moderata, relinquitur arbitrio Ordinarij, si ibi fuerit. Et Rodriguez *tomo 2.quæst.111. artic.3.* dicit in Hispania practicari, vt ter pulsetur campana, & sepeliatur ianuis apertis, & cum tono deferatur corpus ad sepulturam, cantando. Hoc tamen non video in Portugallia practicari. Imò nunquam pulsatur campana. Et ideo standum est consuetudini, seu decreto Ordinarij. Capucinus verò verb. *Interdictum, in fine suarum additionum*, ex declaratione Iulij III. dicit per moderatam pompam intelligi, dimidium illius quod fit extra interdictum, iuxta qualitatem personæ. Et idé declaratum fuisse in Bulla Pij IV. Elige quod conformius sit iuri, & consuetudini.

DE INTERDICTO AB *ingressu Ecclesiæ.*

47 INterdictum ab ingressu Ecclesiæ semper est quid personale, addictum vni personæ, non verò addictum loco. Vnde si interdictum solùm sit generale, vel speciale quo ad locum, non ibi prohibetur ingressus Ecclesiæ, nisi quando fiunt Diuina Officia. Imò neque personale interdictum generale, vel speciale in forma communi priuant ingressu ecclesiæ, quando ibi non celebrantur diuina. Suarez

disput.

disputation.trigesimaquinta,sectione quarta,num.secundo.

48 Est ergo interdictum ab ingressu Ecclesiæ,quoddam peculiare genus interdicti, peculiarisve censura, priuans fideles aliqua participatione diuinorum, non propter communicationem cum aliis, sed per se. Estque hoc genus interdicti personale, vt diximus, non totale: habet enim aliquem effectum, quem non habent alia interdicta personalia,vt videbis ex sequentibus.

49 Interdictum ab ingressu Ecclesiæ priuat omni participatione diuinorum in ipsa Ecclesia. Et proinde prohibet in Ecclesia celebrare, sepeliri, dare, vel recipere Sacramenta: imò nec Missam audire, neque aliud Diuinum Officium permittit.Et hoc loco,nomine *Ecclesiæ* intelligitur solùm templum authoritate Episcopi,publicè deputatum,ad sacra facienda. Non verò intelliguntur Oratoria priuata, domorum: bene tamen Ecclesiæ paruæ, quæ non sunt Parochiæ, vulgo, (*Ermidas*) maximè extra muros,sunt enim Ecclesiæ publicè: & proinde,prohibetur etiam ingressus in his paruis,licèt non sint parochiales.

Hinc fit quod interdictus ab ingressu Ecclesiæ non prohibetur celebrare,vel diuina audire nisi in Ecclesia publicè deputata,siue sit consecrata,siue benedicta. At taliter interdictus extra publicum potest in Oratoriis priuatis omnia illa facere,& recipere, quæ sibi licebãt ante illud interdictum, verba enim illa pœnalia sic sunt restringenda, vt solùm prohibeant diuina intra Ecclesiam publicè deputatam:nõ verò deputatam priuatim,vt sunt Oratoria. Et proinde potest domi suæ recipere extremam vnctionem. Sylvest.*Interdictum 6. quæst.5.*& Nauar.*in Sum.cap.25.num.75.*

50 Sic interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non potest extra portam Ecclesiæ existẽs audire diuina quæ fiunt intra

intra Ecclesiam. Contradicit enim menti huius legis, quæ hoc principaliter prohibet in Ecclesia. Nec potest Missam dicere in cæmeterio Ecclesiæ, hoc enim pro Ecclesia reputatur. Potest tamen celebrare in priuato Oratorio. Si verò cæmeterium non sit cõtiguum cum Ecclesia, poterit ibi participare omnia diuina. Quod si taliter interdictus moriatur, non poterit sepeliri in cæmeterio etiam disiuncto ab Ecclesia. Suarez *disput. 35. sect. 4. num. 12. & 13.*

Altera differentia huius interdicti est, quia alia interdicta locale scilicet, & personale, siue sit generale, siue speciale, non priuant hominem ab ingressu Ecclesiæ: potest enim taliter interdictus intrare Ecclesiam etiam specialiter interdictam, quando in illa non celebrantur diuina, & potest ibi priuatim orationem fundere. At interdictus ab ingressu Ecclesiæ, iuxta saniorem sentẽtiam, prohibetur intrare Ecclesiam, etiam quando ibi non dicuntur diuina, & etiam ad priuatim orandum. Hoc enim sonant verba legis (*ab ingressu Ecclesiæ*) quamuis aliqui oppositum probabiliter dicant quo ad orationem particularem fundendam: qualis est Nauar. *cap. 25. in Sum. nu. 75.* Poterit verò taliter interdictus secundùm omnes intrare Ecclesiam ad concionem audiendam: & ad actus iurisdictionis fori externi faciendos, verbi gratia ad eligendum, absoluendum à censuris, & ad similes.

DE CAVSIS INTERDICTI, & quot sint interdicta posita à iure.

OB quas causas ferendum sit interdictum non patitur Compendium sigillatim tractare, maximè quia Regulares, quibus præcipuè seruio, non solent illud promulgare, videantur hac de re latè Doctores, qui omnes

omnes in ſumma dicunt poni debere non pro quacunque cauſa graui, ſed pro grauiſſima: vt pro tuenda iuriſdictione, ſeu immunitate Eccleſiæ, vel ſimilibus. Et patet, quia cùm ſit pœna grauiſſima, imò multas pœnas contineat, requirit cauſam grauiſſimam, vide Sot. *in 4. diſt. 22. q. 3. art. 1.*

Quot verò ſint interdicta poſita à iure communi, non libet etiam recenſere breuitatis gratia: qui voluerit legat Summiſtas, & Suarez *diſp. 37. de cenſuris per totum.* pro reſolutione ſufficiat, quod ſi interdictum poſitum in iure ſit generale locale, non ligat donec à Iudice Eccleſiaſtico publicetur, ſeu denuncietur. Si verò ſit interdictum perſonale ſpeciale poſitum in iure, obligat ſtatim ante Iudicis Eccleſiaſtici denunciationem, vide Suarez *ibidem.*

DE CESSATIONE A DIVINIS.

MEminiſſe oportet tempore ſolius interdicti localis generalis non ceſſare Eccleſiam à diuinis: poſſunt enim hæc tunc fieri ianuis clauſis, & cum cæteris limitationibus poſitis in præcedentibus. At ceſſatio à diuinis eſt pœna, faciens vt diuina ceſſent, nec fieri poſſint etiam cum ſupradictis limitationibus: vt autem id clariùs intelligatur, noto ſequentia.

51 Ceſſatio à diuinis, non eſt propriè cenſura, neque interdictum: ſed eſt quædam prohibitio totalis diuinorum, ſic tenet communior opinio Theologorum: & probatur, quia celebrans in ceſſatione à diuinis, non incurrit irregularitatem, vt omnes fatentur: quam tamen incurrit celebrans in interdicto indebitè: ergo non eſt interdictum. Et præterea quia ceſſatio nunquam ponitur in perſonis, ſed in loco; & interdictum ponitur

ponitur etiam in loco:per effectus verò res distinguũtur. Et præterea quia habens priuilegium audiendi diuina tempore interdicti non potest illa audire tempore cessationis, nisi priuilegium illud exprimat, vt omnes admittunt:ac proinde diuersum quid est cessatio ab interdicto.

52 Priuat ergo cessatio à diuinis omnibus diuinis Officiis, & Missa,præcipuè intra Ecclesiam, ita vt neque in choro simul, submissa voce possint Clerici dicere Horas Canonicas. Possunt tamen intra Ecclesiam bini dicere Horas Canonicas dummodo à sæcularibus non audiantur, quia illa recitatio cùm sit inter duos tantùm, est satis priuata: & hac de re nulla est prohibitio, sed de recitatione publica, & communi.

53 Cessatio à diuinis non suspenditur in illis quatuor diebus in quibus suspenditur interdictum per *c. alma mater*, de quo infra: & hoc iuxta probabiliorem sententiam; licèt aliqui oppositum dicant, vt Henriq. *tom.2.lib.13.c.53.* loquens de cessatione generali,& citat multos.At quod non cesset tunc,tenet Suarez *disp. 39.sect.2.n.12.*

54 Tempore cessationis, potest dari Baptismus paruulis, etiam cum solemnitate, & Sacramentum Confirmationis,& Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ similiter, tantùm morientibus. Pœnitentiæ verò Sacramentum potest dari etiam sanis. Imò, & pro communicando moriente, si non adsit particula consecrata, potest Sacerdos celebrare ianuis clausis; qui enim concedit finem, concedit etiam media quæ sunt ad finem; & potest in quauis Ecclesia vna Missa celebrari ad renouandam Eucharistiam tempore ad id necessario. *capit. permittimus. de sentent. excommun.*

55 Potest

55 Potest etiam tunc Eucharistia deferri ad infirmos cum pompa solita, & pulsatione campanæ ad vocandum populum: dummodo nullum Officium diuinum dicatur. Non potest verò Ordinis Sacramentum, aut Extrema vnctio ministrari, neque benedictiones solemnes matrimonij possunt exhiberi.

56 Priuat etiam Ecclesiastica sepultura; ita vt neque vllum Officium Diuinum in deferendo cadauere dici possit; quia vt plurimum semper cessatio ponitur cum interdicto, interdictum verò priuat sepultura.

57 Regulares non seruantes cessationem à diuinis generalem, excommunicantur, *Clementina 1. de sentent. excommunication.* Et non fertur ibi contra Clericos, neque contra laicos, sed solùm contra Regulares, fortè fidentiores priuilegiis. Sed non ligat illa excommunicatio Regulares, nisi quando viderint Cathedralem, seu matricem, seu parochialem loci, seruare cessationem, & ipsi non seruant, vt textus ibi exprimit.

58 Tenentur etiam Religiosi seruare hanc cessationem generalem, siue sit lata à Papa, siue ab Episcopis, siue à Conciliis Prouincialibus, per sententias, vel statuta: imò etiam, si sit lata à Capitulo, vel Collegio, vel Conuentu sæcularium, vel Regularium Ecclesiarum, quando per consuetudinem habent ponere talem cessationem. Hæc enim omnia exprimit text. *Clementinæ citatæ.* Non verò incurritur prædicta excommunicatio, si violetur cessatio à Diuinis specialis: textus enim loquitur de generali. Sylvest. *verbo Cessatio num. 5.*

59 Per violationem cessationis à diuinis non incurritur irregularitas, quando cessatio posita est absque interdicto: quia nullibi in iure talis reperitur, secus si sit posita cum interdicto: tunc enim ratione interdicti violati incurritur ex supradictis.

60 Habens priuilegium interessendi diuinis, & accipiendi

cipiendi ſacramenta tempore interdicti non poteſt vti illo priuilegio in ceſſatione, niſi illud exprimat priuilegium. Eſt communis Doctorum.

DE SVSPENSIONE interdicti à iure communi.

61 SVſpenditur interdictum à iure communi in die Natiuitatis Domini, in die Paſchatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ. *cap. alma mater.* Sed nota, quod non intelligitur ſuſpẽdi per totam octauam cuiuslibet feſti ibidem aſſignati: verbi gratia: non ſuſpenditur per omnem octauam Paſchæ, & cæterorum trium: ſed in ſolo primo die, non in ſequentibus, quia textus non exprimit octauas, ſed dies illos quatuor.

62 Martinus V. poſtea conceſſit, vt ſuſpendatur etiam interdictum in feſto Corporis Chriſti, & per totam eius octauam. Refert Nauar. *in Sum. cap. 27. n. 172.* & alij communiter. Nauar. *in Sum. cap. 27. num. 182.* ait ab Eugen. IV. conceſſum, vt etiam ſuſpendatur generaliter interdictum in die Cõceptionis Deiparæ, & per totam octauam eius, in Eccleſiis in quibus recitatur officium proprium Leonardi Protonotarij. Sequitur Viualdus *interdictum* §. 5. *num.* 11. cum explicatione ibi data de dicto Officio. Rodrig. *tom. 2. quæſt. 111. artic. 2.* abſolutè dicit poſſe ſuſpendi abſque limitatione. Suar. *tom. de cenſur. diſp. 34. ſect. 2. nu. 42.* ait Leonem X. illud ipſum conceſſiſſe pro ſola Hiſpania, & abſque illa limitatione officij proprij Leonardi. Vide Compẽdium Minorum *verb. Conceptio.* §. 12. & Supplement. Minorum *fol.* 24. & cõcludit Suarez prædictum priuilegium pro Hiſpania non eſſe reuocatum à Tridentino, ſed ad illud teneri Epiſcopos qui id nouerint.

63 Quando prædictis diebus ſuſpenditur interdictum, an ſuſpendatur etiam ceſſatio à diuinis, ſi cum illo ſit poſita, vide ſupra, *n.* 48.

64 Quando prædictis diebus ſuſpenditur interdictum, omnia Diuina Officia ſunt licita ac ſi non eſſet interdictum: idque licet à primis veſperis diei vſque ad ſecundum Completorium diei ſequentis incluſiuè. Eſt communis Doctorum. Notat tamen bene, ac ſubtiliter Sayrus, *libr.* 5. *de cenſur. capit.* 13. *num.* 7. quod in feſto Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, & Pentecoſtes incipit ſuſpenſio interdicti à Miſſa vigiliarum illorum trium dierum: quia in his tribus Miſſis iam dicitur præfatio diei ſequentis, & in Miſſa vigiliæ Paſchæ dicuntur veſperæ; & proinde iam cenſentur inchoata illa tria feſta. Et citat Paludanum. Quod non reperitur in feſto Aſſumptionis.

QVÆ LICEANT REGVLARIBVS in interdicto, & ceſſatione.

65 POſſunt Regulares ſaltem communicantes priuilegiis, durante interdicto dare profeſſionem Nouitio: & in illa cantare, *Veni creator Spiritus*, cum cæteris cæremoniis, dummodo ſit interdictum poſitum authoritate ordinaria. Vnde innuitur per hanc conceſſionem mox citandam non hæc licere ſi fuerit poſitum authoritate Apoſtolica. Compend. Minorum *Interdictum* 1. §. 19. Sed per aliam poſſunt, vide infra, *titulo ſequenti*, quando ſuſpendatur à Regularibus.

66 Poſſunt benedicere menſam, & dare gratias cum cantu ſolemni. Compend. *ibidem* §. 20. Sed etiam notatur ibi pro ſolo interdicto poſito authoritate

tate

tate ordinaria, neque pro hoc inuenio priuilegium aliud.

67 Possunt durante interdicto, per concessionem factam Benedictinis à Legato lateris, singulis diebus admittere ad Diuina Officia quindecim personas simul iunctas, dummodo ibi non recipiant Sacramenta, quia ad hoc non extenditur priuilegium. Rodriguez *tom.2. quæst.112.art.6.* Et ibidem ponit aliam concessionem Nicolai V. concedentis Benedictinis vt possint tunc admittere sex personas. Et aliam similem, de aliis sex personis, sed non simul, sed successiuè modo ibi exposito. Et hanc licentiam possunt etiam dare Abbatissæ, pro suis Ecclesiis; quia hoc non est vri iurisdictione, sed vti priuilegio sibi concesso per communicationem, cuius priuilegij sunt capaces. Rodrig. *citato tomo, quæstione 114. articul.2.* Capucinus verò, *verbo Interdictum, folio 178.* notat has concessiones licere tempore interdicti, positi authoritate ordinaria, non verò si ponatur, vel confirmetur authoritate Apostolica.

68 Martinus V. concessit Fratribus Sancti Hieronymi, vt tempore interdicti possint sepeliré in suis Ecclesiis quoscumque sæculares, apud illos sepulturam eligentes. Quæ est magna concessio non faciens mentionem alterius requisiti. Habetur in *libr. priuilegiorum Congregationis Sancti Ioann. Euangelistæ in Portugallia, fol.39.pagina 1.in fine.* Ego tamen tale priuilegium non inueni in Compend. D. Hieron. Hisp. nec consulo, neque video practicari.

69 Possunt tunc Regulares admittere ad Diuina Officia, & Sacramenta familiares intra Conuentum degentes. Et Minoritæ possunt admittere suum Syndicum, vxorem illius, ac filios, etiam tempore cessationis à diuinis. Rodr. *q.114.art.4.* At Medicum ordinarium

ossunt admitttere solùm ad diuina tempore interdicti, non verò tempore cessationis à diuinis. Rodr. *ibid. art.* 5. & sanguinis minutor seu Barbitonsor, nullo gaudet priuilegio iuxta Rodrig. *ibi.*

Sed iuxta priuilegium concessum à Benedicto XIII. Patribus S. Hier. Hisp. possunt admittere ad Diuina Officia, & omnia Sacramenta, ibique sepelire, omnes seruitores, & familiares Conuentus, continuos commensales, & quoscumque alios viuentes stipendiis Monasterij, & eorum familiam vtriusque sexus quamdiu manserint in seruitio Monasterij. Ita Compend. illorum Patrum, *verb. Interdictum*, §. 1. quæ est magna concessio. Et applica, quia clara est.

70 Possunt Minoritæ in interdicto admittere ad diuina Procuratores Monialium Sanctæ Claræ, & negotia gerentes vtriusque sexus. Compendium Min. *Interdictum* 3. §. 7. & per concessionem factam Carmelitis, possunt admittere aduocatos fratrum. *ibid.* §. 8. *& eod.* §. 7. concessit Sixtus IV. vt possint Minoritæ tunc admittere ad diuina Fratres, & Sorores Tertij Ordinis Pat. Francisci, & illorum Procuratores.

71 Eodem Compend. *Interdictum* 3. §. 12 per concessionem factam Carthusiensibus, possunt admittere ad diuina personas dicti Ordinis (id est, Fratres) cum seruitoribus suis aliunde venientibus, & mercenarios in grangiis residentes.

72 Eodem verbo Compendij, §. 1. concessit Alexan. IV. Minoritis vt possint admittere ad diuina operarios, qui in locis Fratrum operibus, personaliter constituti institerint. Quod explicat Capucinus, *in suis Additionibus ad Compend. verbo Interdictum 3. fol.* 178. §. *item* 6. quod possunt admittere ad Diuina Officia omnes officiales, & laborãtes in die quo ibi laborauerint, licèt soluatur eis labor, & non sint ordinarij laboratores. Et

idem

idem tenet Miranda *tomo* 2.*q*.38.*art*.12. *concl*.13. licet Rodrig.*tom*.2.*q*.115.*art*.1.innuat debere esse operarios manentes intra Conuentum. Sed Capucinus, & Miranda satis clarè loquuntur.

Nota verò, quod quando hæc priuilegia, & similia dicunt posse hos familiares,& similes admitti ad diuina; non possunt admitti ad Sacramenta, vel sepulturam, nisi id exprimatur: sunt enim distincti hi tres effectus, Sacramenta, Diuina, & Sepultura: & concesso vno,non conceditur alterum: & verba sunt propriè, & strictè accipienda, cùm sint contra ius commune.

73 Iulius II. concessit, quod omnia quæ licita sunt in interdicto generali, licita etiam sint in interdicto speciali, quam concessionem meritò vocat magnam, Capucinus super Compend.*verbo Interdictum fol*.179. Nam interdictum speciale est magis rigorosum,vt patet ex dictis.

74 Tota dubitatio est, an Regulares tempore cessationis à diuinis possint celebrare in secreto, sicut tempore interdicti, idque toties quoties, nemine admisso ad diuina? Credo quod possunt. Primò, quia Leo X. concessit Minoritis,in Compend. *Interdictum* 1.§.17. quòd in forma obseruationis,nullam facerent differentiam,inter cessationem à diuinis,& inter quodcumque interdictum:id est,quod eodem modo seruent cessationem à diuinis, ac seruant quodcumque interdictum:constat verò quod Regulares in interdicto celebrant toties quoties ianuis clausis: ergo idem poterunt in cessatione à diuinis. Et idem clarè insinuat Capucinus *cit.loco fol*.182.§.*item decimo*. & tenet expressè Rodrig.*tom*.2.*quæst*.116.*art*.2.*& quæst*.115.*art*.4.& innuit Sayro *libr*.5.*de censur.cap*.19.*numer*.4. & Henriq. 2.*tom.lib*.13.*cap*.53. *numer*.3. *littera. Q. cum margine*.

tui,possunt translata, nunc sepeliri tempore interdicti in Ecclesia interdicta generaliter: quia hoc est verè donari sepultura Ecclesiastica: neque etiam si pro his ossibus sumatur Bulla Cruciatæ. Oportebat enim habere illam ante mortem,& non sufficit sumere post mortem. Si verò interdictum sit generale, sed personale tantùm,non prohibentur sepeliri infantes baptizati. Suarez *disp.*16.*sect.*2.*num.*8. Excipiuntur Clerici, etiam primæ tonsuræ (non verò Clerici coniugati) tales enim non coniugati possunt tunc sepeliri, cum his conditionibus;prima, vt non sint personaliter interdicti. Secunda, vt non sint excommunicati. Tertia, ne causam dederint interdicto. Quarta, vt fiat sine pulsatione campanę.Quinta,vt fiat cessantibus omnibus solemnitatibus: & fiat cum silentio. Circa quod aduerte,quod tunc in tumulando tali Clerico dum defertur per viam ad Ecclesiam nõ posse dici Psalm.etiam submissa voce. Postquam verò intra Ecclesiam fuerit corpus,potest dici Missa,&cætera solita pro Clerico mortuo submissa voce,& ianuis clausis. Suarez *disput.*35. *sectio.*1.*à num.* 4. *vsque ad* 10. Si verò Ecclesia sit specialiter interdicta, & sit alia non sic interdicta specialiter,poterit Clericus sepeliri in illa non sic interdicta specialiter: & non in interdicta specialiter. Si verò sit vna sola Ecclesia,& hæc specialiter interdicta, poterit ibi sepeliri.Suarez *sect.*2.*num.*4.

44 Persona specialiter interdicta à fortiori priuatur Ecclesiastica sepultura. Patet ex multis textibus & doctoribus. Et illi qui sepeliunt nominatim interdictos etiam excommunicantur, si faciant scienter, & cum præsumptione.*Clementina* 1.*de sepulturis.*

45 Sepelientes aliquem in loco interdicto etiam excommunicationem incurrunt. *eadem Clementina*:intellige verò quod etiam,si faciant bona,vel mala fide,non debet

debet exhumari corpus, si sit corpus fidelis. Angelus *interdictum 6.num.33.*& alij.

46 Si verò interdictum non sit locale, sed sit interdictum tantùm personale generale, non priuantur fideles Ecclesiastica sepultura, nisi fuerint nominatim interdicti. Suarez *disput.35.sect.3.num.2.*

Pro illis verò qui tempore interdicti per Bullam, vel priuilegium, sepeliuntur in loco sacro, dicente priuilegio, vel Bulla quod fiat cum pompa moderata: quæ sit pompa moderata, relinquitur arbitrio Ordinarij, si ibi fuerit. Et Rodriguez *tomo 2.quæst.111. artic.3.* dicit in Hispania practicari, vt ter pulsetur campana, & sepeliatur ianuis apertis, & cum tono deferatur corpus ad sepulturam, cantando. Hoc tamen non video in Portugallia practicari. Imò nunquam pulsatur campana. Et ideo standum est consuetudini, seu decreto Ordinarij. Capucinus verò verb. *Interdictum, in fine suarum additionum*, ex declaratione Iulij III. dicit per moderatam pompam intelligi, dimidium illius quod fit extra interdictum, iuxta qualitatem personæ. Et idē declaratum fuisse in Bulla Pij IV. Elige quod conformius sit iuri, & consuetudini.

DE INTERDICTO AB *ingressu Ecclesiæ.*

47 INterdictum ab ingressu Ecclesiæ semper est quid personale, addictum vni personæ, non verò addictum loco. Vnde si interdictum solùm sit generale, vel speciale quo ad locum, non ibi prohibetur ingressus Ecclesiæ, nisi quando fiunt Diuina Officia. Imò neque personale interdictum generale, vel speciale in forma communi priuant ingressu ecclesiæ, quando ibi non celebrantur diuina. Suarez

disput.

disputation.trigesimaquinta,sectione quarta,num.secundo.

48 Est ergo interdictum ab ingressu Ecclesiæ,quoddam peculiare genus interdicti, peculiarisve censura, priuans fideles aliqua participatione diuinorum, non propter communicationem cum aliis, sed per se. Estque hoc genus interdicti personale, vt diximus, non totale: habet enim aliquem effectum, quem non habent alia interdicta personalia,vt videbis ex sequentibus.

49 Interdictum ab ingressu Ecclesiæ priuat omni participatione diuinorum in ipsa Ecclesia. Et proinde prohibet in Ecclesia celebrare, sepeliri, dare, vel recipere Sacramenta: imò nec Missam audire, neque aliud Diuinum Officium permittit.Et hoc loco,nomine *Ecclesiæ* intelligitur solùm templum authoritate Episcopi,publicè deputatum,ad sacra facienda. Non verò intelliguntur Oratoria priuata, domorum: bene tamen Ecclesiæ paruæ, quæ non sunt Parochiæ, vulgo, (*Ermidas*) maximè extra muros,sunt enim Ecclesiæ publicè: & proinde,prohibetur etiam ingressus in his paruis,licèt non sint parochiales.

Hinc fit quod interdictus ab ingressu Ecclesiæ non prohibetur celebrare,vel diuina audire nisi in Ecclesia publicè deputata,siue sit consecrata,siue benedicta. At taliter interdictus extra publicum potest in Oratoriis priuatis omnia illa facere,& recipere, quæ sibi licebāt ante illud interdictum, verba enim illa pœnalia sic sunt restringenda, vt solùm prohibeant diuina intra Ecclesiam publicè deputatam:nō verò deputatam priuatim,vt sunt Oratoria. Et proinde potest domi suæ recipere extremam vnctionem. Sylvest.*Interdictum 6. quæst.5.*& Nauar.*in Sum.cap.25.num.75.*

50 Sic interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non potest extra portam Ecclesiæ existēs audire diuina quæ fiunt intra

intra Ecclesiam. Contradicit enim menti huius legis, quæ hoc principaliter prohibet in Ecclesia. Nec potest Missam dicere in cæmeterio Ecclesiæ, hoc enim pro Ecclesia reputatur. Potest tamen celebrare in priuato Oratorio. Si verò cæmeterium non sit cõtiguum cum Ecclesia, poterit ibi participare omnia diuina. Quod si taliter interdictus moriatur, non poterit sepeliri in cæmeterio etiam disiuncto ab Ecclesia. Suarez *disput.* 35. *sect.* 4. *num.* 12. *&* 13.

Altera differentia huius interdicti est, quia alia interdicta locale scilicet, & personale, siue sit generale, siue speciale, non priuant hominem ab ingressu Ecclesiæ: potest enim taliter interdictus intrare Ecclesiam etiam specialiter interdictam, quando in illa non celebrantur diuina, & potest ibi priuatim orationem fundere. At interdictus ab ingressu Ecclesiæ, iuxta saniorem sentẽtiam, prohibetur intrare Ecclesiam, etiam quando ibi non dicuntur diuina, & etiam ad priuatim orandum. Hoc enim sonant verba legis (*ab ingressu Ecclesiæ*) quamuis aliqui oppositum probabiliter dicant quo ad orationem particularem fundendam: qualis est Nauar. *cap.* 25. *in Sum. nu.* 75. Poterit verò taliter interdictus secundùm omnes intrare Ecclesiam ad concionem audiendam: & ad actus iurisdictionis fori externi faciendos, verbi gratia ad eligendum, absoluendum à censuris, & ad similes.

DE CAVSIS INTERDICTI, & quot sint interdicta posita à iure.

OB quas causas ferendum sit interdictum non patitur Compendium sigillatim tractare, maximè quia Regulares, quibus præcipuè seruio, non solent illud promulgare, videantur hac de re latè Doctores, qui omnes

omnes in ſumma dicunt poni debere non pro quacunque cauſa graui, ſed pro grauiſſima: vt pro tuenda iuriſdictione, ſeu immunitate Eccleſiæ, vel ſimilibus. Et patet, quia cùm ſit pœna grauiſſima, imò multas pœnas contineat, requirit cauſam grauiſſimam, vide Sot. *in 4. diſt. 22. q. 3. art. 1.*

Quot verò ſint interdicta poſita à iure communi, non libet etiam recenſere breuitatis gratia: qui voluerit legat Summiſtas, & Suarez *diſp. 37. de cenſuris per totum.* pro reſolutione ſufficiat, quod ſi interdictum poſitum in iure ſit generale locale, non ligat donec à Iudice Eccleſiaſtico publicetur, ſeu denuncietur. Si verò ſit interdictum perſonale ſpeciale poſitum in iure, obligat ſtatim ante Iudicis Eccleſiaſtici denunciationem, vide Suarez *ibidem.*

DE CESSATIONE A DIVINIS.

MEminiſſe oportet tempore ſolius interdicti localis generalis non ceſſare Eccleſiam à diuinis: poſſunt enim hæc tunc fieri ianuis clauſis, & cum cæteris limitationibus poſitis in præcedentibus. At ceſſatio à diuinis eſt pœna, faciens vt diuina ceſſent, nec fieri poſſint etiam cum ſupradictis limitationibus: vt autem id clariùs intelligatur, noto ſequentia.

51 Ceſſatio à diuinis, non eſt propriè cenſura, neque interdictum: ſed eſt quædam prohibitio totalis diuinorum, ſic tenet communior opinio Theologorum: & probatur, quia celebrans in ceſſatione à diuinis, non incurrit irregularitatem, vt omnes fatentur: quam tamen incurrit celebrans in interdicto indebitè: ergo non eſt interdictum. Et præterea quia ceſſatio nunquam ponitur in perſonis, ſed in loco; & interdictum ponitur

ponitur etiam in loco:per effectus verò res distinguũtur. Et præterea quia habens priuilegium audiendi diuina tempore interdicti non potest illa audire tempore cessationis, nisi priuilegium illud exprimat, vt omnes admittunt:ac proinde diuersum quid est cessatio ab interdicto.

52 Priuat ergo cessatio à diuinis omnibus diuinis Officiis, & Missa,præcipuè intra Ecclesiam, ita vt neque in choro simul, submissa voce possint Clerici dicere Horas Canonicas. Possunt tamen intra Ecclesiam bini dicere Horas Canonicas dummodo à sæcularibus non audiantur, quia illa recitatio cùm sit inter duos tantùm, est satis priuata: & hac de re nulla est prohibitio, sed de recitatione publica, & communi.

53 Cessatio à diuinis non suspenditur in illis quatuor diebus in quibus suspenditur interdictum per *c. alma mater*, de quo infra: & hoc iuxta probabiliorem sententiam; licèt aliqui oppositum dicant, vt Henriq. *tom.2.lib.13.c.53.* loquens de cessatione generali,& citat multos.At quod non cesset tunc,tenet Suarez *disp. 39.sect.2.n.12.*

54 Tempore cessationis, potest dari Baptismus paruulis, etiam cum solemnitate, & Sacramentum Confirmationis,& Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ similiter, tantùm morientibus. Pœnitentiæ verò Sacramentum potest dari etiam sanis. Imò, & pro communicando moriente, si non adsit particula consecrata, potest Sacerdos celebrare ianuis clausis; qui enim concedit finem, concedit etiam media quæ sunt ad finem; & potest in quauis Ecclesia vna Missa celebrari ad renouandam Eucharistiam tempore ad id necessario. *capit. permittimus. de sentent. excommun.*

55 Potest

55 Potest etiam tunc Eucharistia deferri ad infirmos cum pompa solita, & pulsatione campanæ ad vocandum populum: dummodo nullum Officium diuinum dicatur. Non potest verò Ordinis Sacramentum, aut Extrema vnctio ministrari, neque benedictiones solemnes matrimonij possunt exhiberi.

56 Priuat etiam Ecclesiastica sepultura; ita vt neque vllum Officium Diuinum in deferendo cadauere dici possit; quia vt plurimum semper cessatio ponitur cum interdicto, interdictum verò priuat sepultura.

57 Regulares non seruantes cessationem à diuinis generalem, excommunicantur, *Clementina 1. de sentent. excommunication.* Et non fertur ibi contra Clericos, neque contra laicos, sed solùm contra Regulares, fortè fidentiores priuilegiis. Sed non ligat illa excommunicatio Regulares, nisi quando viderint Cathedralem, seu matricem, seu parochialem loci, seruare cessationem, & ipsi non seruant, vt textus ibi exprimit.

58 Tenentur etiam Religiosi seruare hanc cessationem generalem, siue sit lata à Papa, siue ab Episcopis, siue à Conciliis Prouincialibus, per sententias, vel statuta: imò etiam, si sit lata à Capitulo, vel Collegio, vel Conuentu sæcularium, vel Regularium Ecclesiarum, quando per consuetudinem habent ponere talem cessationem. Hæc enim omnia exprimit text. *Clementinæ citatæ.* Non verò incurritur prædicta excommunicatio, si violetur cessatio à Diuinis specialis: textus enim loquitur de generali. Sylvest. *verbo Cessatio num. 5.*

59 Per violationem cessationis à diuinis non incurritur irregularitas, quando cessatio posita est absque interdicto: quia nullibi in iure talis reperitur, secus si sit posita cum interdicto: tunc enim ratione interdicti violati incurritur ex supradictis.

60 Habens priuilegium interessendi diuinis, & accipiendi

cipiendi ſacramenta tempore interdicti non poteſt vti illo priuilegio in ceſſatione, niſi illud exprimat priuilegium. Eſt communis Doctorum.

DE SVSPENSIONE interdicti à iure communi.

61 SVſpenditur interdictum à iure communi in die Natiuitatis Domini, in die Paſchatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ. *cap. alma mater.* Sed nota, quod non intelligitur ſuſpẽdi per totam octauam cuiuslibet feſti ibidem aſſignati: verbi gratia: non ſuſpenditur per omnem octauam Paſchæ, & cæterorum trium: ſed in ſolo primo die, non in ſequentibus, quia textus non exprimit octauas, ſed dies illos quatuor.

62 Martinus V. poſtea conceſſit, vt ſuſpendatur etiam interdictum in feſto Corporis Chriſti, & per totam eius octauam. Refert Nauar. *in Sum. cap. 27. n. 172.* & alij communiter. Nauar. *in Sum. cap. 27. num. 182.* ait ab Eugen. IV. conceſſum, vt etiam ſuſpendatur generaliter interdictum in die Cõceptionis Deiparæ, & per totam octauam eius, in Eccleſiis in quibus recitatur officium proprium Leonardi Protonotarij. Sequitur Viualdus *interdictum* §. 5. *num.* 11. cum explicatione ibi data de dicto Officio. Rodrig. *tom. 2. quæſt. 111. artic. 2.* abſolutè dicit poſſe ſuſpendi abſque limitatione. Suar. *tom. de cenſur. diſp. 34. ſect. 2. nu. 42.* ait Leonem X. illud ipſum conceſſiſſe pro ſola Hiſpania, & abſque illa limitatione officij proprij Leonardi. Vide Compẽdium Minorum *verb. Conceptio.* §. 12. & Supplement. Minorum *fol.* 24. & cõcludit Suarez prædictum priuilegium pro Hiſpania non eſſe reuocatum à Tridentino, ſed ad illud teneri Epiſcopos qui id nouerint.

63 Quando prædictis diebus ſuſpenditur interdictum, an ſuſpendatur etiam ceſſatio à diuinis, ſi cum illo ſit poſita, vide ſupra, *n.* 48.

64 Quando prædictis diebus ſuſpenditur interdictum, omnia Diuina Officia ſunt licita ac ſi non eſſet interdictum: idque licet à primis veſperis diei vſque ad ſecundum Completorium diei ſequentis incluſiuè. Eſt communis Doctorum. Notat tamen bene, ac ſubtiliter Sayrus, *libr.* 5. *de cenſur. capit.* 13. *num.* 7. quod in feſto Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, & Pentecoſtes incipit ſuſpenſio interdicti à Miſſa vigiliarum illorum trium dierum: quia in his tribus Miſſis iam dicitur præfatio diei ſequentis, & in Miſſa vigiliæ Paſchæ dicuntur veſperæ; & proinde iam cenſentur inchoata illa tria feſta. Et citat Paludanum. Quod non reperitur in feſto Aſſumptionis.

QVÆ LICEANT REGVLARIBVS *in interdicto, & ceſſatione.*

65 POſſunt Regulares ſaltem communicantes priuilegiis, durante interdicto dare profeſſionem Nouitio: & in illa cantare, *Veni creator Spiritus*, cum cæteris cæremoniis, dummodo ſit interdictum poſitum authoritate ordinaria. Vnde innuitur per hanc conceſſionem mox citandam non hæc licere ſi fuerit poſitum authoritate Apoſtolica. Compend. Minorum *Interdictum* 1. §. 19. Sed per aliam poſſunt, vide infra, *titulo ſequenti*, quando ſuſpendatur à Regularibus.

66 Poſſunt benedicere menſam, & dare gratias cum cantu ſolemni. Compend. *ibidem* §. 20. Sed etiam notatur ibi pro ſolo interdicto poſito authoritate

tate ordinaria, neque pro hoc inuenio priuilegium aliud.

67 Possunt durante interdicto, per concessionem factam Benedictinis à Legato lateris, singulis diebus admittere ad Diuina Officia quindecim personas simul iunctas, dummodo ibi non recipiant Sacramenta, quia ad hoc non extenditur priuilegium. Rodriguez *tom.2. quæst.112.art.6.* Et ibidem ponit aliam concessionem Nicolai V. concedentis Benedictinis vt possint tunc admittere sex personas. Et aliam similem, de aliis sex personis, sed non simul, sed successiuè modo ibi exposito. Et hanc licentiam possunt etiam dare Abbatissæ, pro suis Ecclesiis; quia hoc non est vti iurisdictione, sed vti priuilegio sibi concesso per communicationem, cuius priuilegij sunt capaces. Rodrig. *citato tomo, quæstione 114. articul.2.* Capucinus verò, *verbo Interdictum, folio 178.* notat has concessiones licere tempore interdicti, positi authoritate ordinaria, non verò si ponatur, vel confirmetur authoritate Apostolica.

68 Martinus V. concessit Fratribus Sancti Hieronymi, vt tempore interdicti possint sepeliré in suis Ecclesiis quoscumque sæculares, apud illos sepulturam eligentes. Quæ est magna concessio non faciens mentionem alterius requisiti. Habetur in *libr. priuilegiorum Congregationis Sancti Ioann. Euangelistæ in Portugallia, fol.39.pagina 1.in fine.* Ego tamen tale priuilegium non inueni in Compend. D. Hieron. Hisp. nec consulo; neque video practicari.

69 Possunt tunc Regulares admittere ad Diuina Officia, & Sacramenta familiares intra Conuentum degentes. Et Minoritæ possunt admittere suum Syndicum, vxorem illius, ac filios, etiam tempore cessationis à diuinis. Rodr. *q.114.art.4.* At Medicum ordinarium

idem tenet Miranda *tomo* 2.*q*.38.*art*.12. *concl*.13. licet Rodrig.*tom*.2.*q*.115.*art*.1.innuat debere esse operarios manentes intra Conuentum. Sed Capucinus, & Miranda satis clarè loquuntur.

Nota verò, quod quando hæc priuilegia, & similia dicunt posse hos familiares,& similes admitti ad diuina; non possunt admitti ad Sacramenta, vel sepulturam, nisi id exprimatur: sunt enim distincti hi tres effectus, Sacramenta, Diuina, & Sepultura: & concesso vno,non conceditur alterum: & verba sunt propriè, & strictè accipienda, cùm sint contra ius commune.

73 Iulius II. concessit, quod omnia quæ licita sunt in interdicto generali, licita etiam sint in interdicto speciali, quam concessionem meritò vocat magnam, Capucinus super Compend.*verbo Interdictum fol*.179. Nam interdictum speciale est magis rigorosum,vt patet ex dictis.

74 Tota dubitatio est, an Regulares tempore cessationis à diuinis possint celebrare in secreto, sicut tempore interdicti, idque toties quoties, nemine admisso ad diuina? Credo quod possunt. Primò, quia Leo X. concessit Minoritis,in Compend. *Interdictum* 1.§.17. quòd in forma obseruationis,nullam facerent differentiam,inter cessationem à diuinis,& inter quodcumque interdictum:id est,quod eodem modo seruent cessationem à diuinis, ac seruant quodcumque interdictum:constat verò quod Regulares in interdicto celebrant toties quoties ianuis clausis: ergo idem poterunt in cessatione à diuinis. Et idem clarè insinuat Capucinus *cit.loco fol*.182.§.*item decimo*. & tenet expressè Rodrig.*tom*.2.*quæst*.116.*art*.2.*& quæst*.115.*art*.4.& innuit Sayro *libr*.5.*de censur.cap*.19.*numer*.4. & Henriq. 2.*tom.lib*.13.*cap*.53. *numer*.3. *littera. Q. cum margine*.

Et sic audiui fieri, vel factum fuisse Olyssipone à Patribus Collegij D. Antonij Abbatis in cessatione posita ipsorum Ecclesiæ, anno præsenti 617. per supradictum priuilegium. Aduertit tamen Rodr. *cit. art.* 2. quòd tempore cessationis à diuinis non possunt Regulares dicere Horas in choro, neque admittere Sacerdotes extraneos vt celebrent in suis Conuentibus.

QVANDO REGVLARES PER *priuilegia suspendant interdictum.*

75 MInoritæ per priuilegia ipsis concessa suspendunt interdictum etiam authoritate Apostolica positum, & cessationem à diuinis, in die Pat. nost. Francisci, & in die stigmatum illius: Sancti Antonij de Padua: Bonauenturæ: Ludouici Episcopi Bernardini: quinque Martyrum Marochij: septem Martyrum Septæ: Sancti Didaci: Sanctæ Claræ: & in die Dedicationis Portiunculæ. Hæc omnia sunt indubitata, & pro omnibus habentur priuilegia, de quibus Rodrig. *tota q.* 112 *tom.* 2. & Miranda *tom.* 2. *q.* 38. *art.* 12. & Rodrig. *in Bullario, fol.* 1208. vbi vide.

76 Rursus pro sancta Elizabeth vidua idem concessit Leo X. Minoribus, ipsorumque Monialibus, in supplement. *fol.* 55. *conc.* 155. vbi notant citati duo Doctores, ex priuilegiis concessis quod suspenditur interdictum in diebus Sanctorum dictorum, & per illorum etiam octauas respectiuè: id est, respectu Sanctorum in quorum Officiis Minoritæ recitant per octo dies continuos de illis, (secus de illis in quibus non habent octauarium, vt sanctæ Elizabeth, & Portiunculæ) & hoc à primis vesperis, vsque ad Completorium vltimum diei octaui, vel vsque ad Completorium diei primi

mi respectiuè : ita vt tunc omnia liceant ianuis apertis ac si non esset interdictum.

Addunt præterea quod si contingat de aliquo ex prædictis festis non fieri officium in die qua incidit, vt quia transfertur in alium diem, nihilominus suspendatur interdictum in illo ipso die quo incidit festum. Item si in aliquo die infra octauas illorum, de illis non fiat officium, sed tantùm commemoratio, nihilominus interdictum suspendatur.

77 Ex priuilegiis quæ viderim, plus aliis Religiosis habent Patres D. Hieronym. priuilegia suspendendi interdicta. Nam in illorum Compendio, *verb. Interdictum*, §. 5. hoc illis conceditur pro festis Assumptionis, Natiuitatis, Purificationis B. Mariæ, & S.P. Hieron. idque pro quocumque interdicto, quouis modo appositi.

Ibidem §. 6. suspenditur interdictum in die S. Lamberti, & aliorum sanctorum, quæ quia sunt ibi localia, & non propria aliorum; neque sunt communia, omitto, quia pro illis non communicamus, quæ sunt illis propria.

Ibidem §. 7. suspenditur interdictum per concessionem illis factam à Pio V. quodcumque illud sit, & cessatio à diuinis, in die illius Sancti, in cuius honorem quodlibet Monasterium Ordinis dicatum fuerit, vt si vocetur, v. g. Conuentus sanctæ Mariæ Magdalenæ: vel quid simile: & hoc gaudebunt alij Conuentus communicantium pro illo die sui Sancti respectiuè cuius habent titulum. Compend. verò ibi ait tunc suspendi in Monasteriis singulis Ordinis. Sed quo ad singula, vel omnia ego non extenderem ob non vsum : sufficit in illo proprio.

Ibidem §. 8. ex Pio V. suspendunt quodcumque interdictum in Paschate Resurrectionis, Ascensione, Pen-

tecoſte, Natiuitate Domini, Circumciſione, Epiphania,& in feſtis ſingulorum Apoſtolorum: & S. Hieronymi,& in Dedicatione propria Eccleſiarum cuiuſque Monaſterij.

Ibidem §.9. per eundem Pium V. ſuſpendunt illud quodcumque ſit,in Epiphania,Aſcenſione,Aſſumptione B.Mariæ,& in diebus ſingulorum Apoſtolorum; & in Ramis palmarum: & feria quinta,ſexta & Sabbato in Cœna Domini, maioríſque hebdomadæ citatis tribus diebus. Item in feſto ſanctiſsimæ Trinitatis:& Conceptionis Beatæ Mariæ,Natiuitatis,Purificationis, Annunciationis, & Viſitationis illius. Item in die S. Ioan.Baptiſtæ:& Sancti Marci,& S.Lucæ,& S.Auguſt. Et in feſto omnium Sanctorum:& in die fidelium defunctorum ſubſequenti: & in hoc die Defunctorum, pro Miſſa tantùm,& proceſsione.

In eodem §. conceditur etiam ſuſpenſio interdicti in die obitus alicuius fratris, (idem dic de Moniali) pro Miſſa,& officio publicè dicendis.

Circa omnia prędicta priuilegia notandum eſt,quod Regulares tempore illo quo per ſua priuilegia ſuſpenditur interdictum,ſi exiſtunt extra ſua Monaſteria,non poſſunt in eiſdem diebus extra Conuentum in alia Eccleſia interdictum etiam ſuſpendere,quia priuilegium illud eſt ſolùm reale affixum illi tantùm loco:non verò eſt perſonale,vt tranſeat cum perſona.

78 Suſpenditur etiam interdictum in die illius Sancti cuius corpus ſepultum eſt in Monaſterio aliquo illiusOrdinis,idque apud illud tantum Monaſterium.Per Leonem X.conceſſum Benedictinis,de quo Rodr. *tom.* 2.*q.*112.*art.*2.vbi aduertit *art.* 3.quod pro hoc non ſufficit, quod ibi ſit particula aliqua corporis illius Sancti; ſed opus eſſe,vt ſit totum corpus, vel ferè totum eiuſdem Sancti. Si enim ſit ſolùm caput, vel ſolum brachium,

chium,non ſufficit. Si verò toti corpori deficiat caput, vel brachium tantum,ſufficit.Ego verò addo,opus eſſe vt ſit Sanctus canonizatus : talis enim,& non alius,intelligitur communiter nomine Sancti:& proinde non ſufficiet quod ſit beatificatus.

79 Suſpenditur etiam interdictum in feſto Tranſlationum Patronorum Ordinis,v.gr. in tranſlatione PP. Dominici, vel Franciſci, & ſimilium, ex priuileg. per Rodrig.*cit.q.*112.*tom.*2.*art.*3.

80 Suſpenditur etiam interdictum in die profeſsionis alicuius Monachi , vel Monialis per totum diem. Patet ex *priuilegio cit.ibi* per Rodr.*art.*5.ſicque factum fuiſſe ait in Conuentu S. Stephani Salmanticæ à Patribus Dominicanis.

Vltimò ſuſpenditur interdictum, & ceſſatio à diuinis , quoties aliquis Monachus ſepelitur. Et quando cantatur Miſſa noua,in illo Conuentu. Ita Rodrig.*cit. art.*5. vbi circa diem obitus Religioſi notat , quod ſi Monachus moriatur hodie,& ſepeliatur ad veſperam, & fiat pro illo officium ſequenti mane,ſuſpendetur interdictum pro illo veſpere dum ſepelitur , & pro ſequenti mane dum fit pro illo Officium , & Miſſa. At pro Miſſa noua dicit ſuſpendi à primis veſperis vſque ad meridiem diei ſequentis vbi Miſſa finitur.

Notat tamen Rodrig. *Addition.ad Sum.moral.tom.*4. *cap.*63.quod ſi moriatur Nouitius,non ſuſpendetur interdictum, quia illud priuilegium conceſſum pro Fratribus , ſeruandum eſt ita vt minus noceat Eccleſiæ quàm fieri poſſit:& proinde non extendetur ad Nouitios.Ait tamen poſſe tunc Nouitium ſepeliri ſepultura Eccleſiaſtica,per alias conceſſiones,& ſaltem ſicut familiares.

Aduertit etiam Sayrus *lib.*5. *de cenſur.c.*16. *num.*30. quod quando ſuſpenditur interdictum,non eſt licitum

celebrare in Ecclesia polluta: quia tunc indiget propria reconciliatione.

ADDITIO.

DE hoc satis egi supra quantum sufficiat ad Religiosos dirigendos in illa materia. Accipe sequentia.

1 Iulius II. concessit Minoribus vt quando interdicitur Ciuitas, vel oppidum cum suburbiis vsque ad duo milliaria, vel tria, non censeantur interdicta illorum Monasteria quæ infra dicta milliaria existunt: nisi ipsi causam dederint interdicto, vel tales Conuentus aliàs de iure non sint comprehensi interdicto illius populi. Habetur concessio in Bullario Rodr. *fol.* 571. *in n.* 6. *illius Bullæ* Hanc concessionem explicat Rodr. *tom.* 2. *qq. q.* 108. *art.* 1. dicens per illam concedi vt nostri Conuentus existentes extra oppida vltra duo milliaria non possint subiacere interdicto etiam Apostolico.

2 Leo X. concessit omnibus personis religiosis, & Ecclesiasticis quæ recitant Officium nouum conceptionis B. Mariæ in Regnis Hispaniæ, vt possint illius festum cum octaua solemniter celebrare tempore interdicti, idque à primis vesperis vsque ad totam octauam inclusiuè. Habetur concessio in Bullario Rodrig. *f.* 650. Et ista concessio est pro omnibus Regnis Hispaniæ, & non solùm pro Religiosis, sed etiam pro omnibus personis Ecclesiasticis.

3 Ista concessio videtur saltem non proficere clericis sæcularibus hodie, quia non recitant officium nouum conceptionis, quod recitant Minoritæ: sed dicunt Officium commune præceptum ab Ecclesia per Pium V. cùm tamen Bulla imponat, vt dicatur Officium nouum compositum per quendam Leonardum, in quo

quo Missæ introitus est,egredimini , & videte. Et imprimis quod ad hoc Minoritæ videntur in Hispania posse vti dicto priuilegio suspendendi interdictum per totam octauam Conceptionis Beatæ Mariæ , quia recitant illud Officium Leonardi multis ab hinc annis in Hispania,neque à tempore quo illud recitant computato cum tempore Leonis X.potuit hoc priuilegium abrogari per contrarium vsum, vt patet ex iis quæ diximus supra *verb.Priuilegium.*De Ecclesiis verò Clericorum sæcularium , Suarez *tom. de Censuris,disput.* 34. *sect.*1. *num.*42. referens hoc idem priuilegium , ait in supplement. Ordin. *fol.*24. vbi illud habetur,non poni hanc limitationem de dicendo illo Officio nouo Leonardi,& proinde ait,Clericos etiam sæculares illo posse vti per totam octauam, neque illud esse reuocatum à Concilio Trident.verùm in Bullario Rodrig. vbi ponitur hoc priuilegium *fol.*650. Leo X.in procœmio Bullæ refert Sixtum I V. concedentem Indulgentias assistentibus Diuinis Officiis in die Conceptionis,limitasse de Officio , ac Missa compositis à dicto Leonardo. Cumque Sixtus IV. vltra illas Indulgentias non concesserit suspensionem interdicti pro illo festo , Prælati Fratrum Minorum in Hispania pro meliori consecutione dictarum Indulgentiarum , petierunt à Leone X. vt in tali festo concederet etiam suspensionem interdicti quod fecit de facto.At in sua concessione Leo X. loquens de suspensione interdicti pro illa octaua, non ponit conditionem, imò neque meminit dicti noui Officij, aut Missæ Leonardi. Quibus non obstantibus Henriq.*libr.*13.*de Excom.& interdicto cap.*47.*num.* 4. ait iam per consuetudinem esse introductum vt in omnibus Ecclesiis Hispaniæ illud suspendatur per totam octauam conceptionis, quamuis in illis non dicatur prædictum nouum Officium Conceptionis. Et

Villalo

Villalobos *tom.*1.*Summ.tract.*19.*difficul.*6.*num.*9. idem tenet dicens quod obligatio dicendi illud officium est pro solis Indulgentiis Sixti IV. assequendis, non verò pro suspensione interdicti concessa ibi à Leone X. quæ distinctio bene videtur colligi ex Bullæ contextu.

4 Vltra iam dictas concessiones factas Religiosis pro suspensione interdicti, de quo supra dixi sub proprio titulo, Clemens VII. fecit particularem concessionem Religiosis Sanctissimæ Trinitatis, qui occupantur in colligendis eleemosynis à fidelibus populis; vt cum ipsi eleemosynarum procuratores venerint ad aliquam Ecclesiam interdictam in illorum aduentu Ecclesiæ aperiantur, & campanæ pulsentur:& ibidem campanis pulsatis, & ianuis apertis Diuina Officia celebrentur, & mortui sepeliantur, nisi fuerint excommunicati, vel causam dederint interdicti. Habetur in Bullario Rodrig.*f.*776.*col.*2.

INVOCARE BRACHIVM saculare.

1 AD comprehendendos Apostatas, possunt Regulares inuocare brachium sæculare.Rodrig. *tom.*2.*q.*22.*art.*3.

2 Idem possunt quoties habent priuilegium vt inuocetur brachium sæculare, quod solet aliquando poni in concessione,vel confirmatione priuilegiorum. Rodriguez *tom.*1.*q.*8.*art.*14. & tunc Iudices sæculares tenentur illud auxilium exhibere, ex iure canonico:imò ex ciuili Lusitano *libr.*2. *Ordinat. titul.*8. §.1.& 3. vbi lex loquens in generali ponit verbum *Prælatos*, per quos maximè in fauorabilibus intelligendi sunt etiam Regulares.

Sed

Sed nota quod Iudices aliqui sæculares fundati in dictis *ibidem* volunt vt sibi ostendatur processus factus per Prælatum Ecclesiasticum, vt videant si sit validus, & iuridicus,& teneantur præstare tale auxilium.Quod verò prædicti Iudices,non possint illud exigere in causis Ecclesiasticis probat latè, & bene Rodriguez *citat. art.* 14. sed teneri illud auxilium præstare absque processu exhibito.Quod autem prædicti Iudices absolutè teneantur illud auxilium præstare habetur *c.2. de maledicis*,cum gloss. *ibi ver. potestatem,& citatis capitibus ibi in gloss.*

IRREGVLARITAS.

Vide supra ver. *Dispensare latè*:& infra ver.*Prælatus circa dispensationes.*

ADDITIO.

PLuribus irregularitatibus subiecti sunt Religiosi quàm sæculares, atque etiam clerici: vltra enim illas quibus illi subditi sunt, incurrunt, vel possunt incurrere Religiosi plures ex frequentiori Sacramentorum receptione, vel ministratione: eáque de causa vt illis morem geram, more solito hîc ponam summam,seu modos quibus illi possint vitare irregularitates ortas solùm ex indebita Sacramentorum receptione,vel ministratione,quia illis frequentiores sunt,consulto omittens alias species irregularitatis, vt bigamiæ, infamiæ, vitiati corporis,& similium, quæ non sunt adeo in vsu.De irregularitate verò orta ex homicidio voluntario, vel casuali iam satis dixi supra verbo *Homicidium*, ibi vide: cæteras species tractare, nec promisi, neque compendium patitur.

Solùm

Solùm fortè per ſummam pauca dicam de irregularitate in communi poſtquam dixero de orta ex culpa in Sacramentis miniſtrandis,vel recipiendis.

1 Quod ergo attinet ad Baptiſmum,illi qui rebaptizat,vel ſciẽter permittit ſe rebaptizari, vel eſt dubium an ſit verè baptizatus,eſt irregularis , nec poteſt ad ſacros Ordines admitti,eſt communis,& ex iure Canon. collecta,vide Henriquez *lib.*14.*de irregularitate cap.*4. puer verò carens vſu rationis ſi rebaptizetur non fit irregularis. Neque fit irregularis , qui per metum cadentem in virum conſtantem ſineret ſe rebaptizari, niſi id fiat in contemptum Eccleſiæ , quia ſi ſic fieret, peccaret mortaliter, & fieret irregularis. Non incurritur verò hæc irregularitas ſi quis dubitans de Baptiſmo baptizaret iterum ad cautelam , illum qui à parte rei erat verè baptizatus: quia bona fides excuſat. Henriquez *nu.*4. irregularis etiam fit qui voluntariè Baptiſmum ſuſcipit ab hæretico,vt colligitur ex *cap.ventum eſt* 1.*quæſtion.*1.Vnde colligitur tales ſolùm eſſe adultos: non verò paruulos ab hæreticis baptizatos iuxta proximè dicta.

2 Excepto Sacramento Baptiſmi , de quo diximus, & Sacramento Ordinis de quo dicemus ſtatim , per nullius alterius Sacramenti indignam, & peccaminoſam receptionem incurritur irregularitas. Eſt recepta ſententia ab omnibus:qui voluerit amplam illius probationem videre,legat Suarez *tom. de cenſur. diſput.*42. *tota ſect.*2.

3 In Ordinis Sacramenti receptione indebita , ſeptem modis poteſt incurri irregularitas iuxta aliquos Doctores , cum verè non ſit irregularitas , ſed ſolùm ſuſpenſio: primo , quando quis recipit Ordines ab Epiſcopo qui renunciauit Epiſcopatui quoad locum , & dignitatem : *capitulo vnico ſub hoc titulo.* Sed quia

quia hoc rariſſimè contingit, de illo non eſt latiùs agendum. Secundò, quando quis ordinatur ante legitimam ætatem præſcriptam à Concilio Tridentino De hoc egi *ſupra tit. Ordines Sacri*; vbi dixi: *numero* 1. non poſſe religioſos ordinari ante ætatem virtute ſuorum priuilegiorum à Concilio Tridentino aſſignatam. *& ibidem numero decimoquarto*, oſtendi poſſe Prælatos diſpenſare cum religioſo poſtquam illicitè ordinatus eſt contra prædicti Concilij Tridentini præſcriptam ætatem. Tertiò fit irregularis ordinatus ab Epiſcopo alieno ſine licentia proprij Epiſcopi. Hoc tamen Religioſos non obligat, quia, vt *ibidem* dixi *numero ſecundo*, ſaltem in Hiſpania vſus obtinuit, vt Religioſi extra ſuas Diœceſes ordinentur cum licentia ſuorum Prælatorum ab alio Epiſcopo inconſulto illo, in cuius Diœceſi viuunt.

4 Quæris: an ſubditus ordinatus ſine licentia ſui ſaltem prælati, maneat irregularis: Reſpondeo, quod manet ſuſpenſus, non verò irregularis. Dixi, *ſupra verbo Ordines ſacri numero decimotertio*, Nunc addo id ſtatuiſſe Pium II. in Bulla propria in Bullario Rodriguez *fol.* 197. vbi præcipit quod ſint ſuſpenſi ab excutione ordinum qui illos ſuſceperint abſque legitima licentia. Erit verò irregularis hic & ſupra dicti ſi in Ordine ſic ſuſcepto miniſtrent.

5 Eſt irregularis ſuſcipiens Ordines extra tempora ſine diſpenſatione. De hoc dixi *cit. loco nu.* 4. Religioſos aliquos habere priuilegium, vt poſſint ordinari extra tempora non ſeruatis interſtitiis modo ibi aſſignato. Quintò etiam incurritur irregularitas, ſeu ſuſpenſio ſi recipiantur non ſeruatis interſtitiis. Sed de hoc etiam *cit. n.* 4. Sextò de ordinato per ſaltū, de quo etiã *ibid. n.* 15. Et quanuis inuenio Doctores aſſerentes in illis caſibus

incurri

incurri irregularitatem,vt Suarez,*disp.42.sect.3.tom.de censur. in principio sectionis*:tamen vt ipse statim innuit magis propriè dicendum est illos manere suspensos:Si verò ministrent,tunc manere irregulares.

6 Fit etiam irregularis, qui scienter recipit Ordines ab Episcopo excommunicato declarato, vel notorio clerici percussore,vel suspenso,vel interdicto declarato, vel notoriè hæretico. Excusat tamen ab his ignorantia facti,dummodo non sit crassa.Castr.*lib.2.de lege pœnal. c.15.* & alij multi:sed propriè prædicti sunt solùm suspensi.

7 Fit irregularis qui suscipit Ordines ligatus maiori excommunicatione,*cap.de eo qui furt.*Nauar.*num.241. c.27.in Sum.* Idem dic de ligato per censuram suspensionis, vel interdicti, etiam si delictum sit occultum. Hunc tamen Suarez *citata sect.3.num.2.*ait non propriè incurrere irregularitatem, sed suspensionem, qualem etiam ait incurrere illum qui recipit Ordines absque dispensatione. Ait tamen *ibid.n.3.* quod si aliquis irregularis ordinetur, non incurrit nouam irregularitatem.Et probatur,quia ille taliter ordinatus non incurrit nouam suspensionis censuram,quia talis in iure non inuenitur. Qui verò recipit etiam Ordines Minores,si sit excommunicatus maiori excommunicatione, non manet irregularis, nec suspensus, quia talis censura in iure inuenitur.

8 Qui existens suspensus ab officio Ordinis, aut à susceptione talis Ordinis,si recipiat Ordines sacros,dicitur communiter fieri irregularis, quasi ea susceptione videatur exercere actum Ordinis sacri, quanuis in iure expressum non sit.Maiol.*libr.1.de irregul.c.2.§.21.* Sylvester *irregularitas* §.2.& 3.

9 Si quis absque Sacramento Confirmationis recepto recipiat Ordines sacros,faciatque absque contemptu,

ptu, nec peccat mortaliter, nec proinde fit irregularis, eſt communis. Nauarr. *in Sum. cap.* 22. *num.* 9. *fin.* & *c.* 25. *num.* 68. & alii.

10 Omnino notandum pro quiete multorum, quod ſcilicet ſi Epiſcopus quando confert Ordines, prius dicat in generali: ſi quis accedat irregularis, vel furtiuè, non intendo illum ordinare: hoc dicto non obſtante, ſi aliquis ibi accedat cum aliquo impedimento ex dictis ab Epiſcopo, quod Epiſcopus ignorat, manet verè ordinatus. Adeſt enim materia, & forma, & per particulare ſuum factum recedit à conditione illa poſita in communi, habétque intentionem abſolutam applicatam huic. Henriquez *lib.* 14. *de irregularit. cap.* 14. *num.* 5. *ſiue* §. 5.

11 Incurrit irregularitatem miniſtrans in Ordine quem non habet: vt ſi non Subdiaconus cantet Epiſtolam ſolemniter cum manipulo: vel ſolum Subdiaconus cantet Euangelium ſolemniter cum ſtola. Habetur *c.* 1. 2. *de cleric. non ordinat. miniſtrant.* Dixi, *cum manipulo, vel ſtola*; quia ſi abſque illis dicatur Epiſtola, vel Euangelium, intelligebatur olim deficientibus ordinatis Subdiaconis, ac Diaconis id licere in neceſſitate: quod debuit in aliqua conceſſione, vel conſuetudine fundari: ſicut ego vidi fieri & fieri potuiſſe ex conſuetudine, tenet Nauarr. *in Sum. Latina cap.* 27. *num.* 243. Sed hodie neque video, neque conſulo. Et ſupradictum intelligitur manere irregularem, vt non poſſit promoueri ad alios ordines. At in iam ſuſceptis manebit ſuſpenſus ad arbitrium Epiſcopi. Et hanc etiam irregularitatem incurrit laicus adminiſtrans ſolemniter actum deputatum Ordini: vt ſi baptizet ſolemniter, vel cantet Epiſtolam ſolemniter, vt colligitur ex *cap.* 1. *citat. rex.* Et tenet Sylueſt. *ver. irregular. n.* 14. & 27. Et addit Suarez *diſputat.* 42. *cit. ſect.* 4. *n.* 7. etiam ſimplicem Sacerdotem

miniſtrantem in actu ſoli Epiſcopo deputato fieri irregularem.

12 Quicunque Sacerdos excommunicatus de maiori excommunicatione miniſtrat aliquem actum alicuius Ordinis maioris, violans cenſuram, fit irregularis; idem dic de Sacerdote interdicto ſiue ſuſpenſo. Colligitur ex *cap. is, qui, & cap. is, cui, de ſententia excommunicationis in 6.* Et eſt communis. Dixi *excommunicatus maiori excommunicatione*, quia ligatus minori illam non incurrit; neque item incurrit qui exercet actum Ordinum minorum, licèt ſit excommunicatus de maiori.

13 Dubium eſt an Sacerdos excommunicatus maiori excommunicatione, ſi miniſtret alicui Sacramentum pœnitentiæ exiſtens ligatus maiori excommunicatione, maneat irregularis? Quod enim Sacerdos celebrans excommunicatus ſit irregularis, omnes admittunt: At de Clerico audiente confeſſiones, apud nullum clarè inueni, & eſt dubium quotidianum. Ego iudico talem confeſſorem manere irregularem. Moueor ex eo quod tradit Nauarr. *in Sum. cap. 27. n. 244.* vbi pro regula generali tradit fieri irregularem illum qui celebrat Diuina Officia, vel facit aliquem actum deputatum Ordini ſacro maiori quem habet. Conſtat autem quod audire confeſſiones eſt actus ſpecialiter deputatus Ordini presbyterij. Secundò probo ex regula generali tradita à Suarez *diſput. 42. de cenſuris ſect. 5. in principio*, vbi ait fieri irregularem illum Clericum, qui exercendo actum Ordinis violat cenſuram. At ſacerdos excommunicatus audiens confeſſiones, primò excercet actum Ordinis presbyterij, vt patet. Secundò, violat cenſuram excommunicationis per quam illi interdicitur miniſtrare Sacramenta: ergo fit irregularis. Et hoc intellige quantuncunque

cunque excommunicatio, vel delictum sint occulta.

14 Strictiùs adhuc loquitur, sed cum fundamento, Henriquez *lib.*14. *de irregularit.cap.*7.*n.*1. vbi ait cum Sylvest. Maiolo,& Nau. Clericum qui excommunicatus in choro est hebdomadarius dicens orationem cum *Dominus vobiscum*, fieri irregularem, quia exercet solemniter actum deputatum Ordini sacro presbyterij. Eandémque irregularitatem incurrit is qui existens excommunicatus, siue sit laicus, siue clericus,facit coram se celebrari,vt colligunt Doctores ex *c. de Clerico excommunicato ministr.*

15 Si verò excommunicatus exerceat actum iurisdictionis, vt si excommunicet, dispensęt, ferat sententiam,& similia quæ non sunt actus Ordinis sacri,non fit irregularis. Nau.*c.*27.*n.*244. & Henriq.*cit. proximè loco.* Idem dic de eligente,vel suffragante in electionibus, quia eligere non est actus Ordinis sacri, peccabit tamen mortaliter,sic eligens, quia eligere interdicitur excommunicato. Ait etiam *ibid.* Henriq. Parochum excommunicatum occultum ministrantem Sacramenta suis ouibus petentibus, excusari à peccato & ab irregularitate.

16 Secunda regula generalis ponitur à Suarez *citata sect.*5.*n.*2.& est huiusmodi. Per Ordinis administrationem, quantumuis illicitam, per quam censura aliqua non violatur, nemo fit irregularis. Et probatur, quia nulla talis irregularitas orta ex delicto circa Sacramenta inuenitur in iure,nisi quando violantur censuræ,vt videre est apud Summistas.

17 Pro consolatione verò notat Henriquez *citato c.*7.*n.*2.excommunicatum exercentem actum deputatum Ordini sacro excusari ab irregularitate, primò si id faciat ex ignorantia,vt omnes Doctores admittunt.

Quæ verò ignorantia facti, vel iuris crassa, vel lata ad hoc requiratur dixi satis supra verbo *Ignorantia.* ibi vide. Idem dices de inaduertentia inculpata, vt ibi etiam diximus, & tenet Suarez *disputat. 4. de censuris sect. 3. num.* 1. Secundò excusatur ab irregularitate excommunicatus quoties licitè ob causam iustam celebrat absque peccato mortali, vt si celebret ob metum cadentem in virum constantem: vel ob vitandam grauem infamiam, aliter non valens eam vitare, & ratio clara est, nam tunc celebrans non peccat mortaliter, vt suppono: At ista irregularitas imposita ob delictum non incurritur nisi ob peccatum mortale, vt omnes fatentur, & patet ex dictis verbo *Homicidium.*

18 Qui ligatus excommunicatione maiori sæpius celebrat vnam tantùm incurrit irregularitatem: neque opus est ad illius dispensationem obtinendam explicare quoties celebrauit. Est etiam communis, Nauarr. *in Sum. cap. 27. num. 8.* & Henriquez *lib. 14. de irregul. cap. fin.* Quis autem possit dispensare cum religiosis in ista irregularitate contracta ex indebita celebratione, dixi *supra verbo confessor erga regulares, num. 21.* vbi dixi id non posse confessores ordinarios Ordinis nisi quando illa contrahitur per ignorantiam, vel inaduertentiam: possunt tamen Prælati Conuentuales, & Superiores. Si verò quæras: ad quid inseruit citatum ibi priuilegium, vt confessores ordinarii religionum, illam dispensent quando datur talis ignorantia, vel inaduertentia, si supra diximus data ignorantia, vel inaduertentia istam pœnam non incurri. Respondeo Sum. Pontifices sæpius concedere priuilegia ad tollendos scrupulos, & securitatis gratia.

19 Celebrans coram excommunicato nominatim denuntiato, vel notorio clerici percussore, si celebrans non est excommunicatus, peccat mortaliter, sed non

fit

fit irregularis: erit tamen ſuſpenſus, ſi celebrat coram interdictis, vel illos admittat ad officiu n diuinum. Nauarr. *cap.* 25. *Sum. num.* 94. Celebrans verò in Eccleſia polluta non fit irregularis. Vide quæ diximus olim verbo *Interdictum* de pœnis impoſitis illud violanti.

20 Extant etiam in iure multæ irregularitates impoſitæ contra multos criminoſos, maximè quãdo ſunt publici, vt contra hæreticum publicum, eiúſque fautorem, ſchiſmaticum, ſimoniacum, quæ longum eſſet referre, qui voluerit, videat Suarez *tota diſputat.* 43. *de cenſuris* fusè diſputantem, circa quæ notat Henriquez *lib.* 14. *citato cap.* 5. *num.* 2. nullum crimen enorme, depoſitione dignum dum manet occultum excepto homicidio, facere irregularem, ſed quando eſt notorium. Hæc nobis ſufficiant pro dubiis regularium pertinentibus ad irregularitatem contractam in miniſterio Sacramenti Ordinis, & celebrationis. Adhuc verò maioris obſequij; erga Regulares pono breuiter aliqua notanda circa irregularitatem in communi. Solùm aduerto abiurantem de vehementi in caſu hæreſis non eſſe irregularem: ſic Sanchez 2. *Decal g. c.* 25. *num.* 11.

DE IRREGVLARITATE in communi breues notationes.

21 VArios effectus producit quæcumque irregularitas. Impedit ne irregularis poſſit promoueri ad Ordines, alias faciens peccat grauiter. *capit. curandum diſt.* 34 *cap. ſi cuius vxorem. diſtinct.* 34. Si tamen illos recipiat, manet verè ordinatus, vt omnes fatentur. At nullam incurrit cenſuram propter hoc peccatum, quia nulla datur in iure Canonico. Suarez *diſp.* 4. *de cenſ. ſect.* 2. *num.* 6.

22 Irregularis poteſt recipere quæcumque Sacramenta excepto Sacramento Ordinis. Eſt etiam communis. Et Suarez *ibidem num.* 9. imò omnis actus ſacer qui poteſt fieri à laico, & poteſt fieri ab irregulari etiam Sacerdote, vt baptizare ſine ſolemnitate; & ſimiles.

23 Irregularis ex vi ſolius irregularitatis non priuatur iuriſdictione, neque impeditur ab illius vſu. colligitur ex *cap.tanta.de exceſſibus Prælatorum*, quia iuriſdictio etiam Eccleſiaſtica diſtincta eſt à poteſtate Ordinis: irregularitas verò, vt ſic, ſolùm priuat poteſtate Ordinis. Dixi, *vt ſic ſeu ex ſola vi irregularitatis*, quia ſi incurratur cum aliqua cenſura, maximè excommunicationis, tunc priuabit iuriſdictione, & vſu illius, vel ſi ex alia lege imponitur irregularitas.

24 Qui poſt legitimam collationem beneficij contrahit irregularitatem, non priuatur ipſo iure tali beneficio, vel dignitate quæcumque illa ſit, ex vi ipſius irregularitatis. Eſt communis Innocentij *cap.cum noſtris. de conceſſione præbendæ.* Gloſſ. 1. Panorm. *cap.tanta.de exceſſibus Prælatorum num.* 2. Felini *cap. Inquiſitionis.de accuſationibus num.* 3. & aliorum. Sed debet expectari ſententia Iudicis, vt patet ex dictis à nobis in verbo *officium*, & verbo *lex*, & alibi. Quandiu verò licitè retinetur beneficium, licitè poſſunt recipi fructus illius. Et poterit poſſeſſor beneficij per ſe exequi omnia pertinentia ad illud dummodo non ſint res deputatæ Ordini ſacro. Vnde à fortiori colligitur poſſe prædictum exercere validè iuriſdictionem fori externi, vt excommunicare in foro externo, abſoluere, & ſimilia: poteſt item irregularis eligere, & confirmare electionem. Nau. *cap.* 27. *num.* 244. quia eligere, vel confirmare non eſt actus Ordinis. Et illud quod dixi, *non amitti iuriſdictionem fori externi per irregularitatem*, intellige, ſiue iuriſdictio

risdictio sit delegata, siue ordinaria, est enim eadem ratio in vtraque.

25 Si tamen beneficium conferatur irregulari, collatio beneficij non valet, siue officij. Hæc est Nauarr. *in cons. cons.* 13. 42. & 44. *de homicidio, & cap.* 27. *Sum. n.* 251. Couar. *c. alma mater p.* §. *num.* 1. & §. *num.* 3. & fere communis, & valde iuuat hoc scire: vt si, v.g. quis absolutus à censuris, & peccatis simoniæ, vel homicidij non obtinuit dispensationem irregularitatis, non est capax vt illi beneficium, vel officium conferatur, & quidem si officium habet annexam executionem Ordinum, res est clara, quia irregularis est incapax officii exercendi Ordines sacros. Textus verò, ex quibus hoc colligitur, citatis dd. quos tex. examinat Suar. *cit. disp.* 4. *sect.* 2. *à n.* 3. ait tamen *ibi. n.* 35. collationem esse irritam ipso facto secundum veriorem, ac securiorem sententiam, quantuncunque crimen occultum sit. Et probatur differentia inter beneficium obtentum post irregularitatem, & obtentum ante illam, quia istud fuit datum legitima voluntate, & amplius ab illa non dependet donec per contrariam voluntatem aufferatur. Illud verò quod fuit datum post irregularitatem pendet à voluntate conferentis, quia iuxta multos textus supponitur nolle conferre beneficium irregulari. Et huiusmodi esse Prælaturam religionis ait Suar. *ibid. n.* 42.

26 Parochus irregularis potest delegare iurisdictionem alteri sacerdoti vt suas oues absoluat: nam hæc delegatio non est actus Ordinis, vt patet: quod intellige de parocho facto irregulari post obtentum officium. At non poterit hanc iurisdictionem nouam accipere Sacerdos irregularis. Hæc ambo colliguntur clarè ex dictis: qui si parochus irregularis per se absoluat subditum, an sit valida absolutio? Tenet Suarez *cit. sect.* 2. *numer.* 45. esse satis probabile quod peccat

mortaliter,ſed valebit abſolutio: probatur clara ratione,quia talis retinet poteſtatem Ordinis, id eſt, characterem vt patet: & præterea retinet poteſtatem iuriſdictionis:hanc enim non amitti ex vi ſolius irregularitatis, iam ſupra diximus:nihil verò amplius requiritur ad valorem abſolutionis quàm illæ duæ poteſtates. Similiter valebit abſolutio data à Clerico Parocho excommunicato occulto, quandiu non eſt denunciatus, vt ſupra diximus *ver. Excommunicatio.* Et proximè dictum de validitate abſolutionis impenſæ ab irregulari, tenet Suar. *citato loco de ſuſpenſo ab Ordinibus.* Nam ex vi huius ſuſpenſionis ſolius, non irritabitur abſolutio data à Parocho,ob cauſam aſſignatam:peccabit tamen mortaliter & grauiter.

27 Nulla irregularitas incurritur propter actum purè internum quantuncunque enormis ſit. Eſt communis Doctorum, vt probatione non egeat. Imò aiunt multi neque Eccleſiam id poſſe facere; ſicut non poteſt, vel ſaltem non ſolet excommunicare actus purè internos. Imò requiritur vt opus externum, pro quo imponitur, ſit opus conſummatum,& non ſufficiet attentatum. v.g. ad irregularitatem homicidij non ſufficiet vulneraſſe etiam lethaliter, ſi non fuerit homicidium ſubſecutum, neque item irregularitas poſita ob delictum incurritur ſi opus externum fuit ſolum peccatum veniale,quia non ſolet Eccleſia tanta pœna punire peccatum veniale: ſicut nec ſolet punire cum excommunicatione maiori, vt omnes fatentur: pœnæ enim debent proportionari culpæ. Imò ſi aliquando opus externum de ſe mortale,propter aliquam circunſtantiam reddatur veniale,vt quia non plenè deliberatus fuit actus, vel non plenè voluntarius, non incurretur irregularitas. Simile quid diximus ſupr. *ver. excommunicatio de incurſu excommunicationis*, hæc enim vita-

tur

tur si opus externum de se mortale ex circunstantia est tantùm veniale. Sufficiet verò ad irregularitatem incurrendam, vt peccatum sit externum, licèt per accidens sit occultum: vt colligitur ex *cap. vlt. de temporibus Ord.* & vltra multos Doctores tenet praxis Ecclesiæ, & Rotæ in qua quotidie petuntur multæ dispensationes pro irregularibus omnino occultis.

28 Irregularitas imposita à iure, facto delicto pro quo imponitur, statim incurritur ipso iure absq; alia Iudicis sententia declaratoria criminis: etiam cõmunis opinio, & probatur ex praxi Ecclesiæ proximè dicta, nullus enim irregularis occultus expectat Iudicis sententiam declaratiuam criminis. Dices: neminem cogi, vt sit executor pœnæ contra seipsum: At irregularem per se abstinere ab Ordinibus, &c. similibus, est exequi pœnam contra se ipsum: Respondetur; posse cogi aliquem vt sit executor pœnæ contra se, non quando pœna consistit in agendo, vt se iugulando propria manu; vel laqueo suffocando: posse tamen cogi esse executorem pœnæ suæ quando pœna solùm consistit in non agendo, seu in abstinendo, vt patet in excommunicatione statim obligante, vt abstineatur à diuinis: & talis est pœna irregularitatis. Et hæc executio pœnæ non dicitur propriè executio, sed abstinentia à prohibitis.

29 Solùm ius commune, & Sum. Pontifex absque illo, possunt imponere pœnam irregularitatis: nullus verò inferior illis, eam potest imponere. Est etiam communis Doctorum.

30 An ignorantia excuset ab irregularitate, & quomodo vide supra *verbo ignorantia à n. 17. vsque ad 24. inclusiuè*, vbi satis de hoc diximus.

31 Existente dubio an aliquis sit irregularis, & facta omni diligentia non potest veritas inueniri, si dubium sit iuris, id est, si dubitetur an Ecclesia pro isto facto imponat

ponat irregularitatem, poteſt dubitans deponere dubium,& operari,quia ſtante hoc dubio melior eſt conditio poſſidentis dubitantis. Si verò dubium ſit dubium facti, tenetur abſtinere: quia tunc habet locum quod diximus ſupra *ver. Abortus* dubitantem de irregularitate debere abſtinere:vide *ibi* dicta *n.*2. Et colligitur ex *cap.ad audientiam,& cap.ſignificaſti 2.de homicidio.*

32 Adhuc in fauorem Religioſorum (quia vidi iam de hoc dubitari) dico Sacerdotes, Clericum in ſacris, ac Religioſos prohiberi ex iure Canonico aſſiſtere dum aliquis iugulatur, vel ſuſpenditur à miniſtris iuſtitiæ:refert Nau.*cap.*25. *in Summ.num.*110. *& cap.*27. *n.*214. habetur in *cap.ſententiam,ne Clerici, vel Monachi*: Ibi tamen Nauarr. cum aliis ait,ſi ſecus faciant Clerici vel Religioſi,non fieri irregulares,ſi ſolùm adſint ſpectandi gratia. Aliquod tamen peccatum facere ob prohibitionem citati textus: puto tamen non eſſe peccatum mortale ob contrarium vſum.Erunt tamen prædicti religioſi aſſiſtentes,irregulares ſi aſsiſtant dantes conſilium,vel fauorem ad mortem acceleratandam. Quod ſi prædicti Eccleſiaſtici aſsiſtant, vt conſolentur patientes, eoſque iuuent in ſpiritualibus non peccant, imò potius valde merentur.

DE ABLATIONE IRREgularitatis.

33 IRregularitas tollitur propriè per diſpenſationem. Quis verò poſsit diſpenſare cũ religioſis in irregularitate ſatis iam dixi *ver. diſpenſare,& ver.homicidium,* & ſupra *verbo item diſpenſare:& ver.Prælatus.* Quis verò diſpenſet cum Clericis non eſt meum intentum, quia non profiteor tractare materiam irregularitatis.

34 Qui

34 Quibus verbis vti debeat diſpenſans quando diſpenſat in irregularitate,omnes concedunt in iure non apponi verba determinata,nec proinde illa requiri:ſed ſufficere quod dicantur verba per quæ ſatis ſignificetur eſſe mentem Iudicis aufferre irregularitatem.Communiora, ac magis propria verba ſunt ſi quis dicat: *Diſpenſo tecum in iſta irregularitate, quam incurriſti ob tale delictum.* Sufficiet etiam, ſi oblata in voce, vel ſcripto poſtulatione diſpenſationis, reſpondeat: *volo*: vel *fiat*: vel,*celebret*,*ordinetur*: & ſic de aliis:hæc enim omnia ſignificant clarè animum,& conſenſum diſpenſantis.

35 Si ſubditus habeat plures irregularitates debet de omnibus informare:aliàs ſi multas habet,& diſpenſans dicat: *Diſpenſo tecum in iſta irregularitate*;nihil faciet,quia ſunt multæ, & illa diſpenſatio vnius eſt indeterminata. Secus ſi diceret in plurali, *diſpenſo tecum in omni irregularitate*, vt Prælati irregulares ſolent facere in Capitulis: tunc enim omnes aſtantes manent diſpenſati in omnibus in quibus poſſunt Prælati,vt dixi ſupra *ver.abortus n.*11.ex Nau.

36 Poteſt etiam aliquando diſpenſatio irregularitatis fieri cum ſolo facto abſque verbis vt ſi ſuperior potens diſpenſare in irregularitate, ſcienſque ſubditum illa ligari,eidem dicat vt faciat opus ſibi interdictum per talem irregularitatem iam diſpenſat, quia per illud factum æquè ſignificat animum diſpenſandi ac ſi verba pronuntiaret.

37 Requiritur etiam omnino vt diſpenſaturus in irregularitate particulari ſciat in particulari de illa,& de circunſtantiis delicti, ac perſonæ: hæc enim omnia multum faciunt. Nam diſpenſaturus ſemper debet diſpenſare cum cauſa, & præterea ſemper debet imponere pœnitentiam condignam,vt patet ex praxi Eccleſiæ,

siæ, & Bullis Pontificiis, ac Decretis Rotæ, in quibus semper iubetur imponi debita pœnitentia illis cum quibus dispensatur. Et ad imponendam talem pœnitentiam est necessarium cognoscere, & irregularitatem in particulari, & circumstantias delicti, ac personæ. Talis enim aliquando erit persona vt necesse sit cum illa non dispensari.

38 Dices, quando Prælati regulares in Capitulis dispensant cum subditis in generali in irregularitatibus, dispensatio valida est, vt supra diximus: & tamen ibi non imponitur pœnitentia. Respond. primò ibi non esse possibile imponi pœnitentiam, quia ignoratur reus: secundò aliquam ibi imponi, cum Religiosi genu flectunt, culpas agnoscunt, &c. quæ pro tunc acceptat Ecclesia vtens quasi particulari liberalitate, & magnificentia, quod permittit, imò concedunt Pontifices, vt faciant Prælati regulares pro bono communi, & quiete religiosorum: quod commune bonum, & Religiosorum quietem tunc iudicant sufficientem causam illius generalis dispensationis.

ITINERANTES *Fratres.*

1 VTilium fuit aduertere quod Sixtus V. in sua constitutione edita contra illegitimos, & criminosos vltra ibi præcepta circa Nouitios, in fine decernit, quod nullus Regularis exeat ab vno Conuentu ad alium maximè extra suam Prouinciam nisi secum tulerit licentiam sui Superioris in scriptis; vel litteras commendatitias, vel ita cognitus sit illis ad quos diuertit, vt de eius persona non possit dubitari, vel suspicari. Superiores verò, qui admittunt Religiosos non petita prius Superioris licentia, maximè quando cogniti non

non ſunt, vel de illis ſuſpicionē habent, manent priuati voce actiua, & paſsiua, officiis, gradibus, honoribus, & inhabiles. Ait tamen Rodr. *tom. 2. q. 121. art. 1.* quod non videt hoc receptum in Hiſpania quo ad executionem dictarum pœnarum. Innuit tamen Prælatos aliter facientes ſaltem peccare mortaliter.

2 Fratres itinerantes maximè in longo itinere, ſecum ferre debent, ſi ſunt presbyteri, ſui presbyterij authenticum teſtimonium ſui Prælati, vt poſſint celebrare in locis quibus non ſunt cogniti. Et abſque illo teſtimonio non debent admitti ad Miſſam celebrandam. Sic ordinatum eſt in multis Conciliis, maximè Tridentino, *ſeſſione 23. capit. 16.*

IVDÆI, HÆRETICI, Sarraceni.

QVomodo hi poſſint eſſe Prælati, vide ſupra *verbo Eligere*, vel *Nouitij*, videlicet in Ordine Minorum, & infra dicetur etiam *verb. Nouitius*. Saltem Sixtus V. in ſua Bulla nihil agit de Iudæis. Vide tamen *citatis verbis ſeu titulis.*

IVRAMENTVM.

Vide ſupra verb. *Abbas num.* 9. quod poſſit Guardianus ſolus dare licentiam ſubdito, vt iuret coram Iudice ſæculari.

Vide etiam verb. *Correctio Fratrum*, quomodo inter Religioſos teſtimonium illorum ſub ſola obedientia, abſque iuramento æquiualet iuramento, & facit proceſſum iuridicum. *ibi num. 22.*

Vide etiam verbo *Confeſſor erga ſæculares* quid poſſint erga iuramenta votiua pœnitentium.

ADDI

ADDITIO.

SVpra non posui aliquid particulare de hoc : solùm remisi lectorem ad alia loca libri, vt de iuramento reo præstando, & similibus. Postea vidi materiam iuramenti in aliquibus posse euenire Religiosis directè, vel saltem indirectè pro iurantibus sæcularibus dirigendis, & quia iuramẽtũ in multis æquiparatur voto, igitur potiora dubia recẽseo modo iam dicto Cõpẽdij.

1 Iuramentum verum est, si quis dicat aliquam ex sequẽtibus propositionem. *In Deo ita est*, vel *per Deum ita est*. Item : *Viuit Deus*. Item : *Testis mihi est Deus*. Item : *Per habitum D. Francisci, D. Petri, vel alicuius similis Patroni Ordinis* : vel si dicat Clericus, vel Religiosus solùm, *per hunc habitum* : Item, si dicat Sacerdos, *Per has manus consecratas*. Item : *per meam animam*. Item : *per meam vitam*, vel *salutem*, vel *alterius*. Item : *Sic Deus me adiuuet*. Item : *Si hoc non est ita Deus te non adiuuet*. Horum omnium probationes affert Sanchez *lib. 3. Decalog. cap. 3*. Cumque illa omnia sint vera iuramenta, si iuramentum factum per aliquid ex illis fuerit falsum, vel de re illicita, erit peccatum mortale.

2 Econtra, non est iuramentum si quis proferat aliquid ex sequentibus. *Non credo in Deum*, vel *abnego Deum, si hoc ita non est*. Nam licèt hæc verba sint blasphemia, non tamen sunt iuramentum, quia per illa Deus non adducitur in testem, cùm potius blasphemetur. Item non est iuramentum dicere : *per istam Crucem*, si nullam faciat Crucem consultò. Neque item, si quis per Deum, aut per vitam propriam rogatus an res ita sit : respondeat, *ita se rem habere*. Quia illud non est forma iurandi : sed est quædam adiuratio. Imò, si rogans diceret : *Iuras mihi per Deum ita se rem habere?* Et rogatus

tus ſolum reſpondeat:*Ita ſe res habet*:per hoc non cenſetur iurare.Neque item ſi dicat:*in mea conſcientia*, vel *per meam conſcientiam*. Neque ſi dicat : *in fide mea* , vel *per meam fidem*,vel *per fidem boni viri*,vel *per fidē Chriſtiani*:ſecus per hoc intenderet iurare per fidem Catholicam,Neque item ſi dicat:*in veritate eſt*.

3 De his verbis, *Coram Deo ita eſt* : vel, *Deus ſcit ita eſſe*:vel *Deus videt*:dubitant Doctores an ſint iuramentum:reſolutio ſit. Duobus modis illa verba poſſe proferri.Primo inuocatiuè,id eſt,inuocãdo Deũ ad confirmandũ id quod dicitur:& tunc eſt iuramentũ. Secundo modo dici poſſunt enunciatiuè,quãdo ſcilicet dicuntur per modũ ſimplicis enunciationis,& tunc non fit iuramentum : quia hoc non eſt inuocare Deum in teſtem, ſed narrare, Deum id ſcire , & videre. Ita Rodriguez *tom.1.Sum.in 2.edit.cap.191.num.2.* Sà *Aphoriſ. verbo Iuramentum,nu.1.*& alij. Quando verò non conſtat de animo proferentis inuocatiuè ne dixerit,an enunciatiuè,ſi ſit vir timoratæ conſcientiæ, credendum eſt non eſſe iuramentum : quia in viro timorato , illa verba ſunt iudicium quod non vult iurare. At in homine iurare ſolito cenſebitur eſſe iuramentum.

4 Puer ante annos pubertatis 14.in maſculo, 12. in fœmina prohibentur iurare in foro iudiciali externo, *cap.paruuli,& cap.pueri 22.q.5*.Si tamen in neceſſitate admittantur ad iurandum, illorum dictum non facit plenam fidem,ſed preſumptionem.*l.inuiti.ff.de teſtibus.* Id eſt,dictum vnius pueri,quantumcunque habeat rationis vſum, non facit pro vno integro teſte , ſed facit indiciũ ſufficiens ad torturam.In criminalibus verò nõ admittitur minor viginti annis,vt dicitur in *lege citata*.

5 Tres conditiones requiruntur, vt iuramentum rectè , ac licitè fiat. Prima eſt veritas. Secunda iuſtitia. Tertia eſt iudicium. Prima conditio eſt clara, requiritur

tur enim vt id quod iuratur ſit verum, vel putetur verum: alioquin eſt periurium. Secunda, id eſt, iuſtitia, requirit, vt actus ſit de materia iuſta, ac licita. Si enim iuretur faciendam eſſe rem illicitam, eſt peccatum mortale. Tertia conditio, id eſt, iudicium, idem eſt quod fiat cum neceſſitate, atque prudentia, & ad hanc neceſſitatem tria requiruntur ex Soto 8. *de Iuſt. q.* 1. *art.* 3. *ad finem corporis.* Prima eſt, vt veritas iuramento firmanda nequeat alia via confirmari: iurare enim veritates patentes temerarium eſt. Secunda eſt, vt ſubſit cauſa neceſſaria, vel pia. Tertia eſt, vt præcedat maturum examen veritatis. Ex quibus conditionibus in communi dictis licebit iudicare, ſaltem de multis iuramentis, ſi rectè ſint facta.

6 Ex dictis ſequitur eſſe iuramentum illicitum, ac falſum, ſi quis rem ſibi dubiam iuret vt certam: atque idem dicendum eſt ſi rem ſibi certam iuret vt dubiam. Vt autem iuret licitè, & abſolutè ſatis eſt ſi rem audiuerit à perſona valde fide digna. At in iudicialibus non poteſt ſic abſolutè iurare, ſed debet exprimere quomodo id ſciat. Sanchez *citat. libr.* 3. *cap.* 4. *dubio, vel n.* 7. *ſeqq.*

7 Iurans aliquam rem falſam, quam putabat veram, non eſt periurus: Quia iuxta mentem ſuam verum dicit, & ſolùm eſt mendacium materiale, quod non eſt peccatum. Poterit etiam aliquando periurium excuſari à peccato mortali ex defectu perfectæ deliberationis, vt fit in aliis materiis. Eſt etiam periurium de futuro, ſi iurem me facturum aliquid abſque animo implendi: vel ſi iurem id quod credo non me tunc poſſe efficere.

8 De ſecunda conditione iuramenti, ſcilicet vt ſit materia iuſta ſi quis iuret ſe facturum opus quod eſt peccatum veniale: peccat ſolùm venialiter: ſed facit

duplex

Digitized by Google

duplex peccatum veniale, vnum est propositum peccandi venialiter. Secundum est iuramentum in materia illicita, est tamen solùm peccatum veniale, quia non est grauis Dei irreuerentia. Ita Nauarr. *in Sum. cap.* 12.*n.* 15.Sylvest.*iuramentum* 4.*q.* 1.& alij.Nec tenetur ad illud opus implendum.Si verò iuret se facturum opus quod est peccatum mortale, facit duplex peccatum mortale, vt diximus suprà, si adsit animus implendi. Si verò desit animus implendi, erit vnum tantùm. Nec tenetur ad hoc opus implendum, quia non est validum contra bonos mores præstitum iuramentum. *Reg.* 58.*de Regul.iur.in* 6.

9 Iurare se non facturum aliquid contra consilia Euangelij, vt non daturum eleemosynam, non futurum esse Religiosum, & similia, est solùm peccatum veniale, nisi aliunde detur obligatio id faciendi. Est enim illa leuis irreuerentia. Similiter iurare rem indifferentem, est solùm peccatum veniale.Et collige omnino quod minus malum est iurare me facturum peccatum veniale cum animo illud faciendi, quàm iurare illud facturum absque animo faciendi. In primo enim casu est tantùm peccatum veniale. Et in secundo dum deest animus faciendi, est periurium, ac proinde peccatum mortale.

10 De tertia conditione iuramenti vt fiat cum necessitate, si desit necessitas, est opinio communis, quod solùm est peccatum veniale, ita Nauarr. *in Sum.cap.* 12. *num.* 3. Sylvest. *Iuramentum* 2.*q.*8. & alij omnes.

11 Quoties adest causa iusta, potest quis in iuramento extra forum iudiciale vti amphibologiis modo statim explicando. Erit autem causa iusta ex Nauarr. *cap. humana aures* 22. *qu.*5. *in q.*1. *ad finem*, *& qu.*2.*num.* 10. quoties id erit necessarium, vel vtile ad

ſalutem corporis,honorem,vel res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum,ita vt tunc veritatis occultatio iudicetur expedire.De illis verò amphibologiis,ſeu cautelis accipe ſequentes regulas.Prima;quoties verba ſunt ambigua in ſua ſignificatione, & plures ſenſus habentia, non eſt mendacium illa proferre cum iuramento in ſenſu quem ex illis ſenſibus proferens vult; quamuis audientes, & is cui iuratur, in alio ſenſu percipiant. Idque etiam intellige quando verba ambigua non ſunt: ſi tamen attentis circunſtantiis loci, temporis,& perſonæ verba faciunt illum ſenſum iuxta mentem interrogantis, quam reſpondens concipit. Vt quando Confeſſor rogat pœnitentem an commiſerit fornicationem:rectè reſpondet, non commiſiſſe,intelligendo denuo,quam fateri oporteat:licèt aliquando commiſerit,quam tamen iam faſſus eſt.

12 Secunda regula, poteſt etiam excuſari iuramentum à periurio,ſi verba externa prolata ex ſe vera non ſint:at redduntur vera ex aliquo alio in mente proferẽtis retẽto,quodcumque illud ſit.Vt ſi quis iuret ſe non feciſſe aliquid,quod re vera fecit,intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit,vel alia die ab illa,in qua fecit,vel quoduis aliud additum in mente verum.Probatur, quia talis non mentitur, vt patet: ac proinde non eſt periurium. Solùm ergo taliter proferens non dicit vnam veritatem quam audientes concipiunt: dicit tamen aliam veritatem. Nauarr. *citat.cap. humanæ aures,quæſt.2.num.12.*Tolled. *libr.4.Sum.cap.21.num.9*, & alij. Si verò in his amphibologiis iurandis modo prædicto non occurrat illa neceſſitas quam ſupra diximus debere interuenire, & iuretur abſque neceſſitate: credunt multi eſſe peccatum mortale, qualis eſt Tolledo *citat.loco*, Lopez 1. *p. Inſtruct.cap.42. col.5*, *verſ.*

verſ. doloſè iurans, & alij. At mitius credit Sanchez 3. *Decal. cap.6. num.22.* eſſe ſolùm peccatum veniale. Quia, vt ſupra diximus, deficiente tertia conditione in iuramento videlicet,neceſſitate,eſt ſolùm peccatum veniale,ſi iuramentum eſt verum, quale eſt illud iuramentum cum illis amphibologiis. Hoc tamen ibi limitat Sanchez, & bene, dummodo tale iuramentum non fiat in iudicio Iudice legitimè interrogante,vel in materia præiudiciali : tunc enim nullo modo licet vti amphibologiis,citat Sanchez,& alios.

13 Teſtis non iuridicè interrogatus de aliquo delicto poteſt vti amphibologia,dicendo exterius ſe neſcire,intelligendo intra ſe, vt teneatur dicere:quamuis id ſciat, quia vidit. Eſt communis Doctorum maximè Nau.*cit.c. humanæ aures q.1.n.9.* Eadem amphibologia poteſt vti teſtis licèt iuridicè interrogetur,ſi tamen ob iuſtam cauſam excuſatur ab illo teſtimonio ferendo: vt ſi, v. gr. ex ſuo teſtimonio ſibi ſequatur magnum damnum famæ,vel vitæ. Idque propter prædictam rationem,quia tunc excuſatur à veritate dicenda,& proinde verè dicit ſe neſcire, intelligens ita vt dicere teneatur.

14 Eadem amphibologia vti poteſt reus non legitimè interrogatus de delicto quod re vera fecit,poteſt enim dicere ſe non feciſſe,idque ſub iuramento, intelligẽdo ſe nõ feciſſe vt ſubſtat illi iudicio nõ iuridico:vel intelligẽdo non feciſſe alia die diuerſa ab illa qua fecit:vel intelligẽdo quodcunque aliud additũ mente retentũ, quod cum verbis externis poſſit facere sẽſum verum. Idẽ poterit facere reus quãdo Iudex non eſt legitimus Iudex,ſaltem in hoc caſu particulari,quia tunc non interrogat iuridicè,vt omnes fatentur.Idem poteſt facere quando reus iniuſtè eſt extractus ab Eccleſia,quia tunc Iudex non habet ius interrogandi,& procedendi,vt ait

Sotus *de secreto* 2. *q.*7. *post* 3. *concl.* idem potest facere reus quando iurisdictio huius iudicis est suspensa per appellationem, vt tenet Rodr. *de Ordin. iudic. cap.* 10.*n.*4.

15 Quando reus iniustè occultos socios, aut testis iniustè detexit crimen occultum rei coram iudice, si non sit sufficiens aliunde informatio procedendi contra tales socios, aut illum reum, possunt reus, & testis ille se offerre coram iudice, & iurare illos non fecisse delictum: intelligendo intra se, ita vt tale delictum subsit illi iudicio. Probatur, quia cùm res sint immutatæ, sicut à principio quando iurarunt, poterant verè dicere hos non esse reos intelligendo publicè, & vt illi iudicio subsint, de quo delicto publico solùm interrogat Iudex: ita & modò idem verè poterunt dicere. Imò si scienter detexerint iniustè, possunt etiam dicere se mentitos fuisse, intelligendo de mendacio practico, quod dicitur quodcunque opus rationi contrarium. Hæc est opinio Banhes 2.2.*q.*62.*a.* 2. *dubio* 8.& Metinæ *lib. Sum. cap.* 14.§.33.Nauarr.*lib.*2. *de Restit. cap.*4.*art.*3.*dub.*5. & aliorum.

16 Quotiescumque factum externum contra legem, excusatur à peccato propter aliquam circunstantiam, potest rogatus iuridicè de illo sub iuramento illud negare, intelligendo de crimine criminoso, seu de opere quod fuerit peccatum. Vt si quis occidit hominem putatum feram, vel ob iustam sui defensionem: vel quodcumque aliud opus fecit ex ignorantia inuincibili excusante à peccato, vel quid simile. Nam interrogatio Iudicis solùm tendit ad opus quod sit crimen, quale non fuit illud legitimè excusatum à culpa.Banhes *vbi supra, q.*69. *art.*2. *dubio penultimo*,& alij. Vnde colliges quod quando taxa alicuius rei est iniusta, si pluris vendens, aut defraudans in pondere,

vel

vel mensura, vt sibi satisfaciat pro iniustitia pretij, potest hic rogatus à Iudice an pluris vendiderit, vel defraudauerit in pondere, vel mensura, id negare: & asserere se vendidisse pretio taxato, videlicet pretio iusto quod ab ipsa iustitia debebat taxari: hæc enim est mens Iudicis ibi iustè, & iuridicè interrogantis, videlicet quærere de pretio iusto. Et ex hoc multi decidentur alii casus, vt quando aliquis per iustam compensationem rem suam, vel sibi debitam clam abstulit, & de hoc rogatur à Iudice. De illo etiam qui nummos accepit mutuatos à Petro, eosque illi soluit, non tamen habet testes, neque chirographum solutionis. Si enim rogetur à Iudice potest iurare se illos mutuò non accepisse, intelligendo ita, vt teneatur nunc iterum soluere. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *quæst.* 5.

17 Si ab aliquo petatur incusso metu vt iuret se facturum aliquid quod est peccatum, potest iurare se id facturum intelligendo intra se, si id licitè poterit absque peccato. Tolledo *libr.*4. *Summ. capit.*21. *num.*9.

18 Si Iudex iniquus roget testem an sciat de delicto facto publicè, vel secretò, vel reum interroget an fecerit publicè, vel secretò, poterit vterque respondere, non feciſſe intelligendo ita vt teneantur dicere: vel intelligendo, vt tu iniquè rogas, sed vt teneris tamquam Iudex rogare. Banhes *loco posterius citato*, & alij. Idem dic cùm quis venit de loco non infecto peste, quem Iudex falsò credit esse infectum peste: & rogat venientem, an veniat de illo loco, siue sit peste infectus, siue non.

19 Solent aliquando aliqui Religiosi satis scrupulosi vocati ad testimonium ferendum, timere iuramentum, ne fortè maneant periuri. Quæres, an isti coram

Iudice possint habere intentionem non iurandi, nec se obligare illo iuramento propter scrupulos vitandos? Respondetur, quòd peccabit mortaliter, si fingat se iurare, & non iuret subticendo verba iuramenti, quando inde resultaret damnum notabile alicui. Si verò nullum damnum inde resultaret, neque scandalum, & tabellio cum astantibus intelligerent illum iurare, non peccaret, si duceretur reuerentia iuramenti, & scrupulo fingens se iurare. Nam iste talis aliàs verum dicit in testimonio, vt suppono, & nulli damnum infert, vt etiam diximus, nec fraudem molitur.

20 Rogatus iuridicè, an aliquod crimen commiserit, quod re vera fecit: sed non fecit per se, sed per alium iubendo; non potest negare id feciſſe, eo quòd fecerit per aliũ. Erit enim periurus: nam regula generalis est: *quod per alios facimus per nos ipsos facere dicimur*, & sic ibi non valet illa æquiuocatio. Azor. *cit. libr.* 11. *c.* 8. *q.* 2.

21 Sed grauis quæstio est, an si reus negauit veritatem coram Iudice sub iuramento in casu quo tenebatur sub mortali illam fateri, vel texit amphibologiis, possit absolui à Confessore absque eo quod se Iudici iterum offerat ad illam fatendam, etiam si non vocetur? Pro responsione nota in triplici casu posse hoc dubium proponi. Primò quando reus iam fuit à Iudice punitus, vel absolutus, vel fugiens à carcere est iam positus extra Iudicis potestatem. Secundò, quando adhuc iudicium durat, & reus est sub Iudicis potestate. Tertiò quando conuictus, & damnatus fertur ad patibulum. Et de primo casu omnes fatentur non teneri iterum se offerre Iudici, quia tunc se proderet, quod durissimum est: & iam est liber à potestate Iudicis. De tertio casu, & de secundo iam supra diximus, ver. *Reus à n.* 5. ibi vide.

22 Po

22 Potest Iudex seruato iuris ordine petere iuramentum à reo, si aliter probari nequeat: quamuis sciat, vel timeat reũ falsò iuraturum. Idem est licitum actori si conducat ad suam iustitiam, vt praxis obseruat. Neque in hoc peccant: non enim adigunt reum vt falsò iuret, sed petunt ab illo id quod ille potest bene facere, iurando verè: & aliàs petunt id quod est necessarium ad iustitiam, vel proprium commodum. De Iudice est opinio communis, maximè Rodrig. *tomo* 1. *in secunda editione cap.* 191. *n.* 6. & aliorum. De actore id aliqui negant, sed tenet probabilius Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Iuramento capit.* 4. *num.* 13. & alij, &, vt dixi, praxis obseruat in iudicio sæculari, vbi actor reo debitori petit exhiberi iuramentum in defectum probationis. At extra iudicium persona priuata non potest petere ab alio, vt sibi iuret si probabiliter timet illum falsò iuraturum. Est etiam communis Doctorum.

23 Si ego scio probabiliter, & moraliter Petrum in iudicio iuraturum id quod re vera est falsum, sed scio Petrum bona fide credere id esse verum, & iuraturum bona fide; non possum illum inducere ad sic iurandum. Nam etiamsi iurans non iuret falsum sua opinione, tamen in rigore iurat falsum, & proinde ego induco vt Deus adducatur in testem falsitatis. Si verò ille se offert ad sic iurandum bona fide, & ego non induco, & mea interest, non pecco consentiendo, quia non induco, & habeo me passiuè. Sanchez 3. *Decalog. cap.* 8. *num.* 10.

24 Iam diximus supra iurantem se facturum rem quæ est peccatum, non obligari ad tale iuramentum per *regulam iuris* 58. Nunc adde, quod si taliter iurans impleat postea rem illam malam vt seruet iuramentum, facere nouum peccatum mortale, vel veniale

iuxta qualitatem operis, & hoc peccatum est distinctum à primo iuramento. Itaque si quis iurauit se interfecturum hominem, eumque postea interficiat vt seruet prius iuramentum, fecit triplex peccatum. Primum, quando prius malè iurauit. Secundum, quando exequitur illicitum iuramentum, est enim noua culpa sacrilegij. Tertium peccatum est idem homicidium. Si verò iurauit se facturum peccatum veniale, fecit triplex peccatum, & erit triplex peccatum veniale.

25 Pro re quotidiana aduerte iuramenta parentum, dominorum, Prælatorum, & similium Superiorum cùm iurant se punituros filios, seruos, vel subditos, communiter non obligare: quia vt plurimum non fiunt ex actu virtutis, sed ex passione iræ, vindictæ, & similium. Et hoc magis erit verum si filius, vel subditus, vel seruus emendati sint, vel petant misericordiam. Tolled. *lib.* 4. *Sum. cap.* 22. *num.* 7. Sayro *Clau. Regia. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 13. & alij. Excipe, si aliàs punitio valde conduceret ad bonum commune, vel ipsius delinquentis, tunc enim obligaret iuramentum, quia materia tunc est grauis, & obligatoria. Neque item obligant iuramenta facta vrbanitatis gratia. Vt cùm duo ad ingressum domus, vel in egressu, iurant, non præcedam, vel quid simile: hæc enim iuramenta imbibunt tacitam conditionem, nempe, quod ad me attinet non præcedam, & sic de cæteris.

26 Et quia non possunt percurri omnes casus, in quibus iuramentum obliget, vel non obliget: regula generalis illa supradicta sit de *Regulis in* 6. vbi dicitur, *non esse obligatorium iuramentum contra bonos mores.* sic est intelligenda: vt scilicet non obliget iuramentum contra bonos mores prohibitos lege diuina, vel naturali, & quando talis impletio fieri non potest absque peccato mortali, vel veniali. At si quis iuret

contra

contra bonos mores ciuiles, id eſt, prohibitos lege ciuili, non obligante ad culpam, & cùm impletio talis iuramenti poteſt fieri abſque peccato, tunc obligat tale iuramentum: verb. grat. iuraui me furaturum rem notabilem, vel dicturum mendacium: non obligat iuramentum, quia non poſſum implere abſque peccato mortali, vel veniali, & eſt contra bonos mores lege diuina, & naturali prohibitum. E contra iuraui me ſolutùrum vſuras, vel daturum latroni centum aureos ne me occidat: obligat iuramentum, quia illa duo poſſum implere abſque peccato: dare enim illa duo non eſt peccatum: & licèt lex Eccleſiaſtica prohibeat vſuras, non prohibet quin ego illas ſoluam iuramento facto de illis ſoluendis, & ſic de aliis exemplis, ac proinde ſi non petatur diſpenſatio talis iuramenti, obligat ſic iurantem. Eſt communis Doctorum, vide Rebel. *lib.* 1. 2. *pàr. lib.* 9. *num.* 1. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 6. *fin.* Dicitur verò hoc iuramentum de ſoluendis vſuris, & ſimilia iuramenta, eſſe ſolùm contra bonos mores ciuiles, quia res promiſſa aduerſatur moribus ciuilibus inſtitutis per leges ciuiles non obligantes ad peccatum. Talia etiam ſunt iuramenta quibus renuntiatur futuræ ſucceſſioni, & iuramenta minorum impuberum, quibus prohibetur facere contractus & ſimilia quæ res promiſſæ licèt prohibeantur fieri, non obligant ſub mortali: ſi verò accedat iuramẽtum, obligat iurantem in conſcientia non contrauenire.

27 Si proferens verba iuramenti exterius, habet interius intentionem non iurandi, idque in promiſſione facta homini, non obligatur implere ex vi iuramenti: obligatur tamen ratione ſcandali, vel ratione damni dati alicui. Prior pars pater, ex regula illa cõmuni, quod actus actiuorum non extenduntur vltra intentionem agentis, & iſte non intẽdit iurare. Et præterea in ſimili,

quia proferens verba voti, si non intendat vouere,non vouet. Secunda pars patet,quia scandalum semper est vitandum,& nocumentum proximi nunquam est licitum. Si verò quis intendit iurare , sed intendit se non obligare iuramento , nihilominus obligatur : quia ille sua intentione sola non potest impedire effectum iuramenti , qui effectus est inducere obligationem. Sicut etiam qui intendit vouere, sed non intendit se obligare,nihilominus voto obligatur. Si verò sic iurans, neque intendens se obligare,simul proponat non impleturum,iam est periurus , quia iurat falsum. Vide Suarez *tom.2. de Relig. tract. de Iura.lib.2.c.7. n.5. & seqq.* Henriq.*lib.11.de Matr.c.13.n.2.* Rodrig.1. *tom.Summ.* supra *c.191.n.4* & alios ab his citatos.Et quamuis Sanchez *cit.lib.3.Decal.c.10.n.8.* oppositum dicat cum aliquibus, quos citat , de intendente iurare,& non intendente se obligare:at probabilior videtur opinio Rodr. & aliorum , & securior propter rationes proximè adductas.

28 Iuramentum extortum per metum grauem obligat in conscientia.Est expressè definita *c.si verò,& c.verum.de iniuriis,&c. & c.ad audientiam.de iis quæ vi.&c.* Est tamen hoc iuramentum facile dispensabile ab Episcopo.Et cum Religiosis poterit dispensare suus Superior, vt patet ex supradictis,& ex *supra.verb. Dispensare, & verb. Prælatus.* At votum , & Matrimonium , si fiant ex metu graui,non valent,vt omnes Doctores fatentur , in materia de voto , ac de matrimonio. Si autem quæras quare non valeat votum,& matrimonium metu graui factum , valeat autem iuramentum per metum illicitum ? Ratio facilior & communior est, quia Ecclesia ob iustas causas hoc annullauit in voto, & matrimonio,vt patet ex textibus allegatis à Doctoribus tractantibus illas duas materias : at Ecclesia non annulla

annullauit iuramentum factum per metum circa rem aliàs licitam : imò præcepit illud seruari , vt patet in textibus citatis. Qui verò taliter iurant per metum, oportet habeant animum implendi, ne sint periuri : si verò habeant animum non implendi , quia proponunt prius petituros se relaxationem voti, tunc non peccabunt.

29 Quæris , fecit quis professionem solemnem in Religione per metum , quæ est de iure inualida : sed postea illam confirmauit iuramento etiam extorto per metum : an illud iuramentum obliget nulliter professum?Respondent,non obligare, neque reualidare professionem. Ita Sanchez *citato lib.*3. *Decalog.c.*11.*n.*24. non dat causam. Hæc esse potest,quia accessorium sequitur naturam principalis,vt dicitur in *Regul.iuris*.ibi autem iuramentum est accessorium , principale verò est votum : cumque hoc sit nullum iuramentum voti istius,accessorium etiam erit nullum , id est, non obligatorium. Addit *ibidem* Sanchez duo consideratione digna pro quotidianis casibus.Primum est,quod si votum simplex Religionis metu factum , iuramento postea confirmetur , tale iuramentum non ratificat illud votum. Cùm enim votum illud simplex Religionis ordinetur ad professionem , imò obliget ad illam,quæ futura est inualida , nemo tenetur ad faciendum actum innalidum.Secundum quod addit est,quod cætera vota simplicia metu facta,si postea iuramento confirmentur,sunt valida : ratio est, quia in aliis votis non requiritur tanta libertas,quanta requiritur in voto Religionis.

30 Iuramentum quod faciunt Rectores , & Consiliarij in congregationibus de seruando secreto ibi tractato,non obligat illos ad illud seruandum in quauis re modica sub mortali,sed iuxta grauitatem , vel qualitatem

tatem materiæ detectæ: si enim materia sit grauis, erit mortale: si verò leuis, veniale. Atque idem dicendum est si quis alteri iuret se illi seruaturum secretum: non enim peccabit mortaliter detegendo, si materia sit valde leuis. Nauarr. *in Sum. cap.* 12. *num.* 23. & D. Anton. 2. *par. titul.* 19. *cap.* 8. § 3. Nam transgressio iuramenti in materia veniali est solùm peccatum veniale, vt probat cum multis Sanchez *lib.* 3. *Decalog. cap.* 4. *num.* 23. Hoc idem applica ad Religiosos tempore Capituli, quibus in diffinitorio Prælatus præsidens iubet sub obedientiæ præcepto ne reuelent tractata in diffinitorio; obligabit enim ista obedientia modo proximè dicto pro qualitate materiæ. Non enim plus obligat præceptum obedientiæ, quàm iuramentum.

31 In Academiis quando Rector præcipit scholasticis vt tali die, in tali Ecclesia assistant Missæ, ac Diuinis Officiis, idque sub pœna præstiti iuramenti, si non interssint, non peccant mortaliter ob violatum iuramentum. Est enim illud præceptum benignè interpretandum, vt non sit mens Rectoris illos in tali re velle obligare sub mortali. Rodriguez 2. *tom. Sum. cap.* 9. *num. vltimo.* Azor. *tom.* 1. *libr.* 11. *cap.* 8. *quæstion.* 11. Censetur enim illa materia leuis. Secus si Rector aliquem scholasticum in speciali vocaret pro re graui sub pœna præstiti iuramenti. Hoc idem extendo ad confratres alicuius Confraternitatis, in qua iurant quòd aderunt vocati ad cœtum illum cùm per campanam moniti fuerint, vt in speciali est confraternitas Misericordiæ in Portugallia: tales enim confratres, si vocati fuerint campana ad speliendum aliquem confratrem, non peccabunt mortaliter, si non veniant: censebitur enim illa materia leuis iuxta prædicta.

32 Iurans

igitized by Google

32 Iurans se seruaturum statuta alicuius Communitatis,non peccat mortaliter illa violando,si illa iam ob aliquam causam non obligant:vt quia in principio recepta non sunt ; vel quia in desuetudinem abierunt. Nam iuramentum illud eo tendit vt teneatur seruare statuta valida. Hoc ipsum applico ad Religiosos , quibus in sua Religione præcipitur sub obedientia seruare aliqua statuta , erit enim eadem doctrina seruanda ob rationem tactam *num.præcedenti*.Illud verò de iuramento tenet Sylvest. *Iuramentum* 4. *quæst.*23. Nauarr. *in Summ. cap.*25. *num.*23. & est communis. Idemque dicendum est siue iuramentum præstetur de seruandis statutis in communi , vel de aliquo tantùm particulari , si illud iam non sit in vsu , vel non sit receptum. Et eadem ratione dices de statuto particulari præcepto seruari sub obedientia , si tale statutum non fuit receptum,vel non sit in vsu.

DE IVRAMENTO de futuro.

33 IVramentum de futuro alicuius rei faciendæ, vel concedendæ,non extenditur nisi ad ea de quibus verisimiliter cogitatum est , vel iure optimo cogitari debuit.*c. Quinta vallis. de iureiurando.* Nam iuramentum non extenditur vltra debitam iurantis intentionem.Est communis Doctorum.

34 Iuramentum aliquid faciendi, aut omittendi intelligi vel regulari debet ex causa subsistenti tempore quo factum est : secus si noua causa superueniat. Exempla obuia sunt in multis rebus quæ mutantur ab illo statu in quo erant tempore quo factum est iuramentum.Vnum particulare sit.Iuraui me non offensurum Petrum:post iuramentũ contigit illum denuo me offende

offendere:mutatus est status rerum,ac proinde si illum denuo offendam,non ero reus præteriti iuramenti violati; ero tamen reus iniuriæ illatæ.Item nota quod iuramentum de futuro restringendum est; vt quantum fieri potest,minus obliget. Sanchez *lib.1.de Matr.disp. 9.num.11.*

35 Promisi Petro me illi daturum decem sub iuramento: si ille mihi debet alia decem,possum non soluere decem vtendo compensatione,quia illa compensatio censetur quædam solutio. Sic Bartol. Baldus,Cuman. Faber, & alij Iuristæ quos sequitur,& citat Cou. *de pactis 1.p.§.n.9.& 10.*& alij.

36 Iuramentum semel iam factum non potest postea extendi ad aliam rem nouam, etiam ex voluntate iurantis, nisi illud denuo iuret: Ita habetur expressè *cap. penult. de iureiurando.* Probatur, quia velle iuramentum suum extendere ad alium casum non est iurare. Et sic ad nouum illum casum non obligabitur ratione iuramenti: poterit tamen obligari ratione promissionis.

37 Actus facti contra iuramentum, si aliàs sint licíti, & non annullati lege, regulariter valent. Vt si quis iuret se non contracturum matrimonium: non reuocaturum testamentum, non reuocaturum procuratorem, & sic de cæteris: valent hi actus, quidquid sit de periurio. Vide Azor.*lib.11. tom.1.c.6.q.3.*& ibi citatos. Dixi, *regulariter*, quia si actus gestus contra iuramentum de iure est inualidus, iuramentum superueniens, seu actus factus contra illud ius,erit inualidus:nam iuramentum non potest validare actum; quem ius, seu leges reddunt inualidum.

38 Iuramentum ita interpretandum est vt non redundet in detrimentum alterius, vt si quis iurauit se seruaturum secretum:non tenetur seruare si id sibi,vel aliis

aliis poſtea nocet. Habetur *ex capit. ſicut noſtris. de iur. iur.* & Sylueſtr. *Iuramentum 4. quæſtion.* 15. & aliis.

39 Iurans ſe non luſurum, ſi abſolutè intendit, omnino abſtinere à ludo, non poteſt ludere etiam in parua quantitate recreationis gratia:Nam etiam hic paruus ludus in illo iuramento continetur: idque verius erit, ſi quando iurauit, particulariter intendit non luſurum etiam in parua quantitate.Et licèt aliqui dicant iurantem non ludere abſolutè, poſſe poſtea ludere in parua quantitate recreationis gratia: mihi opinio non placet, tum quia patet illi porta, & occaſio, vt ludat in magna quantitate: tum quia illud propoſitum non ludendi ſine limitatione æquiualet propoſitioni indefinitæ: & hæc in iure æquiualet propoſitioni vniuerſali. Adde quod in logica dictio, *non*, quidquid poſt ſe inuenit negat. Inclinat in hanc propoſitionem Sanchez *3.Decal.cap.* 18.Qui tandem ibi *num.*3.ait ex ſup. iam dictis, quod hoc iuramentum pendet ex iurantis expreſſa voluntate ſi illam habuit: ſi verò expreſſam non habuit,coniicienda eſt ex fine iurantis. Si enim finis iurantis fuit punire ſua peccata & abſtinere ab illa delectatione ludi: credendum eſt omnem ludum illi eſſe interdictum. Si verò finis iuramenti fuit iactura pecuniæ multæ, credit licitum illi eſſe ludere recreationis gratia in parua quantitate:hic enim finis videtur à iurante intentus, niſi ſit periculum incaleſcendi in ludo, & ludendi in maiori quantitate: Quod tandem recidit in id quod prius dixi. Si item finis iurantis fuit vitare diſcordias, vel blaſphemias ex ludo ortas, nunquam omnino licebit etiam in parua quantitate ludere cum illa occaſione.

40 Iurans ſe non luſurum poteſt mutuare pecunias ludenti: poteſt ludo aſſiſtere, poteſt ibidem alium in ludo

ludo docere : poteſt, inquam,hæc omnia,quia iſta tria non iurauit, neque illa includuntur in illo iuramento. Poteſt etiam alteri dare nummos,vt ſuo nomine ludat, niſi expreſsè conſtet illum tempore iuramenti intendiſſe etiam non ludere per alium. Probatur eadem proxima ratione : poteſt etiam aſſiſtens ludo ſponſiones facere (vulgo *apoſtar , ou armar defora*) hæc enim omnia non ſunt ludere,nec directè includuntur in illo iuramento. Et hactenus dicta de iuramento de futuro ſuo modo intelligenda ſunt etiam de voto de futuro: æquiparantur enim votum, & iuramentum de futuro, etiam quo ad ludum.

41 Iuramentum, aut votum non ludendi cum certa perſona,vel in domo determinata, vel in deſignato ludo, manente libertate , vt cum aliis perſonis poſſit ludere,& aliis ludis,hæc, inquam, iuramenta de ordinario non obligant: quia ſunt de re indifferenti:quale eſt votum de non filando die Sabbati cum libertate in aliis laborandi:& non edendi caput animalis in honorem Ioan. Baptiſtæ cum libertate veſcendi aliis carnibus. Dixi , *non obligare de ordinario* , quia obligabunt quando illa fiunt vitandi alicuius mali occaſione : vt quia talis perſona eſt nimis iracunda, vel ludit in magna quantitate,vel quia in illa domo fiunt offenſæ Dei, & ſic de cæteris. Vide Nauarr. *in Summa cap.* 1. *n.* 28. *fin.* Vide etiam Sot.7.*de Iuſt.quæſt.*1. *art.*3.*col.*6. vbi dicit votum non ludendi cum aliquo , vel non ludendi carthis , vel non ludendi in tali domo , ſi illa non ſunt occaſio alicuius mali ipſi iuranti , neque aliqua exiſtit cauſa alicuius boni, non obligare : ſecus ſi ſint occaſio mali. Si quis verò vouit non luſurum cum tali perſona,vel in tali domo ob vindictam alicuius, votum non valet,vel iuramentum non valet, quia non fit in honorem Dei,ſed dirigitur ad propriam vindictam. Si verò

iuret,

iuret,aut voueat,nullo ludo luſurum, niſi tali deſignato,tenet votum,quia poteſt dirigi ad honorem Dei carentia cæterorum ludorum.

42 Si quis iurauit, vel vouit non luſurum cum tali perſona eo quòd nimis perita ſit, vel ſibi ipſi ſit cauſa rixarum, poterit ludere cum multis ſumendo illum pro comite,vel cum pacto inito cum illo quod quo ad ambos ceſſabit lucrum vel iactura:(vulgo *ir forros*)Nam data hac conditione ceſſat finis prædicti iuramenti, & proinde illud non obligat.

43 Omnes illi qui poſſunt irritare vota ſubditorum, poſſunt etiam irritare,ſeu ralaxare iuramenta illorum, ſi ſint ſolùm facta Deo. Vnde Prælati religionum poſſunt relaxare omnia iuramenta ſubditorum facta Deo. Nam huiuſmodi iuramenta habent naturam voti, & patet ex *c.3.Num.* vbi Deus æqualiter dedit poteſtatem patri, & marito poſſe diſpenſare, ſeu relaxare vota, & iuramenta.Et eſt communis:vide Azor. *tom.1.lib.11.c.10.in fine*,& Petr. Ledeſm. *2.tom.Sum.tract.11.c.4.* Requiritur autem iuſta cauſa,vt diſpenſatio detur,ſeu potius relaxetur iuramentum, vt omnes affirmant. Illæ verò cauſæ quæ ſufficiunt ad diſpenſandum votum, ſufficient ad relaxandum iuramentum,de quibus cauſis dixi ſupra *ver.diſpenſare.*

44 Si iuramenta abſoluta fiant caſtitatis, religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, vel Romanæ, quorum vota Papæ reſeruentur, dubium eſt an etiam prædicta iuramenta Papæ reſeruentur,ita vt Epiſcopus nequeat in illis diſpenſare? Alij negant, alij affirmant, Sanchez *lib.8.de Matrim.diſp.13.num.3.*ſic diſtinguit:ſi talia iuramenta fiant cum animo promittendi Deo, tunc induunt rationeem voti,ſeu claudunt, & confirmant votum,& proinde ſunt reſeruata,ſicut ipſa vota. Si verò non fiant animo promittendi, neque vllam

promiſſionem includunt, quia iurans non habuit intentionem promittendi, ſed ſolùm aſſerendi, tunc non ſunt reſeruata Papæ, ſed Epiſcopo, quia ſunt pura iuramenta aſſertiua, & non vota. Vide Lopez 2. *part. Inſtruct. cap.* 9. *col.* 6. & Valentia 2.2. *diſput.* 6. *quæſt.* 7. *punct.* 2.

45 Qui poteſt commutare vota, poteſt etiam commutare iuramenta: Eſt enim vtrobique par ratio. Vnde is qui iurauit aliquid ſoli Deo poteſt per ſe ipſum illud iuramentum commutare in rem euidenter meliorem: ſicut communis opinio tenet poſſe vouentem ſuum votum commutare propria authoritate in rem euidenter meliorem. Ita Tolledo *lib.* 4. *Sum. cap.* 23. *num.* 3. Aragon 2.2. *quæſt.* 89. *art.* 3. *dicto* 5.

46 Hactenus in ſupra dictis diximus de iuramento, quod fit ſoli Deo: à quo nimis differt iuramentum factum homini, vel cedens in vtilitatem alicuius hominis acceptantis: hoc enim difficilius relaxatur, vel diſpenſatur etiam à Papa, abſque iuſta cauſa, niſi is cui factum eſt, cedat iuri ſuo ſeu ſuæ vtilitati: non ſolet enim Papa cuiuis auferre ius ſiue proprium intereſſe, niſi in paucis, vt v.g. poteſt reſcindere iuramenta circa rerum Eccleſiaſticarum, vel officiorum Eccleſiaſticorum diſtributionem, quod in rigore eſt illas res ſcindere indirectè, poteſt etiam Papa indirectè relaxare iuramenta vaſſallorum quibus iurarunt fidelitatem Regi, vel Principi ſuo poſtquam incidit in hæreſim. *cap. ad Apoſtolica. de ſententia & re iudicat. in* 6.

47 Si filius, vxor, ſeruus, vel ſubditus præſtent iuramentum alicui in fauorem illius, & pater, maritus, dominus vel Prælatus poſſint irritare contractus illorum, poſſunt etiam irritare iuramenta quibus tales ſubditi illos contractus firmarunt. Nam & ſi id in alterius

præ

præiudicium vergat, illi vtuntur iure ſuo tollendo materiam iuramenti, ſecus quando non poſſunt contractus illos irritare. Ita Sotus *lib.*8.*de Iuſt.quæſt.*1.*art.*9.& Petr. Ledeſm.2. *tom. Summ. tractat.*11. *cap.*4. *dub.* 1. Exemplum in Religioſo ſit.Prælatus Regularis poteſt irritare quancunque promiſſionem factam à Religioſo cuiuis homini, & iuramento confirmatam. Nam Religioſus carens voluntate propria nihil validum poteſt efficere abſque Superioris conſenſu. In vxore reſpectu viri eadem fere eſt ratio, cùm enim vt plurimum, nequeat contractus validos inire abſque licentia viri,maximè ſi cedant in præiudicium viri, etiam ſi vxor aliquem ſic contrahat, & firmet iuramento, poteſt maritus irritare. Secus ſi contractus non vergat in præiudicium viri: vt ſi mulier promittat,& iuramento firmet poſt mortem ſuam, vel poſt mortem viri donaturam certum quid: hoc enim promiſſum iuramento firmatum,valet. Gutierrez *de iuramento* 1. *part. cap.* 1. *num.* 34. Eadem iuramenta poſſunt irritare parentes, & tutores circa filios, & pupillos ante annos pubertatis circa contractus cum homine initos. At verò ſi illos contractus faciant poſt pubertatem, & firment iuramento, non poterunt relaxare. De dominis reſpectu ſeruorum dicendum eſt poſſe illos relaxare omnia ſeruorum iuramenta facta in præiudicium dominorum. Si verò dominis non præiudicent, ſeruus obligatur naturaliter in iis quæ domino non præiudicant.

48 Si homo cui factum eſt iuramentum,illud remittat,ceſſat omnino iuramenti obligatio. Eſt communis omnium,nec indiget probatione. At Sum. Pontifex,vt dixi ſupra,hoc non poteſt directè vel abſque iuſta cauſa,quia ſuauis Eccleſiæ gubernatio intendit reddere cuique ſuum, non verò ſuum à quouis auffere. Intelligitur

gitur præcedens dictum, quando iuramentum factum est homini ob solum commodum,& vtilitatem ipsius: si autem iuramentum fiat homini,sed præcipuè in honorem Dei,non poterit illud relaxare homo cui secundariò factum est. Exemplum sit quando duo, adinuicem sibi promittunt, & iurant se ingressuros esse religionem:tunc enim iuramentum fit primariò in honorem Dei,secundariò,& remotè præstatur homini. Eadem ratio est de iurante daturum se eleemosynam pauperi in honorem Dei:non potest enim pauper hoc iuramentum remittere.Semper enim in opere est attendendum quod est principale:in illis verò duobus exemplis Deus est intentus principaliter, & proinde iuramentum factum Deo non potest homo relaxare. Ita D.Thom.2.2.*q.*89.*art.*9.*ad* 2. Sylu.*iuramentum* 5.*q.*& Azor.*lib.* 11.*cit.ca.*9.*q.*9.& alij.Idem erit de iuramento quod duo faciunt ad inuicem de non furando, de non fornicando,& similibus.Limitantur supra posita exempla, maximè de ingressu Religionis, quando id iurans iurauit principaliter intuitu Dei,& Religionis;si enim non iurauit hoc intuitu, sed quia id cogitauit gratum fore amico,& solùm gratia illius id iurauit,poterit tunc amicus relaxare illud iuramentum, quia tunc principaliter iuratum est propter amicum. Et sic de aliis.

49 Quid si iuramentum sit præstitum in honorem Dei,& tamen res promissa tota cedit in vtilitatem partis seu hominis:vt si iurat fœminæ illam ducturum in matrimonium propter Deum, & quia est pauper: an possit fœmina illa relaxare,ac remittere hoc iuramentum?Duplex est opinio, alia affirmat, alia negat:id tractat Sanchez *lib.*1.*de Matrim.disp.*52.*à num.*7.vbi dicit vtranque esse probabilem. Sed partem affirmatiuam iudicat probabiliorem,quod scilicet possit fœmina remittere,vide *ibi.*

50 Præ

50 Prælatus Eccleſiaſticus infra Papam, non poteſt relaxare iuramentum factum homini, niſi quando interuenit turpitudo in actu, vel quando is cui fit iuramentum tenetur reſtituere rem iuramento acceptam. Hæc eſt communis ſententia: ac regula generalis. Sotus 8. *de Iuſt. q.* 1. *art.* 9. *ad* 2. & alij. Quod adeo verum eſt vt iuramentum quod quis facit homini de illi dando certum quid, non poſſit iurans commutare in melius inuito illo cui promiſit, quia vnum pro alio inuito creditore ſolui nequit. Imò neque Papa hoc ſolet commutare inuita parte, niſi ex magna cauſa. Imò ſi iuramentum homini præſtitum non cederet in vtilitatem priuatam illius, ſed boni communis, talis homo priuatus non poſſet illud remittere, ſed is qui habet curam boni illius communis. Et hoc quod dixi de Prælatis Eccleſiaſticis, non intelligas de Prælatis Religionum, de illis enim diximus ſupra *n.* 36. illi enim poſſunt quæ *ibi* diximus. Sed dictum præſens intelligitur de Epiſcopis, & aliis infra Papam.

51 Quando etiam ex parte iurantis interuenit iniuria vel afflictio, vt quando iurat ſoluere vſuras, vel dare latroni metu extorquente iuramentum, poteſt Epiſcopus hæc iuramenta homini facta relaxare. Eſt etiam communis, quia per talia iuramenta non acquirit ius ille homo cui promittitur, quia ex parte illius interuenit turpitudo, & reſtituere tenetur. Et hoc de iuramento metu extorto, intellige id poſſe ab Epiſcopo relaxari, etiam ſi metus ſit leuis pro foro conſcientiæ. In foro autem externo eſt communior ſententia, quod non poterit relaxare, ſi fiat ex metu leui: de quo vide Sanchez 3. *lib. de Mat. diſp.* 10. *à num.* 7. & proderit hæc relaxatio ne in poſterum ſoluere teneatur. Si verò quis iuret latroni, vel vſurario ſe non repetiturum illas pecunias ab eis, adhuc poteſt ab Epiſcopo relaxari.

Digitized by Google

Imò etiam si iurauerit non se petiturum relaxationem illius iuramenti, potest illa concedi ab Episcopo ipso iurante non petente; nam si petat iam contrauenit iuramento; at vtens relaxatione data ab Episcopo se non petente, non peccat, quia non iurauit se illa non vsurum. Si autem iurauit se non denunciaturum Ecclesiæ, non poterit item denuntiare nisi in duobus casibus: primo, si conducat ad bonum commune quando latro vel vsurarius, valde infestant Rempubl. Secundo, quando is qui iurauit iuridicè à Iudice interrogatur.

52 Potest etiam Episcopus relaxare iuramentum quando dolus notabilis reperitur in contractu. Tunc enim interuenit turpitudo ex parte recipientis, vel recepturi. Vt autem in his Episcopus relaxet iuramentum opus est vt res sit clara: Si enim dubium sit, v.g. an interuenerit metus, dolus, vel an sit contractus vsurarius, non poterit relaxare. Vide Sanchez *lib. 3. Decalog. capit. 21. numer. 27.* vt verò Episcopus in his casibus prædictis possit relaxare iuramentum circa illos contractus, non est necessarium citare partem, id est, hominem cui præstitum est iuramentum: sufficit vt summariè constet de veritate, & probatur, quia contradictio partis non potest impedire illam relaxationem cùm sit in iure permissa. Hanc autem relaxationem, vt dixi, potest facere Episcopus solus. Et potest etiam Iudex Ecclesiasticus illius loci in quo fit contractus, *cap. final. de foro competenti*, & Canonistæ *ibidem*. Potest etiam Vicarius Generalis Episcopi: Debet etiam hanc relaxationem concedere Episcopus, vel iudex ipsius iurantis quando pars non est citanda: & hoc maximè locum habet quando relaxatio petitur in foro conscientiæ, hanc enim solum potest dare Episcopus ipsius iurantis, non verò eius cui iuratur.

53 Pro

Digitized by Google

53 Pro Religiosis aduerto eos licèt habeant priuilegium concessum, vt possint pœnitentibus commutare vota,& iuramenta, vt dixi supra *verb. confessor erga sæculares numer.* 26. & 27. talia vota non possunt commutare sæcularibus,neque talia iuramenta si sint facta homini in illius vtilitatem.Vnde ibi dixi posse illos illa iuramenta commutare absqùe præiudicio tertij; quod intelligitur de iuramento homini præstito:intelligitur ergo illud de iuramento Deo præstito:vide quæ diximus supra *hac ver.num.* 39.

LABORARE.

Vide supra verbo *Abbas,num.* 10.

EVgenius IV.concessit quòd sæculares absque peccato possint laborare in nostris Conuentibus, in die Sanctæ Crucis Septembris: in die Sancti Michaelis: in die Sanctorum Innocentium; & in die Sancti Syluestri.Excipit tamen dummodo prædicta festa,non veniant in Dominica; quia si venerint in illa non poterunt laborare. Habetur in Monument. Ordin. *primæ impressionis. folio* 61. Vnde videant Prælati se peccare mortaliter & facere peccare mortaliter alios, si contra prædictam explicationem, in aliiis festis, vel Dominicis inuitent, vel patiantur quod in suis Conuentibus sæculares laborent, etiam gratis. Sed vt licitè fiat, & magna necessitas vrgeat, debet obtineri licentia Ordinarij, vel potentis illam dare, Vicarij scilicet sui.

ADDITIO.

VIde supra *verb. Festi dies numer.* 2. vbi diximus

Digitized by Google

quomodo possit frangi festum per opera seruilia parua, sed sæpius repetita in eodem die. Et alia ibi pro eodem intento. Nunc adde, quòd si aliquis imperaret multis hominibus vt in die festo singuli simul operarentur seruiliter, ita vt vnusquisque parum operaretur, vt per vnum quadrantem, opus autem resultans esset notabile: neque iubens, neque iussi peccarent mortaliter, quia iubens nulli in particulari fuit causa vt peccaret mortaliter, neque aliquis eorum operans pusillum peccauit mortaliter. vide supra *ver. ieiunium in fine*, simile exemplum de inducente multos in die ieiunij, vt comedant pusillum.

LAICI FRATRES.

Vide supra, *Horæ Canonicæ, num. 4. de laico ordinato, absque licentia Superiorum.*

1 POssunt tangere calices, & lauare corporalia, cùm expedierit, Compend. Minorum, *ver. Laici Fratres.* §. 1. Et hoc idem possunt laici fratres socij Generalium, vel Prouincialium cùm inseruiunt Missæ prædictis Prælatis, plicando corporalia, & calicem tangẽdo solùm quãdo sic inseruiũt hi socij. Eod. Comp. *ibid.* §. 3.

2 Laici fratres etiam olim homicidæ, & bigami, possunt ministrare Sacerdotibus celebrantibus, etiam vestiti superpelliceo lineo. Compend. D. Hieronym. Hisp. *verb. Laici fratres*, §. 2.

LEGATVM.

Vide supra verb. *Hæreditas, per totum.*

1 SIxtus IV. concessit Minoribus, id est, Prælatis illo

illorum, vt posſint commutare legata facta locis eiusdem Ordinis relicta ad vnum vſum, in alium vſum: dummodo hoc fiat ſine ſcandalo illorum ad quos pertinet ſolutio talis legati. Compend. Minorum, *verbo Legatum.* Et nota, quod non dicit, vt petatur licentia ab illo qui debet ſoluere: ſed ſolùm vt non ſcandalizetur. Vnde, ſi certò conſtet quod non ſciet, & proinde non ſcandalizabitur, poteſt fieri.

2 Legatum Minoritis non in perpetuum, ſed ad certos annos, octo, ſcilicet, vel nouem, eſt validum, & poteſt ab illis acceptari. Capucinus ſupra Compend. *in verbo Legatum*: & citat Cordub. Ancharran. & alios.

3 Eccleſiæ Minorum poteſt relinqui legatum annuum perpetuum, pro vino, cera, oleo, & ſimilibus, vt ſupra dictum eſt, *verb. Hæreditas*, ex Nauar. *num.* 5.

4 Non valet legatum relictum Monacho ſub conditione, ne ſcilicet Prælatus poſsit ſe in illud ingerere, impedire, vel in alios vſus mutare: ſemper enim bona ſubditi ſunt ſubiecta Prælato. Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 125. *art.* 2. *&* 3. De licentia tamen Prælati poteſt ſubditus acceptare, & diſpendere legata, dummodo non fiat contra Regulam, vel conſtitutiones Ordinis.

5 Relictum legatum ſubdito poteſt Prælatus conuertere in vſus communes Monaſterij, quod enim acquirit Monachus, acquirit Monaſterium.

6 Relictum legatum ab aliquo, vt conſtruatur Monaſterium in loco certo, non perditur, ſi in illo tali loco non poteſt conſtrui Monaſterium: ſed poterit cum tali legato alibi ædificari. Rodrig. *it. quæſt. art.* 10.

7 Licitum eſt legatum relictum Minoritis, etiam ſi ſit annuum, pro neceſsitatibus infirmorum. Rodrigu. *tom.* 2. *qu.* 126. *art.* 4.

8 Gregor. XIII. conceſsit Minoritis, vt Syndicus illorum poſsit coram Iudice petere legatum, pro Miſsis,

& diuinis Officiis relictum in illorum Monasteriis. Et quod Iudex ad Syndicorum instantiam, possit cogere executores testatorum, vt debita stipendia Fratribus soluant, refert Rodriguez *citat. quæst.* 126. *artic.* 4. §. *ad primum enim.* Nam hoc non est petere in iudicio via actionis, sed implorare officium Iudicis.

9 Minorsta potest suadere amicum, vel consanguineum, vt sibi aliquid in testamento relinquat pro libris emendis, si studet, & illis indiget. Et idem pro necessitatibus infirmorum. Rodriguez *Addition. ad Summ. tom.* 2. *fol.* 269.

10 Legatum relictum filiæ à patre si nubat viro nobili, & illa intret Monasterium, & fiat Monialis, debetur Monasterio: conditio enim illa, *si nubat*, reiicitur in fauorem Religionis, quemadmodum etiam in fauorem nuptiarum, reijcitur alia conditio; videlicet, *si non nubat*: & multo magis fauendum est Religioni, quàm matrimonio. Rodriguez *tom.* 2. *quæst.* 127. *art.* 1. Vide etiam Nauar. *lib.* 3. *Consil. tit. de testamentis, consil.* 9.

11 Paulus III. Compend. Societ. IESV concessit illi, quod si aliquando Sedes Apostolica de legatis piis à fidelibus relictis aliquid applicauerit ad aliquam causam piam, vel non piam: non intelligantur ibi comprehensa legata illis relicta à fidelibus, vel in illorum fauorem disposita nisi id in litteris Papæ de illis exprimatur per clausulam particularem, & non generalem. Illius Compend. *verb. Exemptio* §. 4.

ADDITIO.

Vide infra verb. *Redditus Annuales.*

DIxi supra *hoc eodem verb. num.* 1. Sixtum IV. concessisse Prælatis Minoritarum, vt legata sibi relicta

cta à defunctis pro vno vſu, poſſent conuertere in alium vſum, dummodò non ſit ſcandalum illorum ad quos pertinet. Nunc addo Leonem X. ampliando iſtam conceſſionem eiſdem Minoribus conceſſiſſe, vt idem poſſent facere de rebus donatis à viuentibus: vt ſcilicet datas pro vno vſu poſſint commutare in alium vſum, ceſſante pariter ſcandalo. Habetur conceſſio in Bullario Rodriguez *fol.733.col.2.in fine.*

2 Clemens VII. conceſſit Miniſtris Prouincialibus Ordinis Minorum, & Guardianis in ſuo Conuentu cum conſilio diſcretorum vt quando ſibi relicta fuerint legata quorum non ſunt capaces per ſuam Regulam, poſſint per ſuos procuratores, vel Syndicos componere, vel paciſci cum executoribus teſtamentorum, vel hæredibus circa prædicta legata, & inſtitutiones, ſicut illis viſum fuerit æquum, & iuſtum, vt ſoluant ſemel tantùm in peccunia, vel aliis rebus vna tantùm vice ipſis Fratribus pro illorum neceſsitatibus ſubleuandis, vel locis conſtruendis, & quod facta illa vnica ſolutione, hæredes authoritate Apoſtolica in perpetuum liberentur ad aliquid vltra ſoluendum. verb. grat. Reliquit aliquis redditus annuales tritici vel vini, non per modum eleemoſynæ præſentis, ſed ſub titulo perpetuæ hæreditatis ſoluẽdos Fratribus Minoribus ſingulis annis: quorum reddituum Minoritæ ſunt incapaces: conceſsit Clem. VII. vt poſsint prædicti Fratres paciſci cum hæredibus modo prædicto Habetur conceſsio in Bullario Rodr. *fol.761.* Quam conceſsionẽ citat Rodr. *tom.2. qq.Reg. qu.* 126. innuens poſſe hodie Minoritas frui prædicta conceſsione dummodo ſeruent illius formam, videlicet, vt Prælati per ſe tali pacto faciẽdo non ſe intromittant, nec per ſe exequantur, ſed ſolus ſyndicus, qui eſt procurator Papæ, id efficiat. Et quidem Papa qui eſt ſupra regulam noſtram id potuit efficere.

Ego

Ego verò multum dubito, imò credo non posse Minoritas hodie vti illa concessione : Nam imprimis illa concessio repugnat puritati nostræ regulæ, & paupertati, iuxta declarationes Pontificias Nicolai III. & Clementis V. insertas in corpore iuris, qui dicunt Minoritas esse incapaces illius hæreditatis. At per Syndicos illam hæreditatem vendere est illam acceptare, & illius dominium recipere, quod repugnat regulæ puritati, & prædictis declarationibus Pontificiis. Si verò illis repugnat, vt videtur pugnare: non possunt Fratres Minores hodie vti illa concessione Clementis VII. Nam in Capitulo Generali Tolletano anno 1606. totum Capitulum renunciauit omnibus concessionibus Pontificiis, quæ repugnarent puritati nostræ regulæ, & seruarentur ad vnguem declarationes regulæ editæ per dictos Pontifices Clementem V. & Nicolaum III. vbi docent prædictos Fratres esse incapaces prædictorum reddituum annualium : neque adhibent, nec concedunt, vt circa hæreditatem, vel legata, quorum sunt incapaces, possint paciſci modo concesso à Clemente VII. habet autem Capitulum Generale cum Generali, imò, & Prouinciale cum Prouinciali, authoritatem declarandi quomodo sit vtendum, vel non vtendum priuilegiis Pontificiis, vt dixi supra *verb. Generalis num. 5. & 6.*

De modo autem quo prædicti Minoritæ possint acceptare legata perpetua relicta à defunctis pro Missis quotidianis, vel aliis piis officiis decernitur in illorum statutis generalibus Tolletanis siue Barcinonensibus reformatis titulo de Redditibus annualibus. Et ibi decretum fuit desumptum ex D. Bonauentura, vt testatur idem statutum ; circa quod aduerto quod quamuis decernatur, Minoritas nullum habere ius ad illa legata relicta promissis, nihilominus,

minus, posse syndicos Conuentuum illa repetere coram iudice sæculari, vel Ecclesiastico : tum per concessionem Gregor. XIII. nobis factam, quam citaui supra *hoc verbo numero octauo.* Tum etiam per concessionem Martini IV. positam in Bullario, Rodriguez *folio* 93. vbi concedit Syndicis quod possint procurare per modos licitos relicta Fratribus in testamento. Modus verò licitus satis clarus est, vt procuretur coram iudice executore testamenti.

3 Supra *verb. Testamentum toto numero octauo*, dixi non posse Minoritam procurare, imò, nec acceptare legatum annuum sibi soli relictum à parentibus, vel amicis pro suis necessitatibus subleuandis. Nunc autem quia proprius hic locus est vbi agitur de legato relicto, idem repeto, & confirmo : tum ob rationes sufficientes, quas ibi adduxi : tum denuo, quia annuus redditus computatur inter res stabiles, apud Iuristas, vt praxis obseruat. Etenim clericus habens solum annuum redditum pecuniarium, censetur habere patrimonium ad Ordines. Ergo Minorita habens annuum redditum particularem, censebitur habere bonum stabile, quod est contra suam professionem. Et ob hanc causam quòd annuus redditus censeatur bonum stabile, & quod à Papa interdicatur Minoritis absolutè sine distinctione, tenet Azor. 1. *tom. libr.* 12. *capitul.* 23. *quæstion.* 15. Nec posse Minoritas in communi habere redditus annuales olei, vini, & ceræ pro sacristiis. Cuius oppositum nos diximus posse fieri supra *verb. hæreditas numer.* 5. ex Nauarr. *libr.* 3. *conf. titul. de testament. consil.* 13. Quod alij viderint, & licèt hoc pro Ecclesiis Minoritarum acceptetur, & sit in vsu, poterit fulciri, vtcumque per aliquas concessiones Pontificum, maximè illam Gregor. XIII. & Martini IV.

At

At nunquam Pontifices id permiſerunt, neque Doctores dixerunt de legato annuo relicto Minoritæ in particulari pro ſua ſuſtentatione. Imò vt hoc magis roboretur, quod ſcilicet poſſint Conuentus, & ſacriſtiæ, Minorum repetere illa legata annua olei, vini, &c. vltra Nauar. *citato loco*, tenet, ac idem defendit Rodriguez *tom. 2. quæſt. Regul. quæſt. 126. art. 5.* Vbi rationes affert, ac dicit idem expreſsè tenere Syluestrum *verb legatum 1. num. 4.* Vbi vides tres Doctores Nauarr. Syluestr. & Rodriguez tenere contra Azor, circa legata olei, vini, &c. relicta Eccleſiis Minoritarum. Qui tamen tres Doctores cùm id concedant pro Eccleſiis Minorum, non admittunt pro communitate ipſorum Fratrum. Ergo à fortiori multo minus admittent legatum annuum relictum particulari Minoritæ. Et in particulari quod Minorita non poſſit habere hoc legatum annuum, etiam in modica quantitate, tenet Rodriguez *citata quæſtion. 126. art. 2.* vide omnino infra *ver. teſtamentum numer. 1.*

LEX, SIVE LEGES.

Vide ſupra verbo *Correctio Fratrum, num. 51.* & infra *ver. Statutum per totum.*

1 LEges Epiſcoporum non ligant Religioſos, niſi quo ad feſtorum obſeruationes, interdicta, cæteraſque cenſuras obſeruandas pro quibus ferendis licentiam habent à iure. Trid. *ſeſſ. 25. c. 12. de Regul.* vide ſupra ver. *Feſti dies.* vbi dicitur de lege ieiunij ab Epiſcopo impoſiti.

2 Lex ciuilis de armis prohibitis non portandis, de nocumento non dando per animalia nociua, de locuſtis vitandis quando populantur, etiam agros Regularium,

Digitized by Google

rium, obligat etiam in conſcientia Regulares quatenus ciues ſunt, & in bono communi participant: non tamen debent conueniri coram Iudice ſæculari: & ita quaſi illos obligat illa lex quo ad vim directiuam: non verò quoad coactiuam. Rodriguez *tom.*1. *quæſtion.*66. *art.*2.

3 Violans legem Regularem, vel aliam quamcumque humanam malè illam intelligens, & bona fide faciens, non peccat mortaliter. Nau. *libr.*5. *Conſil. titul. de Simonia conſil.*46. *n.*3. id eſt, ſi putat ſe habere cauſam iuſtam.

4 Quando legiſlator ait in lege; *volumus obligare ex nunc*: citata lex obligat ſtatim à publicationis die, etiam ignorantes, quo ad nullitatem actus contrarij id eſt, ſi fiat oppoſitum ſtatim in illo die publicationis, eſt nullum vbique. Non tamen ligat ignorantes quo ad conſcientiam: eſt etiam certa, & patet, quia princeps id poteſt facere quo ad nullitatem externam actus. Et hoc verbo vſus eſt Sixtus V. in prima conſtitutione contra illegitimos annullando profeſſionem. Vide tamen infra ver. *Priuilegium n.*70.

5 Lex ſuperioris ex cauſa ab ipſo ſuperiore non præuiſa hîc, & nunc, poteſt licitè obuiari ab inferiori agendo contra ipſam. Tenet Rodrig. cum Bartolo, & aliis *tom.*1. *quæſt.*69. *art.*4. Et innuit hoc poſſe fieri ſiue illa noua cauſa iam extiterit, quando facta eſt lex, & Superior non aduertit forte morem patriæ & Prouinciæ: Siue illa cauſa noua poſtea ſuperuenerit ex caſu raro, & contingente inſolito. In hoc enim ſecundo, & fortè etiam in primo concurrit epichea, quæ tunc valet quando neceſſitas facti præſentis vrget: & Prælatus ſolus diſpenſaturus, abeſt: tunc enim præſumitur conceſſurus, ſi adeſſet. Si autem factum poteſt dilatari abſque periculo, & incommodo,

modo,& Prælatus poſſit adiri;ita fiat. Secus ſi neutrum habet locum.

Circa proximè dicta notat Rodriguez, *citato loco*, quod ſi Generalis committat alicui particulari Fratri, aliquod negotium peragendum in aliqua Prouincia: poterit nihilominus Commiſſarius Generalis ex noua cauſa non conſiderata per Generalem,impedire ne fiat tale negotium:& ſic in ſimilibus.Vnde ego primò colligo, quod idem poterit Prouincialis ob eandem cauſam. Secundò infero,quod etiam Prouincialis poterit agere contra ſtatutum Generale Ordinis, quando detur talis cauſa ſuperueniens, vel non conſiderata à ſtatuto Generali pro iſta Prouincia: maximè quando vrget neceſſitas, nec poteſt adiri Generalis: vtrobique enim concurrit eadem ratio. Et mandatum Generalis particulare, non minus obligat, imò magis timetur quàm ſtatutumGenerale,& proinde ſi poteſt in primo, poteſt in ſecundo.

6 Leges Pontificiæ,& Religionum ponentes priuationem ab officiis,& prælationibus actualibus ipſò facto,ſeu abſque vlla declaratione, non obligant tranſgreſſores,vt facto delicto deponãt officia per ſe ipſos; ſed poſſunt procedere. Semper enim debet expectari declaratio Iudicis, non de pœna: ſed de crimine, pro quo pœna eſt impoſita. Rodriguez, cum communi, *tom.1.quæſt.7.artic.16.*&Vega *2.part.verb.Leges caſu 7.* & Henriquez *tom.2.lib.13.cap.56.* dicens,quod prædictæ leges ſic loquentes intelliguntur de foro externo, non verò de interno.

7 Leges verò conſtituentes excommunicationem, priuationem vocis actiuæ, vel paſsiuæ, inhabilitatem, &c. priuationes ſtatim ſortiuntur effectum,& obligant tranſgreſſores etiam in foro interno,vt abſtineant ſe à diuinis,à ſuffragiis,& acceptandis officiis & ſimilibus.

eſt

est etiam communis, & Rodrig. *cit. loco.* Et patet, quia tunc Ecclesia non priuat delinquentem bonis suis, vt oporteat illum esse executorem suæ pœnæ: sed priuat illum bonis communibus non habitis. Excipe tamen si taliter excommunicatus, vel priuatus incurrat grauissimam infamiam abstinendo à prædictis: quia tunc ius naturale famæ præualebit positiuo de abstinendo, ad arbitrium prudentis, & timorati viri, iuxta infra dicenda ver. *Officia Ordinis.*

8 Quando superior aliquid mandat, etiam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vt aliquid fiat ab inferiore, si inferior videat id non congruere ob causam claram, & vrgentem, potest ab opere desistere, & superiorem admonere, neque interim mandatum exequi. Patet ex *c. si quando. de rescriptis*, vbi conceditur quod mandata Apostolica possint suspendi ob iustas, & vrgentes causas allegandas. Miranda latè *tom. 2. q. 26. art. 4. concl. 1.*

9 Lex fundata in præsumptione, si talis mala præsumptio cesset, id est, desit fundamentum in quo fundatur præsumptio, non obligat in foro interno, sed externo. Rodr. *tom. 3. q. 54. art. 6.* cum multis citatis. Intelige quando fundatur in præsumptione diffinitiua: si verò fundetur in præsumptione suppositiua, obligat in vtroque foro, v.g. præsupponit Prælatus ingressum alicuius domus sæcularis, esse periculosum, & scandalosum. Item ingressum cubiculorum intra Conuentum, esse dubium, & periculosum, in tali casu si Prælatus legem ferat de non intranda tali domo, vel cubiculis, obligat talis etiam ne intretur bono animo, & absque periculo, quia saltem res est dubia, & præterea peccabitur ratione scandali, neque sufficit cessare rationem mali, quo ad intrantem. Miranda *tom. 2. quæst. 25. art. 27. conclus. 3.*

10 Leges, seu statuta alicuius Religionis si contineant aliquid contra ius commune, vt quod non recipiantur ad Ordinem, solùm nati ex Christianis nouis non damnatis, &c. si confirmentur à Papa in communi, non confirmantur quo ad illud contrarium iuri communi, nisi specialiter exprimat Papa. Nauar. *lib.3.Consil.tit.de Reg.consil.5.n.10.*

11 Lex Canonica, & à fortiori Regularis per contrarium vsum abrogatur iuxta aliquos Doctores per quadraginta annos, iuxta alios per decem, & iuxta alios etiam infra decem annos ad prudentis arbitrium, neque opus est vt sciat Papa, vel legislator de contrario vsu, quia præsumitur quod ille non vult suam legem obligare contra consuetudinem, Suarez *tom. de legibus, lib.4. capit.16. numer.9.* & iuxta Rodriguez *tom.1.quæstion.6.artic.10.* sufficit quod subditi etiam in principio, videant legem non seruari à superioribus, vt subditi etiam in conscientia non teneantur, transacto sufficienti tempore ad arbitrium boni viri. Nam Papa, & Generalis ponunt executores suarum legum, inferiores Episopos, & Prælatos, ergo si isti vident, & tacent per tempus sufficiens, signum est quòd Papa, vel superior non vult subditos obligare. Applicat ibi exẽpla consolatoria in praxi. Vide *cit.art.10.& 12.* Ait preterea *art.10.* quòd quando maior pars Communitatis non seruat legem, signum est legem esse abrogatam: & tunc licèt pauci seruent, non obligare communiter, vide etiam Sayrum *lib.1.de censuris, cap.7 num.5.* Circa legem pœnalem priuatam, quæ est inhabilitas, nota omnino quòd licèt non requirat aliquid ad sui executionem, nihilominus vt incurratur ipso facto requirit sententiam declaratiuam Iudicis, teste Sanchez *libro 9. de Matrimon. disputat. 30. numero 1.* vbi citat Molin. Nauarr. Sot. Ledesm. & ideo

non

Digitized by Google

non priuatur ipso facto, pro dando suffragio ante Iudicis sententiam.

ADDITIO.

Vide infra verbo *Obedientia.*

1 ITerum repeto quod iam supra dixi verbo *Abbatissa vidua*: & hîc est proprius locus. Videlicet id quod dixî supra confusè hoc ipso verbo *Lex numero* 11. quòd lex Canonica, & Pontificia, potest abrogari per contrarium vsum intra decem annos inscio Papa, vel legislatore: hoc est intelligendum de lege quando in principio suæ promulgationis non recipitur, sed illi contrauenitur: tunc enim per contrarium vsum poterit intra decem annos abrogari. At postquam lex pacificè recepta est, & inualuit, vt possit abrogari per contrarium vsum, requiruntur ad minus quadraginta anni. Ita docent Doctores quos citaui *num.* 11. *citato.*

2 Solet aliquando dubitari maximè à Religiosis; an aliqua lex in particulari obliget ad mortale, vel ad veniale tantùm: pro cuius dubij resolutione dicendum est ex Sanchez 1. *Decalog. capit.* 1. *numer.* 4. hanc esse regulam: Vt quando aliquid præcipitur tamquam valde graue, idque præceptum continere grauia verba: tunc talis lex, vel præceptum obligat ad mortale. Secus si materia non sit grauis neque verbis grauibus imperata. Vnde Molina *tom.* 2. *de Iust. d.* 344. *ad finem* ait, non obligare ad mortale quodcunque iubet Papa, vel prohibet, esto dicat se illa firmiter iubere ex diuini nominis affectu, aut interdicere: sed id colligendum esse ex grauitate, ac necessitate materiæ, & pœna in eadem lege statuta. Potest enim Papa condere statutum ad so-

lùm veniale aliquando obligans: & id Eccleſiæ benignitas aliquando poſtulat.

3 Si ſuperior velit in materia clarè parua, ac minima imponere obedientiam, vel præceptum obligans ad mortale, tale præceptum ad mortale non obligaret. Nam cùm parua illa materia ſit incapax tantæ obligationis, tunc Prælati voluntas eſt diſſona materiæ, nec proinde regulatur ratione, ſed voluntate propria. Ita Cord. *in Sum. q.* 188. *punct.* 1. Azor. *tom.* 1. *Inſt. Moral. lib.* 5. *c.* 6. *q.* 5. & alij. At nimis conſiderandum eſt quod ait Valentia 1. 2. *diſp.* 7. *q.* 5. *punct.* 6. decipi illos qui cogitant non poſſe aliquando v.g. peccari mortaliter frangendo ſilentium, vel faciendo aliquam rem quæ videtur in ſe parua: poterit enim talis res ex ſe parua, eſſe aliàs magna ratione alicuius notabilis circunſtantiæ. Qua de cauſa Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 4. *ſect.* 6. *n.* 11. ait debere ſatis certò, & indubitanter leuem eſſe materiam, vt iudicemus non obligare ad mortale præceptum illud quod aliàs ex tenore verborum videtur ſonare obligationem ad mortale. Nam in dubio an materia ſit leuis, neque conſtat de præcepti iniuſtitia, non eſt ſpoliandus Prælatus ſua poſſeſſione.

4 Dixi ſupra hoc eodem ver. *n.* 9. legem fundatam in præſumptione non obligare ſi præſumptio à parte rei ſit falſa, vel deſit fundamentum præſumptionis. Vt quando ſubditus bono animo, & abſque periculo peccati intrat domum à Prælato prohibitam propter peccatum præſumptum. Hoc ibi explicaui diſtinctione adhibita, mihi tunc occurrente, quam ibi vide: ſed quia illa eſt ſubobſcura, hanc denuo addo explicationem ex Vaſquez 1. 2. *quæſtion.* 97. *articul.* 4. *diſputat.* 163. *capit. vltim. à numer.* 16. *& ſequentibus.* Duplex eſt lex præſumptioni innitens: altera in qua legiſlator aliquid præſumit in quouis caſu, & ratione illius aliquid

quid conſtituit. Talis fuit lex in *cap. is qui fide, de ſponſalibus.* Vbi Papa decernit quod quicunque poſt ſponſalia contracta cum aliqua fœmina, cum eadem haberet copulam, contraheret verum matrimonium: quia in hoc caſu in ſingulis ſic accedentibus ad fœminam poſt ſponſalia præſumebat Papa eos accedere cum animo maritali, & cum animo conſummandi matrimonium. Et talis lex in quouis caſu in quo præſumptio eſt falſa, non obligat in conſcientia. Talis poterit eſſe prohibitio Prælati de ingreſſu domus fœminæ inhoneſtæ, quia tunc in quouis caſu, vel quouis ingrediente præſumit peccatum. Quod ſi aliquis tunc ingrediatur bono animo, & deficiat præſumptio Prælati, lex tunc non obligabit in illo caſu. Altera lex eſt in qua non præſumit prælatus fraudem vel peccatum in quouis caſu: ſed quia prudenter exiſtimat in re aliqua non rarò pręberi occaſionem peccandi, vel inde incommoda oriri legem generalem conſtituit, qua hæc incommoda euitet, & hæc præſumptio eſt fundamentum cuiuſcumque legis. Ego pono exemplum etiam in religioſis, & in materia caſtitatis. Præcipit prælatus per obedientiam vt nullus frater domo exiens ſepararetur à ſuo ſocio: In hoc caſu non præſumit Prælatus pro quouis caſu, vel pro quouis Religioſo à ſocio ſeparato, quod peccabit mortaliter contra caſtitatem: ſed quia inde aliquando, vel non rarò naſcitur talis, occaſio propterea eam legem ſtatuit ad euitanda illa pericula. Quando lex, vel legiſlator fundatur in huiuſmodi præſumptione, non caſus moraliter certò præſumpti in omnibus: ſed in pręſumptione caſus mali aliquando factibilis, tunc etiam ſi in aliquo caſu deficiat præſumptio Prælati, & fiat abſque periculo peccati, peccabitur contra illam legem, neque excuſabit defectus mali præſumpti. Vnde intelligo quod Religioſus qui à ſocio

Digitized by Google

ſeparabitur extra Conuentum ſtante illa lege, peccabit contra obedientiam:quia,vt dixi, illa præſumptio iſtius legis obligat,& eſt fundamentum in omni lege. Neque deſinit tunc lex obligare, etiamſi præſumptio deficiat in vno,vel in altero ſingulari,quia lex in communi non deſinit.

5 Quando lex imponit pœnam ipſo facto pro aliquo crimine,illa verba habent hunc effectum,ſeu differentiam,à ſententia qua Iudex particularis imponit aliquã pœnam in ſua ſententia.Nam ſi Iudex imponat alicui, v.g.confiſcationem bonorum pro aliquo crimine, cui à iure, vel à lege illa pœna non erat impoſita, neceſſe eſt vt Iudex non ſolùm declaret reum commiſiſſe illud delictum: ſed etiam debet declarare pœnam confiſcationis,& præterea reum ad illã damnare.At quando pœna eſt impoſita à lege ipſo facto,non eſt neceſſe vt Iudex declaret pœnam ſic ſtatutam à lege,neque ad illam condemnet, ſed ſufficiet, declarare per ſententiam illum tale crimen commiſiſſe,v.g.Imponitur hæretico à iure ipſo facto pœna confiſcationis bonorum: ac proinde vbi primùm Inquiſitores aliquem declarant hæreticum, non eſt neceſſe quòd declarent pœnam confiſcationis bonorum,iam enim poſita eſt ipſo facto,& incurſa à iure vbi primùm declaratur crimen. Quod ſi lex imponat pœnam confiſcationis,vel aliam ſimilem,& non dicat *ipſo facto*,vel *ipſo iure*,vel *eo ipſo*: tunc Iudex in proferenda ſententia vltra declarationẽ criminis, debet reum damnare ad pœnam legis, & talem pœnam declarare,aliàs non illam incurret, quia lex non impoſuit illam ipſo facto, ſed remiſit illam à Iudice imponendam. Habentur hæc ex *cap.cùm ſecundum leges.de hæretic. in 6.* & eſt communis Doctorum Sylueſt.*ver. Aſſaſinus q.vltima.* Angelus *in Sum.ver.pœna num.3.* & alij.

6 Hinc

6 Hinc colliges quid facere debeant Religiosi quando in suis constitutionibus habent statutum quo aliquis, pro aliquo crimine, ipso facto, priuatur officio. Nam si lex dicat *ipso facto*, tunc Prælatus probato, ac declarato delicto, non habet necesse in sententia exprimere pœnam priuationis: iam enim hæc imposita, & incursa est ipso facto, declarato delicto. Si verò illa pœna priuationis ponatur per statutum, & non dicat, *ipso facto*, tunc vltra declarationem criminis in sententia debet exprimere pœnam priuationis, & ad illam condemnare. Idemque dicendum quando pœna priuationis officij non est imposita à lege, sed delictum est dignum priuatione; debet enim tunc Prælatus declarare delictum, ac pœnam, & ad illam damnare seruando aliàs suas constitutiones Ordinis. Hinc ego colligo expositionem statuti generalis Ordinis Minorum Barcinonẽsis Tolleti reformati, *tit. de pœnis Patribus grauibus impositis.* vbi decernitur, quòd Prouincialis non possit absque Diffinitoribus priuare officio aliquẽ Guardianum, nisi esset in casu quo talis Guardianus, per statutã Religionis esset priuatus officio. Quæ vltima verba: *Nisi per statuta esset priuatus officio.* intelligo si statuta ponant pœnam priuationis ipso facto: tunc enim non est necesse quòd Prouincialis arbitretur pœnam, quia ipso facto imponitur, vt incurratur declarato crimine: sed sufficiet, vt Prouincialis probet, & declaret delictũ, vt reũ per se absque diffinitoribus priuet officio. Quod si prædictum statutum non ponat pœnam priuationis ipso facto, sed solùm dicat, *priuetur officio*, vel *priuatus existat*, vel *sub pœna priuationis*: nõ poterit Prouincialis per se absque diffinitoribus illum priuare: quia tunc lex vel statutum remittit illam pœnam adhuc arbitrandam, & imponendam à Prælato cum maturo iudicio, quod non fit aliter quàm consilio diffinitorum.

Digitized by Google

7 Solet sæpius lex prohibere aliquem actum ne fiat, idque aliquando verbis ambiguis, vt dicendo, nullo modo fiat: vel non possit vllus tale quid facere, ex quibus resultat dubium, an actus factus in oppositum maneat validus. Vt si dicat statutum, non fiant, vel non possint fieri Confessores sæcularium extra Diffinitorium Capituli Prouincialis, vel, non possit nouitius facere professionem, nisi annus nouitiatus fuerit continuus, ita vt nec causa morbi exeat curationis gratia à Conuentu cum licentia Superioris. Erit, inquam, dubium, si hoc non obstante, Prouincialis præsentet Confessorem Episcopo absque Diffinitorio, teneat factum. Item an sit valida professio nouitij, quj partem nouitiatus transegit in domo parentum cum habitu, & licentia Superioris causa morbi. Hæc & similia dubia ex sequentibus decidentur.

8 Prima conclusio. Si lex prohibens actum dicat: *aliàs factum sit nullum*: vel *sit irritum*, vel *habeatur pro infecto*: actus gestus contra legem est irritus. Hæc est communis, & patet, quia supponitur legislatorem habere potestatem ad irritandum actum. Dixi: *si legislator possit irritare*, quia si actus ille sit permissus in lege Superioris, vel irritatio illa sit Prælati inferioris irritantis factum quod lege Superioris permittitur, irritatio erit nulla v. g. Si Religio aliqua faciat statutum, vt non valeat professio alicuius facta cum tali defectu, quam tamen professionem sic factam lex Ecclesiæ non annullat, irritatio talis professionis facta ab inferiori Capitulo, vel generali, non valet contra decretum Superioris Ecclesiæ, vt supra diximus verb. *Eiicere*. Similiter statutum Minorum Tolletanum proximè citatum quod non fiat professio à nouitio, qui causa morbi cum habitu, & licentia curatus fuit in domo parentum, si diceret quòd aliàs professio non valeret; nihilominus

minus

minus foret valida, quia talis professio in iure Canonico permittitur, & ideo illam non potest annullare statutum potestatis inferioris, videlicet Religionis. Sed prædictum statutum Tolletanum prohibet, sed non annullat, & proinde facta contra illud statutum valebit.

9 Secunda conclusio. Si lex prohibeat actum simpliciter, nullum verbum adhibens ex quo sonat annullatio, vel irritatio actus, talis actus est validus quidquid sit de peccato. Hæc est communis Theologorum, & Iuristarum. Et sumitur ex Glossa vltima, in *cap. penult. de despons. impuber.* Et probatur ex praxi, quando enim Summ. Pontifices, maximè in motibus propriis, volunt irritare actum prohibitum, statim id verbis irritantibus declarant: vt inter alios fecit Sixtus V. in suis Motibus propriis circa professionem criminosorum, & illegitimorum. Quando non adhibent verba irritantia actum, signum est quod esset valde onerosum semper annullare omnes actus factos contra legem: & daretur occasio magnæ confusionis, si crederemus annullari quemuis actum factum contra legem, quando in illa non continentur verba clarè annullatiua actus.

10 Tertia conclusio. Si lex dicat non possit aliquis oppositum facere: vel non liceat aliter fieri: vel nullo modo alteri permittatur, vel quid simile: magna est controuersia, an actus in contrarium gestus sit validus? Sanchez *lib. 6. de Matr. disp. 38. n. 2.* citans multos text. & multos Iuristas, probat talem actum esse irritum: quia, vt ait, verbum, *Non potest*, actum oppositum reddit nullum: priuatque potentia, vt dicit Gloss. *Regul. 1. verbo Non potest. de Reg. Iuris in 6.* At melior videtur opinio Suarez *tom. 5. de Legibus cap. 31. à num. 13.* vbi ait: Non semper hoc verbum, *Non possit*; vel *Non potest*,

annullare actum factum in oppositum. Sed vt plurimum tale verbum legis solùm velle vt oppositum non possit fieri, licitè videlicet: vt satis explicat, & probat Suarez *cit.n.*13. nam iuxta Glossam ibi citatam, verbo *Non potest*: id possumus, quod iurè possumus. Sed hoc fusius persequi, nec locus patitur, neque Theologum decet, sed Iuristam.

11 Quarta conclusio. Quando lex prohibens actum præscribit formam substantialem actus faciendi, quæ, scilicet continet naturalem æquitatem circà actum, tunc omissio eius formæ reddit inualidum actum. Suarez *cit.cap.*31.*num.*3. vbi in *fine istius* §. magis rem explicat, dicens tunc formam præscriptam actui continere æquitatem naturalem circa actum, quando est de re per se admodum necessaria ad actum, seu æquitatem actus. Nam si verba legis solùm ponuntur ad ornatum, vel ad melius esse talis actus, neque aliàs verbis claris irritent, tunc talis forma pertinens ad ornatum est accidentalis, & omissio illius non irritat actum factum in contrarium.

12 Quinta conclusio. Quando lex præscribit formam actus faciendi, & simul dat denuo potestatem faciendi actum sub tali forma, quæ potestas antea non dabatur, tunc talis forma est de substantia actus, & proinde eius omissio, reddit actum nullum. Quando verò supponebatur iam potestas ad faciendum actum, & sola additur noua solemnitas, tunc forma nouo modo præscripta est accidentalis, & eius omissio non annullat. Exempla ponit Suarez *cit.cap.*31.*num.*9. vide ibi. Ex supradictis ego aliquando respondi fuisse validam pro Minoritis præsentationem Confessoris factam à Prouinciali coram Episcopo, extra Diffinitorium Capituli; idque præcipuè. Primò quia ibi statutum licet prohibeat actum, & vtatur ver. *Non possint*, tamen non annullat,

annullat,neque irritat actum.Secundò,quia illa forma faciendi Confessores,ibi præscripta,non est essentialis, sed accidentalis:forma enim substantialis præsentandi Confessores Mendicantes decreta est à Papa Clem.*dudum.de sepulturis.*Vbi Papa pro præsentatione,seu electione Confessorum solùm requirit quod præsententur à Prouinciali. Tertiò,quia iuxta dicta *n.*12.ibi non daturProuinciali noua potestas eligendi,vel præsentãdi Confessores, iam enim illam habebat ex dicta Clementina *dudum.*Quartò,quia statutum generale Ordinis non potest annullare actum factum aliàs secundùm dispositionem iuris Canonici:at quod solus Prouincialis eligat,vel præsentet Episcopo Confessorem sæcularium,est dispositio iuris Canonici in Clementin. *citata.* Cum quo stat quòd prædictus Prouincialis poterit puniri ob violationem prædicti statuti. Id verò quod dixi de validitate talis præsentationis, tunc præcipuè verum erit quando Diffinitorium id committat Prouinciali, vt ille postea idoneos designet: licèt enim id prohibeat statutum, & Diffinitores possint puniri, at valebit illa commissio, & præsentatio ob multa dicta à Sanchez *libr.*3. *de Matrimon.disputat.*26. *numer.*4. in casu omnino simili. Excipit tamen Suarez *citat. capit.*31. *numer.*14. *&* 15. quod aliquando hoc verbum, *Non possit fieri*, positum in lege significabit nullitatem actus oppositi: idque colligendum esse ex aliis circunstantiis legis, & nimia grauitate præcepti, & sic de aliis quæ ibi fusius tradit, quæ vide apud illum: nam supra traditum est communius, & magis vsitatum, vt scilicet,verbum, *Non possit*, de ordinario non annullet actum.

13 Solet circa leges oriri dubium,an pœna imposita per legem in vno casu, possit extendi ad alium casum omnino similem, quem lex non punit simili pœna,ac

punitur

punitur ille alius similis casus. Sit exemplum. Punit Ecclesia communicantem cum excommunicato publico denunciato illum excommunicans excommunicatione minori. Ecõtra video hæreticum publicum,& manifestum,sed non denũciatum:an illa pœna minoris excommunicationis posita communicanti cum excommunicato denunciato possit extẽdi vt liget etiam communicantem cum hæretico publico,quem publicè constat esse excommunicatum, sed non denunciatum. Est enim vtrobique eadem ratio: imò maior ratio videtur in communicando cum hæretico publico, ratione periculi,ac ratione scandali. Et sic de aliis exẽplis legum imponentium pœnam corporalem.Respõdetur, iuxta communiorem, ac benigniorem sententiam, nunquam pœnam vnius legis & vnius casus esse extendendam ad casum alium, etiamsi in hoc secundo casu concurrat eadem ratio, vel maior ratio, seu maior malitia ipsius actus. Tenet ac probat fusè Castr. *lib. 1. de lege pœn. cap. 2.* & Rodriguez *tom. 1. quæst. 47. art. 1.* vbi citat *cap. quicumque. de sentent. excommunicat.* vbi dicitur quòd excommunicatio lata contra dantem licentiam malè faciendi, non extenditur ad eum qui fecit illud malum prætextu dictæ licentiæ.Et tamẽ faciens illud malum plus videtur peccasse,quàm is qui licentiam dedit. Idem habetur *cap. is qui. de sentent. excommunicationis in 6.*

14 Quando in vna Religione sunt multa statuta antiqua, & noua, dubitari potest, vtrum antiqua,facta, scilicet,ducentis abhinc annis hodie obligent in conscientia, idque specialiter viget in Ordine Minorum in quo reperiuntur libri continentes multa statuta fere ducentis abhinc annis ordinata, vt videre est in Enchiridio Minorum. Ad hoc breuiter dicendum: Quod si statuta generalia noua non reuocent expres-

se

sè antiqua statuta: vel si antiqua statuta non sint abrogata per contrarium vsum, prædicta antiqua statuta valent, & secundùm illa iudicandum est, quando casus occurrens in nouis statutis non est decisus. Hoc probo primò, quia lex de se perpetua est: cùm enim debeat esse rationi conformis, id quod rationi conforme est, de se durabile est, hæc poterit mutari, nisi fortè ob temporis circunstantias eadem ratio dictet esse mutandum, ac reuocandum. Secundò probatur exemplo iuris Canonici: in quo sunt multa decreta antiqua lata mille abhinc annis, & amplius: hæc tamen hodie obligant in conscientia, nisi sint reuocata per textus sequentes Summorum Pontificum, vel per contrarium vsum Ecclesiæ sint abrogata illa decreta antiqua. Eadem verò est ratio de statutis alicuius Ordinis erga subditos illius: ac de statutis Ecclesiæ, seu legibus illius erga omnes fideles. Imò pro Minoritis probatur expresse, quia statuta illorum principalia Tolleti reformata in fine, *titulo de Constitutionibus* decernunt, vt si casus occurrat, cuius decisio non contineatur in illis statutis, talis casus decidendus erit per quæcunq; alia statuta Ordinis Minorum, &c. Quibus verbis clarè determinat statuta antiqua Ordinis manere in suo firmo robore, nisi per subsequentia sint reuocata, vel per contrarium vsum abrogata. Imò ego dicerem, quod si casus nouus non contineatur in illis statutis Tolletanis, decidatur verò in alio statuto antiquo Ordinis, qui non sit in vsu, per illud resoluendus est casus. Aliud enim est statutum esse abrogatum per contrarium vsum; aliud verò est statutum non esse in vsu.

15 Pro qua difficultate adhuc magis explicanda nota non esse recedendum à iure antiquo, nisi quatenus in nouo exprimitur. *l. præcipimus, in fine Codic. de appellat.*

& Gloſſ. *in cap. cupientes, §. Quod ſi, ver. petere de elect. in 6.* Correctio enim, & mutatio legis odioſa eſt, & non eſt admittenda niſi quando exprimitur, vel vitari non poteſt. Hinc fit vt ſi nouum ſtatutum corrigat antiquũ ſolùm in parte, & non in toto, prædictum ſtatutum ſeruandum eſt quo ad aliam partem non correctam. Et adeo verum eſt correctionem iuris antiqui eſſe odioſam, quod ſi lex noua expreſsè non corrigat, ſed innuat correctionem: licebit interpretari verba legis nouæ in ſenſu minus proprio, ne detur correctio legis antiquæ. Ratio principalis ſit, quia lex antiqua eſt in poſſeſſione, & in dubio nõ debet ſua poſſeſſione ſpoliari. Quod licebit accommodare multis ſtatutis nouis Religionũ, reſpectu antiquarum legum eiuſdem Religionis. Hanc doctrinam fuſius tradit ac probat Suarez *tom. de Legib. lib. 6. cap. 1. num.* 18. ex Butrio, Felino, Gutierres, & aliis. Et hæc ſufficiant pro quotidianis dubiis Religioſorum. Cætera videant in materia de legibus.

LIBRORVM PROHIBITIO, ſeu impreſſio.

1 PIus V. conceſſit Generali Societatis IESV, vt de conſilio ſuorum aſſiſtentium poſſit concedere ſuis ſubditis libros hæreticorum, & alios prohibitos ad purgandum. Et quod poſſint dicti Religioſi vti libris non hæreticis, licèt habeant annotationes, ſeu ſcholia hæreticorum authorum: aut authores ipſi mali ſint, ſed libri non ſunt editi ad ſtabiliẽda dogmata hæretica: dummodo nomen authoris ſi ſit hæreticus, vel in Indice prohibitus, & ſi quid inter legendum impium occurrerit deleatur. Sic in Compend. Societatis, verb. *Libri.* §. 1. & 2. Sed aduertit ibi Collector, quod hãc licentiam ſolus Generalis dare poteſt: & non Prouincialis.

cialis. Vide tamen infra,paulo post,quid cauendum sit in vsu istius,& sequentium concessionum.

2 Gregor. XIII. concessit eisdem Religiosis, qui fuerint ad hoc deputati à superiore,vt possint emendare libros, quando authores pij sunt , sed habent praua scholia:aut quãdo authores & impressores sunt impij, non tamen libri. Aut quando authores sunt ethnici,sed habent malas notationes,ob quas prohibentur , donec emendentur:dummodo nomina malorum authorum, vel impressorum deleantur.

3 Aliam tertiam concessionem in simili materia factam eisdem Patribus ab eodem Gregor. XIII. refert Rodriguez *tom.2.quæst.82.art.3.*quam vide.Aduertit Rodriguez *ibidem* , & meritò, se credere illas concessiones esse reuocatas tum per Bullam Cœnæ , tum per particularia indulta,quibus munitum est Tribunal sancti Officij. Et ego sic consulo abstinendum. In dicto Compend.Societatis *citato verb.*§.6.dicitur in fine, quod præmissa omnia conceduntur,non obstãte Bulla Cœnæ Domini, cæterisque contrariis quibuscumque.

4 Lusitanus v. g. habens licentiam legendi libros specialiter prohibitos in sola Lusitania , seu Portugallia,potest eosdem legere vbique existens,etiam in Castella,si illi in Castella non sunt specialiter prohibiti; quia si in Castella etiam fuerint specialiter prohibiti, non poterit illos ibi legere absque licentia Tribunalis Castellæ pro sancto Officio. Et sic è contra de Castellano,existente in Portugallia:quia sunt territoria diuersa. Suarez *tom.de legibus lib.8.cap.26.nu.8.*vbi ait quod Inquisitor Castellæ non potest dare licentiam ad legẽdos libros prohibitos in Portugallia.Et quanuis Nauar. *lib.5.Consil.titul.de priuileg.consil.15.*& Rodriguez *tom. 3.Addition.ad Sum.cap.251.conclus.* 4. teneant oppositum,ego ducor hoc exemplo , vt sequar Suarez : quia

scilicet

ſcilicet priuilegiatus, vt portet arma vetita in Portugallia, non eſt priuilegiatus, vt illa portet in Caſtella eadem ipſa. Et quia priuilegium vnius Epiſcopi, non poteſt derogare priuilegio alterius Epiſcopi.

5 Sixtus V. rigoroſa Conſtitutione ſtatuit, ne Fratres Minores libros extraherent à Bibliothecis ſuorum Conuentuum, cum aliis multis contentis circa dictos libros. Hæc tamen iam non obligat, ſed fuit reuocata per Clementem VIII. ad inſtantiam Cardinalis tunc noſtri protectoris. Hodie ligat ſola conſtitutio Pij V. excommunicantis quoſcumque qui à dictis Bibliothecis Minorum libros furto abſtulerint. Nota verbum, (*furto abſtrahere.*) Si enim abſtrahat animo non furandi, ſed reddendi, etiam ſi id faciat abſque licentia Prælati localis, non incurrit. Excipe ſi Prouincialis, vel Prælatus etiam hoc prohibeat ſub cenſura, ne ſcilicet extrahantur animo legendi, & reddendi.

6 Non poſſunt Religioſi imprimere libros abſque licentia Epiſcopi, Inquiſitorum, & ſui Prælati, quicumque libri illi ſint. Neque item poſſunt illos ante impreſſionem communicare. Tridentin. *ſeſſion.* 14. cum cæteris ibi requiſitis: Hoc non prohibet communicari quinternum, vel ſermonem: hæc enim non ſunt libri. Qui verò aliter libros impreſſerint, vel diuulgauerint, vel abſque nomine authoris, incurrunt excommunicationem. Vide Suarez *tom. de cenſur. diſputation.* 23. *ſection.* 7. *numer.* 3. vbi dicit cenſuram Concilij debere reſtringi ad ſolos libros de rebus ſacris, de quibus tantùm ibi loquitur. Et per librum intelligi integrum, & conſummatum pro vt ſolet imprimi.

ADDI

ADDITIO.

SVpra *hoc eodem verbo* dixi de forma ſeruanda à Religioſis in librorum impreſſione : déque priuilegiis eiſdem conceſſis à Sede Apoſtolica legendi libros prohibitos, videlicet à Pio V: pro Patribus Societatis IESV. Quia tamen aliquando illi ſcrupulis agitantur cùm incidenter legerunt libros prohibitos, vel dubitarunt an ſint prohibiti, dico ſequentia.

1 Vide ſupra verb. *Ignorantia numer.* 26. vbi dixi legentem libros hæreticorum, & neſcientem illos eſſe prohibitos, non incurrere excommunicationem, quia Bulla Cœnæ quam ibi citaui expoſitam à Nauarr. ſolùm excommunicat legentes libros hæreticorum ſciéter. Et *ibidem* dixi, illam & ſimiles excommunicationes contra facientes ſcienter, non illas incurrere etiamſi contra fecerint cum ignorantia craſſa : dummodo non ſit ingens temeritas oppoſitum facere.

2 Libri qui prohibentur in Bulla Cœnæ Domini Pauli V. ſunt primò qui ſunt compoſiti ab hæreticis, & tractant de Religione. Libri verò tractantes de Religione, ſunt qui pertinent ad Fidei expoſitionem: vel qui diuinam Scripturam, & partem eius exponunt: vel agũt de tota Theologia, vel de parte illius: vel qui diſſerunt de cultu Deo, vel Sanctis debito, vel de Clericis, vel de Monachis, hæc enim omnia pertinent ad Religionem quæ virtus generalis eſt. Adde etiam tales eſſe libros, qui agunt de rebus conſcientiæ. Tales verò non ſunt illi libri, qui agunt de Philoſophia, vel de hiſtoriis, hi enim non tractant de Religione : & proinde hos vltimos legentes non incurrent cenſuram Bullæ Cœnæ. Incurrent tamen cenſuram poſitam ab Inquiſitoribus,

si ipsi denuo tales libros prohibuerunt agentes de historiis,vel rebus prophanis,eo quòd tales libri hæreses contineant, quales sunt hæretici recentiores,qui fecerunt libros historiales,sub titulo, *centuriarum* : & maximè Machianellus,qui directè non agens de Religione,miscuit hæreses multas,& pessimas. & alij similes, Vide Suarez *tom.5.disput.21.sect.2.*

3 Aduertit autem Sayro *lib.5. de Censur. cap.5.num.* 12.& Rodriguez *in Explicatione Cruciata §.9.num.77.* & alij, tria requiri, vt quis incurrat illam censuram Bullæ Cœnæ. Primum est, quòd libri sint authorum hæreticorum. Secundum est, vt hæresim contineant, aut de Religione tractent. Tertium, vt scienter legantur. Et quidem tertia conditio de legente scienter, iam supra explicata est. Duæ priores etiam patent.

4 Non incurrit illam censuram, qui legit librum Catholici,in quo referuntur dicta,vel argumenta hæreticorum, vt ab illo Catholico impugnentur: huiusmodi sunt Bellarmin. *lib. de Controuersiis contra hæreticos.* & noster magnus Feuardentius,& alij similes,nam tales libri non sunt authores hæretici, & hæreses ibi adductæ non sunt illius authoris,sed adducuntur confutandæ. Quamuis autem in hoc Regno Portugalliæ, tales libri Catholicorum disputantes contra hæreses pro aliquo tempore fuerint prohibiti ab Inquisitoribus propter periculum pusillorum,hodie tamen ablata est illa censura, & prohibitio,propter bonum commune inde proueniens, vt sciant Doctores Catholici hæreticis respondere. Vide Rodriguez, *citat.loco Cruciat. num.* 78. Et hoc dictum verum est,etiamsi in huiusmodi libris fortè sit aliqua hæresis authoris Catholici, quam dixit ignoranter, quia adhuc non est liber hæretici.

5 Neque illam censuram incurrit qui legit, retinet, vel

ized by Googl

vel imprimit librum infidelis alicuius Iudæi, vel Gentilis, continentem hæreſes. Nam ille liber non eſt hæretici: quia Iudæus,& Gentilis non ſunt hæretici. Excipe tamen, dummodo talis liber non ſit prohibitus ab Inquiſitoribus ſpecialem ob cauſam: poterit enim hodie Mahumetanus ſcribere,& diuulgare librum valde pernicioſum fidei Catholicæ,& ſimiliter Iudæus: vt neceſſarium ſit per Inquiſitores prohiberi.

6 Neque item incurret, qui legerit librum Catholici, in quo ſunt annotationes, & ſcholia hæreticorum, quamuis legat talia ſcholia: nam is liber verè non eſt hæretici. Ita Nauarr. *in Sum. cap. 27. num. 56.* & Rodrig. *citato loco num. 78.* Huiuſmodi videtur eſſe liber Senecæ aliàs non prohibitus, qui in noua editione habet ſcholia Eraſmi authoris prohibiti,& ſimiles alij. Bene tamen aduertit Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 10. num. 26.* quòd ſi talis liber Catholici cum ſcholiis, & annotationibus hæreticorum, ſit prohibitus ab Inquiſitoribus, vel per Catalogum librorum prohibitorum, non incurretur cenſura Bullæ Cœnæ; ſed cenſura alia Catalogi, quæ nulli eſt reſeruata. Et citat Graff. Azor. Tolled.& alios. Neque item incurrit qui legit libros continentes ritus Græcorum,& Armenorum, quia hi ritus ab Eccleſia non damnantur, vt hæretici, vt tenet Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 16. q. 8.*

7 Eandem cenſuram incurrent legentes indicem libri hæretici, vel eius prooemium, aut præfationem. Et quod diximus de legente libros, intellige, ſiue ſint impreſsi, ſiue manu ſcripti. Non tamen incurret, qui legeret Epiſtolam miſſiuam hæretici continentem hæreſes,& manu ſcriptam, quia in communi modo loquendi, epiſtola non eſt liber. Ita Sanchez *citat. loco nu. 28.& 29.* Excuſabitur verò à cenſura qui legerit librū hæretici ſcienter in parua qu[illegible]itate. Nam in omni

materia paruitas materiæ excuſat à mortali, credit autem Sayro,Rodr.& Sà *in Aphoriſm.verb.Excom. Bullæ Cœnæ num.*2. quod legere vnam tantùm paginam libri hæretici, non incurret cenſuram, quia cenſetur paruitas materiæ.Et addit Sanchez *cit.loc.*etiamſi liber ſit ex voluminibus maioribus,quod multum iuuat pro ſcrupuloſis.

8 Non incurret hanc cenſuram qui legerit, vel retinet librum hæretici,ſi liber, neque tractat de Religione, neque hæreſim continet. Nam Bulla Cœnæ Pauli V.petit alterum horum duorum diſiunctiuè:& non petit vt ambo concurrant copulatiuè: ſed ſufficit quòd vel tractet de Religione modo ſupra expoſito:vel contineat hæreſim. Quod ſi nec diſſerat de Religione,nec contineat hæreſim, non eſt prohibitus, vt incurratur cenſura Cœnæ. Ita Vgolin. *de Cenſuris Papæ reſeruatis* 2.*p.cap.*1.*verb.vel de Religione initio num.*2.Sufficiet verò ad incurrendam cenſuram vt totus liber vnam ſolùm hæreſim contineat, etiamſi tractet de re quacunque quæ non ſit de Religione, vt tenet Suarez *citat. diſp.*71.*ſect.num.*10.Et tunc cenſuram incurret etiamſi legat illam partem, in qua hæreſis illa non continetur: quia iam totus liber eſt prohibitus ratione illius ſolius hæreſis. Si verò ſint diuerſa volumina ſeparata, & in vno volumine ſit hæreſis,non verò in alio, poterit legi ille qui nec tractat de Religione, nec hæreſim continet. Ita Vgolin. *citat. capit.*1. *verb. eorundem libros* §.1. *numer.*2. & concordat Sanchez *citat. capit. num.*36.

9 Non incurret is qui ſciebat quidem librum eſſe hæretici, ſed ignorabat illum agere de Religione, vel hæreſim continere. Secus ſi hæc ambo ſciret, etiamſi ignoraret authorem eſſe hæreticum. Sanchez *cit.cap. num.*39.

10 Ne

10 Neque Catholici degentes inter hæreticos, vt in Anglia, Germania, possunt ibi legere libros hæreticorum continentes hæresim vt illos confutent: quia Bulla Papæ id nemini permittit, nisi habeat specialem licentiam Sedis Apostolicæ. Vnde neque Episcopus poterit illam ibi concedere. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 6. Notat verò Graff. 1. *p. decision. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 45. Inquisitores, & illorum substitutos, non solùm à Sede Apostolica deputatos, sed ab ipsis quoque Inquisitoribus posse legere prædictos libros: non verò Cardinales, nec Episcopos, aliósve Superiores Prælatos absque licentia speciali.

11 Non incurrit censuram Bullæ qui aliquem librum hæreticum solum memoria recolit, hoc enim non est legere. Neque item incurrit qui audit legere aliquem librum hæreticum: audire enim non est legere: & verba legis pœnalis sunt accipienda in significatione propria, & stricta. Et hoc verum etiámsi is qui audit legere, induxerit legentem vt legeret: nam inducere vt aliquis legat non est legere: Et censura posita contra facientem non ligat consulentem, nisi id exprimatur in ista Bulla contra consulentem vt tales libri legantur. Incurret verò censuram famulus legens ex mandato heri, nisi ignorantia excusetur. Curiosè tamen, & bene notat Sanchez *citato capite* 10. *numer.* 51. quod si aliquis sciat legere linguam Græcam, vel Hebraicam, eamque nullo modo intelligat, & sic legat libros hæreticos Græcè, vel Hebraicè conscriptos, talem non incursurum esse censuram Bullæ Cœnæ: quia in hoc deficit finis legis, qui est ne legens imbibat errorem: quem errorem, hic non intelligens non potest imbibere: ac proinde deficiente fine legis in hoc casu, deficiet obligatio legis. Quod si verum est, idem cogetur dicere de sæculari idiota qui omnino non intelligit

linguam Latinam, scit tamen illam legere: hic enim iuxta Sanchez, si legerit librum hæreticum, non incurret censuram. Ego neutrum consulo: qui tamen id fecerit habebit authorem Sanchez.

12 Incurrunt eandem cẽsuram, qui prædictos libros retinent etiamsi non legant, siue retineant apud se, siue in aliena domo suo nomine, vel nomine alterius: hoc enim est proprie retinere. Item incurrit, qui prædictos libros facit imprimere, vel illos defendit. Quæ omnia continentur in Bulla Cœnæ, vel ex illa colliguntur. Idem dic de retinente partem libri prohibiti apud se, nisi fortè excusetur quod sit pars leuissima, vt vna tantùm pagina: tunc enim etiam excusabitur paruitate materiæ, vt supra diximus excusari legentem vnam solùm paginam. Bene autem notat Sayro *Thesaur. casuum tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 16.* illum qui retineret librum hæreticum paruo tempore expectans opportunitatem deferendi illum ad Inquisitores, excusari à censura. Imò addit Sanchez *citat. capit. 10. numer. 55.* non nimis insistendum esse in paruitate temporis, sed in commoditate temporis, vt deferatur. Si enim deesset commoditas temporis deferendi, vel mittendi librum ad Inquisitores, & talis commoditas diu expectaretur, non incurreret censuram talem commoditatem expectans, quia non dicitur retinere contra Ecclesiæ voluntatem qui tempus commodum tradendi expectat: talis enim non est contumax, nec proinde excommunicatus Et addit quod neque data commoditate deferendi librum ad Inquisitores, incurreret censuram ille qui per vnum diem detineret: detentio enim vnius diei diceretur parua materia, in mora detentionis. Et in hoc etiam vltimum dictum inclinat Sayro *citato numero 16.*

13 Tan

13 Tandem aduerte ſecundum Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæſt.* 11. eos ad quorum manus hi libri deuenerunt, non poſſe eos propria authoritate comburere: ſed teneri illos deferre ad Inquiſitores: quia Iulius III. in quodam ſuo motu proprio, qui incipit, *Cum meditatio*, expreſsè iubet eos tradi Inquiſitoribus, aliàs poſſe procedi contra ipſos tamquam ſi eſſent hæretici. Ait tamen ipſe Azor. aliquos recentiores, quorum nomina tacet, aſſerere quod ſufficit illos comburere. Sed Azor. tenet obligari in conſcientia eos tradere Inquiſitoribus: dummodo non illis reſultet graue periculum ex eo quod per ſe tradant: vt quia putabuntur hæretici, cùm non ſint: inſtanti enim tali periculo, innuit poſſe illos comburere. Semper tamen certum eſt, eum qui illos per ſe combuſſerit, non incurrere excommunicationem (quidquid ſit de peccato.) Qui enim illos comburit iam non retinet.

14 Ille qui ſcienter legerit libros prohibitos à tali cenſura Bullæ Cœnæ poterit abſolui per Bullam Cruciatæ ſemel in vita, & in morte, ſi etiam in morte habuerit excommunicationem. Nam legere libros non eſt hæreſis formaliter, cuius abſolutio nunquam conceditur in Bulla Cruciatæ, neque in Iubileo. At iſta de legendis libris prohibitis poteſt etiam abſolui per Iubileum concedentem abſolutionem caſuum Cœnæ Domini. Ita Henriquez *lib.* 6. *de Pœnitent. cap.* 6. *num.* 2. poterunt etiam ab illa abſoluere Epiſcopi in foro conſcientiæ per conceſſionem Concilij Tridentini. De Prælatis verò Religionum erga ſuos ſubditos, recurret illa dubitatio, an poſſint abſoluere ſuos ſubditos à caſibus Bullæ Cœnæ Domini: de quo iam diximus ſupra quod dici poteſt: & ſcio hanc dubitationem nunquam fore ab aliquo reſolutè, & clarè reſoluendam.

Digitized by Google

15 Adhuc pro maiori præteritorum notitia pono quod ait Pater Soza *in ſua Relect. Bullæ Cœnæ, diſputat. 1. num. 50.* ex Graff. & Vgolino, videlicet, vt quis dicatur legere libros prohibitos, ſatis eſſe quod librum oculis percurrat cum aduertentia ad ea quæ in illo ſcripta ſunt: quamuis voce nihil exprimat. Nam ad veram, & propriam lectionem in communi vſu loquendi illud eſt legere, & ſic homines communiter legunt percurrendo oculis in ſilentio, nihil ore proferendo.

16 Si verò inſtes taliter legentem interius tantùm, nullum opus externum operari propter quod poſſit excommunicari. Nam clauſo ore, immotis manibus, ac capite id poteſt facere abſque vllo ſigno externo ſignificante internam lectionem, vt patet. Eccleſia verò non excommunicat actus purè internos non ſignificatos aliquo actu externo, vt patet ex ſupradictis in verbo *Excommunicatio, & verb. Hæreſis.* Ad hanc obiectionem dico taliter legentem ſolùm interius immoto capite, manibus, & labiis, ſufficiens ſignum externum dare lectionis internæ. Nam primò aperit librum ad legendum: voluit folium: & defigit oculos, ſeu illos applicat ad librum, quæ oculorum applicatio, ac defixio cum præcedenti libri apertione, ac folij reuolutione ſunt ſufficientiſſima ſigna lectionis internæ in communi hominum ſignificatione. Exemplo, firmatur in materia matrimonij, quod validum eſſe non poteſt niſi detur ſignum externum declaratiuum conſenſus interni. Et tunc dicunt Theologi ſufficienter fœminam conſentire ad ſponſalia & matrimonium ſolo ſilentio, ac tacendo, quando tale ſilentium, quod eſt carentia vocis, ex circunſtantiis præcedentibus vel concurrentibus ad arbitrium boni viri ſunt ſigna interni conſenſus.

17 Cum

17 Cum hac materia librorum prohibitorum venit notandum, quod habet Nauarr. *libr. 5. consil. tit. de hæreticis consil. 17. primæ impressionis.* pro defensione cuiusdam Theologi, in cuius domo reperta sunt scripta suspecta de fide, pro cuius defensione multa ibi congerit Nauarr. Præcipua sunt hæc. Primò, quod nemo est accusandus, quod hoc, vel illud scripserit, si non diuulget, nec sua manu firmauerit: Imò etiam si subscripserit, opus est vt diuulget saltem, vt mereatur pœnam totalem, potuit enim scribere curiositatis gratia, vel vt postea corrigat, vel quia sic apud autorem doctum reperit, & sic de cæteris, & citat carmen Ouidij circa emendanda scripta, quod sic habet. *Nec tamen emendo: labor hic, quàm scribere maior.* Secundò dicit, orationi ambiguæ adhibendum esse sensum quem illi dat ipse scribens. Tertiò ait, quod illa quæ sic obscurè scripta sunt vt intelligi nequeant, debent haberi pro non scriptis, pro quo citat *legem 2. ff. de his quæ pro non script. habent.* Et alia ibi adducit, quæ valde proderunt ad defendendum virum aliàs Catholicum qui bona fide aliquid malè scripserit.

LIBELLVS FAMOSVS.

SOlet in aliquibus Religionibus reseruari peccatum compositionis, iniectionis, vel publicationis alicuius libelli famosi: maximè in ordine Minorum: Quinimò pro sæcularium confessionibus oportet Religiosos sequentia notare.

1 Libellus famosus est scriptura continens infamiam alicuius, nondum publicam, vt publica fiat: siue res effectum sortiatur, siue non, quam infamiam probare non vult componens, & ponit in loco publico, vel vbi inueniatur. Sic ex Syl. ver. *libellus actoris, & famosus.*

*quæst.*4. Diffinitio clara est. Et primò ad maiorem explicationem nota.

2 Est etiam libellus famosus, si in tali scriptura scribantur peccata vera alicuius,sed secreta:Iam enim per talem publicationem persona infamatur cui infamiæ leges obuiare prætendunt. Ita Couarr. *libr.*1. *variarum capit.*1. *numer.*2. *& capit.*12. *numer.*6. & alij communiter, potest etiam fieri libellus famosus absque scriptura, si videlicet infamator apponat aliquod signum externum declaratiuum delicti occulti, vel falsi,per quod signum persona infamatur.Vt apponendo imagines, figuras vel alia signa declarantia peccatum occultum: quale etiam est affigere cornua ad fores alicuius,vt tradit Molina *tract.*4. *de Iust. disput.*35. *num.*1.

3 Scribere litteras infamatorias alicui, easque ad illum dirigere,non est libellus famosus,quia non scribuntur,vt diuulgetur peccatum secretum,potest enim is,ad quem mittuntur,non publicare sua peccata:censebitur verò libellus famosus si quis peccata alicuius scribat in epistola, illámque mittat ad alium non culpatum, vt talia peccata reuelet:nam in substantia facit id quod traditur in defruitione posita. Imò addit Molin.*citata disp.num.*1. & sequitur Regin. *libr.*24. *tom.*2. *num.*16.tales esse litteras quæ de occulto crimine mittuntur ad iudicem, vel Prælatum vt pro officio de tali delicto inquirant,vt possint illud punire: idem dicendum, etiam si hæ litteræ ponantur in mensa, vel loco vbi Prælatus inueniat:& etiam si in illis citentur testes conscij criminis. Facit quod traditur in *cap. Inquisitionis* §. *adhæc,de accusationibus* in quo schedula huius generis appellatur libellus diffamationis, & iubetur, ne illius prætextu fiat inquisitio. Addunt aliqui ad libellum famosum requiri, vt scriptura non firmetur nomine

mine autoris,innuentes non fore libellum famoſum ſi careatſubſcriptione illius,eſt tamen pro certo habendum etiam dici libellum famoſum, licèt author ſubſcribat:nam re vera infamat iniuſtè,& competit illi definitio tradita; quanuis fateor, tunc magis cerni malitiam libelli cùm author non ſubſcribit: quia tunc ſolum intendit infamare,& non probare.

4 Dicetur etiam libellus famoſus etiam ſi ſcriptura, vel ſignum appoſitum, non publicet delictum, ſed ſolum publicet maculam generationis occultam. Hoc enim verè eſt infamare iniuſtè, quando de tali macula ignoratur: Imò hanc publicationem aliquando aliqui moleſtius ferunt quàm publicationem peccati occulti.

5 Dictum eſt *peccati occulti.* Nam ſi peccatum iam erat publicum illud ſcribere,vel de illo carmina componere, vt decantentur, non erit libellus famoſus,quia non publicatur occultum. Erit verò libellus famoſus, eiuſque publicatio,ſi carmina,vel cantiones compoſitas de aliquo crimine occulto nondum publicato, publicè decantentur. Ita Molina *cit.diſp.num.*2.& 4. Vbi etiam addit eſſe libelli famoſi reum illum qui compoſuit,& in loco publico poſuit, etiam ſi alius inueniens ſcripturam laceret,nec effectus publicationis ſit ſubſecutus:iam enim re vera libellum famoſum compoſuit, & pœnam compoſitoris meretur in foro interno,& in externo ſi delictum probetur.

6 In ordine ergo Minorum in ſtatutis General. Tolletanis *tit. de caſibus reſeruatis*,decimus caſus eſt compoſitio,iniectio vel publicatio libelli famoſi.In quo tres actiones, ſeu tria genera perſonarum comprehenduntur,quæ tribus actionibus diuerſis poſſunt hunc caſum incurrere. Primus caſus eſt,illius qui compoſuit libellum famoſum, & poſuit in loco publico, etiam non

ſecuto

ſecuto effectu publicationis, quia ſcilicet alter inueniens lacerauit. Secundus caſus eſt illius, qui quidem non compoſuit, ſeu non ſcripſit libellum, ſed illum ab alio compoſitum poſuit in loco publico, vt diuulgaretur. Tertius, eſt illius qui nec libellum ſcripſit, nec illum ibi poſuit; ſed ibi inuentum reſeruauit, & publicauit. Hic enim tertius publicè etiam infamat, & lege naturali tenebatur illum libellum lacerare, ne proximus infamaretur. Omnes enim hæ tres perſonæ peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem infamiæ ſecutæ iuxta regulas traditas in materia de reſtitutione, vt in particulari tradunt Molina, & Reginald. *locis ſupra citatis.*

7 Quod verò omnes prædictæ tres perſonæ incurrant caſum reſeruatum in ordine Minorum per quamlibet actionem ex illis tribus, conſtat ex verbis prædicti ſtatuti: loquitur enim per diſiunctionem, *vel.* Vnde quicunque aliquam ex prædictis actionibus exercuerit, in qua iuxta prædictas regulas concurrant conditiones libelli famoſi, committet peccatum reſeruatum & tenebitur ad reſtitutionem. Qui verò ſimul ſcripſerit libellum, & poſuerit in loco publico, vnum tantùm reſeruatum committet, quia in genere moris illa duplex actio, eſt vnum tantùm peccatum. Qui verò ſolùm poſuerit in loco publico ſcriptum ab alio etiam committit reſeruatum, licèt non publicetur, quia alius lacerauit. Qui denique poſitum, & ſcriptum ab alio publicauerit, licèt illam ſcripturam inueniat obſignatam, ſiue apertam, etiam committit reſeruatum, quia etiam infamat ex ſupradictis. Et ſtatutum vult omnibus viis intercludere aditum iniuſtæ diffamationi proximi, & omnia hæc colliguntur clarè ex verbis ſtatuti, & ſic tradunt expoſitores huius caſus reſeruati.

8 Duo tamen inſurgunt dubia. Primum circa id quod

quod dictum est,illum qui solum scripsit, vel composuit libellum,non secuto effectu diffamationis, incidere in casum reseruatum. Nam cùm ista reseruatio sit lex pœnalis,& lex pœnalis non puniat pœna totali crimen attentatum, sed crimen consummatum : cùm illud intentum diffamationis non fuerit consummatum propter impedimentum,non videtur incurri pœna reseruationis. Respondetur : Primò reseruationem casus in rigore non esse legem pœnalem , neque datam in pœnam delicti:sed solùm esse negationem iurisdictionis pro danda absolutione ; idque ad bonum regimen Ecclesiæ,pœna enim talis delicti alia est secundùm leges exteriùs infligenda.Cùm ergo reseruatio non sit lex pœnalis,poterit Ecclesia reseruare casus modo sibi placito,etiam si sint interni,vt omnes fatentur.Respondetur secundò illam compositionem , seu scriptionem libelli,etiam non publicati,esse peccatum consummatum in genere libelli famosi facti,seu scripti.Est enim opus externum,& peccatum mortale,etiam si non publicetur , & posset puniri excommunicatione quæ est grauior pœna:eo nempe modo,quo Ecclesia punit excommunicatione hæresim secretam prodeuntem in actum externum,etiam si talis actus numquam publicetur , neque ab aliquo sciatur : per accidens enim est eam sciri. Sic etiam voluit religio in odium tanti criminis quale est huiusmodi libellus , reseruare solam compositionem, & scriptionem illius externam : cùm maximè videat neminem illum scribere , qui non habeat animum publicandi.

9 Secundum dubium est. Quid si istum libellum famosum inueniat ille contra quem scriptus est,& ipsemet contra se publicet:an committet casum reseruatũ? Credo quod non. Nam finis istius reseruationis est ne proximus infametur,vt patet : cùm ergo vnusquisque

sit

sit dominus suæ famæ,& possit cedere suo iuri(dūmodo non sit persona publica, &c.) poterit iste publicans libellum contra se factum, publicare, se ipsum publicando, cedens suo iuri(si potest)cùm nullum infamet. Id quod tunc verius erit,quando libellus famosus continet crimina falsa,quibus publicatis ipse innocens non infamatur. Et præterea quia sic publicans libellum contra se, non infamat autorem libelli, cùm ipse non subscribat libellum.

10 Quæris an prædictum casum reseruatum committat is qui consuluit,vt fieret libellus,vel is qui scripsit iussa alterius non vt autor,sed vt famulus:vel alio modo concurrens, & subministrans eidem actui? Respondeo quod non,quia statutum,vel lex solùm loquitur de componente, proiiciente, & publicante. Quæ verba cùm sint saltem in materia odiosa, sunt restringenda,& in significatione vsitata accipienda:ne proinde extendenda ad cooperantes qui non sunt autor, componens,proiiciens,aut diuulgans.

11 Vt verò magis sciatur tanti criminis magnitudo, leges ciuiles hoc delictum puniunt pœna mortis. Ita Molina *tract.4.de Iustitia disp.39.n.1.* ibi citat *l.lex Cornelia §.si quis librum ff.de iniuriis.* quod ibi exponit Molina intelligendum esse,quando libellus famosus continet crimen, quod si probaretur, is contra quem scriptus fuit capite puniretur. At neque in hoc casu autorem libelli puniri pœna mortis,sed triremium, tradit Iulius Clar.*in sua pract.crimin.q.68.n.25.* Et in aliis casibus dicit puniri pœna arbitraria pro qualitate criminis.

12 Multum iuuat scire ad maiorem notitiā prędictorum qualiter leges nostræ Portugalliæ decernant circa libellum famosum. Nam in Ordinat. Portugal. *libr.5. tit.84.* in summa sic deciditur.Primò,vt qui talem scripturam apertam inuenerit, & legerit, statim laceret,

ita

ita vt amplius legi non possit, neque illam lectam vllo modo publicet: Si verò publicauerit, vel alicui ostenderit, puniatur illa pœna qua puniendus erat author libelli famosi. Secundò, quod si scriptura reperta clausa fuerit absque titulo ad quem dirigatur, illam aperiat, & si inuenerit infamatoriam, statim laceret: Si verò illam publicauerit modo proxime dicto, puniatur eadem pœna authori imponenda. Tertiò, autorem libelli iubet puniri maiori pœna quam puniretur ipsemet autor verba scripta in libello dicens in præsentia ipsius diffamati: cùm diffamare per libellum famosum arguat maiorem malitiam quàm verbaliter dicere verba in præsentia diffamati. Pœna verò tunc imponenda, ait Rex, computabitur iuxta qualitatem verborum in libello contentorum. Quæ lex sanè satis æquissima, & rationabilis est. Et potest esse exemplum, ac norma puniendi talis criminis in Religionibus. Quod autem infamia per libellum famosum sit maior, & plus noceat, quam in præsentia facta verbaliter, probat Molina *citat. disp. 39. num. 2. ex l. vnica Cod. de fam. libell.* & *l. 3. titul. 9. part. 7.* quia scilicet infamia scripto facta, longiùs, & amplius serpit, ac peruadit, & præterea diutius durat quàm infamia verbalis.

13 Maius est quod refert Ioan. Baptista additionator Iulij Clari *ad pract. Crimin. quæst. 68. num. 63.* vbi refert duos Motus proprios, alterum Pij V. alterum Gregor. XIII. qui in statu Ecclesiastico iubent puniri pœna mortis autorem libelli famosi continentis læsionem notabilem famæ alicuius. Sed illud decretum pro statu Ecclesiastico, credo solùm valere pro locis subiectis Romano Pontifici in temporali iurisdictione: quæ loca dicuntur status Ecclesiasticus, seu Patrimonium B. Petri.

LICEN

LICENTIA.

LIcentia data à ſuperiore ſtando in iure communi, non expirat morte concedentis, niſi reuocetur à ſucceſſore. *cap. ſi ſuper gratia. de officio delegati, cum gloſ. ibi,* & Nauar. *libr. 3. Conſil. tit. de Cleric. non reſidentibus, conſil. 4.* Dixi, *de iure communi Canonico*, quia de iure particulari Religionum videnda ſunt ſtatuta cuiuſque. In Franciſcana enim, licentia data ab vno Prouinciali, vel Generali expirat mortuo vel amoto ab officio concedente, donec alius loco dantis ſubſtituatur. Et hoc intelligo de licentia datâ ad abſoluendum à reſeruatis: non verò de aliis diſpenſationibus factis pro neceſſitatibus, vt mox dico.

1 Hoc tamen certum eſt apud omnes quod quando Prælatus diſpenſat cum aliquo ſubdito ratione neceſſitatis corporalis, vel ſpiritualis, talis diſpenſatio durante neceſſitate non finitur expirante illo Prælato diſpenſante, ſed manet fixa, neque indiget renouatione vt ita dicam ſucceſſoris Prælati: quia talis diſpenſatio propriè non eſt licentia, vt Doctores dicunt in materia diſpenſationis, licèt communiter has diſpenſationes vocemus licentias. Sanchez *libr. 8. de matrim. diſp. 28.* vbi fuſiùs hac de re.

2 Si Regula, ſtatutum, vel mandatum Superioris dicat, ne fiat tale, vel tale abſque licentia expreſſa, vel in ſcriptis, ſubditus oppoſitum faciens iis non ſeruatis, peccat pro grauitate materiæ: debet enim expreſsè petere, vel ſcripto obtinere. Licentia verò expreſſa eſt illa quæ exprimitur à Superiore, verbo, epiſtola, nutu, vel alio ſigno ſufficienti, ad mentem ſuam declarandam. Si verò lex, vel ſtatutum dicat ne fiat aliquid ſine licentia ſpeciali, vel abſolutè, abſque licentia, ſufficit licentia

licentia virtualis, vel tacita, quam ſubditus ſcit certò moraliter ſibi à Prælato concedendam, & tunc non peccat ſaltem in foro conſcientiæ: hic enim locum habet dictum aliquorum iuriſtarum, quod tacitum habetur pro expreſſo. Et cum iſta licentia virtuali, & tacita miniſtrantur licitè aliqua ſacramenta alias prohibita, & alia in rebus grauibus, vt Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 15. *n.* 2. 3. & 4. & 20. & Suarez 3. *tom. de Sacr. diſp.* 72. *ſect.* 2. §. *hinc.*

3 Licentia ad edendas carnes tempore prohibito extenditur etiam ad oua, lacticinia eodem tempore, eodem modo licentia ad oua extenditur ad lacticinia, Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 1. *num. vltimo.* Hæc verò licentia ad carnes, oua, & lacticinia pro tempore prohibito non ceſſat morte concedentis, vel illo amoto ab officio durante neceſſitate; ſimiliter de licentia non ieiunandi, & ſimilibus, vel ad recipiendos ordines, Sanchez *libr. proximè citato, disputation.* 28. *à num.* 77. *& ſequentibus* Et de licentia conceſſa à prælato vt confeſſor diſpenſet cum pœnitentibus ad petendum debitum ſi ſunt coniugati, & impediti ob votum, vel inceſtum, de quo vltimo iam ſupra, vide Sanchez *citato loco.*

ADDITIO.

1 LIcentia conceſſa alicui ad aliquid faciendum & reuocata ab ipſo concedente, non habet effectum reuocationis, donec reuocatio intimetur illi cui data erat licentia. Ac proinde quandiu illi non intimatur certò talis reuocatio facta in generali, vel ſpeciali reuocatione, poteſt licitè vti tali licentia, & acta per illum ſi pendent à iuriſdictione ſunt valida. Ita Sanchez *libr.* 3. *de Matrim. disp.* 36. *num.* 9. Vnde colligit Regin.

tom.1.lib.1. num.105. illum cui Episcopus dedit licentiam ad confessiones audiendas, si forte Episcopus reuocet prædictam licentiam, posse illa vti donec talis reuocatio sibi intimetur. Ratio est, quia res per easdem causas nascitur, & dissoluitur, vt habet regula iuris *in 6.* Cùm ergo audire confessiones per solam licentiam dantis expresse, intimatam confessori concedatur; pari modo per expressam reuocationem intimatam confessori reuocabitur. Et ait Sanchez *citat. numer.9.* & clarius *eodem libr.3. disputat.3. numer.11. & 13.* non sufficere, vt is cui data est licentia sciat aliunde reuocatam sibi esse licentiam, sed necessarium esse vt per nuntium ad id destinatum reuocator illius ipsi intimet reuocationem. Idem intellige sufficere quando Prælatus scripto in genere reuocat licentias concessas aliquibus pro aliqua re facienda: Hæc enim reuocatio generalis iam est specialis intimatio. Imò addit Sanchez *citat.disp 3 . num.17.* quòd si Vicarius positus ab Episcopo, reuocetur ab ipso Episcopo absente, & de hoc moneatur Vicarius à persona fide digna non missa ab Episcopo, talis Vicarius non perdit iurisdictionem, sed potest procedere, donec Episcopus illi intimet reuocationem, vel per epistolam, vel per nuntium destinatum, & citat Boërium, Rebuffum, Cucum. Et hæc applicabis ad licentias aliàs concessas à Prælatis pro aliis rebus minoribus non pendentibus à iurisdictione.

2 Concessa alicui licentia ad aliquod opus faciendum, intelliguntur illi concessa omnia necessaria pro illo fine comparando: Habetur in *cap. præterea. de offic. delegati*: vbi sic habetur. *Ex eo quod causa tibi committitur, super omnibus quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.* Idem habetur *in l.1. ff. de iurisdict. omn. iudicum.* Patitur hoc dictum hanc exceptio

ceptionem: vt ſcilicet vtatur is cui tale conceditur omnibus mediis, dummodo aliquod medium non ſit ſpecialiter interdictum. Exemplum. Conceditur aliquãdo Epiſcopo vt procedat contra Religioſum in aliquo caſu tanquam delegatus Papæ: ſi illi non conceditur expreſsè, vt ad illum finem valeat fulminare cenſuras, has non poterit publicare contra Religioſum, quia ſpecialiter prohibetur cuicunque Iudici Eccleſiaſtico ponere cenſuras contra Religioſos, niſi ipſis ſpecialiter concedatur. Vide quæ ſupra diximus verb. *Epiſcopus num.* 5.

3 Licentia ſeu iuriſdictio nihil prodeſt illam ignoranti. Sanchez *libr.* 3. *de Matrimonio diſput.* 36. *num.* 8. vbi probat facientem aliquid cum licentia à parte rei ſibi conceſſa, & tamen ignorata, nihil valere. Et ſimul probat licentiam non poſſe conferri alicui ſolo actu interno, pro quo citat Victor. Ledeſm. Vegam.

4 Licentia data ab Epiſcopo, vt Religioſus confeſſiones ſæcularium audiat, ſi talis confeſſor fuerit legitimè præſentatus à Prælato, non poterit Epiſcopus illam amplius reuocare ad libitum ſicut poteſt reuocare licentias datas clericis. Nam illa poteſtas data Religioſo ad confeſſiones audiendas non datur ab Epiſcopo, ſed à Papa. Vt colligitur ex Clementina, *dudum. de ſepulturis*: At licentia data ſuis clericis conceditur ab ipſo Epiſcopo: proinde poteſt reuocare datam clerico, non verò datam Religioſo: Niſi forte ob culpas Religioſi, quando id Epiſcopus poterit facere, de quo vide quæ dixi ſupra verb. *Epiſcopus num.* 2.

5 Licentia quam Prælatus dedit ſubdito per modum diſpenſationis, diſpenſando videlicet ob cauſam, vt v. gr. comederet carnes, vel oua, tempore prohibito,

vel quid ſimile, talis licentia, vel diſpenſatio durante cauſa, non poteſt reuocari à Prælato. Probatur euidenter, nam obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit: vt votum ſemel irritatum, vel diſpenſatum, amplius non reuiuiſcit, vt omnes fatentur. Ergo illa obligatio ſubditi in illo particulari, ſemel ablata per diſpenſationem legitimam non reuiuiſcet per ſolam voluntatem Prælati: is enim ſola ſua voluntate, non poteſt ſuſcitare ſemel extinctam obligationem. Dixi *durante cauſa*: quia illa ceſſante, ceſſabit diſpenſatio: vt ſi diſpenſatum fuit in eſu carnium tempore Quadr. propter morbum præſentem, & poſtea intra paucos dies ſanitas eſt recuperata, ceſſante cauſa ob quam data eſt diſpenſatio, ipſa quoque diſpenſatio ceſſabit.

LITTERÆ, VEL Epiſtolæ.

Vide infra verb. *Pœna falſarij num.* 9. *&* 10.

1 LIttera, ſeu epiſtola miſſa ad Prælatum, referens multa delicta de aliquo Religioſo, ſi non habet ſubſcriptum nomen authoris, caret omni fide: neque propter illam poteſt Prælatus aliquid inquirere de tali Religioſo, etiam ſi ibi teſtes criminis citentur. Patet, quia tunc neque datur accuſator, neque denunciator, vterque enim debet eſſe perſona certa, & ſubſcribere debet ſuo dicto. Poterit tamen Prælatus in occulto monere Religioſum relatum in epiſtola, vt ſibi caueat. Rodrig. *tom.* 2. *quæſt.* 6. *art.* 10.

2 Litteræ particulares continentes defectus, ſi coram Iudice regulari recognoſcantur à proprio authore faciunt

faciunt plenam probationem: si verò non recognoscantur, & negentur, poterunt comparari cum aliis eiusdem litteris, & si omnino similes inueniantur, faciunt semiplenam tantùm probationem. Rodr. *tom.2. q.12.art.5.*

3 Scribens litteras ad suum Prælatum contra alium Religiosum non est infamator illius, si scripsit bono animo: secus si scripsit animo iniuriandi. Rodrig. *tom.2. q.3.art.2.*

4 Si sub pœna excommunicationis à Papa, vel alio Prælato prohibeatur ne scribantur litteræ, verb. grat. ad Moniales, vel quid simile: si quis scripsit tales litteras, & dedit tabellario; illæ tamen non peruenerunt, vel iniuria, vel malitia delatoris, prædictus scribens non incurrit illam censuram, peccauit tamen mortaliter, & non incurrit, quia illa prohibitio intelligitur cum effectu secuto, vt scilicet litteræ perueniant. Idemque dicendum, si postquam scripsit, retractauit, & non misit. Nauart. *lib.5. Consil. titulo de excommun. consilio 60.*

5 Prælatus aperiens literas subditi ad Papam, non peccat, maximè si faciat ex aliqua causa iusta. Nau. *cit. lib. & tit. Consil.33.num.3.*

ADDITIO.

1 CLemens VIII. in decreto de casibus reseruatis pro Religiosis vndecimum casum reseruabilem posuit istum contentum in titulo. In Ordine verò Minorum, idem reseruatur, numero duodecimus. Sed vterque diuerso modo, ac diuersis verbis. Clem. VIII. sub his verbis: *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum, à Superioribus ad inferiores: vel ab inferioribus ad Superiores.* At in Ordine

Minorum ſub his verbis: *Aperitio litterarum Prælatorum, vel malitioſa earum retentio.* Ac proinde diuerſæ conditiones requiruntur, vt quis in vno, vel in alio caſu reus fiat: quanuis in ſubſtantia, vel quoad aliqua conueniant ambo caſus.

2 Quod ergo attinet ad reſeruationem Clem. VIII. per tres actiones in illo caſu prohibitas poteſt incurri: prima eſt, ſi malitiosè retardentur tales litteræ, vel pro aliquo tempore detineantur, ne veniant ad manus Prælati, ad impediendam aliquam executionem faciendam à Prælato. Quanuis enim poſtea tales litteræ Prælato dentur incurritur ille caſus per malitioſam illam detentionem, negotij iuſti retardationem. Dicitur, *malitioſum*, quia ſi bono animo impediantur, vt ſcilicet commodiori tempore mittantur, non incurretur talis caſus. Credo etiam non incurri, ſi detinens illas litteras Prælati, ſcit moraliter Prælatum malè informari pro aliquo caſu, vel petitur executio iniuſta: tunc enim detinere litteras non fit malo animo. Idem dicendum quotieſcunque cauſa aliqua iuſta concurrerit ob quam arbitrio prudentis viri dicetur id fieri ſine malitia, ac proinde ſine peccato, vt ſi credam negotium in litteris contentum iam eſſe expeditum, & litteras non eſſe neceſſarias, vel quia ſcio ex illis Prælatum magnam recepturum moleſtiam, & ſic de cæteris, vel quia litteræ obtentæ ſunt in meum fauorem, & ego nolo mittere, cedens meo fauori. Et hæc omnia faciũt etiam pro ſecunda actione in caſu impediměti, vt mox dicemus.

3 Secunda actio ſufficiens ad incurrendum illum caſum, eſt impedire illas litteras tali modo, vt poſtea non dentur. Differt enim iſta impediendi actio, ab illa priori retardationis: nam retardare, eſt pro aliquo tempore malitiosè detinere, & poſtea illas litteras dare: at impedire eſt facere vt nullo modo poſtea dentur comburen

burendo ſcilicet, vel lacerando. Et in hoc etiam caſu impediendi requiritur malitia: ſi enim, fiat bono animo, & occurrēte aliqua iuſta cauſa ex iis quas diximus *numero præcedente*, non incurretur caſus reſeruatus. At ſi fiat malitiosè tam retardatio, quàm impedimentum, incurretur caſus, quanuis retardans, aut impediens litteras non aperiat: vt patet ex ipſo decreto loquente per diſiunctionem, *aut*. Apertio enim litterarum eſt actio diſtincta à præcedentibus.

4 Tertia actio per quam incurritur ille caſus, eſt apertio litterarum, & iſta clara eſt. Quæ primò intelligitur de quibuſcunque litteris miſſiuis prælatorum ad ſubditos. Papa enim non diſtinguit ſi mittantur à prælato, vt prælatus eſt, vel vt perſona talis: ſed in cōmuni dicit, prælati ad ſubditum. Secundò non incurret hunc caſum Clem. VIII. qui aperuerit litteras prælati ad aliquem ſæcularem, vel ad aliquem non ſubditum, quia Papa limitat de epiſtolis ad ſubditos. At Minorita incurret caſum reſeruatum in Ordine Minorum aperiens litteras prælati ad quencunque etiam non ſubditum, quia reſeruatio Minorum eſt generalis, & non diſtinguit de ſubditis, vel non ſubditis. Idem modò dictum de limitatione apertionis litterarum prælati ad non ſubditum, extende in eadem reſeruatione Clem. VIII. de retardante, vel impediente litteras prælati ad non ſubditum, tunc enim non incurret reſeruationem, quidquid ſit de peccato mortali.

5 Incurret etiam hanc reſeruationem, qui litteras prælati ſubtiliter aperuerit, & poſtea obſignauerit, & clauſas dederit prælato: iam enim verè aperuit. At non incurret, qui ex cubiculo prælati epiſtolam à ſe mittendam, ſed adhuc apertam legerit, vel rapuerit, & idem fecerit de epiſtola ſubditi ad Prælatum aperta in eodem cubiculo: nam hic neque retardauit,

neque impediuit,neque aperuit:quidquid ſit de peccato illius.

6 Si autem hæ tres actiones,vel aliqua ex illis fiant circa litteras miſſas à ſubdito ad Prælatum,incurret reſeruationem Clementis VIII. quia decretum id clarè exprimit. Ac proinde retardans , impediens , vel aperiens malitiosè litteras ſubditi ad Prælatum,committet peccatum reſeruatum,niſi etiam excuſetur ob aliquam cauſam ex dictis *n.*2.propter quam cenſetur non peccare,nec facere malitiosè.

7 Quod verò attinet ad formam reſeruationis pro Ordine Minorum , imprimis illa coincidit cum reſeruatione Clem. VIII. in aliquibus. Primò in malitioſa retentione , vel apertione litterarum Prælati ad ſubditum. Quandocunque enim malitiosè fuerint retentæ , vel apertæ, ac lectæ , cum conditionibus ſupradictis erit peccatum reſeruatum. Solùm ſupereſt aduertere quod Clemens VIII. in ſua reſeruatione vtitur tribus verbis,videlicèt, *impedire*, *retardare*, *aperire*. At reſeruatio Minorum, vtitur duobus tantùm, videlicet, *aperire*, *vel retinere*. Sed ego credo, quod vèrbum, *retentio* pro Minoritis comprehendit vtranque actionem videlicet retardationem malitioſam, vt dentur tempore non commodo:& impeditionem lacerando ſcilicet, vel comburendo,vt nunquam dentur.Hæ enim ambæ actiones eodem tendunt , & in vtraque eadem eſt ratio:imò maior malitia eſt in actione impediendi ne vnquam dentur quàm in retardatione , vt tempore non commodo dentur.

8 Differunt verò hæ duæ reſeruationes D. Clem. VIII. ac Minoritarum pro quo Clem. VIII. ampliauit in hoc quod eſt ponere reſeruationem etiam pro litteris miſſis à ſubdito ad Prælatum.Et reſeruatio Minoritarum ſolùm ponitur circa litteras Prælatorum ad

ſubdi

subditos. Et sicut dixi, reseruatio Clem. VIII. est magis extensa, ac bono regimini congruentior. Conuenit enim bono regimini, ac quieti, & consolationi Religiosorùm, vt eadem securitas adhibeatur literis prælati ad subditum, quàm subditi ad prælatum. Eadem verò quæ notauimus supra *n.*2. ad excusandum subditum circa casum reseruatum Clem. VIII. valebunt etiam ad illum excusandum in reseruatione Minoritarum.

9 Secundò differunt prædictæ duæ reseruationes, quod Clem. VIII. reseruat illa tria circa litteras tantùm prælatorum ad subditos, vel è contra. At reseruatio Minoritarum quoad hoc est extensior, reseruat enim in communi apertionem, vel retentionem litterarum Prælati, siue illas mittat ad subditum, siue ad quèncunque non subditum, vt patet ex verbis reseruationis. Nomine verò *litterarum* intelligi videtur non solùm epistola missa, sed etiam quoduis mandatum, licèt sit in litteris patentibus, vt vocant, quæ apertæ iubentur pro executione alicuius negotij: has enim apertas retardare, vel impedire in vtroque casu erit peccatum reseruatum: sunt enim litteræ Prælati, etiam patentes: & in illis cernitur idem finis legis. Nomine verò *Prælati* in vtroque casu, intelligitur Prælatus Ordinis illius, in quo degit Religiosus. Vnde non erit reseruatum peccatum illa facere circa litteras Prælati alterius Ordinis. Hoc præcipuè quoad Minoritas probo, ex alio reseruato Ordinis, videlicet in falsificatione sigilli Prælatorum Ordinis. Ibi enim vltra Prælatos Ordinis, statim ampliatur: *Vel alicuius personæ in dignitate cõstitutæ*, vt supra diximus *ver. Falsarius.* At in hoc casu de litteris Prælatorum, non fit talis extensio ad prælatos alterius Ordinis, vel Ecclesiastici: Idque clarius constat in reseruatione Clem. VIII. qui clarè solùm loquitur:

de

de prælati litteris ad ſubditum, & è contra; ac proinde non loquitur de litteris prælatorum extra Ordinem.

10 Dixi olim in expoſitione caſuum Clem. VIII. (& ſcio aliquibus dictum placuiſſe) quod ſubditus ſciens moraliter in quadam epiſtola ad prælatum contineri falſam, & iniuſtam querelam contra ſe, poſſe abſque peccato, etiam non reſeruato, talem epiſtolam retardare, impedire, vel aperire, quia vtitur defenſione naturali. Nunc illud confirmo dicto Molinæ *tract. 4. de Iuſt. diſp. 6. num. 6.* vbi aſſerit hominem priuatum poſſe licite aperire, ac legere litteras alienas quibus iuſtè timet damnum aliquod ſibi iniuſte parari, vt poſſit illud damnum effugere. Imò addit idem poſſe quenuis efficere aperiendo litteras ex quibus ſcit damnum alteri proximo iniuſtè parari. Quod poteſt ad intentum applicari circa litteras miſſas ad prælatum, vel ad ſubditum, ſi iuſtè timeo inde damnum iniuſtum. Parum enim intereſt quod in apertione litterarū ſit poſita reſeruatio: quæ non eſt poſita in litteris ordinariis ſæcularis ad ſæcularem. Nam ſi defenſio naturalis, vel obuiatio mei damni iniuſtè inferendi à prælato me excuſat à peccato mortali: etiam me liberat à reſeruatione quæ non ponitur niſi pro peccato mortali. Si verò damnum, vel punitio in litteris mandata ſit iuſta, & mihi debita, vel informatio ſubditi ſit vera, erit mortale reſeruatum aliquid ex illis facere circa litteras, iam enim facio animo iniuſto, & malitioſo impediendo actum iuſtitiæ.

11 Quæris. Dixi ſupra *verb. Caſus reſeruati num. 17.* quod ſi aliquis inferior reſeruauit caſum: & poſtea Superior reſeruauit eundem caſum, non poteſt iam inferior ab illo abſoluere, quia inferior non poteſt diſpenſare in lege Superioris. Huius occaſione quæris, ſi in aliquo

Digitized by Google

aliquo Ordine sit reseruatus casus circa litteras Prælatorum, vt sit in Ordine Minorum: & vltra hanc reseruationem etiam in Capitulo reseruentur omnes casus contenti in decreto Clem. VIII. einsque reseruatio circa easdem litteras Prælatorum, vt diximus: quæris, inquam, vtrum in tali casu, & reseruante Ordine, & reseruante Papa Superiore, sit dicenda duplex reseruatio; & possit absolui prædictum peccatum absque recursu Papæ? Respon. In vtroque casu vnam tantùm esse reseruationem, & hanc posse absolui à Prælatis Ordinis habentibus ad id licentiam. Ratio diuersitatis est: quia id quod diximus *citat. num.* 17. supra, intelligitur quando vltra Prælatum inferiorem reseruantem, etiam Prælatus Superior sibi ipsi reseruauit. At Clemens VIII. non sibi ipsi reseruauit illum casum, imò neque casum reseruauit, sed solùm designauit ac permisit vt à Prælatis Ordinum posset reseruari: & proinde vnica tantùm est reseruatio, Ordinis videlicet, non Papæ, à qua Prælati Ordinum possunt absoluere. In prædicto verò casu quando Prælatus Superior sibi reseruauit post reseruationem inferioris, sunt duæ reseruationes distinctæ, & impetrata licentia à Superiore Prælato, non erit necessaria licentia Prælati inferioris.

LVDVS, SEV LVDERE.

1 LVdus, maximè alearum prohibitus est Monachis, & clericis in iure Canon. *cap. Episcopus 35. dist. & c. inter dilectos. de excessib. Prælatorum.* Hoc tamen multi limitant, maximè Ludouic. Beia *in suis Resp. Moral. 1. p. casu 61. f. 139. col. 3.* dicens vt clericus Monachus committat peccatum mortale in ludo alearum, vel in quouis alio, requiri tres conditiones: prima est vt fiat frequenter, & sæpius: quod ipse colligit ex textu

ibi

ibi citat. Secus si aliquando, clericus, vel Monachus faciat recreandi animi gratia, non sæpius. Secunda conditio in clerico, & Monacho est, vt fiat sine scandalo: si enim cum scandalo fiat, erit peccatum mortale, vt si Monachus maximè Franciscanus, luderet cum pecunia coram se posita, vel alius non Franciscanus luderet notabilem summam pecuniæ cum scandalo. Tertia conditio est in clerico, qui peccabit mortaliter, si de redditibus sui patrimonij luderet quantitatem notabilem, quæ deberetur pauperibus. Ac proinde infert Beia *cit. l.* ex Sylu. Clericum, vel Monachum ludentem cum scandalo, vel notabilem summam, vel cum frequentia, peccare mortaliter.

2 Ex dictis sequitur, Monachum ludentem absque scandalo, & in modica quantitate, & non frequenter, sed animi recreandi gratia, non peccare mortaliter etiã si sit ludus alearum. Vt autem hæc locum habeant obseruandæ sunt multæ circunstantiæ. Videlicet loci, personarum assistentium: Monachi ludentis si sit Minorita, vel grauis quãtitatis in ludo expositæ: statutorum ipsius ludentis in Religione factorum: & sic de cæteris circunstantiis; atque ex illis colligenda est culpa Monachi ludentis. Hæc enim culpa poterit esse mortalis, vel ex statuto prohibente expresse talem ludum, vel ex scandalo, vt si Minorita ludat apposita pecunia, vel promissore illam soluturo assistente, & sic de cæteris, iuxta arbitrium prudentis viri. Si verò quæras quantam summam, seu quantitatem possit Religiosus ludere, qualisquisque ille sit: Ego credo illum posse ludere illã quantitatem, quam extra ludum licitè donare, vel alienare potest iuxta suam regulam, & constitutiones. Hęc enim regula certa est, & generalis. Si enim, v.g. tres regales donare potest, iuxta suam regulam, & constitutiones, vel quid simile, minus, aut maius: idem etiam poterit

alienare

alienare ludendo,parum enim interest si potens donare,vel alienare,donet aut alienet gratis,vel per ludum sibi alias licitum. Quod semper intelligo dummodo talis ludus,alearum scilicet,non sibi sit specialiter prohibitus, & cesset scandalum. Videat ergo Religiosus suas constitutiones, & circunstantias supradictas vt sciat quid sibi faciendum sit.

3 Lucratum in ludo à filio familias,vel à Religioso, quod Religiosus ludere non poterat,tenetur restituere, Rodrig. *Add.ad Sum.tom.3.c.128.concl.10.* vbi aduertit cum Rabello *de Oblig.Iust.2.p.lib.12.q.4.n.15.* hanc restitutionem de ordinario non esse faciendam ipsi Monacho ludenti;quia ex hoc occasionem sumet, vel iterum ludendi;vel malè expendendi: sed faciendam esse Conuentui, vel Ordini cuius est filius. Quod verò in hoc casu interueniat obligatio restitutionis,omnes fatentur,quia Monachus non potest alienare, neque donare,sicut non potest seruus.

4 Scrupulo potest quis agitari, an quando Religiosus ludit cum Seculari,hoc soluturo rem temporalem, verb. grat. gallinam: Religioso verò pro illo dicturo Rosarium: an,inquam,hoc sit simonia dando rem spiritualem pro temporali? Respondet Rodriguez *loco proximè citato, concluf.9.* non esse simoniam, & idem tenet Ludouic. Lopez *2.p. Instruct. capit.32. ad finem*, & tenent alij.

MANVS VIOLENTÆ.

Pro hoc vide infra verbo *Prælatus,num.33.*

1 RODriguez *in Summ. moral 1. parte, capite 81. concluf. 13.* dicit, quod qui in occulto propinat venenum Clerico in cibo,vel potu,non faciens illi violen

violentiam vt ſumat, ex quo ſumpto Clericus mortuus eſt, non incurrit excommunicationem manuum violentarum ob percuſſionem Clerici. Et ait idem reſponſum eſſe à Doctoribus Salmanticenſibus hac de re conſultis. Hoc mihi nunquam potuit placere. Oppoſitum enim, quod ſcilicet incurrat, tenet Suarez, vel ſaltem clarè innuit *tom. de cenſur. diſp. 5. ſect. 1. num. 15. §. Addo quæſtionem.* & *eodem tom. diſp. 44. ſect. 3. num. 5.* maximè in fine, & *diſput. 22. ſect. 1. num. 23.* & *num. 28.* dum ait generaliter manus violentas eſſe omnem actionem, quæ non ſolùm naturæ, ſed etiam iuſtitiæ repugnat, & tangit ipſam perſonam: quid autem magis naturæ repugnat, ac perſonam tangit quàm venenum aufferens vitam? Tenet idem expreſsè Ludouicus de Beia *in Reſponſ. Moralibus, 1. parte, caſu* 46. fusè, & euidenter id ſupponens. Et innuit clarè Sayrus, *lib. 3. de Cenſur. cap. 26. num. 11. 12.* & 17. Et probatur ex communi definitione manuum violentarum iam proximè tacta; eſt enim propinatio veneni actio contraria naturæ, tangens perſonam, & tantam vim inferens, vt auferat animam à corpore, hac enim vi maior vis dari non poteſt. Et certè mirum videtur quod fateantur omnes vim fieri Clerico, & incurri cenſuram, ſi adigatur recipere ſe, & recludere domi, abſque eo quod tangatur perſona, vel veſtis; & equi frænum manu teneatur quo vehitur Clericus: non autem inferatur vis per ablationem vitæ. Quouis ergo modo, quo fiat iniuria Clerico cum violentia, dicendum eſt incurri hanc cenſuram, maximè in tali veneni exhibitione.

2. Minus dubium videtur quod tangit Sayrus *lib. 5. de Cenſur. cap. 19. num. 4.* dicens, quod procurans abortum Monialis, eique potum propinans illa conſentiente, non incurrit excommunicationem, quia imprimis non

non dat venenum, nec facit violentiam personæ sacræ, quia Monialem non occidit: imò illa consentit. Si verò occidit fœtum animatum, persona fœtus non est sacra: nec saltem incurrit hanc positam ob percussionem Clerici. Quidquid sit de excommunicatione Sixtiana propter abortum moderata per Greg. XIV.

3 Incurrunt censuram ob manus violentas percutientes Clericum quemcumque, etiam primæ tantùm tonsuræ, dummodo portet tonsuram, & habitum Clericalem, vel sit Clericus coniugatus prima vice cum virgine. Suarez *disp 22. de censuris, sect. 1. n. 6.* vel etiam si sit incorrigibilis Monachus, expulsus ab Ordine, habens Ordinem sacrum, & innuit Suarez *ibidem num. 9. & 10.* vel etiam si percussus Clericus, sit excommunicatus: quia Clericus excommunicatus non perdit priuilegium fori. Capucinus *ver. Absolutio ordinaria quo ad Fratres fol. 28. §. Sed posset.* Non incurrit hanc censuram percutiens Clericum degradatum traditum iam brachio sæculari Suarez *ibidem.*

Quid si Religiosus expulsus ab Ordine est laicus, vel alius carens omnino Ordine sacro, an hunc percutiens incurrat? Innuit quod sic, Rodrig. *Addition. ad Summam, tom. 3. cap. 99. conc. 5.* quia adhuc est verè Religiosus in substantia, maximè si portet habitum, & tonsuram clericalem. Si verò hanc non portet, mihi res videtur dubia, & colligenda per alias percutientem verum Clericum non portantem prædicta. Si tamen hic eiectus absque Ordine sacro, in sæculo committat crimina punienda pœna capitis, non potest Iudex sæcularis illum condemnare, sed ad Episcopum id spectat: est enim adhuc persona sacra, obligata votis; & hoc patet ex traditis per Rodrig. *citato loco*, & per Suarez *citata disp. 22. num. 9. & 10. & disp. 30. sect. 2. num. 7. & 8.*

4 Si

4 Si Clericus percussus sit manifestus hæreticus, non incurrit illum percutiens. Vmbert. *practic. Inquisitorum, verb. Clericus.* §. *Clericum hæreticum*, idque etiam si non sit traditus brachio sæculari.

5 Incurrunt etiam percutientes Monachum quemcumque siue Monialem, Nouitium vel Nouitiam, vel cõuersum qui propriam professionem non emisit, sed tamen viuit intra claustra cum obedientia, cum habitu non sæculari. Est communis, & Suarez *num.* 19. ex multis locis Iuris. Sed de conuerso intelligo oportere quod sit donatus, id est, qui se Religioni donauerit obligatione, & quasi contractu facto inter ipsum, & Prælatum acceptantem. Sylvest. enim *verb. Oblatus* facit distinctionem, quod oblatus est, qui se & sua omnia sponte obtulit Monasterio habitu non mutato. At conuersus est ille qui hoc ipsum fecit habitu mutato, & viuit in obedientia intra Conuentum, & de hoc secundo non est dubium quod percutiens illum, incurrat.

6 Quæris de puellis fœminis, vel masculis, qui viuunt intra Conuentum Monachorum, vel Monialium futuri Religiosi, cum habitu Regulari, & obedientia, & cæremoniis Religiosorum, an hos percutientes incurrant? Pro hoc nullum inueni Doctorem. Pro vna parte occurrit quod lex pœnalis censuræ non est extendenda, & isti nec sunt professi, neque Nouitij, neque conuersi, pro alia occurrit quod eadem lex censuræ est priuilegium in fauorem Clericorum siue Ecclesiæ, & sic posset ad has puellas, & pueros extendi, cùm aliàs viuant cum habitu, obedientia, ac disciplina Regulari, admissi ad Sacramenta, & similia. Non consulo. Elige quod visum fuerit. Scio quod *in c. quisquis* 17. *q.* 4. gaudent hoc priuilegio non solùm Monachi, sed etiam personæ specialiter Deo dicatæ, & isti possunt videri personæ specialiter Deo dicatæ.

7 Com

7 Commendatarios Ordinum militarium, qui percutiunt, incurrunt hanc cenſuram, vt tenet Vega 1.*par. Sum.moral.c.*85.*caſu* 147.§.*lo ſeptimo nota.* Pro quo citat Nau.& Graffis. Sunt enim veri Religioſi per declarationes Pontificias ibi adductas:& portant habitum Regularem ſui Ordinis. Vide infra, *ver.Tertiarij n.*3.

8 Tertiarij Sancti Pat.Franciſci, vel S.Dominici, non gaudent hoc priuilegio, niſi viuant in Congregatione, & portent habitum diſtinctum à ſæcularibus. Suarez *n.*20. Neque Eremita ordinarius, niſi fortè ille alicui loco ſacro fuerit addictus cum ſpeciali ſubiectione ad Epiſcopum ex voto, pacto, ob quæ dici debeat perſona ſpecialiter Deo dedicata.

9 Dubium graue: an incurrat hanc cenſuram intendens de nocte percutere Petrum Clericum:& caſu non hunc, ſed Ioannem Clericum percuſsit? Aliqui abſolutè affirmant, vt Cou.*c.alma mater*, 1.*part.*§.10.*n.*15. Alij ſimpliciter negant, placet diſtinctio Suarez dicentis *diſp.*22.*de cenſ.n.*54. quod ſi taliter percutiens fecit omnem diligentiam moralem ne alia perſona ibi ſubeſſet niſi Petrus Clericus, tunc non incurrit; quia tunc illa percuſſio circa Ioannem fuit omnino inuoluntaria, & caſualis: ſecus ſi non fecit talem diligentiam. Ego pro parte negatiua etiam adduco hoc aliquale exemplum. Nam Congregatio Card.ſuper Conc. Tri. anno 1587. declarauit quod mandans occidere Petrum, ſi mandatarius occidit Ioannem, non incurrit mandans irregularitatem ortam ex homicidio voluntario. Ita habetur *in* 4.*to. Declarationum impreſſo ex Bibliotheca Farinacij fol.*41.*col.*1.*in fine.* Si ergo taliter mandans non incurrit pœnam irregularitatis, quia non eſt occiſus quem intendebat: videtur etiam quod in noſtro caſu non incurret pœnam excommunicationis occidens Ioan. Clericum, quia non occidit Clericum quem intendebat.

Digitized by Google

10 Non desunt Doctores qui dicant Cleticum se grauiter percutientem,non incurrere hanc censuram, pars tamen affirmatiua est communior.Nau.*in Summ. c.27.n.97.*& alij multi.

11 Subditus percutiens Prouincialem notabiliter, vel suum Prælatum localem, Guardianum,& similes, potest eiici ab Ordine si percussio fuerit enormis. Rodrig.*tom.1.q.33.art.2.*

12 Prælatus Regularis si temerè absque cognitione causæ verberet subditum Sacerdotem, vel tali verberatione rigorosa, quæ excedat nimis proportionem culpæ, incurrit hanc censuram si faciat maximè irato animo,vel causa vindictæ.Colligitur ex *cap.vniuersitatis.de sent.ex communi.* & est communis. Iam enim ille Prælatus non exercet correctionem Regularem vel iuridicam,vel paternam,sed actionem violentam.Dixi *si punitio sit nimis excedens*, quia si parum excedat,non incurret:difficile enim est in his rebus tenere medium, vel rigorem mathematicum.

Vltimò. Si sit tantùm leuis aut vehemens suspicio quod vnus Monachus percussit alium,credo quod non est absoluendus in publico ad cautelam cum verberatione solita:primò, quia ista absolutio licèt in parte sit beneficium,est tamen pœnalis propter verbera:& supponit ex se factum,quod non est adhuc probatum. Secundò,quia in Tribunali sancti Officij suspecti de hæresi leuiter, vel vehementer non absoluuntur ab excommunicatione annexa hæresi: vt videre potes apud Penham *in Directorio Inquisit.*cum Eymerico *à f.486. & sequentibus*:vbi solùm dicit absoluendos esse violenter suspectos *fol.*497. & idem habet lib. Practica Inquisit. *verb. Suspicio*:quod huc applicari potest:& proinde solùm videtur absoluendus exterius suspectus violenter de percussione Clerici.

ADDI

ADDITIO.

VLtra iam dicta ſupra, vide *in his Addition. verb. Excommunicatio n.*11.*& verb. Ignorantia n.*21.*&* 22.ibi enim dicta ſunt aliqua huc concernentia. Adde ſequentia.

1 Rodriguez *tom.*2.*qq. Regul.q.*33. *art.*2. tenet quòd percutiens grauiter ſuum Prælatum localem,& Superiores,poteſt eiici ab Ordine:vt ſi quis percutiat Guardianum, Priorem, Prouincialem,& cæteros. Id tamen non admittit,ſi quis percuſſerit Vicarium Conuentus, vel Subpriorem : probat,quia in lege ciuili *l.omne delictum,ff.de re milit.*punitur pœna mortis is qui percuſſerit magiſtratus : & hoc intelligit Rodriguez ſi percuſſio fuerit grauis.Item de Vicario Conuentus idem ſentit Rodriguez *ibidem* poſſe dici , ſi in abſentia longa Guardiani eius loco gubernet : tunc enim debetur illi honor æqualis,atque Guardiano. Ego ſi tali caſui aſſiſterem non eiicerem extra Ordinem talem reum pro ſola graui percuſſione Guardiani.Moueor,quia illa lex ciuilis de pœna capitis in percuſſorem magiſtratus,eſt pœnalis & proinde non extendenda ad ſimiles caſus. Secundò , quia illa lex ciuilis fortè non eſt in vſu in percuſſione graui cuiuſuis magiſtratus , ſaltem in hoc regno Portugalliæ. Vidi enim ego in facti contingentia , quendam reum qui Iudici ſuo vulnus graue inflixit in facie , non damnari ad mortem , ſed ad exilium. Fateor tamen grauiori pœna plectendum eſſe illum , qui Prælatum percutit cæteris paribus , quàm percutientem non Prælatum , eſt enim crimen multo grauius.

2 Occaſione præcedentium vbi fit in mentio de percuſſione graui , nota Minoritas olim petiiſſe à Papa

Digitized by Google

Ioanne XXII. vt sibi declararet, quæ esset percussio grauis, quæ leuis. Eius responsio habetur in Bullario Rodriguez *fol.* 100. cuius summa hæc est.

Percussio leuis,& modica est,quæ fit pugno,palma, manu,pede,baculo,vel iniectione lapidis, quæ ad mutilationem membri, vel dentis fractionem non accedit, neque ad euulsionem capillorum, nec notabilem sanguinis effusionem,vt si parum sanguinis ex leui percussione flueret. Ex verbis verò vltimis à contrario innuit percussionem fore grauem si ex illa sequatur mutilatio membri, fractio dentium, auulsio notabilis capillorum,barbæ præcipuè. Eandem grauem fore percussionem dicit pensandam ex circunstantiis,loci,personæ,& modi:loci,si fiat in theatro,foro,coram Rege, coram prælato, Iudice, vel in Ecclesia,vel in publico, tunc enim erit grauis ratione loci, etiamsi in se aliàs sit leuis.Erit item grauis ratione personæ percussæ,vt si percutiatur Magister, Iudex, Magistratus, Prælatus,ab inferiori,vel si percutiatur pater,patruus,vel aliquis in dignitate constitutus. Ac tandem resoluit Papa arbitrio prudentis, ac Iudicis pensandam esse grauitatem, vel leuitatem percussionis.

3 Hinc intelligetur quod ait Rodrig.*citata q.33.art.3.* quod quando in aliqua Religione datur statutum aliquod puniens certa pœna aliquam percussionem, debet intelligi de percussione graui,non verò de modica; citat Bald.& Panorm.& alios.Et sic aduertit Religiosos contrauenientes Breuibus Pontificiis in re parua, seu modica quantitate, non esse puniendos pœna totali in illis imposita: vt si prælatus localis admittat fœminas graues intra claustrum Monasterij statim ad ianuam, seu portam, vt inde aspiciant à longè cæteras partes claustri, talem prælatum dicit non esse puniendum

pœna

pœna totali contenta in Bulla Pij V. priuatione ſcilicet officij,& ſic de cæteris.

4 Si duo Religioſi per iocum, ſiue iocando ſe adinuicem percutiant, non incurrunt cenſuram, vt patet: & hoc eſt verum etiamſi in ioco ſit exceſſus,& pariter in percuſsione. Ita Franciſcus Longus *in ſuis caſibus reſeruatis caſu* 10. *n.* 17. & citat *cap.* 1. *de ſent. excommunicat.* At in *prædicto cap.* non fit mentio, ſi excedatur in ioco, vel in percuſsione ſolùm dicitur abſolutè, non eſſe excommunicatum illum qui percuſsit Clericum per iocum. Ego tamen dictum authoris iſtius non condemno, in quantum conſtet percuſsionem illam inceptam in ioco, taliter creſcere vt numquam perueniat ad peccatum mortale: ſcio enim poſſe cum aliquo motu iræ non plenè conſiderato percuſsionem inceptam à ioco poſſe deuenire ad ſolum peccatum veniale, ex defectu plenæ aduertentiæ. At ſcio in re morali poſſe aliquando actum eundem numero materialiter, in initio eſſe primò primum, ita vt nec ſit peccatum veniale. Deinde luceſcente aliquantulum magis ratione, poſſe eundem actum eſſe peccatum veniale adhuc deficiente plena conſideratione. Tertiò affulgente magis rationis radio poſſe eundem actum eſſe peccatum mortale propter iam plenam aduertentiam. Quæ omnia poſſunt contingere in percuſsione incipiente per iocum, maximè ſi fiat exceſſus in percuſsione non conſueta in ioco: & talis poterit inde oriri inquietudo vt conſulendum ſit ſaltem pro foro interno ad cautelam petendam eſſe abſolutionem. Si verò finito ioco per aliquam moram, iterum alter alium aggrediatur, & grauiter percutiat malo animo, omnes concedunt incurrere cenſuram Canonis.

5 Quando autem percuſſor Clerici ſit dicendus notorius percuſſor, ad hoc vti debeat vitari tanquam ex-

communicatus, ante vllam declarationem, vide supra *verbo Dispensare n.9.* vbi ex Nauar. diximus quando crimen dicatur notorium.

6 Dixi supra *hoc eod. verb. num.10.* communiorem esse opinionem quòd Clericus se percutiens incurrat censuram. Nunc explico id esse intelligendum, si deliberato animo sibi manus iniiciat. Sic enim sentiunt Ioann. Andr. Panorm. & Felin. *in cap. contingit 1. de sent. excomm.* Nam quoad hoc non est dominus suæ vitæ & membrorum. At si id faciat ex repentina inconsideratione, & indignatione, vt aliquando maximè faciunt Moniales plus impatientes, non incurretur censura. Et aduerto quod facilius credi potest aliquem se ipsum percutere grauiter ex indignatione inconsiderata, & insufficiente ad censuram: quam credi possit aliquem percutere grauiter, cum tali inconsideratione insufficiente ad censuram: quia intellectus facilius aduertit, ac magis abhorret à percussione alterius quàm sui ipsius.

MATRIMONIVM.

1 REgularis iungens sponsos matrimonio absque licentia Parochi, manet suspensus, & excommunicatus, vsque ad beneplacitum Episcopi cuius erat Parochus qui tali matrimonio debebat assistere. Trident. *sess. 24. cap. 1.* & Rodrig. *tom. 3. quæst. 2. artic. 1.* Bene tamen hoc possunt facere Religiosi in Indiis habentes curam animarum in locis à Prælato designatis. Sanchez *libr. 3. de matr. disp. 26. num. 1.* vbi multa dicit de Religiosis Parochis circa matrimonium. Imò etiam extra Indos Regulares habentes beneficia regularia, & veri Parochi, id possunt vsque vlla pœna, vel culpa. Prædictam verò pœnam excommunicationis & suspensio

Digitized by Google

ſpenſionis limitat Rodrig.*cit.tom.*3.*q.*2. *art.*1. ſi ſolemnizant matrimonium cum benedictione nuptiali:non verò aliàs.

2 Religioſus profeſſus contrahens matrimonium, eſt ſuſpectus de hæreſi, & ad ſanctum Officium defetendus;quia malè ſentit de Sacramentis.Hoc tamen eſt intelligendum ſi publicè contraxit, tunc enim præſumitur in fide errare;ſecus ſi contrahat in occulto cum fœmina,dicens verba ſolita,tunc enim non ex hæreſi, ſed ex libidine errare præſumitur;& hoc intellige ſi deſit Parochus,& teſtes. Vmbert.*in ſua practica Inquisit. verb. Religio* citans Abbatem *cap.de homine.de celebrat. Miſſar.* Adde quod prædicti Religioſi, & Moniales contrahentes in publico matrimonium, præterquam quod ſunt ſuſpecti de hæreſi, incurrunt etiam excommunicationem per Clementinam *vnic.de conſanguinitat.* & in hoc etiam ligantur Patres Societatis IESV nondum profeſſi ſolemniter, ſed ſolùm habentes tria vota ſimplicia. Eſt communis,& declaratum in Bullis Pontificiis,maximè Greg.XIII.

3 Ingrediens Religionem animo ficto,vt ſtatim poſt exeat, & ſponſalia fugiat, poſtea exiens non dirimit ſponſalia,ſed tenetur ad matrimonium. Secus ſi bono animo intrat,animo profitendi, tunc enim ſtatim ſoluuntur quo ad vtramque partem,Sanchez *lib.*1.*de Matrim.diſp.*42.*per totam.*

4 Religionem profeſſus, qui erat vero matrimonio ligatus, & profeſſus fuit abſque licentia coniugis, ſed coniux extra manens tacuit, nec licentiam dedit,poterit extrahere profeſſum,& ille cogetur exire. Sanchez *lib.*7. *de Matrim.diſp.*35.*num.*13.Sed de hoc vide fuſius *verb.Profeſſio coniugis.*

5 Ligatus ſolo matrimonio rato,& non conſummato,poteſt profiteri in Religione. Eſt certiſſima, vt pro-

batione non indigeat: ita vt etiam dissoluatur matrimonium prædictum per professionem factam in Ordine militari Sancti Ioannis Ierosolymitani: non verò per professionem factam in aliis Ordinibus militaribus. Sanchez *lib.2.de Matrim.disp.18. per totam.* Non verò satis est in omnibus supradictis, circa dissolutionem dicti matrimonij rati ingressus Religionis, sed professio legitima.

ADDITIO.

1 PRæter iam dicta supra tangentia Religiosos, quæ erant præcipua,& grauiora: visum fuit per summam referre,quæ Summi Pontifices concesserunt Religiosis degentibus in Indiis circa matrimonij administrationem, ac dispensationem cum Indis. Igitur Leo X. concessit Minoritis laborantibus in Indis pro infidelium conuersione, vt possint dispensare cum Indis vxoratis,denuo ad fidem conuersis, vt possint retinere vxores, cum quibus contraxerant obstante aliquo impedimento dirimente,& cum illis dispensare vt illo impedimento non obstante illas retineant:addit tamen Papa: *Dummodo illa impedimenta matrimonij non sint prohibita lege diuina, sed solùm introducta lege Ecclesiastica.* Habetur concessio in Bull.Rodr *f.635.* Idem concessit Paulus III. Patribus Societatis IESV in eodem Bull.*f.813.*cum eadem limitatione de dispensando solùm in impedimentis lege Ecclesiastica introductis, non verò de impedimentis diuina lege prohibitis. Et præterea id concedit solo Generali dictæ Societatis,vt ille pro hoc destinet, quos viderit idoneos. Quod non habet concessio Leonis facta Minoritis, non enim loquitur de Generali,sed de Fratribus.

2 Vt autem sciatur quæ sint impedimenta matrimonij

nij diuina lege prohibita, dicendum eſt primò cum Sanchez *lib.7. de Matrim. diſp.52. num.8. in medio, & n.4.* in lege Euangelica Chriſtum Dominum nullum impedimentum matrimonij ſtatuiſſe:imò neque vllum præceptum poſitiuum,vel negatiuum:ſed exceptis præceptis fidei,ac Sacramentorum reliqua, quæ prohibuit ſunt de iure naturali. Ac proinde,ait Sanchez,impedimenta matrimonij lege diuina prohibita, non intelligitur quod ſint lege diuina Euangelica poſitiua introducta. Sed dicentur lege diuina prohibita, id eſt, contracta in gradu per legem naturalem irritantem prohibito,quale erit matrimonium inter patrem,& filiam, & inter ſororem, & fratrem, id enim natura clarè prohibet: nec niſi in mundi initio licuit dictante pro tunc eadem natura.Et vt hoc magis explicetur,aduerte.

3 Scias quod in lege veteri *Leuitic.*18. ſtatuit Deus multa impedimenta matrimonij recenſita à Sanchez *ibidem n.*1.v.g. in conſanguinitate, & linea recta, prohibetur duplex gradus, videlicet parentum cum filiis, auorum cum neptibus, & auiarum cum nepotibus. In eadem conſanguinitate linea tranſuerſa prohibuit primò inter fratrem, & ſororem, ſiue ex vno, ſiue ex ſecundo parentibus. Ac præterea nepotis cum amita, aut matertera (*id eſt, ſobrinho com tia do pay, ou da māy hirmãa.*) In affinitate erat primò prohibitus primus lineæ rectæ aſcendentis, vt ſoceri cum nuru, vitrici cum priuigna: & è contra priuigni cum nouerca (*enteado com madraſta*) ſocrus item prohibeatur cum genero contrahere: & vitrici cum filia priuignæ. In linea verò tranſuerſa affinitatis erat prohibitum matrimonium cum vxore fratris, & cum ſorore vxoris, vxore viuente: & cum vxore patrui.

4 Quibus positis est grauis dubitatio,an omnia prædicta impedimenta in lege veteri posita, obligent, & impediant hodie de iure naturali,ita vt Summus Pontifex in illis dispensare non possit,eo quod sint impedimenta lege diuina prohibita? Quæstionem disputat Sanchez *citat. disput.* & resoluit negatiuè,dicens cum multis Doctoribus non omnia illa esse de iure naturali impedientia. Rationes omitto breuitatis gratia, per summam id colligo ex citato Doctore.Primò quod iure naturali diuino,in linea consanguinitatis solùm prohibetur coniugium,in linea directa, parentum cum filiis: in transuersa verò fratris cum sorore. Ita citatus Doctor *n.* 15. At in gradibus affinitatis ait prædictus Doctor nullum esse impedimentum iure naturali diuino impositum.

5 Ex his colligitur clara responsio ad prædictas duas concessiones Leonis, & Pauli citatas pro Fratribus Indiarum concedentium vt possint dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium cum Indis,si talia impedimenta non sunt introducta lege diuina naturali videlicet. Nam iuxta prædicta,possunt dispensare cum illis vt retineant vxores,si non interfuit impedimentum aliquod ex dictis *hoc num.* 5.videlicet,si non sit initum coniugium inter parentes,& filiam,& inter fratres, & sorores: hoc enim solum coniugium prohibetur,& irritatur lege diuina naturali,vt multis probat citatus author. Cætera enim impedimenta citata ex *Leu.* 18.vel cessarunt,quia erant magis iudicialia quàm naturalia,vt Sanchez probat *citat.disp.num.* 11.vel quia directè,ac primariò non irritant matrimonium primo iure naturali. Cætera verò impedimenta matrimonij præter dicta, quæ citantur in illis carminibus ordinariis: *Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, &c.* Sunt impedimenta quidem verè dirimentia matrimonium,

nium,ſed ſunt omnia introducta ab Eccleſia:non verò lege diuina poſitiua Euangelica, vt diximus:neque naturali. Et proinde in his omnibus pōterunt Fratres in India diſpenſare cum Indis, quia introducta ſunt lege Eccleſiaſtica, non diuina poſitiua, neque naturali.

6 Circa adminiſtrationem verò matrimonij conceſſit aliqua Pius V.in Bulla quam citat Veracruz *in Appendice ad Speculum ad finem*, quæ ſic reſumuntur, vel explicantur à Sanchez *lib.3.de Matrim.diſp.*26.primò: Religioſi in Indiis noui Orbis in locis deſtinatis à ſuis Superioribus officium Parochi exercentes poſſunt abſque alia ordinaria licentia matrimonio coniungere ſibi ſubditos. Secundò, idem poſſunt circa alienigenas in ſuis locis taliter habitantes vt efficiantur Parochiani. Tales enim iam acquirentes domicilium ſunt ſubditi. Tertiò,poſſunt etiam matrimonio iungere vagos in ſuis locis degentes:vagi enim ſubduntur Prælato loci vbi inueniuntur.

7 Quartò, poſſunt etiam iidem Religioſi Parochi, iungere matrimonio illos Indos, qui non habitant in ſuo diſtricto, neque ſunt vagi, ſed ipſe Religioſus Parochus tranſit per loca vbi tales habitant, & nullum habent Parochum pro tali loco. Probatur, quia in dicto priuilegio Pij V.conceditur prædictis Religioſis,vt in Indiis aſſiſtant matrimoniis, ſicut erat conſuetudo: & ante Concilium Trident. ex conceſſione Leonis X. & Adrian. VI. poterant prædicti Religioſi prædictis Indis miniſtrare omnia Sacramenta. Quintò ſi Indi proprium Parochum habeant, quamuis abſens ſit,Religioſus Parochus in alio loco, & illac tranſiens vbi ipſe non eſt Parochus, non poteſt illos coniungere, abſque licentia proprij parochi. probatur, quia priuilegium Pij V. ſolùm concedit prædicto Religioſo,pro

illo loco cui est assignatus à Superiori:at iste Religiosus transiens per locum alieni Parochi, non est ibi deputatus à Superiore:ergo ibi debet seruari forma Concil. Trident. præscripta extra Indos, vt nullus Sacerdos matrimonio assistat absque licentia proprij Parochi.

8 Sextò,si talis Religiosus Parochus in sua Parochia debeat iungere matrimonio aliquos vagos, id non poterit facere absque expressa licentia Ordinarij,vt iubet Concil. Tridentin. *sess.24. de Matrimon. cap.7.* aliis Parochis ordinariis: requiritur enim maius examen pro vagis vt matrimonio copulentur: ac proinde id non poterit Parochus Monachus absque licentia Ordinarij. Sic tenet Sanchez *citata disputatione 26. num.* 7. contra Veraeruz. Probat inter alia,quia dictum priuilegium Pij V. in nullo derogat Concilio Tridentino: at Concilium *citato loco* præcipit quod modò diximus.

9 Vt verò prædicti Religiosi Parochi habeant facultatem ad omnia supradicta, debet illis concedi licentia à suis Prælatis in Capitulo Prouinciali, sic enim exprimit Pius V. in dicto priuilegio: ac proinde non poterunt vti hoc priuilegio Religiosi in illis locis vbi non celebratur Capitulum Prouinciale.Sic Rodriguez *tom.1. qq. quæst.35. art.4.* Nec Capitulum Prouinciale poterit pro hoc designare Fratrem alterius Prouinciæ, quia illi Religiosi non subduntur illi Capitulo.Non tamen erit necessarium tales Fratres personaliter præsentari,nec nominatim designari à Capitulo:sed poterit Capitulum decernere, vt illi Fratres quos designauerit Prouincialis,vel Prælatus localis,ex tunc sint designati ab ipso Capitulo Prouinciali.Hoc enim non est delegare potestatem assignandi Fratres, & dandi illis facultatem ad Sacramenta ministranda, sed re vera

ipsum

ipſum Capitulum aſsignat, & concedit prædictam licentiam : vt in caſu ſimili probat efficaciter Sanchez *lib.3.de Matrim.diſp.31.num.18.* & Rodrig. *citat.quæſt. art.3.* Addit præterea Rodrig. *ibidem art.1.* non poſſe Capitulum prouinciale dictos Fratres ad aliquem locum deſtinare tamquam parochos, niſi Epiſcopus, vel prorex, vel Gubernator talia loca Religioſis concedat.

Sixtus V. eandem conceſsionem Pij V. extendit,& conceſst Minoritis in Braſilia degentibus:tranſumptum Bullæ Sixti ego vidi authenticum. Eadémque conceſſio(vt arbitror) facta eſt Minoritis in Indìa Orientali, vbi aſsiſtunt in multis locis Indorum conuerſioni,quibus Baptiſmum adminiſtrant.

MINISTER PROVINCIALIS.

Vide ſupra verbo *Generalis*.ver.*Diſpenſare*.ver.*Scrupulus,& in ſimilibus.*

ADDITIO.

HOc melius tractabitur infra verbo *Prouincia*, & *Prouincialis.* & ſeruient pro illo etiam omnia iam dicta verbo *Generalis*, & verbo *Diſpenſare*, & in aliis ſimilibus.

MISSA.

Vide ſupra verb. *Altare.* & infra verb. *Obedientia. num.1.*& ver.*Eccleſia.*

1 CONcil. Trid. *ſeſſ.25. cap.4.de Reformat.* concedit ſolis Generalibus Ordinum vt in Capitulo

Gene

Generali possint reducere numerum grandem Missarum ad pauciorem, quando illis non possit satisfieri singulis diebus iuxta præscriptum testatorum & pro illis tenues eleemosynæ sunt relictæ, vt non facile inueniatur qui velit tali oneri, vel numero, se subiicere: in quo iubet vt res diligenter inspiciatur sub onere conscientiæ. Quæ omnia Generales debent diligenter inspicere, & attendant quid magis conducat ad honorem Dei, & Ecclesiarum vtilitatem. Dummodo fiat semper commemoratio illorum defunctorum qui legata reliquerunt. Et notat Nauarr. *libr.5.Consil.titul.de priuilegiis, consil.3.* posse hoc facere, non solùm Generalem primum qui successit Concilio Tridentino, sed omnes,& singulos futuros: nec solùm pro Missis præteritis, sed etiam pro futuris. Vide alia ibi apud illum, quæ omitto, quia rarò fiunt. Capucinus tamen *super Compend. verbo Concilium* dicit responsum fuisse à Congregat. Cardinalium, illos id non posse, nisi pro Missis præteritis ante Concilium, non verò pro futuris.

2 In Compend. D. Hieronym. Hispan.*verb.Capellania.* §.3. concessit Martin. V. Patribus illius quod non teneantur dicere pro qualibet Capellania fundata in Monasterio de Goadalupe vltra quatuor Missas in qualibet hebdomada,etiam si earum fundatores,& institutores defuncti ordinauerint quotidie Missam celebrari:& quod idem Papa dixit hanc esse amplam satisfactionem per has quatuor Missas. Aliquid fortè simile huic extra priuilegium,tenet Henriq. *tom.2.libr.9.cap.* 24. *num.*4. dum ait quod si capella habeat onus celebrandi,quotidie (vt habet Parochus pinguis beneficij) intelligitur salua honestate, & deuotione debita; nec teneri supplere per alium si paucis diebus Missam omittat:nisi fundator exprimat vt per se,vel per alium

Capella

Capellanus celebret ſingulis diebus,& citat Nau.Sylu. Sot.& Cordub.

Ego, quo ad conceſſionem factam Martini V. prædictis patribus, non dubito quin facta fuerit; ſed non conſulo quod fiat, propter non vſum: imò quod non publicetur ſæcularibus,ob periculum puſillorum.Quo ad dictum Henriquez noto, quod videatur id quod dicit ſi Capellanus omittit celebrare, paucis diebus: ſecus ſi multis. Secundò noto, tam priuilegium quàm Henriquez loqui de ſolis Capellanis, id eſt, qui vno tantùm annali, vel anniuerſario addicti ſunt. Secus de Clerico,vel Regulari, qui diuerſis Miſſis commendatis, vndequaque aſtringuntur abſque certo onere Capellaniæ propriæ: hi enim tenentur omnino dicere omnes commendatas.Vide ſtatim *num.6.hoc ipſo verbo Miſſa.*

3 Gregor. XIII. conceſſit Congregationi Sanctæ Iuſtinæ vt eius Religioſi dum fuerint in itinere conſtituti poſſint celebrare ante auroram:& poſt mediam noctem. Et Pius V. conceſſit patribus Societatis IESV,vt poſſint celebrare per horam ante auroram,& infra horam poſt meridiem cauſa itineris. Capucinus refert *Addit. ad Compend. verb. Miſſa,fol.*212. & poſt illum Azor. *tomo* 1. *libr.*10. *capit.*25. & priuilegium conceſſum S. Iuſtinæ, quod etiam citat Capucinus, non videtur reuocatum, quia conceſſum fuit viuæ vocis oraculo à Gregor. XIII. poſt Tridentin. Patribus illius Conuentus. Sed nota verbum, (*dum ſunt in itinere*) quia extra hanc occaſionem videtur quod non poſsint: imò quod neque in illo die quo debent iter arripere:adhuc enim non ſunt in itinere conſtituti.

4 At Rodriguez 1. *tom. quæſt.*43. *art.*3. citat aliam conceſsionem Leon. X. Minoritis concedentis abſolutè,

lutè, & ſine reſtrictione quod poſsint de licentia ſuorum Superiorum, (quorum conſcientiis id remittit) celebrare Miſſam illico poſt matutinum,& poſt meridiem:& hoc priuilegium probat *ibi* Rodrig.*art.*5.contra Capucinum, & Azorium, non eſſe reuocatum,aut alia celebrandi ante auroram. Idem tenet Miranda *tom.*1.*quæſt.*40.*art.*10.*concl.*2. citans Suarez. Et *ibidem* aſſerit Miranda ex Suarez,quod abſque priuilegio poteſt Miſſa inchoari duabus horis ante ſolem.

5 Iulius II.conceſsit Minimis quod poſsint facere ſibi celebrari Miſſam etiam per Sacerdotes ſæculares ante diem in quocumque loco honeſto, cum Altari portatili: & ibi recipere Sacramenta. Corduba *ſuper Compend.Miſſa* 2.*ad* §.1.

6 Cauendum omnino eſt à conceſsione, qua Leo X. in *Compend. verbo Miſſa.* §. 14. conceſsit Minoribus, vt pluribus Miſsis poſsint ſatisfacere cum vna, quando pro quauis Miſſa tenuiſsima eleemoſyna datur: Hæc enim conceſsio non fuit in vſu, neque in Ordine practicata, vt *ibidem* aduertit Collector Minorita.

Aduertit tamen Rodrig.*cit.q.*43.*art.*16.1.*tom.* quod ſi in Diœceſi pro eleemoſyna Miſſæ ſit taxatum certum pretium, & commendans Miſſas non ſoluit illud pretium taxatum: in tali caſu licebit pauciores Miſſas dicere, accipiendo pro ſingulis, vſque ad pretium, in Diœceſi taxatum. Excipit tamen, & bene *ibidem*, cum Corduba, niſi acceptans Miſſas illas, acceptat expreſsè cum illa minori eleemoſyna in pactum deducta:tunc enim ex pacto cedit iuri, & conſentit, & proinde tenetur ad illas dicendas, ſub minore eleemoſyna,& in dubio,acceptans tenetur ſe explicare.

Aduertit etiam *ibidem* non poſſe Prælatum quando non

non eſt promiſſa taxata eleemoſyna ſufficiens per legem,vel conſuetudinem, non, inquam, poſſe accipere plura ſtipendia pro vna Miſſa, vſque ad quantitatem quæ ſufficiat vna die ſuſtentare vnum Religioſum.vide cauſas *ibi.*

7 Minoritæ,& Moniales Sanctæ Claræ, viuentes ex eleemoſynis tenentur dicere Miſſam, aut facere celebrare Miſſam maiorem Conuentualem pro communi intentione Eccleſiæ:non verò pro particulari pitancia. Rodriguez *tom.* 3. *quæſtion.*7. *articul.*8. & obligat praxis, & ratio Eccleſiæ Collegiatæ, ſunt enim Eccleſiæ Fratrum, & Monialium Collegiatæ, vt *ibidem* Rodriguez aſſerit,*artic.*7.Si verò Moniales non viuunt ex eleemoſynis,ſed ex ſuis redditibus,dicit Rodrig.*ibi, & in Addit.ad Sum.tom.*4.*cap.*51.*conc.*21.ad illam non teneri.

8 In celebratione Miſſæ vitanda ſunt omnino ſuperſtitioſa,& inſolita: qualia ſunt,inter alia,ſuperſtitioſus numerus candelarum, certus, & inſolitus modus precum: & ſic de aliis non contentis, vel diſſonantibus à Rubricis Miſſalis reformati.Concil.Trid.*ſeſſ.*21.*cap.de euitandis in celebratione Miſſæ.*

9 Leo X.*in Compend. Min.ver. Miſſa.*§.13.conceſſit Minoritis vt quando illis commendantur Miſſæ communiter dictæ de Reuelatione, de S. Amatore, & de conſolatione,cum certis candelis,vel aliæ ſimiles: vel quod non diſcontinuentur, ſeu ſine interuallo dicantur, conceſſit, inquam, quod ſatisfaciant dicendo illas Miſſas ad quas magis diſpoſiti fuerint maximè de officio illius diei,in quo celebrant;& ad taliter commendatas non teneantur, cum illud videatur ſonare ſuperſtitionem. Sed nota,quod mens Papæ,ſolum eſt quando ineſt ſuperſtitio. Si enim hæc abſit, dicendæ ſunt Miſſæ,ſub titulo commendato.

10 Qui promittit alicui se dicturum pro illo vnam Missam,& illam non dicit,non peccat mortaliter. Sanchez *libr.* . *de sponsal. disputat.* 5. *dubitat.* 3. *numer.* 24. & Rodriguez *Additio. ad Summ. tom.* 4. *cap.* 107. *numero* 4.

11 Clemens VII. concessit Minoritis *Compend. verbo Missa.* . § 15. vt pro Missa de Passione sibi commendata satisfaciant dicendo Missam de Cruce,vel de quinque Plagis, & loco Euangelij dicere Passionem Sancti Ioann. Sed hoc de mutando Euangelio Missæ Crucis,& ponere ibi Euangelium Passionis hodie non licet,contrariatur enim Rubricis Missalis Pij V. sed facilius,& absque priuilegio dicit Henriquez *tom.* 2. *libr.* 9. *de Missa cap.* 23. §. 7. *littera M. in gloss.* quod ex Nau. *ibi citato*,Sacerdos pro longa Missa de Passione Domini,satisfacit celebrans dicendo Missam de festo occurrenti etiam semiduplici,vel infra octaua.

12 In Sabbatho Sancto dici potest Missa priuata præter Missam maiorem : quia Missale illo die Missam propriam assignat, nec limitat vt sit vna aut plures. Quod fieri non potest feria sexta in parasceue, quia pro tali die Missa non assignatur. Rodriguez *Addit. ad Summ. tom.* 1. *capit.* 51. *concl.* 10. ex Suarez, Gutierrez.

13 Moriens Petrus, elegit sepulturam in Ecclesia Minorum, & iussit pro se dici trecentas Missas, non specificans vbi essent Missæ dicendæ. In dubio dicendæ sunt in Ecclesia in qua fuit sepultus:idem videtur dicendum de officiis, & aliis suffragiis. Rodrig. *Addit. ad Sum. tom.* 4. *cap.* 51. *num.* 30. citans ius ciuile.

14 Religiosi, in Canone Missæ cùm dicitur in principio (*& Antistite nostro*) non debent nominare suum Generalem, sed Episcopum Diœcesis. Fuit declaratum

tum à Cardinalibus Romæ dicentibus quod contra facientes peccant mortaliter. Rodriguez *tom.*4. *Additio. cap.*51. *num.*13. citans verba Declarationis. Et sic habet Rubrica Missalis reformati in expositione Canonis ad verba citata (*& Antistite nostro.*) Quod verò attinet ad peccatum mortale, videtur excusandus qui ignoranter fecit.

ADDITIO.

Vide supra verbo *Festi dies.* Vide etiam infra verb. *Votum num.*17.*&* 18.

1 NOn posse fideles cogi à parochis vt die festo audiant Missam in propria parochia, & non vadant pro illa audienda ad Monasteria Ordinum, concessit Clemens VII. in Bullario Rodrig. *fol.*1197. *num.*4.*col.*2.& tenet Nau.*in* [illegible]*um.cap.*21.*num.*, & multis probat Azor.*tom.*1.*lib.*7.*cap.*6.*q.*4.idem dic de concione audienda. Neque obstat Extrauag.Sixti IV. quæ incipit:*Vices illius*,de tregua,& pace,vbi dicitur teneri parochianos in propria parochia Missam audire in diebus festis. Neque item obstat Concil. Trident. *sess.* 24.*tit.*4. *de Reform.* vbi dicitur teneri parochianos in diebus festis propriam adire parochiam ad audiendum verbum Dei. Non,inquam, obstant, quia imprimis ius commune id solum vetuit, ne in diebus festis id faciant parochiani contempto proprio Parocho, vt explicat Azor. *citat. quæst.*4. & sic ait explicare Innoc. Hostiensem,& alios Canonistas. Eundemque sensum habet Extrauagans Sixti IV. & Concil. Trident.Adde quod Tridentinum solùm loquitur de audienda concione,& non de Missa:& præterea Concilium Trident. *ibi* non reuocat priuilegia Regularium. Neque verò

parochianus dicetur continere proprium parochum si Missam audiat in Monasteriis, eo quod ibi quietiùs, ac deuotiùs audit,& faciliùs habet Missam ob multitudinem celebrantium Religiosorum, & primo mane, vel ob aliam causam. Tunc verò dicetur proprius Parochus contemni cùm id factum fuerit ex contemptu expresso.

2 Imò addit Azor.*cit.c.q.*5. *&* 6. illud ius commune vt quisque audiat Missam in propria parochia, esse abrogatum per contrarium vsum in tota Ecclesia. Vnde infert *q.* 6. non posse Episcopum constituere generale præceptum vt vnusquisque parochianus audiat Missam in sola sua parochia,& citat Nauar.Sylvest.& Antonin. quia generali consuetudine ab Ecclesia tolerata contrarium seruatur. Et adducit declarationem Cardinalium idem declarantium. Excipit tamen *ibi*, dummodo tota pars parochiæ ad Ecclesiam propriæ parochiæ non confluueret, tunc enim posset. Sed ego addo, neque tunc posse Episcopum reuocare priuilegia mendicantium, nam Episcopus non potest reuocare priuilegium à Papa concessum. Vltra verò priuilegium dictum Clemen. VII. adducit etiam Nauar. *citato cap.* 21. *num.*5. aliud priuilegium Leon. X. per quod iuri communi in hac parte derogatur in fauorem Mendicantium.

3 Non possunt Episcopi, vel alij Prælati facere missas celebrari in Monasterio aliquo inuito prælato illius,etiam ob bonum commune.Habetur *cap.luminoso* 18.*quæst.*2 & in Bullar. Rodrig. *fol.* 183. idem concessit Eugen. IV. congregationi Sanctæ Iustinæ, vbi excommunicantur oppositum facientes. Et refert alias concessiones Rodrig.*tom.*3.*quæst.*4.*art.*1. etiamsi Missa dicenda sit pro defuncto tumulato in Monasterio Fratrum.

4 Pro

4 Pro occasione Parochorum aliquando cogentium parochianos pro audienda Missa, nota etiam quòd si cogere voluerint vt etiam Sacramentum pœnitentiæ à solis ipsis Parochis recipiant, non verò à Religiosis, neque velint stare schedulis Religiosorum quibus in Quadr. testificãtur se audiuisse confessionem sui parochiani, Parochi taliter obligantes vt sibi iterum peccata iam confessa confiteantur, sunt suspecti de hæresi habendi, si dixerint prædictam confessionem fuisse inualidam, & possunt Inquisitores fidei contra illos procedere. Habetur in Bullar. Rodrig. *f.* 383. & 384. ex concessione Sixti IV.

5 Pius V. in Bullario Rodrig. *fol.* 682. *col.* 1. *num.* 26. concessit Minoritis vt Missas, & eleemosynas vni loco, vel aliquibus Fratribus commendatas, liceat Prælatis, aliis Fratribus, etiam aliorum Ordinum, vel Presbyteris sæcularibus commendare: nisi oppositum expressè dixerint, qui Missas commendauerunt, & pecunias dederunt.

6 Leo X. in eodem Bullar. Rodrig. *fol.* 731. *col.* 1. *n.* 54. concessit Minoritis vt possint celebrare Missam illico post matutinum, & post meridiem, præsertim in diebus, quibus obligat auditio Missæ quando Fratres aggressuri sunt iter vel quando veniunt de via, neque accedunt ad locum ante meridiem. Circa hanc verò concessionem aduerto, quòd licet ibi dicat: *Præsertim iter aggressuris*, vox *Præsertim* non tollit quin possint vti eadem concessione alij Fratres non iter aggressuri. Nam particula, *Præsertim*, non excludit alios casus precedentes; sed cùm dicatur particula implicatiua, implicat idẽ esse in casu contrario, licet in illo fortior militet ratio, vt cum multis probat Sanchez *lib.* 2. *de Matr. disp.* 39. *n.* 6. Et praxis sic obseruat. Idque patet ex alio priuilegio Leon. in Compendio Mendicantium *ver. Ieiunium*, §. 5.

vbi conceſſit Minoritis, *Maximè prædicatoribus*, vt in die ieiunij poſſint comedere vna hora ante horam conſuetam: licèt enim ibi dicat: *Maximè Prædicatoribus*: particula, *Maximè*, non tollit quin illud poſſint facere cæteri Fratres non prædicatores, vt vſus,& praxis obſeruat. Si enim Papa ſolis Prædicatoribus, vel ſolis itinerantibus id vellet concedere, id vtique expreſſiſſet vtendo particula excluſiua, *Solum*, vel non poneretur in principio, quod concederetur Fratribus. At in priori conceſſione promiſſa diluculo dicenda, poſtulatio oblata Leoni X. incipit: *Tota familia petit, vt ſibi concedatur, præſertim, &c.*

7 Poteſt in feſto duplici dici alia Miſſa votiua, quæ non ſit de illo feſto. Nam alia ratio eſt de obligatione Sacerdotis vt conformetur feſto illius diei in recitando Diuino Officio: alia verò vt conformetur in dicenda Miſſa cum rubricis Miſſalis: hæ enim minus obligant, quàm illa. Suarez *tom. de Euchariſtia diſp.* 88. *ſect.* 3. *concluſ.* 1. maximè in §. *In quo eſt.*

8 Dixi olim abſtinendum eſſe à conceſſione Leonis X. concedentis Minoritis, vt poſsint ſatisfacere pluribus Miſsis, cum vna tantùm Miſſa quando pitantia vnius minima eſt, videlicet non accedens ad ſummam vnius Iulij (id eſt, Realis Hiſpanici) idque pro rata minuendo de Miſsis, vt quæuis dicatur pro vno Iulio. Nunc idem dico, abſtinendum ſimiliter eſſe ab alia ſimili conceſsione Iulij II. facta Patribus Minimis in Bullario Rodriguez *f.* 819. per quam illis concedit, vt ſi Generalis illorum in viſitatione repererit, vel extra viſitationem, in aliquo Conuentu relictam eſſe grandem ſummam Miſſarum, ita vt per Fratres illius Conuentus celebrari non poſsint, poſsint Fratres illius Conuentus per nouem collectas ſatisfacere nouē Miſsis,& per ſeptem collectas ſatisfacere ſeptem Miſsis:&

ſic

ſic de quouis alio numero Miſſarum reſpectiuè: rationem aſsignat Papa, vel quaſi compenſationem, quia operibus aliis ſatisfactoriis eiuſdem Ordinis, vt ieiuniis, diſciplinis, &c. etiam ſatisfit benefactoribus tales Miſſas cõmendantibus. Abſtinendum, inquam, eſt à tali conceſſione, pluſquam ab alia priori Leonis X. Non dico Sum. Pontifices hoc non potuiſſe facere: ſed dico tales conceſsiones nunquam fuiſſe vſu receptas, ſaltem in Hiſpania, neque in alia parte noſtri Ordinis, quod ſciam.

9 Circa præceptum audiendi Miſſam, cùm ſit quotidianum, & dubia multa circa illud proponantur Religioſis, pono hic magis ordinaria, & magis neceſſaria. Primò ſatisfit iſti præcepto etiamſi qui s verba Sacerdotis celebrantis non audiat. Nam Eccleſia non iubet verba audire, aliàs ſurdi, & longè diſtantes ab altari non ſatisfacerent, maximè in Hiſpania vbi Sacerdotes ſubmiſſa voce verba proferunt: quod tamen nemo dicet, & vſus contrarium confirmat.

10 Qui ex voto, vel iniuncta p~nitentia obligatur duas Miſſas in vno die audire, ſatisfacit huic obligationi ſi duos Sacerdotes celebrantes in duobus altaribus eodem tempore ſimul audiat. Nam vtrique Miſſæ eſt præſens corpore, & vnica intentione ad Deum ſatisfacit. Ita Sanchez *lib.* 1. *Decal.* citans Maior. Petr. Ledeſm. *dicto* 1 *lib. Decal. c.* 14. *in fine.*

11 Qui ſerò acceſsit ad Miſſam, v. g. finito Euangelio, vel incæpto Canone, & non habet copiam alterius Miſſæ illa die, tenetur audire ſub peccato mortali illam partem Miſſæ non integræ: nam is qui non poteſt ſatisfacere totali præcepto, tenetur ſatisfacere parti ipſius cùm poteſt, quod intellige quando illa pars cui poteſt ſatisfacere, eſt ſubſtantialis, & pars omiſſa eſt accidentalis. In Miſſa verò Canon, Conſecratio, & Con-

sumptio,est pars substantialis Missæ.Ita Sanchez 1.*Decalog.c.*19.*n.*6.citans Nau. *cap.quando. de consecr.dist.*1. *cap.*11.*n.*16. & Suarez *tom.*3.*in* 3.*p.q.*83.*art.*6.*disp.*88. *sect.*2.

12 Satisfacit etiam præcepto, qui à pluribus Sacerdotibus per patres successiue audit integram Missam vt si ab vno audiat incæpto Canone, à secundo verò ab initio Missæ vsque ad incæptionem Canonis, vel quid simile.Ita Henriq.*lib.*9. *de Missa c.*25.*n.*8.citat in *glossa littera P.* Nau. Maiorem,Sandoual,Fratr.Medinam,Soto,Mantium,& alios.

13 Qui seruiunt celebranti quamuis per aliqua parua interualla foras exeant in obsequium Missæ, vt pro campana pulsanda, pro libro,vel thuribulo afferendo, vel similibus, satisfaciunt Missæ: hi enim censentur moraliter Missæ interesse,Henriq.*citat.num.*cum Nau. *ibi citato.*

14 Qui non aduertens esse festum Missam audiuit ex deuotione, vel consuetudine, & postea fit certior talis festi,non tenetur aliam Missam audire:iam enim cum illa priori satisfecit, quia virtualiter voluit implere. Henriq.*cit.c.*25.*n.*9.

15 Quæ sit pars notabilis Missæ,cuius omissio inducat mortale, diuersi diuersa dicunt. Securior,& communior opinio est quòd qui venit finita Epistola, non satisfacit;at satisfacere qui audiuit adhuc partem Epistolæ. Etenim tota Epistola cum præcedentibus est pars notabilis Missæ. Ita Henriquez *citat. cap.*28. *num.* 7. citans *in gloss. litter. L.* Antonin. Tabien. Medin. Sandoual,Soto,Cano, Cuenas, Tollet. Nauar. Quod verò mihi sufficiat legere post Missam Epistolam, vel Euangelium cui non interfui, ridiculum est, hoc enim debet audiri ab ore Sacerdotis sacrificantis cui iubeor assistere. Aliàs, non audienti totam Missam sufficeret

ret postea domi totam illam legere, quod nullus dicet.

16 Quæris an liceat audire Missam Sacerdotis Græci celebrantis ritu Græco: & cum illa possit satisfieri præcepto Ecclesiæ Latinæ? Hanc quęstionem proponit Comitol. *l. b. 1. Resp. Moral. q. 65.* ex cuius dictis breuiter sic dicendum est. Primò si ille sit verus Sacerdos ordinatus à vero Episcopo, satisfit Missæ, illáque audiri potest si non sit copia alterius Missæ Latinæ. Secus si ille non sit Sacerdos. Secūdò, si talis Sacerdos Gręcus schismaticus sit, non obediēs Summo Pontifici peccat mortaliter qui illius Missę assistit: cùm enim schismatici sint excommunicati, peccatum est cum illis communicare, maximè in Diuinis. Quādo verò Gręcus Sacerdos non est schismaticus, sed Ecclesiæ Romanę obediens, nullum est peccatum eius Missæ assistere, quia Ecclesia Græcorum permittit. Et videmus illos in nostra Hispania aliquando ritu Græco publicè celebrare, neque aliquis condemnat Catholicos astantes. Et *ead. q. in fine* innuit Comitolus audientem Missam Græci Catholici ritu Græco, satisfacere præcepto: est enim vera Missa continens omnes partes substantiales Missæ, quam celebrabant olim to-, ac tam sancti Patres, Græci, Chrys. Basil. &c. eamque hodie Ecclesia Catholica permittit Græcis. Neque in suo præcepto de Missa audienda, Ecclesia limitat quod sit Missa Latina.

17 Occasione Missæ, cum calix sit præcipuum instrumentum in Missa deseruiens, quæris an calix amittat cōsecrationem cum scyphus eius, seu vas totum à pede separatur, & iter m illi coniungitur? Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 28. q. 7.* sic distinguit: si calix à principio sic elaboratus est, vt posset ad libitum pes separari à scypho, modo tornatili (vulgo *de para fuso*) tunc censet nō perdere cōsecrationem, si pes diuidatur à scypho, & postea vniatur. Si verò non sit ita elaboratus à principio, sed totus

integer ne possit in partes diuidi, & casu frangatur in duas partes, tunc perdit consecrationem, vt idem Azor docet. 2. *tom. lib.* 8. *cap.* 7. *q.* 7. Eodem etiam *cap. q.* 3 probabilius sentit quod si calix argenteus, & iam consecratus postea inauretur, amittit consecrationem: quia perdidit formam antiquam. Idemque dicit *ibidem q.* 5. de calice deaurato si per nimium vsum amitteret inaurationem, vel superficiem auream, censendum esse amisisse consecrationem, quia amisit iam antiquam formam.

MONASTERIVM.

Vide ver. *Ecclesia.* ver. *Canonica portio.* vet. *Legatum pro ædificando Monasterio.*

1 IN Compend. Mendicantium. *ver. Ædificare.* §. 1. continetur priuilegium concessum Minoribus ne iuxta suum monasterium, possit ædificari aliud Monasterium Prædicatorum, Carmelitarum, & Sancti Augustini, aliorúmque Ordinum in paupertate viuentium infra spatium trecentarum cannarum mensurandarum per aërem, etiam vbi aliàs rectè mensurari loci dispositio non permittit. Et vnamquamque istarum cannarum voluit octo palmos in longitudine habere.

2 Sed quia illud iam fortè non erat in vsu, Clemens VIII. anno 1603. videns multitudinem Conuentuum, & dispendium inde secutum, prohibuit ne Episcopi dent licentiam ædificandi aliquod nouum Monasterium cuiuscumque Ordinis, nisi vocatis Prioribus, &c. Prælatis Conuentuum existentium in illa ciuitate, vel oppido: illisque auditis circa nocumentum ex nouo Conuentu resultans. Et si constiterit, aliis Conuentibus

iam

iam ædificatis nocere ; illud nouum Monasterium non permittant ædificare , vide ibi alia circa hoc. Habetur hæc Bulla in Bullario Rodriguez *fol.*1228.in Clemente VIII.

3. In eodem Compend.Minorum *eodem verb.*§.15.& 19. conceditur Prædicatoribus , vt iuxta suos Conuentus non possit ædificari alius intra spatium centum quadraginta cannarum. Sed Patres Societatis IESV ,in suo Compend.*ver.Ædificium.*§.2.& 3.habent priuilegium vt possint ædificare intra centum quadraginta cannas prope alios Conuentus. Et hoc priuilegium illis solis concessum esse à Gregor. XIII. innuit illorum Compend.*ver.Ædificia.*§.3.

4 Non possunt mendicantes suo arbitrio relinquere omnino Conuentum iam ædificatum , vel quouis modo alienare absque licentia Papæ. Compend. *ver. Ædificare.*§.3. potest tamen hoc facere solus Generalis.*ibid.*§.8.

5 Proximè dictum non tollit quin possit mutari Conuentus de loco non sano,vel aliàs incommodo, ad locum saniorem,vel commodiorem,Compend. *ibid.*§. 14. Sed ad istam mutationem requiritur noua licentia Episcopi. Rodr *tom.*1.*q.*23.*art.*7.*in fine*,& tunc possunt vendere locum,& ædificia, præter Ecclesias. Vide statim *num.*7.

6 Domos, loca, oratoria, libros, & alia mobilia, & immobilia Fratrum Minorum , Nicolaus IV. suscepit in ius & proprietatem Sedis Apostolicæ. Compend. *verb. Exemptio.*§.10. & §.23. Eximuntur etiam Monasteria ab ordinariis per Sixtum IV. Et pro hac re,siue exemptione Monasteriorum , & rerum ipsorum habent singuli Religiosi multa priuilegia, quæ quia particularia sunt,& vsu supponuntur,omitto.

7 Sixtus V. concesit Generali Sancti Benedicti in

Regno

Regno Portugalliæ,quod in Capitulo generali de consensu Capituli possit mutare Conuentus de locis incommodis ad locos commodiores non petita licentia ordinarij,cum cæteris ibi contentis refert Rodr.*tom.*2. *quæst.*49.*art.*4.

8 Monasteria relicta à Minoritis,si habent fundatores, & patronos,qui talium Monasteriorum dominium non ablegarunt à se,sed penes se retinuerunt:post desertionem spectant ad suos fundatores; si verò dominium non retinuerunt,sed transiit ad Sedem Apostolicam,de illis relictis fieri potest quod dictum est supra, *n.*5. Sic Nicolaus III. in expositione Regulæ Minorum;& Rodrig.*tom.*2.*q.*49.*art.*7.

9 Possunt Minoritæ recipere Conuentus sub conditione quod certi sæculares teneantur ipsis prouidere de aliquibus necessariis per viam eleemosynæ: neque in hoc Regulæ suæ præiudicant. Rodriguez *Addition. ad Summ. tom.*3. *capit.*251. *conclusione* 2. Consulit tamen melius esse talem conditionem non apponere.

10 Monasteria Monialium Sanctæ Claræ non possunt habere Procuratores, seu œconomos Fratres Minores,illarum redditibus,& litibus intendentes.Prohibuit Clemens VIII. speciali Bulla in Bullario Rodrig. *fol.*1225.

11 Ante professionem Nouitij,vel Nouitię nihil potest donari Monasterio, de bonis illius à parentibus, propinquis vel curatoribus, excepto victu, & vestitu Nouitij.Trid.*sess.*25. *c.*16.*de Regul.* Circa quod Congr. Cardinal.declarauit primò non posse aliquid dari Monasterio, nec de bonis Nouitii, nec de bonis parentum, neque propinquorum, secundò non posse Nouitium Ordinem intrantem aliquid ante professionem donare Monasterio de bonis suis etiam si sit emancipatus,

patus,& independens à patre, & curatore. Marzilla *in ſuis declarat. lib.1. cap.19. fol.196.* & in Portugallia de mandato ſpeciali ſanctiſsimi D. N. Pauli V. eius Collector prohibuit ſub excommunicatione ne in profeſſione Monialis detur Monialibus ſingulis aliqua pitantia, (vulgo *propinas*), quouis modo, vel quouis titulo,excepta vna refectione communi ientaculi moderati.

12 Non poſſunt erigi ædificia ſæcularium prope Conuentus Religioſorum,vel Monialium taliter quod Monachi, vel Moniales à ſæcularibus videantur. Imò neque Conuentus nouus poteſt ædificari ita vt Conuentus præexiſtens moleſtetur. Rodriguez *Addit io. ad Sum m. t m.3. capit.145. numer.3.* pro quo citat textus,& Doctores multos. Imò ego audiui à quodam Iudice ſupremi Senatus Olyſſipone mandaſſe Regem ibi dirui,vel claudi ianuam ſæcularis domus ex qua Religioſi Tertiarij eiuſdem vrbis, intra Conuentum videbantur,& inquietabantur.

ADDITIO.

VIde ſupra *ver. Alienare.* ibi enim aliqua ſunt quæ huic verbo poſsint inſeruire, maximè *num.1. & verb. Legatum.*

1 Si dubites quid intelligatur nomine *Monaſterij*, ſcias ex Franciſco Longo Capucino, *tract. de caſibus reſeruatis caſu 3.num.17.fol.242.* declarationem eſſe Cardinalium in qua dicitur,nomine *Monaſterij* non intelligi illum Conuentum cuius ædificatio eſt in fieri, neque ibi habitant Fratres ordinarij, ſed ſolùm deputati pro obſequio, ac ſeruitio ædificij. Tunc enim neque datur Eccleſia,neque Conuentus. Vnde ſi in tali ædificio introducantur mulieres à Fratribus, non incurrent

rent pœnas impoſitas à Pio V. eodem modo ſi quis reus confugiat ad illa ſepta ædificij, non gaudebit immunitate Eccleſiæ, niſi fortè confugiat ad Oratorium ibi ritè erectum pro Miſſæ celebratione. Et egó aduerto, quod ſi iam à Prælato Superiori iam ibi ligitimè deſignata eſt clauſura, pro quatuor, vel quinque Fratribus ibi habitantibus, iam dicetur Monaſterium in ordine ad duo prædicta, vt ſcilicet non poſſint admitti fœminæ abſque incurſu cenſurarum: & præterea quod rei ad ſepta illius clauſuræ confugientes gaudebunt immunitate Eccleſiæ, maximè ſi ibi intus habeant oratorium ſeu paruam Eccleſiam. Iam enim ibi reperiuntur eſſentialia Monaſterij. Datur enim Prælatus, & communitas, quæ in ſolis tribus poteſt conſeruari: datur præterea Eccleſia in qua Miſſa celebratur, ac proinde habet eſſentialia Monaſterij. Dixi, *ſi ibi iam ſit Eccleſia, vel oratorium legitimè erectum*, quia ſi non ſit tale oratorium, vel parua Eccleſia, dubitari valde poteſt an valeat pro illis duobus ſupra poſitis. Pono exemplum. In ordine Minorum pro aliquibus Conuentibus Monialium deputantur tres, vel quatuor Fratres cum confeſſore, qui eſt Prælatus illorum, & faciunt Conuentum, diciturque ille Prælatus vicarius in capite, & eſt verus Prælatus cum clauſura. At in aliquibus locis non habent oratorium, nec particularem Eccleſiam pro his Fratribus intra illa ſepta Fratrum, ſed ſolùm habēt Eccleſiam Monialium. In hoc caſu poteſt valde dubitari an talis Conuentus ſufficiat pro incurſu pœnarum in admiſſione fœminarum, vel pro rei fugientis immunitate. Caſum apud nullum inueni: ſolùm ſcio quoad primum, in mea prouincia prædicta loca cenſeri vera Monaſteria quo ad clauſuram, & proinde puniri Religioſos ibi habitantes violantes illam, ſicut ſi violarent in Conuentu magno. Quoad ſecundum de immuni-

tate

tate rei ad illum locum confugientis carentem Ecclesia dubitabunt multi, sed ego inclinor vt dicam illi valere: cùm fauores sint ampliandi. Nam si locus ille sufficit pro pœnis incurrendis in casu fœminarum, sufficiet etiam pro fauore reorum. Nam in rigore ille cœtus est Monasterium, & Conuentus, & habet Ecclesiam Monialium, quæ etiam reputatur pro Ecclesia Fratrum.

2 Leo X. in Bullar. Rodriguez *f.* 726. concessit Prouincialibus Minorum, vt loca minus commoda illis concessa, ab ipsis non omnino derelicta post constitutionem Bonifacij VIII. constructa, pro sua deuotione possint tenere sine Fratribus ibi habitantibus: dummodo illa visitent cùm tempus opportunum fuerit, & in eorum Ecclesiis aliquando celebrent. Hoc videtur intelligi in casu, quo in prædictis locis maneat aliquis saltem Religiosus, qui curam loci agat.

3 Idem Leo X. in eodem Bullario *fol.* 731. *numero* 55. concessit Minoritis, vt casu necessitatis Ecclesiæ tam Fratrum, quàm Monialium possint transferri, ac mutari de vno loco ad alium; & locus prioris Ecclesiæ possit reduci ad vsus humanos secundùm commoditatem dictorum locorum, & Monasteriorum, dummodo materia ædificiorum, ponatur in alia Ecclesia. Vide quæ supra dixi *in his Addition. verb. Ecclesia numero* 5.

4 Pius V. in Bullar. Rodrig. *fol.* 949. *col.* 1. mandauit vt in quauis Prouincia Minorum sint ad minus duo Monasteria recollecta, & hæc nullatenus possint à prædicta recollectione separari, vel mutari.

5 Idem Pius V. in Bullario Rodriguez *f.* 944. rigorosa constitutione sanciuit, vt quodcunque Monasterium, siue congregatio, in qua viuunt homines congregati, si non obseruent aliquam regulam approbatam

ab

ab Eccleſia & faciant tria vota ſolemnia, ſi aliàs viuunt ſub titulo Religioſorum, penitus extinguatur; vel eligant aliquam regulam ex approbatis ab Eccleſia, quam profiteantur cum tribus votis ſolemnibus. Reddit *ibi* rationem Summus Pontifex ob multa inconuenientia quæ memorat inde ſecuta. Idque præcipit ſub grauibus pœnis ibidem contentis. Itaque non ſufficiet hodie, vt taliter viuentes in illo Monaſterio emittant vota ſimplicia obedientiæ, &c. vouentes per ſe ſingillatim extra manus veri Prælati: ſed requiritur, vt ſint vota ſolemnia in manu veri Prælati, & profiteantur aliquam regulam ex approbatis. Vnde hoc non intelligitur de collegiis, & aliis congregationibus ſæcularium, hi enim non viuunt ſub titulo Religioſorum, de quibus ſolùm loquitur Papa.

6 Monaſterium, non tenetur pro delicto Religioſi, etiam ſi ſit Prælatus. Sà *in Aphoriſ. ver. Monaſterium*, & citat regulã *delictum in 6*. Hoc ſic intelligo. Commiſit Religioſus delictum extra Conuentum, v.g. occidendo ſæcularem, ex qua occiſione reſultat obligatio reſtitutionis faciendæ vxori videlicet, matri, domino, & ſic de cæteris. Monaſterium non tenetur reſtituere pro iſto delicto. Neque item tenetur Monaſterium reſtituere debitum Monachi niſi tale debitum ſit conuerſum in vtilitatem Monaſterij: vel ſit factum ex mandato Monaſterij: aut ſit prælati debitum, pro vt Prælatus eſt, vel debitum ipſius Conuentus. Econtra verò obligatur quis Monaſterio ex contractu facto cum monacho. Sà *citato loco*.

7 Non poſſunt Prælati regulares deſerere aliquem Conuentum ſine licentia ſui generalis. Compendium *verb.* *Ædificare* §. 8. Vide Fratrem Thomam de Ieſu, *de ſtatu Monachorum tom. 2. part. 3. Gloſſ. 2. ſuper cap. 2. regulæ Carmelitar. fol. 157.*

MONIA

MONIALES.

Vide ſupra verbo *Clauſura Monialium*, vbi multa Moniales concernentia continentur,& infra,verb. *Velum virginis.*

Vide etiam verb. *Decimæ*,an teneantur illas ſoluere.

Vide etiam verb. *Horæ Canonicæ*,quomodo teneantur ad illas.

Vide etiam verb.*Communicatio priuilegiorum,numero 3.& 4.*

Vide etiam verb.*Abbatiſſa de Monialibus illegitimis & viduis.*

Vide etiam infra verb.*Nouitia,&c.*

1 AN Moniales Abbatiſſæ incurrant excommunicationem poſitam à Trid.*ſeſſ.25.c.16.de Reg.* ſi ante profeſſionem Nouitiæ dotem receperint ſub titulo cõmodati,& ſub cautione,vel pignore reddendi dotem profeſſione non ſecuta, tenuit Rodrig. non incurrere in *tom.2.q.48.art.5.& in Sum.* loco quem ipſe citat *in Addit.mox citandis*. Et dicebat Concilium non prohibere commodatum ſeu commodare Abbatiſſis ob cauſas quas adducit *cit.art.5.* explicans Concilium: ſed malè. Idem tenet Miranda *q.8.de Monialibus art.9.* At ipſe Rodrig.ſe retractat,& tenet oppoſitum,dicens Abbatiſſas talem dotem non poſſe recipere ante profeſſionem etiam ſub titulo commodati, & ſub pignore:ita ille ſe retractans *in Addit.ad Sum.tom.3.cap.144. concl.6.*Et ita cenſeo tenendum;quia Concilium clarè, & ſtrictè,& generaliter loquitur dicens quod non recipiatur, (*quocumque prætextu*)quæ verba nullam videtur pati expoſitionem. Vide quid ſimile infra *ver. Nauitius.num.39.*

2 Moniales primæ regulæ Sanctæ Claræ, non obstante quod olim credebant se habere vltra centum præcepta obligantia ad mortale ex vi suæ Regulæ: in rei veritate non habent præcepta obligantia ad mortale nisi concernentia quatuor vota, videlicet contra obedientiam, paupertatem, castitatem, & clausuram. Et præterea concernentia electionem Abbatillæ, vt scilicet eligant meliorem; cum cæteris contentis in *cap. de Abbatissa*, quod scilicet procurent indignam priuari, &c. sic Compend. *verb. Moniales.* §. 8. & Miranda *quæst.* 9. *de Monialibus, articul.* 4. Aduerto tamen vltra prædicta illas etiam obligari sub mortali ad Officium diuinum, vt dictum est supra *verb. Horæ Canonicæ.*

3 Hæ Moniales primæ regulæ Sanctæ Claræ, seu Damianæ possunt ex Concil. Trid. habere bona immobilia, & redditus annuos, supra *ver. Hæreditas ex Concil. Trid.*

4 Moniales virgines in Religione in qua solent consecrari, non possunt accipere velum virginitatis ante annum 25. Est communis. Et tenet Rodrig. *Addit. ad Summ. tom.* 3. *cap.* 90. *concl.* 4. quod Monialis corrupta, in occulto potest consecrari velo virginitatis, & quod potest Episcopus id facere etiam si sciat in secreto, vtendo forma consecratoria virginum, propter ius naturale honoris tuendi: quod intellige si sit consuetudo vt omnes consecrentur: & ista magnum dedecus timeat, si non consecretur: & Episcopus sciens, verbo virginitatis intelligat castitatis: nam ius naturale tunc prævalet positiuo. Vide *ver. Velum virginis.*

5 Monialis dubitans an esset baptizata, quæ ad cautelam se iterum fecit baptizari, si antea professionem emiserat, professio tenet ita vt exire non possit: sed tamen debet iterum Nouitiatum facere anno integro, & postea

postea profiteri. Declararunt Cardinales apud Marzillam, *lib.* 1. *cap.* 18. *littera N.*

6 Excommunicationem incurrunt illi qui cogunt, vt aliqua fœmina sit Monialis, tum suscipiendo habitum, tum profitendo. Similiter incurrunt, dantes auxilium, consilium, vel fauorem. Et qui scientes illam non sponte ingredi quouis modo eidem actui, vel professioni, præsentiam, consensum, vel authoritatem interposuerint. Ita Trident. *sess.* 25. *cap.* 18. *de Regular.*

7 Excipit tamen *ibi* Tridentinum, si fœmina secundùm ius Canonicum alias cogatur ingredi Religionem. In quibus verò casibus fœmina exiure teneatur ingredi Religionem refert Henriquez 2. *tom. libr.* 11. *cap.* 8. §. 9. *ad finem.* Primus est, quando fœmina publicè vel priuatim fecit votum Religionis, de quo constat. Secundus, si fœmina post duos menses coniugata nolit consummare matrimonium de Religione deliberans. Tertius, si post quinquennium dicat professionem suam fuisse nullam. Quartus ob crimen, vt si damnatæ ad carcerem perpetuum, offerat Papa vt sit Monialis, & liberetur à carcere: tunc enim debet cogi. Sic etiam de adultera, cui pœna remittitur dummodo sit Monialis, & illa acceptauit. In omnibus supradictis cogere vt intret, non est contra Trid.

8 Eodem loco Tridentin. excommunicantur ii qui ab opposito aliquam fœminam sine iusta causa impedierint ne sit Monialis. Vnde non videtur hanc secundam excommunicationem incurrere, qui dixerit fœminæ non posse illam præ imbecillitate portare vitam rigorosam talium Monialium; vel non suppetere illi dotem, vel aliam causam moralem iustam opposuerit ob quam non possit esse Monialis, Concilium enim dicit (*si sine iusta causa impedierint*) excipit *ibi* Concilium

fœminas quæ pœnitentes seu conuertitiæ dicuntur; in quibus iubet illarum constitutiones obseruari.

9 Declararunt etiam Cardinales apud Marzillam *lib. 1. cap. 21.* non esse dicendum quod pater coegerit filiam, vt esset Monialis, quam pater illegitimam, instituit hæredem in testamento vt Monasterium ingrediatur; eaque de causa Monasterium instituit, & filię reliquit 25. aureos pro alimentis intra Monasterium: non, inquam, talis pater coegit filiam ad Monachatum, quia non fecit vim incussiuam: sed solùm fuit causa inductiua, quæ non cogit. Eodemque modo hodie liberantur patres nobiles, qui vel filias infantulas ad Monasterium mittunt; vel illis iam adultis dicunt se non habere dotem ad illas maritandas, & proinde illis superesse Monasterium: in neutro enim casu faciunt vim incussiuam, imò de remedio cogitant; illis verò semper manet liberum dissentire si velint.

10 Moniales non possunt confiteri cuiuis confessori, etiam Religioso, extra confessorem assignatum illis à prælato, nec virtute Bullæ Cruciatæ, vel cuiuslibet alterius Bullæ particularis concedentis, vt possit eligi confessor quicumque approbatus. Expresse prohibuit Clemens VIII. Motu proprio, vel Bulla, posita in Bullario Rodrig. *f.* 1217. Extenditúrque ibi ad omnes Religiosos, & omnes Moniales, & idem antea fuerat declaratum à Cardin. missumque Archiepiscopo Valentiæ, vt refert Rodr. *in Explicatione Bullæ Cruciatæ.* Et confessio alias facta est nulla.

11 Moniales Sanctæ Clarę secundæ regulæ, dictæ Vrbanistæ, gaudent priuilegiis concessis Monialibus primæ regulæ eiusdem Sanctæ Claræ. Rodrig. *tom. 3. quæst. art. 4.*

12 Moniales Sancta Clarę possunt absolui à Prouincialibus, Visitatoribus, & Confessoribus ordinariis illarum,

rum,ab omnibus criminibus, pœnis,& cenſuris etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis,quoties opus fuerit. Compend.*verb. Moniales.* §. 12.

13 Confeſſores Monialium Sanctæ Claræ,non poſſunt durare in officio vltra triennium. Sic Iulius II. in Compend.*verb. Vicarius Monialium.*

14 Quando Prouinciales per annum bis,vel ter Monialibus aſſignant confeſſorem extraordinarium vulgo *Alleuiador* : Monialis quæ noluerit illi extraordinario confiteri, poterit confiteri cum ſuo antiquo ordinario : exhibitio enim illius extraordinarij eſt fauor cui poteſt renuntiare. Et Concil. Tridentin. ait,quod offerant talem extraordinarium : non verò ait quod cum mandato cogant.Et ſic non faciet prudenter Prouincialis, qui præcepto cogat omnes Moniales confiteri illi extraordinario. Si verò cogat,dicens quod proprio confeſſori tunc non confiteantur, tenebit mandatum, & non tenebit confeſſio niſi cum extraordinario.

15 Monialis tranſlata de vno Conuentu ad alium cum licentia Papæ, & illa petente non deferet ſecum dotem datam primo Conuentui,neque illa quæ ibi acquiſiuit poſt profeſsionem, iuxta Nauarr *Commentar.* 4. *de Regular.* Secus ſi Papa ſpecialiter id præcipiat. Si verò illa tranſlationem non petiit, ſed propter culpas ad alium Conuentum relegatur, primus Conuentus tenetur illam alere in ſecundo Conuentu. Rodriguez *Addition. ad Summam, tom.* 3. *cap.* 145. *concluſ.* 12.

16 Contractus facti à Monialibus abſque licentia ſuorum ſuperiorum maximè in rebus alienandis, ſunt inualidi etiam in foro conſcientiæ. Rodriguez *tom.* 2. *q.* 27. *art.* 9. *& in Addit. Sum. tom.* 3, *cap.* 158. *num.* 14. vide ſupra *ver. Alienare.*

17 Si Monialis recipitur in vno Conuentu, absque dote per solam præsentationem fundatoris, si parentes sic receptæ moriantur, Conuentus nihilominus ratione illius hæreditatem capiet. Probatur, quia fundator per suam præsentationem solum, non potest priuare Conuentum illa re quæ sibi debetur de iure.

18 Vocati ad dirigendas Moniales in suis electionibus excommunicantur illi qui non abstinent ab iis, per quæ inter illas potest oriri discordia, vel ab iis per quæ iam orta discordia nutritur. *c. indemnitatibus, de elect. in 6.* Nota verb. *Vocati*, vnde non vocati ad hoc, etiam si qppositum facerent, quidquid sit de peccato, non incurrent hanc censuram.

ADDITIO.

VIde supra *verbo Abbatissa*, *& verbo Clausura monialium*, & infra *verbo Nouitius, vel Nouitia.*

1 Monialem non posse transire de vno Conuentu ad alium causa fundationis, correctionis, vel reformationis absque expressa licentia Papæ refert Zerola *in sua Praxi Episcop. 1 parte, verb. Moniales* §. 16. declaratum fuisse à Cardinalibus, fieri id posse cum sola licentia sui Superioris absque recursu Papæ, tenet Nauar. *consil. 37. de Regul. num. 6. & tit. de statu Monachorum consil. 5. num. 3. & 6.* Et ita vidi obseruari in praxi absque licentia Papæ. Taxato numero Monialium recipiendarum in vno Conuentu, si crescant redditus annuales Conuentus, vt possit vltra duas, vel tres alere, hæ possunt vltra numerum antiquum recipi, facit omnino *capit. cum M. Ferrariensis, de constit.* vbi decernitur aucto numero reddituum in Capitulo posse augeri

geri Canonicatus vltra numerum taxatum circa Canonicos.

2 Dixi ſupra Moniales Damianas primæ regulę Sanctæ Claræ non peccare mortaliter ex obligatione ſuæ regulæ niſi in actibus contra tria vota eſſentialia, clauſuram & in concernentibus electionem ſuæ Abbatiſſę, vt ibidem dixi *verb. Moniales num.*2. Nunc addo, idem declaraſſe Eugenium IV. circa Moniales, ſecundæ regulæ Sanctæ Claræ, vulgo *Vrbaniſtas*, quod ſcilicet ex vi regulæ non peccent in aliis præceptis regulæ, niſi in eiſdem quæ dicta ſunt de Monialibus primæ regulæ. Habetur Bulla in Bullar. Rodriguez *fol.*251. *num.*11.

3 In Bullario Rodriguez *f.*620. Iulius II. conceſſit quod Moniales primæ regulæ Sanctæ Claræ poſſint transferri ad fundandum Monaſterium ſecundæ regulæ eiuſdem Sanctæ Claræ,& huiuſmodi, id eſt, (vt intelligo) vel ad Monaſteria ſimilia. Scio enim in mea Prouincia iam à Conuentu Conceptionis exiſſe Moniales Sanctæ Claræ ſecundæ regulæ ſiue Vrbaniſtas ad fundandum Monaſterium Monialium de Eſtremoz aliam regulam valde diſsimilem profitentium, quæ non eſt regula Sanctæ Claræ: Sed credo tunc interueniſſe ſpecialem licentiam Papæ. Neque ego hodie id facerem abſque expreſſa licentia Papæ, ſi Clariſtæ deberent exire ad fundandum Conuentum alterius Ordinis. Sed prædicta conceſsio ſolùm loquitur de Monialibus primæ regulæ, vt exeant ad fundandum Conuentum ſecundæ regulæ: non verò vt exeant Moniales ſecundæ regulæ ad fundandum Conuentum alterius Ordinis.

4 In eodem Bullario,& *fol. col.*2. *numer.*3. conceſsit idem Iulius II. quod promiſsiones, iuramenta, & vota per ipſas fienda non teneant, neque obligent ipſas

moniales ad peccatum mortale. Hoc ego intelligo de iuramento in iudicio dando, ac de promissionibus factis contra statum paupertatis, vel Monachalem; ac deuotiones quæ impleri non possunt absque licentia prælati. Hæc enim non obligabunt absque consensu Prælati, & Prælatus illa poterit irritare. Si verò tria prædicta fiant in rebus ordinariis, in quibus Moniales inconsulto Prælato possunt prædicta exequi, credo illa tria valere, atque illas obligare, donec à Prælato relaxentur, vel irritentur.

5 In Concil. Tridentino *sess.25. de Regular. capit.18.* excommunicantur omnes personæ cuiuscunque conditionis, & status sint, quæ coegerint aliquam mulierem, vt sit Monialis. Et circa hoc quatuor ibi actiones interdicuntur. Prima est, cogere illam præterquam in casibus à iure expressis, de quibus casibus dixi supra *verbo Moniales numero 7.* Secunda est, dare auxilium, consilium, vel fauorem ad illius ingressum. Tertia, sciendo fœminam non sponte ingredi, neque habitum suscipere, vel professionem emittere, interponere illi ac tui præsentiam, vel consensum vel authoritatem. Quarta impedire fœminam ne sit Monialis absque iusta causa. Quæ excommunicatio nulli reseruatur, sed cùm res sit digna explicatione, & possit non rarò euenire, maximè his temporibus quando fere paucæ habitum suscipiunt ex pura deuotione, dico sequentia.

6 Illam excommunicationem ligare omnes personas cuiuscunque sint conditionis, etiam Regem, & Imperatorem, tenet Suarez *tom.5. disp. sect.5. num.8.* At Sanchez *lib.4. Decal. g. cap.4, num.2.* ait non ligare Regem, nec Imperatorem. Mouetur, quia Tridentinum *sess.24. de Matrimonio c.9.* sub iisdem verbis excommunicat cogentes aliquos ad matrimonium & tamen commu

communior opinio affirmat Reges, & Imperatorem non ligari illa censura si cogant aliquem ad matrimonium contrahendum.

7 Non incurrunt illam excommunicationem illi qui cogunt viros seu iuuenes ad habitum recipiendum, vel ad profitendum: vel illos ad id faciendum impediunt. Nam Concilium loquitur de solis fœminis, & lex pœnalis non debet extendi ad similem casum. Si enim Concilium vellet comprehendere viros, id sanè exprimeret: sicut fecit *sess. 24. cap. 9. de matrim.* vbi prohibens ne quis aliquem cogat ad contrahendum matrimonium exprimit viros ac mulieres. Loquens verò de cogentibus ad Monasterium, solùm exprimit fœminas. Nam in fœminis debilioribus, ac timidioribus frequentior est illa violentia, & propterea solùm circa illas fuit necessaria censura. Ita Suarez *citato loco.* Vnde quando statuta generalia Tolletana Minorum titulo de libertate Nouitiorum, dicunt, cogentes aliquem Nouitium ne exeat ad sæculum posse timere hanc excommunicationem Concilij Tridentini positam cogentibus, vel impedientibus fœminas, non est mens talis statuti dicere quod Fratres impedientes Nouitium ne exeat, illam censuram incurrunt. Sed solùm intendit, quod timeat tales Fratres facere illud opus, vel peccatum propter quod Concilium excommunicat in simili cogentes, vel impedientes fœminas. Neque item ibi statutum generale ibi imponit censuram contra Fratres id facientes circa Nouitios; sed solùm imponit pœnam priuationis officiorum.

8 Si metus incussus fœminæ fuerit grauis, & cadens in virum constantem, certum est incurri talem censuram. Et considerandæ est qualitas metus, & personæ, nam metus qui respectu viri est leuis, respectu fœminę

poteſt eſſe grauis, vt bene probat Sanchez *citat. libr. 4. Dec. dog. cap. 3. num.* 21. Si verò metus incuſſus fœminæ ſit leuis tantùm, credit Sanchez *citat. c. 4. num. 4.* non incurri excommunicationem, & probat ibi efficacibus rationibus: quarum vna eſt, quod Concilium Tridentinum *citato cap. 9. de Matrim.* rigidioribus verbis excommunicat cogentes viros, vel mulieres ad matrimonium, quam excommunicet cogentes fœminas ad Monachatum: Et tamen communior ſententia docet cogentes virum vel mulierem ad matrimonium non incurrere excommunicationem, ſi metus ſit leuis, vt probat Henriquez *lib. 11. de Matrimon. cap. 6. num. 5.* Et facit quod ait Sotus *7. de Iuſt. quæſt. ... art. 1. ad ſecundum in fine*, videlicet, metum leuem in ſpiritualibus non comprehendi metus nomine. Et fauet valde Clement. *1. n. 3 de foro competenti*, vbi ait in iure non haberi rationem metus leuis.

9 Maius dubium eſt, an, ſi metus incuſſus fuerit grauis, & ex cauſa iuſta, ſi videlicet quis minetur fœminæ accuſationem iuſtam veri delicti grauis, niſi fiat Monialis, an talis incurrat. Sanchez *citat. cap. 5. num. 5.* ait duas opiniones eſſe in hoc caſu. Prima aſſerit incurrere, ſecunda, cui ipſe propendet, dicit non incurrere: quia in ſimili caſu tenet ipſe probabilius profeſſionem factam ob iuſtum metum incuſſum non irritare profeſſionem. Et tandem dicit in vtraque opinione non incurſurum hanc cenſuram illum, qui Moniali taliter minaretur iuſtè, quando metus non incutitur animo extorquendi profeſſionem, ſed tantùm datur via euadendi ex periculo, fœminam relinquendo in ſua libertate.

10 Si quis inducat fœminam ad ingreſſum Monaſterij promittendo illi officium in religione, fauorem, vel aliud lucrũ, non incurret, quia hæc promittere, non

eſt

Digitized by Google

est cogere,sed suauiter inducere vt in casu simili tradit Suarez *tom. de Censur.disp.23. sect.5. num.6.* excipe,nisi lucrum promissum,vel dilatio stipendij, vel lucri esset adeo magnum , vt censeretur metus cadens in virum constantem, pro quo vide Sanchez *libr.4. de Matrim. disp.5.num.28.*

11 Quid si parentes dicant fœminæ,quod illam priuabunt hæreditate,si non intret Monasterium?Respondeo illos incurrere,tum quia id non possunt facere,tum quia illa comminatio respectu fœminæ censetur metus grauis. At si parentes dicerent filiæ: si non ingrediaris Monasterium , non relinquam tibi meam partem hæreditatis quam liberè possum dare , verb gratia, in Portugallia tertiam , vel quid simile: non incurrent parentes; quia illud possunt facere , & illa comminatio non censetur metus grauis etiam respectu fœminæ.

12 Quid , de metu reuerentiali incusso fœminæ, & cum illo ingredienti? Suppono metum reuerentialem esse illum quo timemus displicere Prælato, Magistro, parentibus,& similibus quos paternè reueremur, & in hoc casu vt plurimum, ipsi parentes, Prælati, &c. non incutiunt metum,sed ipsè inferior metum concipit,atque imbibit ob reuerentiam patris,& similium.In hoc ergo casu credo talem metum non inducere illam excommunicationem,quia parentes,vel consanguinei in illo timore incutiendo non se habent actiuè , vt diximus,etiam si manifestent puellæ talem statum Monachalem illi conuenire,eo quòd non habeat dotem pro matrimonio,vel eo quod non illi securum erit manere in sęculo absque matrimonio,& absque Monachatu.Et hæc est praxis in tota ferè Ecclesia,iuxta quã facientes patrẽtes nemo iudicat excommunicatos.Imò etiã si patrẽtes,vel alij importunis precibus suaderẽt puellę,vt in-

grede

grederetur,vel non ingrederetur,non incurrerent,quia suasio etiam importuna,non est coactio.

13 Incurrent verò censuram illi,qui Monialibus fœminam receptaris graue malum minarentur, vt tenet Pallatius *in* 4. *distinct.* 28. *disp.* 1. *col.* 2. Quod intellige, dummodo illa comminatio attentis circunstantiis minantis, & mali dicatur metus grauis respectu Monialium:qualis fuit metus Henrici II. Regis Angliæ incussus Monasterio Pontiniaco recipienti Sanct. Thomam Cantuariensem, vt dicitur in Breuiario. Et sic proportionabiliter potest hodie contingere. Ait tamen Sanchez *citat. cap.* 4. *num.* 11. non fore metum grauem, ac sufficientem si vir nobilis solitus facere copiosas eleemosynas Monialibus,minetur se amplius non illas facturum si talem fœminam recipiant,vel si illam non recipiant.

14 Incurrunt etiam hanc censuram cogentes fœminam intrare Monasterium,etiamsi non dicant vt intret ad habitum suscipiendum,neque ad professionem faciendam,sed solùm,vt ibi maneat cum habitu sæculari vsque ad occasionem nubendi. Nam Concilium clarè exprimit,ac prohibet sine distinctione ingressum Monasterij,& per illum ingressum, vt sic dicam,datur occasio, vt postea puella in Monasterio ob verecundiam fœmineam, & Monialium suasionem suscipiat habitum inuoluntaria.Addit verò bene Rodrig. 2. *tom. Summ. capite* 8. *numero* 9. hoc maximè verum esse quando coactio illa ingressus fit in Ordine, vel cum animo ad postea suscipiendum habitum Religionis siue suasionibus Monialium, siue alia via: secus si hoc nullo modo intenderet ipse cogens,tunc enim non incurreret.

15 Incurrunt etiam hanc censuram qui puellam libere ingredientem, vt maneat ibi in habitu sæculari educa

educationis gratia, post ingressum cogunt, vt habitum susciplat religionis. Item si cogunt eandem puellam post habitum susceptum, vt profiteatur inuita, hæc enim omnia exprimit Concilium *cit. sess.* Non verò incurret illam censuram is qui cogeret fœminam manentem in sæculo, vt faceret votum religionis, quia hoc non exprimitur in Concilio, & lex pœnalis non est extendenda, sed restringenda Adde quia cogere ad votum religionis non est cogere ad ingressum, nam illud votum metu graui extortum est irritum, & non obligat vt Doctores tradunt in materia de voto: vel saltem metu graui factum potest ab Episcopo dispensari. Neque incurrent impedientes metu graui ne fœmina emittat votum religionis quandiu est in sæculo, quia similiter Concilium hoc non expressit, vt tenet Suarez *tom. de cens. disp. 23. sect. 5. num. 10.*

16 Circa verò impedientes professionem fœminæ, sciendum, Concilium de cogentibus fœminam expressisse, ingressum, susceptionem habitus, & professionem. At quando loquitur de impedientibus fœminam, non exprimit impedientes primum ingressum siue Nouitiatum, sed solum professionem, seu veli suscipiendi quod recipitur in professione. Cuius occasione Sanch. *cit. c. 4. n. 15.* ait, non incurrere censuram impedientes ingressum Monialium ad Monasterium, & Nouitiatum, sed solùm impedientes professionem, post susceptum habitum. At securius iudico quod ait *cit. loc.* tales incurrere. Nam cùm professio fieri nequeat nisi suscepto habitu, impediens susceptionem habitus vere dicitur iam impedire professionem: sicut impediens medium necessarium ad finem verè dicitur impedire talem finem. Non incurret verò pater, qui filiæ dixerit non posse illam esse Monialem, quia caret dote, siue qualitate, & sic de cæteris iustis. Rodr. *to. 3. qq. q. 14. a. 3.*

17 Incur

17 Incurrunt denique cogentes fœminam, simul,& dantes auxilium, consilium, fauorem, &c. dummodo sequatur effectus suæ coactionis, vel in ingressu, vel in habitus susceptione,vel in professione,ad quodcunque horum coegerint,cõsuluerint,&c.secuto effectu. At si non sequatur effectus suæ coactionis, vel consilij,&c. peccabunt mortaliter, cùm sit materia grauis, & prohibita: sed non incurrent censuram. Nam quotiescunque Canon excommunicat facientes, mandantes, & similes, intelligitur secuto effectu, vt Doctores fatentur cum Sanchez *loco citat. num.* 19. Ego addo neque incurrere ignorantes voluntatem fœminæ inuitæ. Nam Concil. solùm excommunicat scientes. Et tunc excusabuntur etiam per ignorantiam crassam, vt supra dixi *verb.Ignorantia,& verb.Lib.prohibiti.*Neque item incurrent impedientes ingressum, vel professionem,si nihilominus fœmina fuit ingressa, quia non est secutus effectus suę impeditionis.Conatus enim ad crimen nõ punitur pœna ordinaria legis crimine nõ secuto:vt Doctores Iuristæ docent cõmuniter cum praxi:& prædicti conantes cogere,vel impedire,non secuto effectu,verè non coegerũt,neque impedierunt.Denique non incurrent qui tali actui præsentes fuerint non animo auxiliandi,vel fauendi violentię illi,sed alio animo, videlicet si assisterent gratia domini sui quem comitantur,vel vt audiant Missam dictam tempore professionis, vel, vt audiant illam professionem: hi enim omnes non fauent illi violentiæ, neque ea de causa assistunt.

18 Quæris.Diximus supra *ver.Clausura Monialium num.7.in fine,& num.*8.cum Sanchez *lib.*4.*Decalog.cap.* 18.*num.*8.*& seqq.* citante duo capita iuris Canonici,ac Diuum Thomam, diximus, inquam, parentes habere ius patrium, vt filios, & filias impuberes ante pubertatem

tem offerant religioni:& Sanchez *ibidem num.9.& 19.* ait prædictos filios ante pubertatem oblatos religioni à parentibus,vel à tutore, non posse resilire ante pubertatem,& teneri obedire parentibus in spiritualibus ante pubertatem : Hoc posito , quæris, si parentes, aut tutor cogant puellam ante pubertatem , id est , ante annos 12. vt ingrediatur Monasterium oblationis causa,quia scilicet volunt illam offerre religioni,vtrùm in hoc casu incurrant illam censuram.Et dixi,*ante pubertatem*,quia post illam non est dubium quod incurrant. Hoc dubium neque mouet Suarez,neque Sanchez:neque alius quem viderim.Et quidem ex duobus dictis à Sanchez videtur clarè colligi tales parentes, vel tutores tunc nõ incurrere.Si enim puer,vel puella oblati à parẽtibus religioni non possunt resilire à tali oblatione ante pubertatem,vt ibi probat Sanch.*n.9.*Si item ante pubertatem tenentur obedire parentibus in spiritualibus,sequitur non peccare parentes offerentes puellam inuitam ante pubertatem religioni. Quod expressius innuit Sanchez *cit num.9.* dum ait tales filios ingressos Ordinem ante pubertatem sua sponte,posse exire quoties voluerint ante pubertatem,non verò oblatos à parentibus:ergo clarè innuit oblatos , à parentibus posse intrare inuitos ante pubertatem,titulo oblationis,idem fere innuit Sanchez *lib.1.Decalog.cap.18.num.34.*Dum ait Tridentinum non curasse de examinanda libertate puellæ ante susceptionem habitus si non habet annos 12, ob tenerum rationis vsum tunc in puella. Probo secundò, quia iniustè talis puella dicitur inuita, si non obedit parentibus in illis ad quæ tenetur.Tertiò , quia tunc talis puella inuita àparentibus oblata religioni dicetur intrare ante annos pubertatis in casu à iure permisso:id enim permittit ius,*cap.2.de Regular.& cap puella 2.quæst.2. & cap. addidistis 20. quæst.1.* cogentes

verò

verò intrare in casu à iure permisso non excommunicantur à Tridentino. Adde quod Tridentinum Concilium ibi nō reuocat aliquod ius commune. Fateor hæc augere probabilitatem opinionis istius. Sed tamen textus supra citati à Sanchez clarè non dicunt filios ante pubertatem oblatos religioni à parentibus non posse resilire, vel teneri obedire: ac proinde non inclinor ad hoc asserendum, quamuis id colligatur à Doctoribus citatis ex Sanchez. Timeo præterea tale dubium resoluere, quia Tridentinum valdè generaliter loquitur contra cogentes; exprimit enim primò mulierem, secundò virginem, tertiò viduam: virgo autem & mulier in communi loquendi vsu etiam de puella decenni intelligitur, & proinde securius censeo dicere parentes in hoc casu etiam incurrere. Et ipse Sanchez 4. *Decalog. citat. cap.* 9. *num.* 28. ait filium impuberem non teneri obedire parentibus vouentibus ilium auferre religioni.

18 Quæris. De mandato Domini papæ Pauli V. in hoc regno Portugalliæ nuntius, seu Collector Apostolicus taxauit in quouis Conuentu Monialium numerū religiosarum, quæ in quouis Conuentu recipi deberēt: id quod fecit præcedente informatione reddituum cuiusque Conuentus Monialiū, taxando numerū vnicuique Conuentui iuxta sufficientiam reddituum ad tālē numerum Monialiū sustentandū. Et insuper prohibuit sub censuris, & priuatione officiorum ne Prælati vel Prælatæ aliquam Monialem recipiant vltra illū numerum cuique Conuentui assignatum. Hoc posito, quæris an si vltra talem numerū offeratur fœmina cū magna dote, quæ dos nō solùm sufficiat ad sustentationem annuam fœminæ denuo aduenientis, sed etiam ad augendos reddit⁹ annuos Cōuētus, possit talis fœmina recipi absque incursu dictę prohibitionis, & pœnarū illius.

Regi

Reginaldus *tom.2. in ſua Praxi libr.23. numer.* 194. citans Nauarr. & Suarez tenet ſtando ſolùm in iure Tridentini *ſeſſ.25. capit.* 3. *de Regularibus.* vbi iubetur quod non recipiantur plures Moniales in quouis Conuentu quàm quæ ſuſtentari commode poſſint ex redditibus annuis illius;tenet,inquam, hoc non obſtante, quod ſi aliqua fœmina veniat extra numerum taxatum quæ ſit ſufficienter dotata, ex qua dote ipſa poſſit ſuſtentari, poſſe talem fœminam admitti vltra taxatum numerum. Idque citati Doctores à fortiori dicent in caſu à me propoſito, quando per nouam dotem iſtius creſcent redditus Conuentus pro meliori ſuſtentatione cæterarum.Neque obſtat *c.vnico* §.1 *de ſtatu Reg.in* 6. & Tridentinum eidem inhærens, vbi prohibentur plures recipi quàm poſſint ſuſtentari ex redditibus cõſuetis. Non,inquam,obſtant hæc iura,quia citati Doctores exponunt,vt non recipiantur aliæ gratis,& ſine dote,ita vt debeant ſuſtentari expenſis ipſius Conuentus.Secus ſi afferat congruam dotem perpetuam in rebus immobilibus vnde ipſa ſuſtentetur. At ſi afferat dotem exceſſiuam vt duplicatam, vel triplicatam, vt ego propono in caſu, à fortiori id dixiſſent,nam cùm finis Concilij in illa taxa ſit prouidere vt Monialibus non deſit congrua ſuſtentatio, iſte finis non impeditur per receptionem iſtius nouæ fœminæ, imò potius multum iuuatur, cùm inde creſcat commodior ſuſtentatio cæterarum. Et finis legis ſit attendendus in *l. non verbo legis.* Conſtat autem quòd noua prohibitio D. Pauli V. & Nuncij illius tendunt clarè ad executionem Concilij Tridentini, ac proinde habentem prædictum finem Tridentini, qui eſt commoda Monialium ſuſtentatio. Quod verò finis legis, non verba illius ſit attendendus, habetur expreſſe *regula vltima de Regul. Iur. in* 6. vbi dicitur, quod is committit

in legem,qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem. Ego in hoc casu à me proposito de duplicata dote duo dico. Primum quod si ego essem Prælatus talem non admitterem absque expressa licentia eiusdem Nuntij Collectoris, propter expressam prohibitionem factam post taxatos redditus,ac numerorum.Dico tamen esse certissimam,ac iustam causam vt ipse dispensęt, vel declaret talem casum in sua lege non prohiberi. Secundò dico quod Prouincialem,qui talem fœminam reciperet duplicata dote in bonis immobilibus, ego non condemnarem, neque dicerem illum incurrisse prædictas nouas pœnas, cùm iuxta tales tres Doctores citatos non contrauenerit Concilio Tridentino, imò illius intento nimis fauerit.

Moniales non tenentur confiteri confessario extraordinario oblato à Prouinciali bis, vel ter in anno, si ipsa noluerit,habetur in declarationibus Cardinal.impressis Duaci anno 1618.*fol.*348.§. *qui omnium*,sed poterit confiteri suo ordinario. Vide tamen in fine operis,*verb.Monialis n.*1.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

1 SVpra hoc eodem *ver.Moniales num.*18.*ad finem*, dixi probabiliter posse sustineri non esse damnandum Prouincialem qui reciperet vnam Monialem vltra numerum taxatum à Collectore istius Regni, si illa adducat dotem duplicatam,ob rationes ibi assignatas.Nunc dico,ne omnino id fiat cum tali dote,absque expressa licentia Papæ, quia sic vsus postea obseruauit. Si verò aliquis in hoc facto vellet se excusare,posset pro se adducere *cap.cùm M. Ferrariensis de Constit.* vbi Innocent III. decernit quod si aliquod Capitulum habeat

habeat taxatum numerum tot Canonicorum, vt vltra non posſit creſcere, & hoc per Papam confirmatum: ſi tamen poſtea redditus temporales ita creuerint, quod poſsint vltra commodè ſuſtentari duo vel tres Canonici, hi poterunt deinde recipi, & ſuperaddi non obſtante prædicto ſtatuto per Papam confirmato. Verum quidem eſt quod ibi Papa in tex. innuit neceſſe fuiſſe, vel decuiſſe, vt in confirmatione diceret Papa, ſecus faciendum, ſi redditus pro tempore excreſcerent. Et proinde hodie neceſſarium eſt vt non obſtante dote duplicata habeatur expreſſus recurſus Papæ, ad vitandam cenſuram.

2 Si de licentia Papæ in aliquo Conuentu Monialium ſupra taxatum numerum recipiantur aliquæ cum duplicata dote, (quæ ſic receptæ dicuntur ſupernumerariæ,) hæ ſic receptæ non ponunt in numero cum aliis antea taxatis: & proinde ſi moriatur aliqua ex numero antiquo taxato, poterit Prouincialis aliam recipere ſine nouo recurſu Papæ: quia illæ ſupernumerariæ non impediunt, neque mutant, neque addunt numerum taxatum, ſed ſemper extra vagantur. Sic declaratum fuit ab Illuſt. Cardinalibus Romæ teſte Quaranta citato per Fr. Emanuelem Montis Oliueti *in explicatione ſecundæ Reg. Sanctæ Clarę Rubr. 3. quæſt. 4. §. E prouaſe mats.* Quam declarationem ibi vide ad longum.

3 Quando Papa iubet recipi aliquam Monialem cum dote duplicata, iſta duplicatio dotis debet intelligi ſecundùm æſtimationem regni & Conuentus illius in quo Nouitia recipitur: non verò ſecundùm æſtimationem dotis quæ Romæ dari ſolet, vel Italiæ, vbi litteræ expediuntur. v.g. Si in Conuentu vbi Nouitia recipitur dos ordinaria ſunt mille ducati Luſitani, talis Nouitia debet ſoluere duos mille ducatos Luſitanos.

Ita fuit declaratum ab Illuſtriſſ. Cardinalibus Tridentin. quorum declarationem ex Quaranta citat Monteoliuete *citat. Kuèr. quæſtion. 3. numero 5.* Et ita ait iudicatum fuiſſe Conimbricæ per Vicarium Generalem Epiſcopi. Si verò litteræ Pontificiæ alicui Vicario Generali dirigantur, & ille aliter iudicauerit faciendum in taxanda ſic duplicatione dotis, (ſicut certò ſcio iudicaſſe, & malè, Vicarium quendam Generalem vnius Diœceſis) poteſt prouincialis ab illo appellare, cum non iudicet ſecundùm declarationem citatam Cardinalium, cuius verba citat Monteoliuete *citat. num. 5.*

NOTARIVS.

1 POſſunt Regulares, prælati, in cauſis priuilegiorum ſuorum, & conceſſionum papalium, creare Notarios Religioſos, qui ſint eiuſdem valoris, & fidei atque ſæculares. Conceſſit Pius V. prædicatoribus. Tenorem Bullæ vide apud Rodriguez *tom. 3. quæſtione 8. artic. 1.* Bulla verò ſolùm ſonat, quod hi Notarij inſeruiant ad fidem dandam circa priuilegia, & conceſſiones pontificias ſuorum Conuentuum, pro negotiis Conuentuum, vt ita fides talis Notarij à prouinciali aſsignati vbique fidem faciat etiam coram Iudice ſæculari, & ponit Bulla pœnas contradicentibus. Et notat Rodrig. *citato loco*, quòd iſti Notarij ſunt perpetui, pro negotiis priuilegiorum, etiam extra Ordinem.

2 An poſsint prouinciales creare Notarios intra Ordinem pro cauſis criminalibus Religioſorum, ita vt illis tanta fides adhibeatur, quanta Notario ſæculari? Innuit clarè Rodriguez, *citato loco, art. 1. & Addition. 5 num. tom. 4. cap. 13. numer. 1.* & tenet expreſsè, & fusè Aldrete

Aldrete *libr.1. de Religio.disciplina. capit.8. à numer.3. & sequentibus.* Cùm enim causæ Religiosorum, non possint tractari coram Iudice sæculari: neque possint causæ illorum graues processari absque Notario, vt tenet Rodriguez *tom.2. quæstione 13. articul.2.* (quia Iudex non potest esse Notarius) sequitur omnino quod Superiores in causa criminali graui, possint creare NOTARIOS, quod solent facere per suum Secretarium: possunt enim in causis subditorum, quod possunt Episcopi. Habent enim Prælati Regulares plenum ius circa causas suorum subditorum. Idémque poterunt facere Guardiani in causis suorum subditorum. Et hoc posse facere PROVINCIALES ex consuetudine tenet Aldrete *cit. loc. num.4.* citans Ioan Andr. Abbat. Felin. Immolam.

Optimè tamen aduertit Aldrete *n.8.& 9.* quod iste NOTARIUS creatus à PROVINCIALI (idem intellige de creato à Guardiano) debet prius recipere iuramentum fidelitatis: iuramentum enim tam est de essentia NOTARIJ, quàm de essentia testis: & in iudicio sæculari nullus NOTARIUS admittitur absque prævio iuramento fidelitatis. Vnde NOTARIUS in causis Religiosorum si non recipiat hoc iuramentum, in rigore non faciet processum iuridicum substantialiter.

Vnde ego infero debere PROVINCIALES suos Secretarios electos in principio officij creare NOTARIOS cum præstito iuramento prædicto pro causis Fratrum, idque in publico, vt constet omnibus. Hoc autem facto, quando ipse Secretarius fidem dederit, de aliqua re facta absque testibus, illi credetur infallibiliter tanquam NOTARIO publico apud sæculares: & hoc sæpe in multis negotiis est necessarium: vt experientia docet. Quod si prædictum iuramentum non præcedat, fides illius, & facta per illum in rigore non sunt iuridica, vt

dixi, quia non est Notarius iuratus, nec proinde in rigore Notarius, de cuius essentia est iuramentum.

3 Prædictus Notarius regularis, vltra subscriptionem testium ipse, etiam debet subscribere proprio nomine. Sic enim colligitur ex iure. Rodrig. *in Addit. Sum. tom. 4. cap. 58. concl. 10.*

4 Religiosus, qui in sæculo fuit Notarius, si fiat Monachus, post professionem potest conueniri coram Iudice sæculari, cuius fuit Notarius vt reddat rationem scripturarum, quas antea habebat. Rodriguez *ibidem num. 4.*

5 Etiam in iudicio sæculari danda est fides libris ratiocinij, factis per Notarios Monachos, vel Moniales Notarias, vel in similibus obligationibus. Sic enim vsus obtinuit: & refert Valascus Lusitanus *libr. 1. Consultationum.* se ita vidisse iudicatum in facti contingentia.

6 Malè faciunt Prælati qui in re graui faciunt processum per se ipsos absque Notario: est enim de iure communi, quod scribat Notarius, & proinde videtur de substantia iuris in qua Prælati non possunt dispensare: de quo multa Rodriguez, *tomo 2. quæstione 13. articulo 2.* Ipse tamen *in Addition. Summ. citato capit. 58. numero 9.* dicit quod si Prælati oppositum faciant ob consuetudinem, quod non condemnat: sed quod non laudat, neque ego probo, sed potius condemno.

ADDITIO.

1 NOtarius, seu Tabellio in actibus extraiudicialibus valet pro duobus testibus. Ita *gloss. cap. vt officium. de hæreticis in 6. ad §. verum quia. in fine.* Et gloss. *in c. quoniam contra. de probat. ver. duos viros.* Hoc volui admo

admonere, vt sciant Prælati hoc etiam locum habere in suis secretariis, si illos eligant cum iuramento, & circunstantiis à me notatis supra *ver. Notarius*: habent enim Prælati ordinum priuilegium eligendi Notarios pro suis causis iudicialibus: ac proinde Notarij Religionum habebunt illas prærogatiuas, quas habent Notarij sæculares. Sed nota quod hoc intelligitur de Notariis extra iudicij processum, quando scilicet non adsunt testes, & apud nos Lusitanos dici solet: *Que o Escriuão deu sua fé, de como juyz mandou tal, &c.*

PVNITIO RELIGIOSI EXTRA Conuentum publicè delinquentis petente Episcopo.

2 CONstat ex Concilio Trid. *sess. 25. c. 14. de Regul.* quod si Episcopus in visitatione reperierit aliquem Religiosum publicè deliquisse extra Conuentum, tenetur Prælatus Religiosi illius eundem punire modo quo dixi supra *verb. Episcopus n. 8.*

Quo posito, vidi iam dubitari an Prælatus Religiosi possit illum punire ex vi solius processus quem Episcopus misit ad Prælatum circa delicta Religiosi: an verò Prælatus debeat per se ipsum facere alium processum, & inquirere de delicto, vt eo probato per processum Prælati puniatur talis Religiosus? Et videtur quod ad illum puniendum non sufficiat processus factus ab Episcopo, quia Episcopus non est iudex competens Religiosi, vt patet: at processus factus à iudice non competenti, est nullus, vt colligi potest ex vtroque titul. *de foro competenti.*

3 Ego credo quod Prælatus Religiosi poterit illum punire per solum processum factum ab Episcopo, ci-

tato tamen,& prius audito Religioso iuxta iuris Ordinem. Moueor ad hoc,quia Concil. Trident.*cit.cap.*14. non dicit vt Prælatus inquirat de Religiosi delicto:sed solùm iubet, vt instante Episcopo, Prælatus puniat instante scilicet Episcopo ostendendo processum à se factum : aliàs non bene instaret. Secundò nimis ad hoc facit declaratio quædam Cardinalium adducta à Marzilla *in suis declarationibus ad cit. cap.* 14. *Trid.* §. *& extra ea.* vbi innuitur quod Episcopus potest facere processum in tali casu contra Religiosum talem, & cum tali processu illum mittere ad suum Prælatum: si verò datur illi Episcopo licentia faciendi talem processum, iam Papa concedit illi ius vt faciat processum validum, & saltem sit Iudex competens ad faciendum hunc processum. Neque est res noua in Iure, vt Iudex puniat aliquem per processum non à se factum : nam Iudices sæculares Principis puniunt vltimo supplicio hæreticos sibi traditos ab Inquisitoribus:idque sequendo solum processum factum ab ipsis Inquisitoribus S. Officij.Et habet hoc aliquod vestigium in Iure,nam *c.* 1. *de priuileg. in* 6. exemptus delinquens in loco non exempto punitur ab Ordinario. Et lex facile reuertitur ad suum principium, *cap. ab exordio* 35. *dist. & l. si vnus,*§.*pactus,ff.de pactis.*

NOVITIA.

Vide verb.*Nouitius.*ver.*Moniales.num.*5.& ver.*Professio.*& ver.*Monasterium num.*11.

1 REcipi possunt puellæ pro futuro Nouitiatu, etiam si sint minores 12.annis:neque hoc contradicit Concil. Tridentino. Rodrig. *tom.*3. *q.*12.*art.*2. & Miranda *q.*8. *de Monialibus art.*2. *concl. vnica.* vbi cùm

cùm non limitent ætatem puellarum, sed solùm dicant posse recipi ante annum 12. innuunt posse recipi etiam in quinquennio, vel sexennio. Vide illorum rationes quibus respondent ad Concil. Trid. & declaration. Cardin. & praxis hoc suadet.

2 Descendens ex Iudæis, hæreticis, &c. potest esse Nouitia, & Monialis: Bullæ enim Pontificiæ quo ad hoc de fœminis non loquuntur: Est communis, & certa.

3 Nouitiæ ante professionem sunt examinandæ ab Episcopo, vel eius Vicario, an liberè profiteri velint: neque opus est bis examinari scilicet ante ingressum, & ante professionem. Quanuis enim Concil. Trid. hoc videatur innuere, *sess. 25. cap. 17. de Reg.* hoc tamen non fuit receptum saltem in Hispania: & praxis est in contrarium, vt semel tantum examinentur ante professionem, Mirand. *q. 8. de Monial. art. 4.*

4 Si Nouitia exeat à Conuentu in anno nouitiatus cum habitu, & licentia causa morbi curandi, & in domo sæculari sit cum obedientia Prælati, censet Rodrig. *tom. 3. q. 15. art. 10.* quod non continuat validè nouitiatum; sed quod rediens debet denuo incipere: licèt hoc non neget omnino: sed solùm consulit ne fiat. Ego non video cur hoc non liceat in Nouitia, siquidem iuxta omnes Doctores exiens, & rediens cum prædictis conditionibus non discontinuat nouitiatum, & vt totum dubium tollatur, Cardinales Congreg. Romæ idem declararunt circa Nouitias. Illorum declarationem affert Marzilla *lib. 1. c. 16. §. ante decimum sextum. in fine*, sic illam citans. Anno probationis durante si Nouitia curandæ valetudinis causa de licentia superiorum è Monasterio exierit, & postea reuertatur, eodem tempore professionem emittet, perinde ac si nunquam egressa fuisset. Sic ibi.

5 Si Nouitia in Monasterio Monialium Sancti Dominici sit in articulo mortis, potest emittere professionem, etiam non completo anno Nouitiatus: & si moriatur consequitur Indulgentiam plenariam in forma Iubilei. Concessit Pius V. Monialibus Sancti Dominici, pro Nouitiis illarum. Refert Capucinus *verb. Abbatissa, fol.5.* dicens hoc priuilegium communicari cæteris Nouitiis aliarum Monialium. Quanuis autem illa Indulgentia concessa pro professione vt concessa à Pio V. cessauerit per reuocationem D. Pauli V. tamen idem Paulus V. denuo concessit Indulgentiam plenariam in die professionis: cumque non reuocet priuilegia, sed solùm Indulgentiam, manet adhuc firmum priuilegium illud Pij V. de anticipanda professione, ante annum: & proinde lucrabitur Indulgentiam Pauli V.

Quæris primò circa præfatam concessionem an Nouitij fratrum in simili articulo mortis existentes possint anticipare professionem, & lucrari illam Indulgentiam per communicationem? Rodrig. mox citandus tenet quod sic.

Quæris secundò, an si prædicta Nouitia sic professa anticipato anno, conualescat, si professio illa teneat: an verò debeat finito nouitiatu iterum profiteri? Rodrig. *Add. ad Sum. tom. 4. c. 63. n. 4. & 5.* dicit non valere, sed teneri continuare nouitiatum, & aliam emittere suo tempore: causam ibi vide, & *Add. n. 5.* quod si prædicta Nouitia sic professa moriatur, non potest Conuentus ratione illius adire hæreditatem, vel dotem accipere.

ADDITIO.

VLtra iam dicta supra *hoc eodem verbo*, vide supra in his Additionibus *verb. prox imè præcedente, Moniales*

niales. ibi enim de fœminis ingreſſuris ad Nouitiatum multa ſunt dicta. Vide etiam verb. *Monaſterium*, & ver. *Nouitius*, & verb. *Profeſſio*.

Vnicum tantùm occurrit dubium, ſed graue, quod contigit in hac Alma Olyſsipone paucis ab hinc annis, & de quo fui rogatus, an ſcilicet exiſtentibus in vno Conuentu Monialium ſuffragiis æqualibus pro vtraque parte, v.gr. triginta negatiuis, & aliis triginta approbatiuis pro vna Nouitia, poſſet prouincialis illius Conuentus abſens per ſcriptum dare ſuum ſuffragium approbatiuum, & cum ſuo ſuffragio faciente exceſſum vltra partem dimidiam maneret approbata ad profeſſionem faciendam. Et quidem non fuit dubitatio an id poſſet facere in abſentia per ſcriptum. Conſtat enim poſſe electorem abſentem, mittere ſuum ſuffragium per procuratorem, vt Doctores dicunt, maximè Summiſtæ, ver. *Electio*. ſed dubium præcipuum fuit, an in rigore iuris Prouincialis abſens, vel præſens, poſſit dare ſuffragium pro Nouitia ſui Conuentus, vel pro Nouitio in Conuentu virorum.

Non defuerunt viri Theologi vnius Conuentus grauis qui ſatis docti dixerunt non poſſe Prouincialem, etiam præſentem ferre ſuffragium in approbatione Nouitij ad profeſſionem. Nullam aliam rationem aſsignarunt, niſi quod Concilium Trident. & Ius Canon. concedit Nouitiis vnum annum approbationis, vt ſcilicet Religioſi Conuentus in illo anno poſsint ex actibus, & conuerſatione Nouitij experimentum ſumere de vita, & moribus illius an Religioni inſeruiat. Hoc autem experimentum non poteſt ſumere Prouincialis vtique non reſidens in Conuentu, qui Nouitij mores, & conuerſationem non experitur: nec proinde poteſt iudicare, an ſit vtilis Religioni.

Non

Non defuerunt è cõtra qui dicerẽt,nõ ſolùm Prouincialem,ſed eius etiam Secretarium poſſe dare ſuffragiũ pro nouitio in illo Cõuentu,in quo actu exiſtũt.Rationẽ aſſignabãt,quia Prouincialis cũ Secretario in quouis Comitẽtu ſunt officiales,& membra ipſius Conuentus.

Ego ſentio Prouincialem poſſe dare ſuffragium pro Nouitia, vt cum tali ſuffragio ſi faciat exceſſum requiſitum in illo Ordine, faciat profeſſionem. Sic in illo caſu reſpondi,& meæ opinionis fuerunt alij viri docti. Moueor primò per *cap.in Regulis Iuris in ſexto.* Cui licet quod eſt plus,licet vtique quod eſt minus,maximè quando illud minus eſt connexum cum maiori:at Prouincialis recipit ad habitum illam Nouitiam, quod eſt plus,quàm recipere ad profeſſionem.ergo etiam poterit recipere ad profeſsionem ferendo ſuffragium pro Nouitia. Minor probatur quoad illam partem quæ dicit,minus eſſe recipere ad profeſsionem, quàm ad habitum. Nam Abbatiſſa abſque Prouinciali poteſt recipere ad profeſsionem Nouitiam, & non poteſt illam recipere ad habitum, quia ſcilicet maius eſt recipere ad habitum, quàm ad profeſſionem ferendo ſuffragium. Secundò, quia Prouincialis eo quòd ſit Prælatus, & caput in quouis Conuentu Monialium ſibi ſubditarum,poteſt ferre ſuffragium in electione Abbatiſſæ cui præeſt,vt probaui ſupra *verb. Abbatiſſa num.9.* & idem praxis obſeruat tum in Prælatis Eccleſiaſticis, tum etiam Regularibus: ergo ſi fert ſuffragium pro Abbatiſſa, eo quòd ſit Prælatus, & caput illius Conuentus, poteſt dare idem ſuffragium pro Nouitia, vel Nouitio ſui Conuentus. Et magis connexa ſunt duo hæc, receptio ad habitum, & receptio ad profeſsionem, cùm vnum ordinetur ad aliud: quàm ſint connexa quæcumque alia, de quibus dicitur poſſe in minus illum qui poteſt in plus. Tertiò confirmo ex Tri-

dent.

dentin. *seſſ. 25. capit. 16. de Regular.* vbi præcipitur quod Superiores, finito anno probationis, vel reiiciant Nouitium, vel admittant ad profeſſionem. Nota verbum *Admittere*, & verbum *Superiores*. Nam *admittere* eſt etiam quod ſuffragio admittant, ſic enim poteſt etiam hoc verbum exponi. Et præterea dicit quod Superiores id faciant: Superior autem principalis Conuentus, eſt Prouincialis. Addo quod praxis obſeruat, poſſe Nouitiam facere profeſsionem in manibus Prouincialis, quando id volunt Moniales, vel conſanguinei ob maiorem ſolemnitatem; ſicut mihi contigit in praxi. Si ergo Prouincialis in ſuis manibus recipit ad profeſsionem Nouitiam, & illam Ordini incorporat (vt ſic dicam) cum ſuo ſuffragio particulari non poterit incorporare?

Neque obſtat in contrarium poſitus caſus à Nauar. *libr. 1. conſil. titul. de Regular. conſil. 62. primæ impreſsion.* vbi ait non potuiſſe Generalem Ordinis Carmelitani facere Monachum vnum Nouitium, qui in ſuo Conuentu pro receptione ad profeſsionem habuit pro ſe dimidiam partem communitatis, & contra ſe aliam dimidiam, quia (vt ibi ait, facere Monachum pertinet ad Conuentum, & Abbatem.) Non, inquam, obſtat. Primò, quia forte in illo Ordine Prælati maiores non dant ſuffragium pro Nouitiis. Secundò, quia Nau. ſolùm innuit quòd Generalis ſufferit; non ait quod ſuum ſuffragium clarè dederit. Et oppoſitum horum duorum fit ſaltem in Ordine Minorum, vel ſaltem fuit factum in caſu propoſito. Et ad text. citatū à Nau. quod facere Monachum pertinet ad Conuentum, & Abbatem. Dico quòd in hoc caſu fiet Monialis à Conuentu, & Abbate; Prouincialis enim eſt Abbas, & Prælatus illius Conuentus, & cum ſuo ſuffragio incorporato ſuffragiis Monialium maior pars Conuentus

ſuffra

ſuffragatur pro Nouitia. Vltimò dico, quod quando Nauarri dictum nobis obſtaret, plus ponderant rationes claræ pro nobis adductæ quàm dictum ſolius Nauarr.

Ad rationem partis oppoſitæ, quod ſcilicet Prouincialis non aſſiſtit in Conuentu Nouitiæ, vel Nouitij, vt poſſit illius vitæ eſſe teſtis oculatus, & proinde non poſſe illum ſuo ſuffragio admittere, vel reiicere: dico non requiri hanc aſſiſtentiam Prouincialis vt ſit teſtis oculatus Nouitij. Confirmo duobus exemplis. Primo, quando aliqui Religioſi capitulares alicuius Ordinis vadunt ex diuerſis orbis partibus ad Capitulum Generale pro eligendo Generali: dant ſuffragium vt ſit Generalis ille, quem numquam viderunt, neque de illo vnquam informationem aliquam acceperunt, & tamen validè dant ſuffragium pro illo ſibi ignoto, de quo ſolam informationem famæ habent ab aliquibus capitularibus; aliàs numquam electio Generalis fieret. Si ergo electio Generalis Ordinis fit hoc modo, & pro illa ſufficit illa informatio famæ præſentis, cur non ſufficiet ad profeſsionem Nouitiæ ſola informatio Monialium, quam Prouincialis habere, vel facere poteſt, vt pro illa antea ignota ferat ſuffragium? Secundum exemplum ſit: in praxi obſeruatur ſaltem apud Franciſcanos vt ſi heri, vel nudius tertius, aliquis Frater venit tranſlatus à Prouinciali ad hunc Conuentum, vt habitet in eo, & hodie in eodẽ Conuentu recipiuntur ſuffragia in Capitulo ad profeſsionem alicuius Nouitij, talis Frater heri aduenies hodie in Capitulo fert ſuffragium pro tali Nouitio ſibi ignoto, & de cuius moribus nihil ſcit, neque vidit, niſi per informationem breuem. Cur ergo id non poterit facere Prouincialis circa Nouitiam per informationem breuem, & ſummariam Monialium?

Ad

Ad id verò quod addebat alia opinio, posse etiam Secretarium Prouincialis ferre suffragium pro Nouitio Conuentus, in quo pro tunc existit cum Prouinciali: fateor me numquam id vidisse in mea Prouincia: neque audiuisse de alia. Neque rationem video pro illa opinione: imò dico in Prouinciali esse diuersam rationem valde, nam est Prælatus, & caput illius Conuentus circa omnes actiones morales illius Conuentus, quod non habet Secretarius Prouincialis, qui neque est incola illius Conuentus, neque Prælatus. Adde, quòd si Secretarius posset ferre suffragium pro Nouitio eo quòd Secretarius est; etiam poterit dare suffragium pro Nouitia Monialium sicut potest dare Prouincialis: quod nescio si admittent authores partis oppositæ. Quod si admittant in Nouitia, rem admittent inauditam, & multis difficultatibus implicatam.

NOVITIVS.

Vide infra verbo *Professio.* verbo *Nouitia*, *numer.* 5. §. *Quæris* 1. & verb. *Abbas*, *num.* 7. & verb. *Prælatus*, *num.* 3. & 9.

VT clarius in re tam ampla, difficili, ac necessaria procedatur circa Nouitiorum qualitates, sciendum est Sixtum V. duas constitutiones edidisse, in quarum prima prohibuit sub grauibus pœnis, ne illegitimi, & criminosi ad Ordinem reciperentur. In secunda rigorem primæ quo ad aliqua temperauit: non tamen dispensauit cum illegitimis, vel criminosis, sed circa modum recipiendi: de quarum Bullarum substantia statim dicetur.

Postea Greg. XIV. primam Bullam Sixti V. reuocauit quo ad illegitimos tantùm, dispensans vt quicumque

que illegitimus posſit ad Religionem recipi ſiue ſit ſacrilegus,ſine inceſtuoſus,&c.Solùm verò excipit,quod illegitimus non admittatur ad Ordinem in quo pater adhuc viuit : ſiue filius natus fuerit ante,vel poſt profeſsionem patris.Cæterùm quo ad alias conſtitutiones Sixti V.manebant in ſuo robore circa criminoſos non recipiendos circa modum informationum, & nullitatem profeſsionis, & cætera de quibus Sixtus V. diſpoſuit.Has tres Bullas ad longum ponit Rodrig.*tom.3.qu. in fine q.54.*

Vltimò Clemens VIII. videns multa incommoda, & inquietationes ortas,ex prima Bulla Sixti V. annullante profeſsiones factas non ſeruatis illis quæ Sixtus in illa decreuit Pontificatus ſui anno 11. edidit aliam conſtitutionem,quæ incipit, *In ſuprema Eccleſia*,in qua dictam primam Sixti V. Bullam qua ex parte tantùm annullat profeſsiones, reduxit ad terminos iuris communis: ac proinde ſtatuit vt omnes profeſsiones factæ à publicatione illius ſuæ Bullæ, forent validæ, etiam ſi non ſeruarentur decreta in prima Bulla Sixti:nec profeſsio fieret inualida niſi de iure communi canonico alias eſſet inualida:vt verb.gratia,ſi reciperetur ad profeſsionem is qui per ſolum ius canonicum eſſet inhabilis ad profeſsionem;qualis eſt vxoratus abſque licentia coniugis,& ſimiles. Non verò eſſet profeſsio nulla ſi reciperetur, verbi gratia, homicida, qui per Bullam Sixti erat criminoſus:per ius verò Canonicum non eſt inhabilis;& ſic de cæteris. Neque item eſſet profeſsio inualida ſi informationes à Sixto decretæ , omitterentur dummodo aliàs ſic receptus abſque informationibus,non fit inhabilis de iure communi.

Duo tamen adhuc nota circa eandem Bullam Clementis VIII.primum,quod decreuit,quod Prælati,qui prædictam formam Sixti nõ ſeruauerint in receptione

Nouitiorum, quo ad informationes, &c. incurrant omnes pœnas in eadem posita: has enim pœnas Prælatis non sustulit, & ligant hodie contrafacientes: licèt professio teneat modo proximè dicto.

Secundùm nota, quod Clemens VIII. non reualidauit professiones factas ante publicationem illius suæ Bullæ, si fortè fuerunt factæ absque forma Bullarum Sixti: & de his nihil egit: & si hodie aliqua dubia inuenirentur pro temporibus Sixti, ante Bullam Clementis facta: manet adhuc sub terminis antiquis, & de illa non loquitur Clemens VIII. sed de solis faciendis post publicationem suæ Bullæ, quæ fuit Romæ publicata anno 1602. die 2. Aprilis.

NOVITII INFORMATIONES.

1 SIxtus V. requirebat vt antequam Nouitius reciperetur fierent exactæ informationes de illius vita: & examinarentur à Patribus ibi assignatis in secunda Constitutione. Sed quia hoc onerosum erat, & occasio ex dilatione facienda, vt iuuenes Religionem aspirantes retrocederent; Clemens VIII. aliam Bullam præter iam dictam, condidit in fauorem Conuentus Sancti Stephani Salmanticensis, in qua Priori, & Patribus Prædicatoribus illius Conuentus concessit, vt possent recipere Nouitios absque præuiis informationibus seruatis conditionibus mox assignandis. Et hoc modo recipiendi fere vtuntur hodie omnes Religiosi; per communicationem illius priuilegij illius Conuentus, in quo omnes Religiosi fere participant.

2 Primò ergo Clemens VIII. in illa Bulla prædicto Priori præcipit, vt ipse cum Patribus, qui postea informationes debent examinare (de quibus statim) antequã

Nouitium induant habitu Ordinis, ſumant ab illo iuramentum, ſi ſit liber ab omnibus illis impedimentis, quæ Sixtus prohibet, eidémque legantur. Quo reſpondente, ſe in nullo ligari, poterunt illum habitu induere. Et notent Prælati hodie quod ſi prædictum iuramentum non exhibent Nouitio antequam induatur, incurrunt motus proprios Sixti V. imò & Clem. VIII. Eſt enim omittere clauſulam in re graui. Nam ambæ Bullæ Sixti exprimunt vt fiat præuia informatio. Et Clemens VIII. pro loco præuiæ informationis, ſupplet, & requirit exhibitionem iuramenti. Et in alia adhuc Bulla priori, idem Clemens eidem Conuentui Salmanticenſi anno 1. ſui Pontificatus obligabat adhuc ad formam Sixti V. vt ſcilicet ante ingreſſum Nouitij fieret informatio: ergo cùm ſit res grauis, videtur Prælatus localis non exhibens iuramentum contraire in re graui. Exhibitio verò huius iuramenti non ſpectat ad Prouincialem, ſed ad Priorem, vel ſimilem Prælatum localem; de hoc enim ſolùm Bulla loquitur: non de Prouinciali.

3 Poſtquam Nouitius fuerit indutus, intra annum Nouitiatus deſtinare debet Prouincialis, vel Prior Conuẽtualis Religioſum ad hoc deputatum, qui ſecretò faciat prædictas informationes ſine ſtrepitu iudiciario: qui poterit vti Notario Religioſo, Rodriguez *tom. 3. quæſtion. 10. articul. 2.* Et ſumere iuramentum à teſtibus ſæcularibus, hi enim vt plurimum ſolum poſſunt teſtificari de omnibus requiſitis. In Ordine verò Franciſcano ſtatuta Generalia Vallis oleti ſecunda iubent, vt quando Guardianus in cuius Conuentu eſt Nouitius, monuerit Guardianum patriæ in qua eſt Nouitius natus, vt faciat prædictas informationes, teneatur prædictus Guardianus patriæ, ſiue originis facere prædictas informationes, & illas remittere ad Guardianum

Digitized by Google

dianum Nouitij:idque ſub pœna priuationis officij per duos menſes.

Quæris, an ſufficiat has informationes fieri à Iudice ſæculari ad inſtantiam Nouitij antequam intret? Reſpondeo Sixtum V. non limitare neque exprimere, à quo Iudice ſint faciendæ. Solùm requirit quod certò conſtet Nouitium carere prædictis impedimentis: & proinde puto quod Prouincialis qui per talem informationem Iudicis ſæcularis plenè factam Nouitium reciperet non incurreret pœnas Sixti;poteſt enim Prouincialis hodie illius formam ſeruare.Hoc verò in Ordine Minorum prohibetur per ſtatuta Generalia Tolleti facta anno 1606. prohibentia ne tales informationes admittantur. At Miranda *tractatu proprio hac de re q.7.concl.1.& q.8.*ait poſſe hodie fieri coram Iudice ſæculari, intellige extra Ordinem Minorum ob prædictum ſtatutum. At ſi recipiat Nouitium iuxta formam Clem. VIII. credo quod illa informatio non ſufficiet, quia Clemens VIII.ſpecificat quod mittatur Religioſus ad illas faciendas. Et id quod dixi poſſe Prouincialem hodie recipere Nouitium iuxta formam Sixti V. intellige ſi ſeruet formam plenè,factis ſcilicet prius informationibus, & cum conſilio, & examine patrum, de quibus in 2. *conſt.* & cum conditionibus *ibi* poſitis ſatis difficilibus.

4 Factis informationibus modo præſcripto à Clemente VIII.ſunt examinandæ à Prælato Conuentuali, vel præſidente:& à præſide ſeu Vicario cum Magiſtro ſtudiorum,& Magiſtro Nouitiorum:ita Clemens VIII. in illa conſtitutione: idque intellige ſiue prædictæ informationes fiant ante ingreſſum Nouitij, ſiue poſt ingreſſum. Circa verò officium Magiſtri ſtudiorum quod proprium eſt in Ordine Prædicatorum: & alibi fortè non reperitur: ſeruetur conſuetudo,vt loco illius

ponatur lector Theologus, vel antiquior, doctior, vel quid simile.

5 Si prædictæ informationes non fiant prædicto modo, professio hodie tenet, si Nouitius non est inhabilis de iure communi. At Prouincialis, vel Prælatus localis illas culpabiliter omittens incurrit pœnas à Sixto positas, quæ sunt priuatio vocis activæ, & passiuæ, priuatio officij, honorum ac dignitatum; & inhabilitas ad omnia officia. Credo autem has pœnas hodie non incurrere Prouinciales, quando ipsi recipiunt iuxta formam Clem. VIII. & committunt Prælato locali vt faciat quę spectant ad negotium vt semper committit virtualiter: vt enim supra dixi, Clemens VIII. non committit iuramentum exhibendum, & informationes, nisi Prælato Conuentuali.

6 Consolatorium tamen valde est quod doctè notauit Rodriguez *tom. 1. quæstion. 54. articul. 4.* ex verbis Bullæ Sixti, videlicet quòd Prælati omittentes informationes, non incurrunt pœnas Bullæ, nisi à parte rei Nouitius sic receptus absque informationibus, fuerit aliàs criminosus, & ligatus aliquo impedimento ex ibi notatis. Si enim careat omni impedimento, non incurrit pœnas: quia textus ligat solùm recipientes criminosos.

Aduertit etiam Rodrig. *ibidem*, quod si Prælatus fecit informationes modo ordinario, & illas approbauit cum Patribus deputatis: & tamen à parte rei facta professione, professus apparuit criminosus, & inhabilis per Bullam Sixti, talis Prælatus, nec Patres, non incurrunt prædictas pœnas: quia Bulla solùm punit recipientes criminosos, temerè, id est, sine aliqua informatione, vel illa temerè, & sine ordine facta: at qui fecit informationes modo ordinario, & bona fide approbauit: non fecit temerè. Dixi *bona fide*, & *modo*

modo ordinario: quia si Prælatus faceret mala fide, aduertens scilicet, ne sumerentur tales testes, qui scirent impedimentum, positum à Sixto: credo quod incurrit pœnas, quia temerè facit, si receptus est criminosus. Et nota quod quando Prælatus culpabiliter admittit criminosos, & incurrit prædictas pœnas, easdem etiam incurrunt Patres cum illo assistentes, seu cum illo recipientes, vt patet ex Bulla prima Sixti. Ibi, *quascumque Religiosos, & eorum Superiores, qui receperint, &c.*

7 De Nouitio in terris longinquis non requirit Sixtus tam exactam informationem quam de natis in propinquo. Rodrig. *tom.* 3. *quæst.* 10. *art.* 13. illam putat patriam longissimè remotam, ad quam intra annum non potest iri ac rediri nisi cum magna difficultate: de his verò sufficiet inquiri ab his qui illum hic specialiter nouerunt.

8 Informationes præceptæ à Sixto V. non est necesse facere circa Religiosum transeuntem de vna Religione ad aliam, & in secunda profitentem. Nam constitutio Sixti clarè loquitur de solis iuuenibus sæcularibus, primo receptis ad habitum Ordinis. Innuit etiam Rodr. *tom.* 1. *q.* 30. *art.* 20. dum dubitat si eiectus ab Ordine tanquam incorrigibilis sit comprehensus in dicta constitutione Sixti tanquam criminosus: & proinde tanquam criminosus, non possit iterum recipi: non dubitaturus si non foret incorrigibilis. Et expresse id affirmat, non requiri scilicet informationes erga translatum ad alium Ordinem, tenet inquam *to.* 3. *q.* 10. *art.* 13.

9 Si verò adhuc dubites, an si hodie Prælatus licitè, vel illicitè, reciperet iterum ad ordinem incorrigibilem, & criminosum ab illa eiectum, quia crederet emendatum: si, inquam, incurreret prædictas pœnas recipientium criminosos? Credo

quod non incurreret has Sixti V. quia, vt dixi, Sixtus V. loquitur tantùm de iuuenibus sæcularibus primò receptis ad habitum: & cùm sit lex valde pœnalis non est extendenda ad recipientes iam professum in Religione,

NOVITII QVALITATES IVXTA *Bullam Sixti V.*

10 ANte omnia noto, quòd si Nouitius ante ingressum, vel ante professionem sit inuentus habere aliquod impedimentum, Sixti V. de criminosis, debet expelli, etiam si non sit impedimentum de iure communi: aliàs incurret Prælatus pœnas illius: excipe impedimentum illegitimi, quod sublatum est per Greg. XIV. cum illa modificatione de filio Religiosi modo supra exposito in principio.

11 Primò ergo prohibet Sixtus: ne illegitimus quicumque admittatur. Sed hoc reuocauit Greg. XIV. ordinans quod supra vidimus initio huius verbi *Nouitius*, cum duabus conditionibus: prima, vt bona indoles, & mores boni illegitimi, vincant defectum natalium: secunda, ne filius Monachi recipiatur in Ordine in quo adhuc pater viuit. Vnde colliges quod si pater illius iam mortuus est, potest recipi ad Ordinem. Imo Miranda *tom. 1. quæst. 21. art. 5. concl. 2.* dicit etiam hanc conditionem Gregorij de filio Religiosi viuente patre, esse abrogatam à Clemen. VIII. & valere professionem; sed Prælatum incurrere pœnas: factum tamen valebit post factam professionem: at ante illam non potest licitè admitti.

12 Prohibet secundò Sixtus rigorosè, ne sit homicida: & Prælatus talem recipiens incurret prædictas pœnas: sed professio valebit. Probo, quia Clemens VIII. reduxit

reduxit prædictam Bullam ad terminos iuris communis quo ad valorem professionis. At de iure communi homicidium non impedit professionem: nam *33. quæst. 2. cap. admonere.* Papa Stephanus V. consulit cuidam homicidæ vt fiat Monachus ad faciendam pœnitentiam: & non dicit se dispensare, sed consulere, ergo de iure licet. Et Romualdus fundator Camalduensium, fuit prius homicida: & Guilelmus Dux, reformator Ordinis Eremitarum Diui Augustini, & Monachus fuit prius homicida. Et non fit in vita illorum mentio de dispensatione, quod ad delictum respectu Monachatus.

13 Tertiò, iubet Sixtus ne sit fur aut latro, intelligé in materia graui cum infamia, & similibus: non enim videtur arcendus ab Ordine, etiam per Sixtum, qui fortè aliquod furtum leue absque infamia commisit: & hoc arbitrio boni viri relinquitur.

14 Quartò, iubet Sixtus ne Nouitius habeat similia crimina præcedentibus, vel grauiora. Pondera verbum, (*similia*) vnde colligo quod qui habuerit crimina non similia, sed minora, per Bullam Sixti non excluditur, est enim lex pœnalis, vt si habuit tantùm percussionem, & inflixit vulnus leue: hoc enim non est simile homicidio, sed multo minus. Nec simile furto, maximè si fuit factum incidenter, & ab illo crimine, iam absolutus est per Iudicem sæcularem, illíque satisfecit: & lex pœnalis est restringenda. Et sic de similibus poterit fieri discursus. Et vt certam regulam, vel generalem teneamus; cùm Sixtus dicat absolutè non debere recipi criminosos: rogabis quinam in iure dicantur criminosi, vel saltem qui tales reputentur à Doctoribus?

15 Ex glossa *capitis vnum. distinctione 25.* ex Innocent. Hostien. Panormit. & aliis in *capit. ex tenore. de*

*tempor.ordin.*colligitur hos esse criminosos in iure,maxime respectu beneficiorum,non recipiendorum. Videlicet facientes peccatum,cui est annexa infamia:excommunicatio,suspensio,interdictum,irregularitas,vel priuatio ab officio, vel propter quod in grauem aliorum offensionem incurritur.Verùm si consideres hanc regulam, multa crimina habent annexam excommunicationem, suspensionem, imò irregularitatem, vt indebita celebratio in excommunicatione vel suspensione, quæ non facient criminosum, & inhabilem, etiam apud Sixtum, vt arceatur ab Ordine. Verius ergo similia crimina homicidio dixerim adulterum publicum, sodomitam, falsarium Regium, & similia, ob quæ lex ciuilis ponit pœnam mortis, triremium, vel exilij perpetui. Aduerto etiam quòd latro de iure communi non est inhabilis ad professionem eo solùm quòd latro est (secus si ob debita, & si habet vnde restituat) nam Sanctus Bernar. & alij Patres Ordinum receperunt latrones publicos ad habitum: vnde receptio latronis hodie ad professionem valida erit de iure: Prælatus verò pœnas incurret. Idem dic de receptione adulteri, quem de iure communi non inuenio inhabilem; nisi fortè, vt dixi, latro, & adulter habeant vnde restituant: quia ob debita erunt inhabiles:si verò non habent vnde soluant, dicetur statim de debitoribus.

16 Quintò, requirit etiam Sixtus V. vt Nouitius, non solùm illis criminibus omnino careat: sed etiam vt neque de illis,vel aliquo sit suspectus,vt patet in prima Bulla.

17 Sextò, præcipit Sixtus (& hoc non est reuocatum à Clemente VIII.) quod si iuuenis intrans Ordinem commisit aliquod graue delictum in sæculo, de quo iam Iudex sæcularis cœpit cognoscere, vel

vel via accuſationis, vel via Inquiſitionis, non obſtante prædicto ingreſſu, poſſit extrahi ab Ordine per Iudicem ſæcularem durante Nouitiatu. Si verò Iudex ante ingreſſum Ordinis nihil de tali crimine cognouit aliqua via ex duabus prædictis, non poterit illum extrahere. Addit Rodrig. *tom.* 3. *quæſt.* 16. *artic.* 8. quod etiam extrahi non poterit à Iudice, ſi talis iuuenis ante delictum patratum habebat votum ſimplex Religionis, & ad probandum hoc votum ſufficiet iuramentum illius vouentis: ſed quod ſufficiat hoc votum ſimplex ad non extrahendum ſaltem in foro externo ego multum dubito: tum quia mens Papæ ea pro tunc non videtur: tum quia multi id ſcientes votum tale etiam falſo publicarent ad euadendum.

18 Bene tamen notat Rodrig. *citata quæſtion. artic.* 7. quod ſi iuuenis à crimine in ſæculo commiſſo iam eſt liber, & abſolutus per ſententiam Iudicis, poterit tunc recipi, & profiteri. Quod videtur intelligendum dummodo ex tali delicto non maneat infamis notabiliter, quia tunc videtur inhabilis per Sixtum ob malè actam ante vitam.

19 Septimò, prohibet Sixtus ne obnoxius debitis habitum recipiat: & hæc conditio eſt etiam de iure communi, vt patet ex *cap.* 1. *de obligatis ad ratiocinia*, tales enim prohibentur Ordines ſacros recipere, & multo magis ad profeſſionem admitti. Tale etiam impedimentum eſt quando aliquis eſt Procurator alicuius perſonæ, vel communitatis: curator, vel tutor, & ſimilia, non enim poſſunt admitti durante officio. Et de procuratore, Nauarr. *lib.* 3. *Conſil. tit. de Regular. conſil.* 4. Impediunt verò debita Monachatum, ſiue ſint debita realia, vt qui debet pecuniam, vinum, triticum, & ſimilia, ſiue ſint debita perſonalia, vt qui debet pœnam, ad quam fuit damnat. s. Tale

etiam est debitum illius qui defloravit virginem illi promittens se illam ducturum in vxorem, non enim potest admitti, ob magnum debitum, vt notat Rodr. *tom.* 3. *quæst.* 10. *art.* 9. Quod intellige si illi antea promisit matrimonium, & illa sponte consensit. Si autem illi promisit post defloration em, potest intrare in foro conscientiæ tantùm, Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disputatio.* 36. *a numer.* 8. Addit tamen quòd si illa per minas, & violentiam inuita consensit, & ille post defloration em sponte promisit matrimonium, non posse intrare.

Notanda tamen sunt verba Sixti circa debita: ait enim *non posse recipi granatos ære alieno* (ingenti supra vires suas.) Vnde si quis habeat parua debita, non prohibetur. Item si habeat ingens debitum, sed tamen habet sufficientissimè vnde soluat, poterit recipi, datis pignoribus, cautione, vel facta obligatione, supra sua immobilia de soluendo cum qua creditor quietetur: non enim sunt illa debita supra vires suas, & sic vidi factum circa vnum valde nobilem in hoc Regno graui ære onustum, & admissum cum cautione facta creditoribus modo proximè dicto.

Notat etiam Rodriguez, *citata quæst.* 10. *artic.* 9. quod debent esse debita certa, si enim sint incerta, id est, verus dominus ignoretur, non impediunt: idem videtur dicendum si sint incerta, ex parte debitoris, dubitantis an verè debeat. Notat etiam ibi posse intrare debitorem si creditor consentiat, vel quia remittit debitum, vel quia acceptat cautionem, vel aliam conditionem debitoris. Vltimò notat, quòd si debitor omnino non habet vnde soluat, & coram Iudice, cessit omnibus bonis suis, potest intrare etiam inuito creditore. Imò potest admitti quicumque debitor si neque in præsenti habet omnino vnde soluat,

neque

neque omnino sperat se habiturum in posterum : nemo enim tenetur ad impossibile morale, & maximè, si quæ habet, relinquat creditoribus. Sic ibi.

Aduerte etiam, quòd Prælatus scienter recipiens habentem debita incurrit pœnas Sixti, sed professio est valida, quia debita impediunt etiam de iure commun. *capit. legem, distinctio.* 53. sed ius commune non annullat debitoris professionem.

20 Octauò, prohibet Sixtus ne recipiantur ij qui tenentur ad ratiocinia reddenda alicui, vt Procurator, œconomus, tutor, curator, & similes. Est etiam impedimentum de iure communi, *citato capit. de obligatis, &c.* Durante enim tali obligatione admitti nequeunt : bene tamen transacta obligatione. Si verò durante illa recipiantur professio est valida, ob dictam proximè causam, at Prælatus incurrit pœnas.

Claritatis gratia nota, quod obligatio ad ratiocinia ratione administrationis est duplex : altera publica, vt thesaurarius, publicanus, & similes depositarius, procurator Reipublicæ, &c. Altera est priuata, per quam scilicet quis obligatur ad certam personam ; vt tutor, curator, executor testamenti, & similes. At obligatus absque administratione, vt ratione mutui, emptionis, &c. non impeditur ob ratiocinia : forte tamen prohibetur, ratione debitorum : si debitum sit graue.

21 Vltimò requirit Sixtus V. quod cõstet intrare volentẽ, non suscipere habitũ humano aliquo affectu pe motum, sed solùm ex feruore deuotionis, & pietatis, & sponte sua, non inductum, neque coactum. Sed notat Rodriguez hanc vltimam conditionem non poni à Sixto tanquam obligatoriam : sed tanquam de consilio, & ad maiorem perfectionem. Hæ sunt conditiones requisitæ in Bulla Sixti V. vltra quas sunt etiam

etiam aliæ dirimentes ex iure communi, vt iam dicimus.

NOVITII QVALITATES
de iure communi, & naturali.

22 IVs commune etiam decernit non posse esse Monachum obligatum ad ratiocinia, vel habentem debita, vt supra diximus *num.* 19. *&* 20.

23 Neque item potest esse Monachus seruus, vel captiuus: neque coniugatus per matrimonium consummatum: hæc tria sunt communissima, & notissima in iure, & lumine etiam naturali, quia neque Deus, neque Ecclesia acceptat donum cum præiudicio tertij; & professio serui, & coniugis est nulla.

24 Neque item potest esse Monachus ille qui est Episcopus absque expressa licentia Papæ. Imò neque Clericus habens beneficium curatum, absque expressa licentia Episcopi. Est communis ex D. Thom. 2. 2. *quæst. vlt. art.* 7.

25 Neque hermaphroditus, ob manifestum periculum circa viros, vel circa fœminas, idque lumen naturale dictat. Syluestr. *verb. Hermaphroditus*, & alij.

26 Neque is qui habet patrem, vel matrem in extrema necessitate constitutos: imò neque potest si sint tantùm positi in graui necessitate, & parentes non habent alium filium qui succurrat. Patet etiam ex lumine naturali obligante filios ad succurrendum parentibus. Notat tamen Nauarr. *libr.* 3. *consil. titul. de Regular. consil.* 26. quòd si parentes sint tantùm in necessitate graui, non extrema, & nihilominus filius intret, & profiteatur professionem vale-

re. Per quod innuit, quod si sint in extrema, non valebit.

27 Communis opinio dicit quod qui promisit Religionem, & antequam intret fit Episcopus, non potest acceptare Episcopatum: sed tenetur intrare Ordinem, Miranda *tom.* 1. *quæst.* 20. *artic.* 19. cum aliis, licet Rodriguez *in Sum. Morali* oppositum dixerit 2. *par. cap.* 6. *num.* 6. sed contraria est communior, vt ait Miranda.

28 Qui contraxit sponsalia cum aliqua fœmina, & postea fecit votum castitatis, vel Religionis, non tenetur ad hæc vota, & peccauit vouendo, sed tenetur ad sponsalia, & fœminam ducendam, iuxta probabiliorem opinionem, de qua Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 46. *num.* 7. 8. & 9. Quòd si ob sola sponsalia sic impeditur, multò magis tenebitur si virginem sub pacto defloraui, de quo iam supra.

29 Nouitius intrans Ordinem cum animo egrediendi, peccat mortaliter, fallit enim Religionem in re graui, quia Religio communicat illi sua secreta, & sua bona. Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. disput.* 31. *in fine.*

PRO ORDINE MINORVM
Nouitiis Iudæis, vel parentibus hæreticis, Saracenis.

30 TOta dubitatio est, an de iure Pontificio in Ordine Minorum possint admitti descendentes ex Iudæis, hæreticis & Sarracenis, intra quartum gradum. Et recurrit altercatio inter Rodriguez & Mirandam iam supra posita circa Prælatos verb. *Electio*, *numer.* 11. Miranda enim ibi citatus *in* 2. *locis*, constanter tenet quod iuxta Bullam Pauli

Pauli IV. & alias de quibus ibi, tenet, quod descendentes à Iudæis nouiter conuersis, intra quartum gradum, non possunt admitti ad Ordinem, vel professionem etiam si prædictorum auorum corpora, statuæ, vel ossa non fuerint concremata: consentit verò Miranda, quòd descendens ab hæretico declarato, sed non combusto, non arcetur à Religione per hanc Bullam: & id tenent omnes. Rodriguez verò *ibi* citatus tenet illos posse admitti ad Ordinem, officia, &c. Ordinis dignitates etiam si à prædictis descendant intra quartum gradum, si tamen auorum corpora, ossa, vel statuæ, non fuerunt igni tradita; & quod saltem professio horum erit valida si fiat. Vide ibi dicta à Rodrig. ego persisto cum Rodr. tum propter ibi dicta ab illo, & à me addita. Tum denuo quia nostra statuta generalia Tolletana, *cap. 1. in princ. titul. 1. de qualitatibus Nouitij*, cùm iubent illum interrogari de proauis cum protestatione, subscriptione, &c. ibi: *solum exprimunt, quod rogentur, si intra quartum gradum descendunt ex prædictis ad ignem damnatis.* Vnde cùm ibi dicatur hoc faciendum, vt satisfiat Apostolicis constitutionibus; innuunt clarè prædicta statuta satis fieri prædictis constitutionibus Pontificum, si non descendat à combustis; & prædictas Bullas non violari si descendant à prædictis non combustis.

Circa hos autem, & circa maculatos sanguine Iudaico solùm in communi, vulgo *Christãos nouos, ou da Naçaõ.* Nota quod ait Nauatr. *lib. 3. consil. titul. de Regula. consil. 5. num. 11.* quod si in aliquo Ordine fiat statutum de his ordinariis non recipiendis, & aliquis de hoc rogatus in professione negauerit, postea veritate comperta, non poterit eiici ab Ordine virtute illius statuti, est enim contra ius commune, & proinde nullum etiam si cum cæteris statutis Ordinis confirmetur

à Papa.

à Papa. Ait tamen hunc taliter negantem posse eiici ab Ordine quia defuit consensus in professione ex parte ipsius Ordinis, qui non intendit se tali obligare: est enim professio contractus mutuus, in quo si deficiat libertas vnius partis, est nullus. Et hoc cum Nauarro tenent alij communiter.

Videantur aliæ constitutiones particulares Religionum circa Nouitiorum qualitates, quæ seruandæ sunt, & saltem possunt impedire receptionem: licèt non possint annullare professionem ex particulari statuto contra ius commune, nisi expresse à D. Papa confirmentur.

NOVITII ABSOLVTIO ANTE ingressum, & post illum.

31 VOtum Nouitij de intranda arctiore Religione potest dispensari, & illo non obstante admitti à Prælato laxioris Religionis in suo Ordine: & Nouitius voto satis facit. Compend. D. Hieron. Hispan. *ver. Nouitius* §. 2. & Capucinus, *ad Compend. ver. Votum fol. 253.* per concessionem factam Congregationi Montis Oliueti. Et Leo X. in Compend. Min. *ver. Dispensatio* §. 28. verb. grat. vouens Cartusiam, vel Franciscanam, potest admitti à Prædicatoribus, &c.

32 Clemens IV. concessit Prouincialibus Minorum, & illorum vices gerentibus, & custodibus, vt possint Nouitium intrare volentem, ab omni peccato, & ab omni censura Ecclesiastica absoluere qualiscumque illa sit. Compend. *ver. Absolutio ordinaria quo ad Fratres.* §. 4.

Circa hanc concessionem notat Collector in eodem Compend, *ver. Nouitius.* §. 11. quòd prædicta concessio

ceſſio ampliſſima eſt ita vt nullum caſum excipiat. Excipit tamen, & meritò, ipſe Collector caſus Bullæ Cœnæ de quibus non poterit abſoluere, cùm ſit dubium an hoc poſſit PROVINCIALIS erga profeſſos. Et compend. D. Hier. Hiſp. *ver. Abſolutio quo ad omnes. §. 6.* dicit quod PRIOR, ſeu Vicarius in abſentia poſſunt diſpenſare cum intrantibus Ordinem, ſuper voto eundi Ieruſalem.

Ego noto ſecundò, quod Clem. IV. hanc abſolutionem committit ſolis PROVINCIALIBUS, & cuſtodibus, non vero Guardianis: ac proinde id non poterunt PRÆLATI locales. Compend. tamen D. Hieron. in Hiſpan. *ver. Diſpenſatio in Sacramento pœnitentiæ. §. 1* dicit ſibi conceſſum fuiſſe à Benedicto XIII. vt confeſſores per PRIOREM ad hoc deſignati, vel per Vicarium in eius abſentia aſſignati poſsint abſoluere, & diſpenſare prædictos intrantes in omnibus, niſi caſus adeo fuerint enormes, vt ad ſedem Apoſtolicam ſint remittendi: quæ conceſsio innuit non poſſe abſolui à reſeruatis cenſuris: & proinde prima Clementis IV. eſt copioſior.

Noto tertiò, prædictam abſolutionem Clementis IV. poſſe impendi à Generali, & Prouinciali, etiam ſi nondum NOVITIUS ſit veſtitus habitu Ordinis, vt verba conceſsionis clarè ſonant.

Noto quartò, Clementem IV. non concedere prædictis Prælatis vt cum intrante diſpenſent in aliqua irregularitate, inhabilitate, &c. Compend. tamen. D. Hieron. *loco proximè citato. §. 1.* dicit quod poſsit PRIOR, in foro pœnitentiæ abſoluere, & diſpenſare irregularitatem contractam ex aſsiſtentia in loco interdicto, vel ex receptione Ordinum ibidem; vel indebitè celebrando. Vide *ibi*.

Vltimò, prædictus Papa Clemens *citato loc.* decernit, quod ſi prædicti NOVITIJ ſic abſoluti noluerint poſtea Ordi

Ordinem intrare reincidant in omnibus censuris à quibus fuerant absoluti. Quid si, postquam sunt habitu vestiti, & absoluti, exeant; reincidéntne in censuras contractas ante ingressum? Credo quod sic, est enim eadem ferè ratio, & videtur eadem mens Papæ. Si verò intra Ordinem existens incurrat censuras, & irregularitatem ante professionem: & ab his absoluatur ac dispensetur, credo quòd si exeat, non reincidet: quia Papa solùm videtur loqui de contractis ante ingressum. Moueor ad primum hîc dictum de reincidentia in censuras contractas ante ingressum si exeat iam post ingressum, quia Compend. D. Hieron. *ver. Nouit.* §. 2. quando concedit vt dispensetur cum intrante super voto arctioris Ordinis, & absoluatur à censura excommunicationis, subiungit: quòd si à Nouitiatu exierit, reincidat in eãdem. Sed adhuc circa censuras contractas intra Ordinem & Nouitiatum, & ab egredientibus non reincidentibus in illas, vidi Capucinum qui ad Compend. *ver. Nouitius, fol.* 2 ς 3. §. *Et iste casus, cum* §. *præcedenti*, dicit ex Sylu. & Tabiena, quòd Nouitius in Nouitiatu percutiens Monachum, vel Nouitium, & ab illa censura absolutus, si exeat ab Ordine, reincidit in illã censuram, & tenetur adire Episcopum pro absolutione: quia absoluuntur tales sub cõditione, si perseuerauerint: & priuilegio debet priuari, qui priuilegio abutitur. Quam sententiam ego non audeo impugnare, ob dictum talium trium virorum. Sed tamen mihi noua videtur, & nimis onerosa exeunti. Maximè cùm Papa Clemens, neque alius quem sciam faciat mentionem de incursis intra Ordinem. Et beneficium, seu fauor debeat extendi, quando non est in præiudicium tertij: & talis Nouitius absolutus ab illa percussione, non sit absolutus ad reincidentiam, neque video vbi sit illa conditio posita. Compend. enim Min. *ver. Nouit.* §. 6. dicens

Innocentium IV. concessisse Prælatis vt possent absoluere Nouitios à censura manuum violentarum, non limitat vt reincidant exeuntes:& quando lex non limitat,neque nos limitare debemus. Elige tamen securius:vide *num.seq.*

33 Possunt Generales , & Prouinciales absoluere Nouitios ab iniectione manuum violentarum. Compend.*verbo Nouitius.*§.6.Et licet non ibi exprimat hoc posse Guardianos, praxis tamen docet illos hoc etiam posse. Et præterea,quia Nouitius in fauorabilibus reputatur pro Monacho,vt statim dico : & sic fauor absoluendi subditos existens in Guardiano extendendus est etiam ad Nouitios , & Guardianum. Adde quòd Nouitius non debet adire Prælatum sæcularem : ac proinde in Ordine habebit remedium : maximè longè absente Prouinciali.Adde quòd solus confessor Regularis , qui est confessor sæcularium , poterit absoluere Nouitium ab illa censura percussionis Clerici satisfacta parte,iuxta iam dicta supra *ver. Confessor erga sæculares*. Et saltem absolutus per talem confessorem ab hac censura,si postea exeat,non videtur reincidere, vt dixit Sylu. & Capucinus *num.proximo* 32. Si enim absolueret sæcularem,non reincideret: ergo neque si Nouitium.vide infra,*verb.Prælatus.num.*32,

34 Nouitius intra Ordinem potest absolui à casibus reseruatis in Ordine per confessorem suum etiam non habentem authoritatem absoluendi à reseruatis in Ordine.Nouitius enim nondum promisit obedientiam, neque est subditus illi reseruationi. Rodr.*tom.*1. *quæst.* 21.*art.*11.

35 Nouitius in fauorabilibus reputatur pro Religioso:gaudet enim priuilegio fori vt percutiens illum excommunicetur,&c.At in odiosis non reputatur Religiosus,vtpote in obligatione ieiunij, Officij diuini,&

simi

similium. Rodr. *eod. art.* & de priuilegio fori, vide Compend. *verb. Nouitius.* §. 16. & ob proximè dictum de fauorabilibus Nouitius consequitur omnes Indulgentias concessas Fratribus. Compend. *citato verbo* §. 22.

36 Quæris an possit Nouitius validè confiteri alteri confessori extra suum Magistrum, vel sibi assignatum, alteri, inquam, confessori, qui sit confessor sæcularium? Credo quod possit: & innuit Miranda *tom. 2. quæst. 34. art. 16. concl. vnica.* Si enim ex proximè dictis Nouitij non tenentur legi Ordinis de reseruatis, circa ieiunium, Officium diuinum, & similia, etiam non tenebuntur ad legem assignantem confessores. Dixi, *Confessori sæcularium*: quia si Nouitius vt secularis eligit à solo Cõfessore sæcularium, validè absoluetur. Adde quòd ex praxi Religionum confessores tantùm Fratrum non assignantur pro Nouitiis. De professis verò qui non sunt Sacerdotes, sed viuunt sub cura Magistri Nouitiorum, credo quod non possunt validè confiteri alteri extra suum Magistrum, vel extra illum assignatum à prælato: quia pro illorum confessionibus solus Magister, vel ille assignatus, deputatur vt Parochus: & proinde non potest ille alterum eligere. Excipe primò si prælatus illi det licentiam vt confiteatur alteri. Excipe secundò, si Magister nouitiorum det illi talem licentiam: quam puto illum posse illi dare vt confiteatur alteri: quod probo, quia Parochus vnius parochiæ potest dare licentiam suo parochiano vt confiteatur parocho alterius parochiæ: cumque Magister sit parochus prædicti Fratris non Sacerdotis, poterit illi dare licentiam vt confiteatur alteri Sacerdoti Confessori Fratrum. Quod maximè verum erit quando in tali prouincia hoc fuerit in vsu, vt Magister tales concedat licentias, standum verò erit consuetudini, ac legi prouinciæ; dicta tamen proximè puto conformia regulis Theologicis.

NOVITIORVM, AC NOVITIARUM donationes.

37 CConcil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* decreuit ne Nouitius faciat aliquam donationem, renunciationem, vel obligationem etiam ad causas pias, ante professionem nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij: idque intra duos menses proximos ante professionem, & hæc donatio facta alio modo non valeat. Et præterea facta modo proximè dicto non sortiatur effectum, neque sit valida, nisi secuta professione. Hoc intellige de bonis patrimonialibus, vel beneficio ad cuius titulum ordinatus est. Secus de beneficio Ecclesiastico libero, quod potest renunciare absque illa solemnitate, & tempore. Rodrig. *in Sum. tom.* 2. *c.* 7. *concluſ.* 2. *&* 3.

38 Si tamen renunciatio illa fundetur (idem dic de donatione, & obligatione), vel nascatur ex contractu oneroso, vel obligatorio, vt venditione, permutatione, solutione debiti, & similibus, non prohibetur in illo decreto hoc facere, quia Concilium solùm prohibet liberalitatem gratiosam, quæ possit postea nocere libertati Nouitij, vel Conuentus. Rodrig. *vbi proximè.*

39 Prædicta donatio liberalis absque illa solemnitate non valet, etiam si fiat sub conditione, quod professione non secuta reddetur Nouitio, vel Nouitiæ quod donauit, vel renunciauit, Concilium enim generaliter loquitur & donatio etiam facta hoc modo nocet libertati vtriusque.

40 Etiam si donatio fiat seruata solemnitate prædicta, si tamen professio secuta fuerit nulla, donatio, vel renunciatio erit etiam nulla. Rodrig. *vbi supra.*

41 Si

41 Si Nouitius ante ingressum Ordinis, iam talem ingressum cogitans, & proponens, aliquid donauit, vel renunciauit, factum tenet, & est validum. Nam adhuc non erat Nouitius, & Concilium solum prohibet ne donet Nouitius. Et refert Quaranta *in Sum. Bullar. tit. Monasterium pag.* 330. sic declaratum fuisse à Cardinalibus.

42 Nouitius moriens in anno probationis quouis tempore, si tempore mortis donet Monasterio capaci, tenet donatio, quia hoc non præiudicat intentioni Concilij. Si verò ille non donet, cedunt bona sua hæredibus sæcularibus, vel aliis.

43 Testamentum factum à Nouitio quouis tempore Nouitiatus valet facta professione: quia testamentum non est donatio, nec renunciatio; & præterea est reuocabile: neque sortitur effectum nisi secuta valida professione. Et valebit etiam testamentum factum ante ingressum Ordinis Rodrig. *in Sum. 2. par. c. 7. n. 9.*

44 Inducere Nouitios vt legata relinquant suo Monasterio promisso ob id fauore, studio, libertate, vel quouis simili, est omnino prohibitum, & simoniam redolet: & hoc præcipuè prohibetur in Ordine Minorum per Regulam iubentem ne sint soliciti de rebus Nouitiorum: possunt tamen etiam Minoritæ, absque peccato Nouitio offerenti, manifestare necessitatem. Conuentus, vt si liberè velit, illi succurrat. Rodrig. *cit. c. num.* 11.

45 Nouitius post factam professionem non potest reuocare testamentum à se factum: iam enim voto paupertatis impeditur. Credo tamen quod potest post professionem etiam Minorita, explicare dubia sui testamenti ad instantiam partis, & Iudicis: hoc enim non est condere, sed declarare testamentum, vide infra, *verbo Testamentum.*

NOVITII ANNVS IN probatione.

46 NOuitij annus in probatione debet esse integer, ex Tridentino. Et integritati eius, non potest renunciare Nouitius, etiam si ex vna Religione transeat ad aliam, & iam habeat experientiam Ordinis:quia Tridentinum loquitur absolutè : & ille annus conceditur in bonum Ordinis, & in bonum Nouitij. Nau.*lib.3.Consil.tit.de Regul.consil.33.*

47 Non est necessarium,quod sit annus,& vnus dies, quia hoc nullo iure cauetur.Sanchez *de Matrim.lib.2. disputation.24.numero* 22. cum Palud. Sylvestr. Pallat. Henriq.

48 Quando annus fuerit bissextus duo dies Februarij computandi sunt pro vno die.Est etiam communis, & citat Sanchez *citato loco num.*18. & Rodriguez *in Sum.2. part. cap.8. concl.6.* In huius rei probationem seruit quod quando Sixtus V. anno 1582. abstulit decem dies ab illo anno:ortum est dubium apud aliquos, an illi decem dies supplendi essent ab iis qui vellent sacros Ordines suscipere.Et responsum fuit,quod non, sed absque illis decem diebus dici habere annum integrum.

49 Iste annus computandus est à momento in momentum,id est, ab hora à qua sumpsit habitum ad horam similem cadentem in vltima die anni,v.g.sumpsit habitum die 15.Augusti,anno 617. hora 3. post meridiem, potest profiteri anno sequenti eadem die Augusti,hora 3.post meridiem.Erit autem suspecta professio si fiat citato die sequentis anni,hora decima ante meridiem.Sanchez *citato loco,num.*22.

50 Debet prædictus annus esse continuus,id est,non inter

interpolatus, est etiam communis. Sed Doctores communiter explicant, quod si Nouitius exeat Conuentum curationis gratia, vel causa negotiorum cum habitu, & licentia Prælati, postea rediens dicitur continuare annum, & quo ad tempus quo foris mansit ita se habebit ac perinde non exiret. Desineret autem esse continuus si absque habitu, vel licentia exiret, & postea rediret. Vide supra, *verbo Nouitia*. Nauarr. *libr.* 3. *Consil. titul. de Regular. consil.* 42. & alij communiter.

In Ordine tamen Minorum hoc non licet, quia statuta generalia Tolletana hoc prohibent, ac decernunt quod si Nouitius aliqua de causa exierit postea rediens, Nouitiatum incipiat. Excipit tamen si mutetur Nouitius de vno Conuentu ad alium: hęc enim mutatio non discontinuat. Sed noto, quod statutum generale non annullat professionem aliter factam. Vnde si Guardianus bona fide oppositum faceret, factum teneret, ita etiam tenet Miranda *tom.* . . 2. *art.* . *in solut. ad* 3, dicens non posse Religionem facere statutum, per quod talis professio annulletur.

51 Si Nouitiatus fuit validus, & integer: & postea reperitur professio nulla, sufficit ratificare absque iteratione Nouitiatus. Est communis opinio, & probat praxis. Sed vide *n. sequenti*.

52 Si Nouitiatus fuit irritus, verbi gratia, quia fuit receptus à non habente potestatem ad recipiendum, vel alia simili de causa, non debet annus denuo incipi: sed sufficit iam factus Nouitiatus, iam enim Nouitius expertus est Religionem, & Religio Nouitium. Sanchez 7. *de matrimon. disputat.* 37. *num.* 47. cum multis quos citat. Et hoc etiam currit quando professio fuit nulla, ex defectu ætatis; vel quia facta est ante expletum annum Nouitiatus. Aut etiam si fuit ingressus

Ordinem per metum, vel eſſet aliàs inhabilis, poſtea fuit diſpenſatus. Sanchez *vbi ſupra à n.* 49. qui ſolùm *n.* 56. dicit quòd ſi Nouitius intraret Ordinem animo ficto, vt Ordinem illuderet, vt iterum exiret, & ſic profeſſus eſſet, tunc etiam ſi vellet profeſsionem ratificare, deberet Nouitiatum iterare. Vide ibi remedium quod dat ad ſupplendum Nouitiatum, quando eſſet neceſſarium ſupplere & incurreretur infamia in eo publicando. Et remedium eſt facilius ac melius obtinere à Papa occultam diſpenſationem. Vide amplius *verb. Profeſſionis nullæ remedium.*

53 Magiſter Nouitiorum, negare poteſt ſuffragium Nouitio indigno, ob defectum cognitum in ſolo Sacramento confeſsionis, idque ſi ſuffragia dentur in ſecreto. Et in publico ob defectus publicos etiam poteſt negare in publico. Si verò dentur ſuffragia in publico, non poteſt illi negare ſuffragium ob defectus cognitos tantùm in confeſsione, qui omnino apud omnes ſecreti ſunt. Henriq. *tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 23. *n.* 7.

54 Nouitius directè ac propriè ſolùm gaudet priuilegio canonis *ſi quis ſuadente:* Aliis verò priuilegiis, non gaudet quæ conceduntur profeſsis, niſi exprimatur de Nouitiis. Gaudet tamen Indulgentiis conceſsis Religioſis profeſsis. Rodrig. *tom.* 2. *quæſt.* 51. *art.* 12. Explico hoc exemplo. Si Nouitius ſit Sacerdos, & Confeſſor antea ſæcularium, & in Nouitiatu audiat confeſsionem alicuius ſæcularis, non poterit illum abſoluere à cenſuris Papæ reſeruatis per Bullam Pauli III. conceſſam Patribus Societatis IESV, quia tale priuilegium eſt conceſſum Religioſis profeſsis Ordinis, non verò eſt conceſſum Nouitiis. Sed tamen Compend. Societatis *verb. Communicatio priuilegiorum.* §. 5. ait ſuo Generali eſſe conceſſum, vt ſua priuilegia poſsit communicare Nouitiis.

55 Nou

55 Nouitio aliàs idoneo, & benemerito negare suffragium ad professionem absque causa, ex odio, & affectu humano, est peccatum mortale, maximè in Ordine Minorum, Corduba super Regul. Minorum *cap.2.quæstion.1. & quæst.11.* & Miranda *tom.2. quæst. 25.artic.7.* probat, quia est contrà charitatem proximi arcere dignos: & contra quasi contractum iam factum inter Ordinem & NOVITIVM, vt si dignus inueniatur, admittendus sit; & iam NOVITIVS videtur habere ius ad rem. Quid si NOVITIVS sit idoneus, sed multitudo fratrum est multa nimis, ita vt ex multitudine sola, magna nascantur incommoda? Si ob solam multitudinem possit illi suffragium negare? videat prudens elector, seu suffragator, & faciat quod viderit Deo gratius, & securius: & si magis ibi præponderet bonum commune quàm particulare. Quod attinet ad professionem, ne Ordo Alphabeticus inuertatur, dicetur latè infra *verb.Professio.* Et de NOVITII testamento, vide infra *ver.Testamentum.*

ADDITIO.

Vide infrà verb.*Parentes fratrum*,& verb.*Veneficia, num.*18.& supra verb.*Electio num.*29.*&* 30.

VIde *ver.precedenti Nouitia*:an Prouincialis possit dare suffragium pro nouitio recipiendo ad professionem.

1 Supra *hoc verb.Nouitius*, dixi, vt credo, omnia substantialia ad statum Nouitij pertinentia; videlicet de qualitatibus illorum ad receptionem necessariis, de modo informationis faciendæ, de illius absolutione; de anno nouitiatus, & cæteris statum concernentibus, ita vt nihil ferè occurrat quod ex ibi dictis re-

ſolui non poſſit: nec proinde aliquid addere ſit opus, paucula tamen quæ poſtea occurrerunt, ſic accipe.

2 Eugenius IV. in Bullar. Rodrig. *fol.* 127. *col.* 2. ſub pœna excommunicationis, ipſo facto, præcipit ne aliquis verberet, vel aliqua violentia impediat illos qui voluerint ingredi Congregationem Sanctæ Iuſtinæ, qui eſt Ordo Sancti Benedicti: neque illis ingredi volentibus, aut Monaſteriis eos recipientibus iniuriam aliquam faciant: vel eos à dictis Monaſteriis auellere præſumant. Circa hanc conceſſionem duo aduerto. Primo ibi Papam loqui de volentibus habitum ſumere, ſi aliàs de iure non ſint inhabiles ad habitum Religionis aſſumendum. Vnde ſi quis iniuriosè, vel per vim impediret aliquem à tali ingreſſu, qui aliàs eſſet inhabilis ad Religionem per aliquod impedimentum iuris communis vel per Bullam Sixti V. non incurret talem cenſuram. Secundò aduerto, Papam ibi ſolum excommunicare impedientes talem ingreſſum facta iniuria, vi, & moleſtia. Vnde qui precibus importunis, vel conſilio impediret, non incurreret. Credo tamen quòd incurreret ille conſanguineus, qui iuuenem iam euntem ad aliquem Conuentum pro habitu ſuſcipiendo, vel cum iam illo recepto, in itinere impediret ne vaderet, ac in domum ſæcularem reuocaret, ſicut fecerunt conſanguinei ſæculares Beato Thomæ Doctori Aquinati. Talis enim impeditio, & reuocatio moleſta eſt, & iniurioſa, & pro vi reputatur, cúmque prædicto priuilegio gaudeant Ordines Mendicantes, videant ſæculares quam culpam, vel pœnam in tali negotio contrahant.

3 Dixi *verb. præcedenti*, non incurrere excommunicationem cogentes aliquem iuuenem intrare Religionem, ſicut incurrunt cogentes fœminam. Nunc addo cogentes virum ingredi Religionem peccare mortaliter,

taliter, vt tradit Rodriguez *tom. 3. qq. Regular. quæst. 14. artic. 3.* quia ſtatus Religioſus eſt difficilimus, & proinde voluntariè, ac cum magna deliberatione aſſumendus, plus quàm matrimonium. Nunc addo cogentes nouitium exire à Conuentu, ſi per vim, moleſtiam, vel iniuriam cogant manere excommunicatos, non cenſura Concilij Tridentini, vt diximus, ſed per cenſuram poſitam ab Eugenio IV. in *numero præcedenti.* Aduertit tamen Rodriguez cum communi *in quæſtion. 14. citat. articul. 4.* extrahentem nouitium à Religione non teneri ad reſtitutionem faciendam Religioni ex oblatione nouitij quantumcunque nouitius foret vtilis Religioni, vt ſi eſſet Doctor inſignis maximè in Theologia. Idem tenet Sotus 4. *de Iuſt. quæſt. 6. artic. 3.*

4 Maioris claritatis gratia, circa impedimenta criminoſorum per Bullam Sixti V. aduerto cum Sanchez 4. *Decalog. capit. 16. numer. 39.* tria debere concurrere vt criminoſus ſit inhabilis ad Religionem. Primum eſt, vt actis publicis conſtet accuſatio, vel inquiſitio illius: non verò requiritur vt ſit citatus. Secundum, vt facta ſit inquiſitio de illo in particulari, vnde non ſufficiet inquiſitio facta in generali. Tertium, vt fiat inquiſitio contra illum ante habitus ſuſceptionem, & coram Iudice ſæculari. Vnde ſi inquiſitio fiat contra illum, vel accuſatio poſt habitum iam ſuſceptum, non erit inhabilis: neque item erit inhabilis ſi fiat accuſatio, vel inquiſitio contra illum ante habitus ſuſceptionem, ſed coram Iudice Eccleſiaſtico. Hæc omnia clarè colliguntur ex verbis ipſius Motus proprij.

5 Si autem poſt crimina illa commiſſa, quę ibi recenſentur, talis criminoſus reus ante habitus ſuſceptionem abſoluatur à Iudice eo quòd probata nō ſint, vel quauis

alia

alia de cauſa, ita vt impoſterum, nulla moleſtia Religioni timeatur, erit habilis ad Religionem. Nam Motus proprius ideo ſolùm illos criminoſos arcet à Religione, quia damnati ſunt, vel quia timetur ne damnentur. Vnde talis criminoſus ſi antea habebat votum ſimplex Religionis, poſt Iudicis abſolutionem tenetur ingredi Religionem, iam enim ſibi ablata eſt inhabilitas. Quod ſi nondum eſt abſolutus à Iudice, ſed coram illo delatus, tenetur modis licitis procurare abſolutionem, & illa impetrata ingredi Religionem.

6 Colligit Sanchez *citato capit. n.* 40. peccare mortaliter ſpeciali peccato habentem votum ſimplex Religionis ſi ſcienter contrahat aliquod ex illis criminibus per quæ redditur inhabilis ad Religionem: nam ponit impedimentum clarum ne votum poſſit implere. Imò addit *n.* 41. quod talis, ſi poteſt, debet ſtatim procurare ingreſſum Religionis antequam Iudex ſæcularis de illo in particulari inquirat, eſt enim tunc tempus obligans ad ingreſſum, quia poſtea inquiſitus non poterit votum exequi ob contractam inhabilitatem ad ingrediendum per dictam Bullam, quæ talem virum hodie inhabilitat ad ſuſceptionem habitus, quamuis iam non annullet illius profeſſionem ob moderationem Clementis VIII.

7 Dixi olim profeſſionem ſerui eſſe prohibitam de iure naturali: nunc addo etiam eſſe irritatam de iure communi, & proinde etiam erit irrita hodie poſt moderationem Clementis VIII. quemadmodum eſt irrita profeſſio coniugis inuito alio coniuge. Nec eſt eadem ratio de profeſsione habentis debita, hæc enim erit valida hodie ſi fiat: ratio diſcriminis eſt: nam ſeruus, & coniux ſunt perſonæ alienæ, ſeu perſonæ alterius, domini ſcilicet, vel alterius coniugis, & proinde

Digitized by Google

de non poſſunt validè ſe donare alteri. At debitor licèt debeat pecuniam, non debet perſonam: & proinde licèt peccet profitendo, quia impoſſibilitatur ad ſoluendum, non eſt irrita donatio perſonæ per profeſſionem, quia perſonam non debet. Medina *Cod. de Reſtit. q. 3. caſ. 8. ad 5.* Nauarr. 4. *de Reſtit. capit. 4. dubio vlt.* & aliorum.

8 Si quis habet debita incerta, quæ ſint reddenda pauperibus eo quòd ignoratur dominus, poteſt ingredi Religionem: niſi fortè hæc debita ſint contracta nomine alieno, & ipſe ſit diſpenſator illorum, vt reddat pauperibus. In primo caſu ſatisfacit, quia non valens ſoluere, ſatis ſoluit ſe donando Deo. In ſecundo non poteſt, quia reputatur, ac debitor certæ perſonæ. Palud. *in 4. diſt. 38 q. 4. art. 1. nu. 36. concl. 7.* Addit etiam Sanchez *citat. cap. 19. nu. 8.* quod ſi habens debita non habet vnde ſoluat, nec manens in ſæculo ſperat ſe poſſe ſoluere, niſi poſt longiſſimum tempus, vel magna difficultate: non teneri expectare illud longiſſimum tempus, neque vincere magnam illam difficultatem, ſed non obſtantibus debitis poterit ingredi Religionem. Quale verò tempus ibi dicendum ſit longum, & quæ magna difficultas, iudicabit vir prudens attentis circunſtantiis debiti, ac perſonæ.

9 Debita impedientia ingreſſum Religionis debent eſſe orta ex contractu, vel delicto: vt quia ſcilicet emit, vel commodato accepit: vel virginem defloratuit inuitam vel hominem grauiter vulnerauit cui debet expenſas, & ſic de cæteris. At verò ſi debita ſint ex liberalitate, quia liberaliter promiſit, non impediunt ingreſſum Religionis, quia talis promiſsio ita debet intelligi vt non ita obliget promittentem quin poſsit intrare Religionem. Medin. *Cod. de reſtitut. q. 3. cauſa 8. ad 1.* & alij. Si verò debitis aſtrictus habeat

habeat votum ſimplex Religionis, nec poſſit ſoluere, neque ſperet fore ſoluendo, niſi poſt longum tempus, & cum magna difficultate, poterit, imò tenetur Religionem intrare. Sic D. Thom. *in 4. diſtinct. 38. q. 1. articul. 3. quæſt. 1. ad 7.* Anton. 2. *p. tit. 11. cap. 2. §. 1. in fine.*

10 Quid, ſi dubium ſit an habens votum Religionis, & debita ſimul, per aliquod tempus manens in ſæculo poterit ſoluere; an debeat expectare vt ſoluat, an verò debeat ingredi vt votum Deo perſoluat. Reſpondet Sanchez *citat. cap. 19. num. 12.* Quod ſi votum factum eſt priuſquam debita contraherentur, tunc ſtante illo dubio ſoluendum eſt votum non obſtantibus debitis, quia tunc votum prius factum præualet, & habet poſſeſſionem obligandi prius. Si verò debita ſunt prius contracta quàm fieret votum, debet expectare vt ſoluat, quia obligatio debitorum prius facta præualet voto quoad obligationem prius ſoluendi.

11 Obligatus ad ratiocinia reddenda non poteſt habitum recipere de iure communi, vt ſupra dixi: at nunc addo profeſſionem fore validam, quia ius commune illam prohibens non annullat: & Clem. VIII. reduxit motum proprium Sixti V. ad terminos iuris communis. Nauarr. *lib. 3. conſil. tit. de Regular. conſil. 26.*

12 Addit verò vel explicat Sanchez *cit. cap. num. 25.* Motum proprium Sixti V. non comprehendere debitores, qui ſine graui ſua culpa deuenere ad impotentiam ſoluendi, ita vt nulla ſit ſpes ſoluendi ſi maneant in ſæculo, quia ſic videtur innuere Motus proprius in §. *Cæterùm quoniam.* Sed hæc explicatio cum ſua additione parum iuuat; ſi enim non ſit ſpes ſoluendi manendo in ſæculo cum additionibus iam ſupra poſitis, parum facit ad rem ſi per culpam, vel ſine illa deuenit

ad

Digitized by Google

ad impotentiam ſoluendi. Statim verò ſine limitatione addit probabile eſſe non comprehendi illos debitores, qui abſque graui culpa debita contraxerunt, etiam ſi manentes in ſæculo ſperarent fore ſoluendo, quia, vt ait, Motus proprius ſupponit culpam in debitore: ac proinde hos cenſet non eſſe inhabiles ad Religionem, quamuis dicat eos poſſe peccare, eo quòd manentes in ſæculo poſſent ſoluere breui tempore. Ego tamen neque ſic hanc additionem, vel explicationem admitto. Nam præcipuus finis Motus proprij non eſt punire culpam debitoris, ſed proſpicere, & procurare quietem Conuentus, ac Religioſorum, ne poſt profeſſionem inquietetur Conuentus ob debita Religioſi, & creditor ſua bona poſſideat. Et probo ex ipſo Sanchez à nobis *citat. eod. lib. 4. Decalog. cap. 16.* qui ait finem Motus proprij Sixti in arcendis criminoſis à Religione ſolùm eſſe quietem ipſius Religionis, vnde ceſſante periculo inquietationis, quia ſcilicet reus non fuit citatus, vel inquiſitus, vel fuit abſolutus, ait tunc poſſe recipi non obſtante crimine. Ergo à ſimili intentum Motus proprii in debitoribus non eſt agere de culpa magna, vel leui cum qua debita ſint contracta: ſed intentum Motus proprij eſt ne Conuentus inquietetur ob debita, & ne creditor ſua bona amittat, quod eſt intentum iuris communis: ac proinde parum ad hoc facit ſi debita per culpam grauem, vel leuem ſint contracta.

13 Neque item placet quod habet Sanchez *citat. cap. 19. num. 26.* dum ait non impedire ingreſſum Religionis debitum illius, qui virginem defloraſſet, inuitam ſcilicet, vt innuit; quia, inquit, talis debitor non cenſetur grauatus ingenti ære alieno: & Motus proprius loquitur tantùm de grauatis ingenti ære alieno, Non, inquam, placet, primò quia ipſe Sanchez

cit.

*cit.cap.*19. *num.*10. tenet debita orta ex delicto impedire ingressum, deflorator autem virginis debet ex delicto, vt patet. Secundò, quod talis deflorator sit dicendus grauari ingenti ære alieno, probatur, quia si deflorauit inuitam saltem in conscientia iubetur eam dotare: dos autem danda mulieri est ingens debitum respectu viri ordinarij, immò & respectu viri grauis. Neque enim ibi ingens æs, debet intelligi pro magna summa millium ducatorum, hæc enim rarò contrahitur: sed puto quod ingens debitum ibi debet reputari magnum, id est, notabile debitum, pro quo lis magna possit moueri: Et proinde vt sit ingens debitum debet attendi circumstantia personæ debentis, & ipsum debitum. At dos debita mulieri defloratæ de ordinario censetur graue debitum saltem respectu viri ordinarij, & quod taliter deflorans impediatur ob debita tenet Rodrig. *tom.*3. *qq. Regular. quæst.*10. *art.* 9. Et ego addo prædictum defloratorem, si iam fuit accusatus, vel inquisitus in particulari à iudice sæculari; adhuc esse impeditum ex alio capite ad habitum Religionis, quia scilicet est criminosus ex crimine tam graui, vt illud leges ciuiles morte puniant si sit commissum in domo parentum ipsius virginis.

14 Impediti ob ratiocinia reddenda, tunc solum impediuntur, quando ratiocinia publica, vel priuata talia sunt vt propter illa iam lis, vel molestia illata sit Conuentui, vel inferenda timeatur: Si verò nec sit illata, nec timeatur, non impediunt. Ita Rodr. 2. *to. Sum. c.*3. *n.*8. *& in qq. Reg. tom.*4. 10. *art.*11. Si tamen taliter obligatus professionem emittat, erit valida, quia ius commune prohibet, sed non annullat. Nec iam Bulla Sixti V. quoad professionis annullationem, valet, sed solum quoad impediendam receptionem habitus.

15 Vide

15 Vide ſupra *verb. Electio, num.* 3. 4. & 7. vbi aliqua diximus ſatis concernentia ad receptionem ſuffragiorum, quæ dantur pro nouitij profeſſione : maxime *ibi nu.* 3. vbi dubitaui an quando deeſt nouitio magna pars ſuffragiorum requiſita, ſtandum ſit parti minori, ſed ſaniori.

16 Omnino notanda eſt declaratio Cardinalium quam citat Azor. *tom.* 1. *libr.* 12. *c.* 18. *col.* 13. *q.* 4. *verſ.* 54. quod ſcilicet Superiores finito anno probationis teneantur admittere nouitios ad profeſſionem ſi ipſos habiles inuenerint; ſi verò inuenerint inhabiles, neque ſpes ſit vt meliorentur, ſtatim eiiciant. Si verò ſpem dederint eos habiles poſſe eſſe infra ſex menſes, poſſe Superiores tempus differre. Ita *ibi* Azor. Idem à fortiori intellige de nouitiis Monialium, vt quia neſciunt legere, vel quid ſimile.

17 Sanchez 4. *Decalogi cap.* 16. *num.* 92. innuit quod negare ſuffragium nouitio eſt tantùm peccatum veniale : ait enim quòd ſi Religio ex ſola libertate nouitium expelleret, reprehenderetur à quouis ſapiente, & leuitatis argueretur. Si autem hoc dicat eſſe tantùm veniale : magis placet, quod dixi ſupra ver. *Nouitius n.* 54. cum Corduba, & Miranda eſſe peccatum mortale, eſt enim materia grauis, & præcedit quaſi contractus inter Ordinem, & nouitium acceptandi illum, ſi rectè procedat. Et expulſio nouitij vt plurimum cedit in eius infamiam.

18 Nouitius gaudet priuilegiis Religionis, non verò ſubditur pœnis, ſeu legibus illius. Molin. *tom.* 1. *de Iuſtit. diſputat.* 139. *col.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 30. *fin.* & alii.

19 Annum probationis debere eſſe continuum ita vt non valeat, ſi nouitius habitum dimittat, & exeat : iterumque redeunti non ſit computandum tempus præ-

teritum cum nouitiatu futuro tenet Nauar. *consil.52.de Regularibus num.2.* Henriq.*in Summ.libr.13.cap.40.§.2.* At Iulius II. concesit Minoritis in Bullario Rodrig. *fol.575. col.1.* vt cùm aliqui Fratres annum Nouitiatus inceperint, & deinde habitu omisso ad ipsum Ordinem redierint, tempus prioris receptionis habitus, cum tempore posterioris in anno probationis sibi computari, vel non computari posse, committit arbitrio, discretioni, ac determinationi Superiorum. Neque hoc credo esse reuocatum per Concilium Tridentinum, illud enim loquens de anno nouitiatus solùm requirit quod sit completus, & integer: potest verò esse integer, etiamsi sit interpolatus modo supra dicto. At Religio Minorum huic priuilegio renunciauit per statuta generalia Tolletana, quibus cauet, vt si nouitius exierit etiam cum licentia, & cum habitu morbi curandi causa, cùm redierit non computetur illi tempus præteritum cum futuro, sed denuo incipiat. Aliæ Religiones quæ communicant in hoc priuilegio non derogato, videant quid statuerint, & quid consueuerint. Hoc scio quod nostra statuta Tolletana prohibent, sed non annullant professionem si secus fiat.

NOVITIVS MACVLATVS OB parentum genealogiam.

19 QVamuis supra de hoc egerim duobus locis ver. *Electio*, & ver. *Nouitius à n.30.* pauca tamen subiicio. Et imprimis persisto in priori dicto, quod scilicet sentio, in Ordine Minorum per Bullas ibi citatas non arceri ab habitu suscipiendo, nec ab officiis, nisi illos qui ita descendunt à parentibus maculatis, vt talium parentum corpora, vel ossa, vel statuæ fuerint combustæ. Idque ob causas ibi assignatas. Nunc addo:

20 Nullus

Digitized by Google

20 Nullus qui aliquando fuit Iudæus, vel hæreticus, poteſt recipi in Ordine Minorum, etiamſi illorum proaui non fuerint combuſti. Habetur expreſsè in Bullario Rodrig. *fol.* 848. in Bulla Pauli IV. pro Ordine Minorum *citato fol. col.* 2. vnde quod dixi ſupra verb. *Electio numer.* 10. ex Nauarro *ibi citato*, quòd ſcilicet deſcendentes à Mauris poſſunt recipi quando proaui ſponte ſua conuerſi ſunt ad fidem, poteſt adhuc magis firmari, quia Paulus IV. in illa Bulla non loquitur de deſcendentibus à Mauris, vel Turcis: ſed ſolùm de deſcendentibus à Iudæis, & hæreticis. At per Bullam Gregorij XIII. quam citat Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 14. *art.* 1. *ad finem*, prædicta Bulla Pauli IV. extenditur etiam ad deſcendentes à Sarracenis vſque ad quartum gradum: ſed videtur hæc extenſio etiam intelligenda, ſi proaui Sarraceni fuerunt combuſti, vel in infidelitate mortui, vt Rodrig. *ibi* innuit. Et tunc erit verum dictum Nauarri ſi proauus Maurus ſua ſponte conuerſus fuit ad fidem. Et loquitur *ibi* Nau. clarè de Ordine Minorum, vt videre eſt in Nau. *lib.* 5. *Conſil. tit. de Iudæis conſil.* 1. *num.* 6. *primæ impreſſionis*, vbi exprimit Guardianum. Et *n.* 5. *præcedente* exprimit de Sarracenis ſponte conuerſis ad fidem.

21 Rigidior eſt conſtitutio Pij IV. in Bullario Rodriguez *fol.* 870. pro Benedictinis Congregat. Valliſolet. cuius ingreſſum ad habitum prohibet etiam deſcendentibus à Mauris, Turcis, & Iudæis, ſi proaui fuerunt confeſſi crimen, & conuicti, aut de crimine fuerunt inquiſiti per Inquiſitores, vel puniti: itemque ſi ipſi deſcendentes fuerint per Inquiſitores puniti, vel inquiſiti, neque item poſſe admitti ad dignitates, & officia. Rigidior, inquam, eſt, quia non requirit vt proauorum corpora, vel oſſa fuerint combuſta quemadmodum Paulus IV. requirit pro Minoritis: ſed ſufficiet pro

Benedictinis, quod iuuenis proaui, vel ipſe fuerint ſolùm conuicti de hæreſi, licet non combuſti: ſufficiet item ſi Inquiſitores contra proauos, vel contra iuuenem inquiſierint: intelligo de inquiſitione in particulari, non de generali, vt ſupra dixi de criminoſis Sixti V. Addo tamen quòd ſi fuerint inquiſiti in particulari, non requiritur citatio, vel carceratio, quia Bulla ſolùm dicit, *inquiſiti*, & inquiſitio non includit citationem. Verùm iſta conſtitutio cùm ſit ſolùm pro Benedictinis, & ſit pœnalis, non poteſt extendi ad Minoritas: nam Religioſi ſolùm excommunicant in priuilegiis, & non in pœnis.

22 Libuit etiam recolere, (& iuuat ad præcedentia) quod in Bullar. Rodrig. *fol.* 1083. Gregor. XIII. conceſſit Patribus Minimis Sancti Franciſci de Paula. Primò, quod deſcendentes à Iudæis, vel Mahumetanis poſt ſuſceptum auorum Baptiſmum, non impediantur ab habitus ſuſceptione, & ab officiis Religionis. Secundò, vt deſcendentes ab hæreticis, ſi proaui hæretici conuerſi admiſſi ſunt ad vnitatẽ Eccleſiæ, poſſint etiam admitti ad habitum, & ad officia. Tertiò, quod deſcendentes à Iudæis baptizatis, ſed poſtea lapſis in hæreſim, ac damnatis ad ignem: filij etiam cæterorum hæreticorum in quarto gradu damnatorum ad ignem, vel ſi talium Iudæorum, vel hæreticorum oſſa vel ſtatuæ fuerunt combuſta, hi tales deſcendentes, ſiue per lineam paternam, ſiue maternam, arcentur à receptione habitus, & ab Ordinibus ſacris recipiendis. Vide quanta diuerſitas ſit pro diuerſis Ordinibus: & vnaquæque Religio in hoc negotio ſeruare debet ſibi decreta à Sede Apoſtolica; non verò decreta pro alia Religione: quamuis autem Sanchez 2. *Decal. g. cap.* 27. *num.* 3. dicat Auilam dixiſſe [illegible] à viris doctis quod Paul. IV. conſtitutio circ[illegible]noritas non eſt in vſu: huius tamen contrarium teſtatur

teſtatur Praxis Franciſcana nouitios interrogans ante ſuſceptionem habitus iuxta Bullam dictam Pauli IV.

23 Quæris; an iſti filij hæreticorum, & ſimilium prohibiti recipere habitum, & officia Religionis, ſi concepti ſunt ante delictum parentum, comprehendantur in dictis Bullis Pontificiis. Pro cuius intelligentia ſuppono eſſe grauem quæſtionem inter Iuriſtas an pœnæ ſtatutæ in iure contra hæreticos, & illorum filios de infamia, & bonorum amiſſione, &c. comprehendant etiam filios talium hæreticorum conceptos ante delictum parentum? Multi, & grauiſſimi Doctores affirmant. Alij dicunt non comprehendi, quos late citat, ac ſequitur Sanchez *libr. 2. Decalog. cap. 27. à numer. 13. & ſeqq.* & eſt opinio communior, & magis pia. Et hac ſuppoſita quæris, an ſicut filij hæreticorum concepti ante delictum, liberantur ab illis pœnis iuxta illam opinionem, vt non ſint infames, nec bona amittant: ita etiam filij hæreticorum concepti ante delictum liberentur à pœnis prædictarum Bullarum, ne habitum, & officia Ordinum recipiant? Caſum apud nullum inueni. Sed credo non liberari. Probo, quia prædictæ Bullæ Pontificum non hæc decernunt in pœnam delictorum parentum, ſicut ius commune decernit: ſed hæc decernunt Pontifices pro quiete, pace, & honore Religionum, vt videre eſt in proœmio prædictarum Bullarum: ac proinde illa prohibitio habitus, officiorum, ac dignitatum non eſt pœna talium filiorum, ſed eſt prouiſio circa pacem, quietem, & honorem Religionum: vnde prædicti filij non manent capaces habitus, & officiorum Ordinis, etiam ſi ſint nati, vel concepti ante delictum parentum.

24 Circa filios talium hæreticorum, vel Iudæorum

combuſtorum adhuc aduerto, illos vltra alias pœnas eſſe etiam irregulares ex iure, nec poſſe ad Sacros Ordines promoueri; filios quidem ex parte patris, atque nepotes, ex parte verò matris ſolos filios, non nepotes. Colligitur ex *cap.2.§.hæretici.de hæreticis in 6.* & tradit latè Salzedo *in Pract.Bern.Diaz c.22.num.22.* & Rodr. *in qq.tom.1.q.24. art.7.* & alij. Et in hac irregularitate ſolus Papa diſpenſat. Quæ tamen irregularitas non præcipit filios ab officiis iam receptis deiici, ſed ſolùm prohibet ad futura non admitti, hoc, inquam, dico pro officiis in Clericis ſæcularibus: nam in Religioſis per Bullas prædictas, ſaltem Minoritæ etiam obtenta iam officia amittunt. Si verò aliquos iam Sacros Ordines receperunt, poterunt illis miniſtrare, ſed non poterunt ad alios promoueri: dico ſi aliquos receperunt, id eſt, ante delictum patris combuſti: poſt delictum enim damnatum iam ſunt irregulares, & nullos poſſunt recipere, neque in talibus poſtea ſuſceptis miniſtrare. Ita Maiolus *libro 5. de Irregularit. capit. 47. num.6.*

25 Colligit etiam Sanchez *2.Decal.c.28.n.11.* deſcendentes ex Iudæis, vel Mauris, ſi ipſi ante rationis vſum baptizati ſunt (vulgo *Chriſtaõs nouos*) non excludi ab Ordinibus ſuſcipiendis, neque eſſe inhabiles ad officia, vel beneficia, quia iura ſolos hæreticorum filios puniunt hac pœna. Et quanuis neophyti ſint irregulares, id intelligitur de recenter baptizatis, non verò de baptizatis à natiuitate. Ita Salzedo *cit.cap.22.n.8.* Et hoc ait Sanchez eſſe verum etiam ſi parentes adhuc Mauri perſeuerent.

26 Colligit item Sanchez *citat. loco numer.15.* quod quando Tridentinum *ſeſſ.23. cap.7. de reform.* iubet, vt Epiſcopus inquirat de proauis ordinandorum, ſolùm præcipit inquiri de proauis quorum filij ſunt irregulares:

res ; qui ſunt, vt ſupra diximus, nepotes ac filij per lineam maſculinam parentum combuſtorum : ſoli verò filij per lineam fœmininam:Nam *ibi* Tridentinum non induxit ius nouum , ſed ſolùm adhæſit antiquo ; quod antiquum id tantùm ſtatuebat. Ita Salzedo *citat.capit. num.*22. Henriq. *lib.*10.*de Sacram. Ordinis.cap.*17.*n.*2. & alij.

27 Vltimò colligit Sanchez *num.*16. qualiter poſſint teſtes iurare promouendos ad Ordines vel ad officia publica, eſſe Chriſtianos veteranos, etiam ſi à Iudæis, Mauris,vel hæreticis originem trahant. Quando enim non eſt ſpeciale ſtatutum legitimum à Papa, vel Principe confirmatum petens aliam qualitatem vltra petitam in iure communi:id iuramentum non intelligitur de Chriſtiano veteri in rigore, nec de deſcendentibus ab hæretico,vel Iudæo quomodocunque, ſed de Chriſtiano veteri,vel deſcendente ab hæretico, quales iura petunt,ne ſint inhabiles ad officia vel adOrdines:Quod ſi iudex intendat aliud non iuſtè rogat, nec tenetur teſtis ad eius verba reſpondere,v.g.ſi roget in forma tantùm iuris communis , arcentis ſolos filios , & nepotes combuſtorum via maſculina , & filios combuſtarum via fœminina circa Ordines,officia, & beneficia:& talis de quo rogatur teſtis,nulla via ſit filius talium combuſtorum, iurare poterit illum eſſe Chriſtianum veterem:idemque poteſt iurare ſi pater,vel mater,vel proaui fuerunt hæretici,ſed non combuſti,quia hi non incurrunt irregularitatem , vel inhabilitatem ad officia. Dixi , *ſi iudex interroget ex forma tantùm iuris communis.* Nam ſi interrogat ex vi alicuius ſtatuti legitimi arcentis ab officio,Ordinibus, vel quauis alia re, deſcendentes à Iudæis, Mauris,& hæreticis quocunque modo,& in quocunque gradu,tunc tenetur teſtis reſpondere ad verba iudicis , ac teſtificari de proauis qualeſcunque

fuerint siue combusti,siue non:siue conuicti,siue inquisiti ab Inquisitoribus,quia finis talis statuti ad hoc tendit,vt illius genealogia quomodocunque sciatur. Hoc autem statutum si sit de rebus Ecclesiasticis, & inquiratur hoc secundo modo de descendentibus quouis modo excludendis,non potest esse validum nisi confirmetur à Papa.Si verò sit circa officia,vel dignitates sæculares, non erit validum nisi confirmetur à Principe, vt docet Sanchez *cit.c.*28.*n.*14.Credo autem quod hodie omnes congregationes Ecclesiasticæ & sæculares, imò & Episcopi interrogant de promouendis, ac recipiendis hoc secundo modo:& debent ad id habere statutum,vel licentiam:ipsi viderint.

OBEDIENTIA.

Vide infra ver.*Statutum,n.*3.& verb.*Lex.*

1 OBedire tenetur subditus in omnibus suo Prælato, ex vi huius voti. At in actibus purè mentalibus non tenetur, quia isti sunt Deo immediati,& non pertinent ad forum externum, neque nocent communitati. Est communis Doctorum. Si verò hi actus mentales pendent ab externis, quia his sunt annexi:vel è contra,quia externi habent annexos mentales, vt rectè fiant, tenetur subditus in his obedire, vt cùm Ecclesia iubet dici Horas Canonicas cum attentione interna, obligat ad attentionem, & intentionem internam sine qua recitatio externa non fit debitè. D. Thom.2.2.*q.*91.*art.*4.Et sic de aliis actibus obedientiæ colliges.

Rodriguez *tom.*3. *quæst.*19. *art.*1. ponit exemplum, quando Prælatus dicit subdito vt dicat Missam pro tali intentione;& ait tunc teneri subditum applicare suam inten

intentionem pro intentione Prælati. Et ſubditus non applicans peccabit contra obedientiam. Sed quæris (quidquid ſit de peccato ſubditi quoad obedientiam) an Miſſa dicta à ſubdito pro ſua particulari, valeat pro intentione ſubditi, quidquid ſit de peccato illius. An verò maneat applicata pro intentione Prælati applicantis, & habentis dominium indirectè ſupra intentionem ſubditi? Rodrig. de hoc *ibi* nihil dicit. At Suarez, *tom. de Euchariſtia, diſp.79. ſectio.9. §. Alij nihilominus*: cenſet quòd Prælati applicatio non valet, ſed Miſſa manebit applicata pro intentione ſubditi applicantis. Prælatus enim poteſt iubere vt applicet: ſi verò ſubditus non applicauerit, peccabit quidem, ſed eius applicatio valebit: quia ibi Prælatus non eſt Miniſter Sacramenti, vel ſacrificij: ſed ſubditus celebrans. Et aliis ibi probat rationibus efficaciter.

2 Peccatum inobedientiæ tunc propriè fit, quando ſubditus ea de cauſa non vult obedire, quia non vult prælato illi ſubeſſe, & ex contemptu illius facit. Caietanus *in Sum. ver. Obedientia*: & alij communiter, & hæc dicitur inobedientia formalis. Et hæc licèt ſit in materia leui, eſt tamen peccatum mortale ob contemptum Prælati, qui contemptus eſt mortalis ſuo genere. Si verò ſubditus non obediat ex pigritia, ira, metu honoris, & ſic de cæteris, non eſt inobedientia formalis, ſed materialis, & peccatum iudicabitur iuxta qualitatem materiæ. Eſt communis Doctorum.

3 Si iuſſum à Prælato eſt clarè illicitum etiam ſi ſit tantùm peccatum veniale, non tenetur ſubditus obedire, etiam ſi iubeatur ſub cenſuris. Eſt certiſſima, & indubitata. Si verò dubium ſit an res præcepta ſit peccatum, vel nõ, ſtante dubio, poteſt, imò debet ſubditus

obedire, neque tunc peccabit etiam venialiter: ſed potius merebitur. Quin potius addo, quod etiam ſi contingat à parte rei, quòd illa res dubia ſit peccatum in ſe: ſubditus verò ignorans, & obediens bona fide rem faciat intuitu obedientiæ, merebitur in facto. Et probatur, quia ſubditus ſtante tali dubio, tenetur obedire: & proinde facit actum obedientiæ. Actus verò obedientiæ eſt actus virtutis, & proinde meritorius ſi fiat in gratia.

Quid ſi ſubditus putet eſſe peccatum quod iubetur: & ſimul putet eſſe peccatum non obedire? Res periculoſa, & homo poſitus inter ignem & aquam. Reſp. quod tenetur tunc dubium practicum deponere, id eſt, dicere ſecum; ego non pecco faciendo, & obediendo: & hoc facto, ſeu formato hoc conceptu, non peccat faciendo iniunctum opus. Cum quo poteſt manere dubium ſpeculatiuum, id eſt, ſi à parte rei ſit peccatum vel non. De quo non curo: ſed ſolùm curet ſubditus, ac cogitet ſe non peccare obediendo. Stante enim æquali dubio, obediendum eſt Prælato, maximè quando Prælatus eſt vir prudens, & timoratus, neque datur ibi litteratus quem conſulat. Secus ſi clarius apparet rem eſſe malam, tunc enim obediendum eſt Deo, iam enim res non eſt dubia.

4 In Hiſpania non poſſunt Prælati cogere ſubditos vt vadant ad Indos cauſa conuerſionis illorum, niſi id ſpeciali voto in profeſſione promittant: eſt enim res difficilima, & non cadens ſub obligatione. Sot. *de tegendo ſecret. membr. 3. quæſtione 2. conclu. 1.* Rodriguez *tom. 3. quæſt. 19. art. 7.* & alij communiter.

5 Si Prælatus iubeat in communi ne quis de tali viridario verb. g. vel arbore aliquid decerpat; qui ſumpſerit quid paruum excuſabitur paruitate materiæ: neque enim illa lex plus debet obligare quàm lex diui-

na, quæ non frangitur mortaliter in moralibus data paruitate materiæ. Si verò præcipiat per obedientiam, nè quis furetur talem fructum ſpecialem ob cauſas particulares, cùm ſit fructus notabilis, & particulari domino deſtinatus, vel quid ſimile, ex cuius furto Prælatus notabilem ſumet moleſtiam, licèt res in ſe ſit parua, ratione tamen moleſtiæ grauis datæ, erit peccatum mortale ob cauſas in ſimili caſu datas à Nauarr. *in cap.* 17. *num.* 3. *littera B.* de famulo qui particulare malum Cydonium rapuit de horto domini cum quo illi magnam cauſauit moleſtiam.

6 Non obligat obedientia cum damno notabili ſalutis ſubditi, quia maior eſt obligatio ſalutis propriæ, quàm obedientiæ. Idem ex conſequenti dicendum de damno notabili honoris qui præfertur aliquando ſaluti. Vnde ſi Prælatus iubet ſubdito vt patiatur ſibi membrum abſcindi cauſa ſalutis, non tenetur obedire cum tanto damno, etiam ſi ſciat ſe moriturum: ſic tenet Sà in *Aphoriſmis*, *verbo Obedientia num.* 2. neque ſi iubeatur reuelare crimen occultum. Neque item obligat obedientia circa præcepta impertinentia, & futilia, vt ſi iubeatur quod eleuet paleam à terra, barbam fricet, & ſimilia. Nauarr. *in Sum. cap.* 23. *num.* 39. Si quando verò Sancti antiqui ſimilia præcipiebant ſubditis, vt quod Pat. noſt. Franciſcus iuſſit ſocio girare corpus ſuum pluribus vicibus. Et alij iubebant filiolum in furnum, vel fluuium mittere: hoc primò Sancti, vel Spiritu ducti faciebant: vel habebant intentum Sanctum; & in his illos debemus mirari, non imitari.

7 Neque item ligat obedientia etiam cum cenſuris ſi iubeat me facere vnde ſcio certè naſciturum ſcandalum, & perturbationem grandem, *cap. ſi quando. de reſcriptis*, & *cap. cùm teneamus. de prabendis.*; & ſic non

non tenetur ſubditus exequi tale mandatum:& abſque timore cenſuræ, debet reſcribere Superiori abſenti, *iuxta cap.ſi quando citatum.*

Vide etiam pro hac obedientia ſupra verb. *Leges*, & infra,verb.*Statutum*.

ADDITIO.

1 NON obligatur ſubditus obedire prælato in illo quod debet reſultare in ſcandalum aliorum. Probatur, quia lex naturalis de ſcandalo non dando præualet legi poſitiuæ Prælati. Sylueſt. *verb. Obedientia, num.5.* Et hoc intellige etiam ſi præcipiatur ſub excommunicatione, dummodo ſcandalum ſit verum,certum & notabile.Si verò quod præcipitur eſt peccatum etiam veniale,non tenetur obedire,quia oportet obedire Deo magis quàm hominibus.

2 Cordub. *in ſuo quæſtion.quæſt.6.* & Ludouic. Lopez *1.p. Inſtr. 1.p.cap.56.§. ſic etiam.* tenent, quòd in dubio an Prælatus mihi aliquid poſſit præcipere, teneor obedire, vt eſt communis opinio. At ſi inde mihi,vel alteri immineat graue periculum, aut notabile præiudicium, ſpirituale, vel temporale, in perſona, rebus, vel honore, non tenetur ſubditus tunc obedire. Probant, quia intentio ſubditi vouentis obedientiam non videtur fuiſſe obligare ſe ad difficilia: niſi illa difficilia ſpeciali voto, vel ſtatuto eſſent impoſita, vt cum Hiſpanus Religioſus vouet ire ad Indos, & ſic de cæteris; citat Lopez, pro eadem ſententia Sotum.

3 Si Prælatus iubet per obedientiam ſubdito, vt dicat delictum alterius ſubditi quod eſt ſecretum,non tenetur obedire; præcipit enim iniuſtè: & tunc neque teſtis tenetur detegere iuſſus ſub iuramento:niſi quando

do est crimen contra communitatem. Quid si in tali religione sit statutum, vt subditus reuelet Prælato delictum proximi omissa correctione fraterna? tunc tenebitur reuelare, pro quo vide quæ diximus supra *ver. Correctio fraterna, num. 2. & sequentibus.* Si verò desit tale statutum, vt communiter deest in multis religionibus: & dubitat religiosus vtrum in conscientia teneatur reuelare: si in tali casu debet resultare damnum proximo particulari, non tenetur reuelare: quia in dubio, magis obligat vitare malum proximi quod est naturale: quàm obliget mandatum positiuum prælati. Sic Vega 2. *part. verb. Obedientia casu* 2. citans Sotum, Aragon. Nauar. & alios.

4 Grauis dubitatio est, & quotidiana quando cognoscendum sit verba Prælati mandantis, vel verba statuti mandantis, vel prohibentis obligent sub obedientia ad mortale. Casum ponit Vega *citat. verb. Obedientia casu* 3. Nam sæpe tum in verbis Prælati, tum in scripto statuti, reperiuntur hæc verba: *Mando, mandamus, præcipimus, obligamus, decernimus, statuimus, iubemus, volumus, prohibemus, interdicimus,* & sic de similibus. Circa hæc autem verba non potest assignari regula certa, & infallibilis. Solùm pro regula generali duo sunt consideranda. Primum est grauitas verborum prælati, vel statuti, simul cum materia graui de qua est mandatum. Si enim hæc duo concurrunt simul, clarum est induci obedientiam peccati mortalis. Si verò vtrumqee desit, & præceptum ponatur verbis communibus, vt *iubeo, mandamus, volumus,* & similibus, erit peccatum veniale, tantùm rursus, si sola verba prælati, vel statuti, sint rigorosa, & particularia, quidquid sit de grauitate materiæ, obligabùt ad mortale, vt si iubeatur *in virtute Spiritus S. in virtute obedientiæ,* & similibus. Idem sentit Panorm. *in c. nam concupiscentia, de constit.*

quan

Digitized by Google

quando ſunt verba grauia prohibitiua, vt ſi dicat Prælatus, vel ſtatutum, *interdicimus*, vel *prohibemus*. vide infra *num.* 9. Econtra, ſi materia ſit grauis, etiam ſi præcipiatur verbis communibus, erit obedientia obligans ad mortale. Exemplum particulare eſt in Regula patris N. Franciſci, cùm prohibet Minoritas in itinere equitare. Hoc enim prohibet verbis ſatis communibus, neque rigoroſis, videlicet, *& non debeant equitare, &c.* Vbi vides, per verbum, *non debeant*, induci peccatum mortale iuxta declarationem Pontificum: quia videlicet aliàs materia prohibita, eſt grauis reſpectu talis ſtatus pauperis, & humilis. Ac proinde prudentia viri timorati conſiderans verba ſtatuti, vel Prælati ſimul cum materia præcepta: vel ſola verba per ſe: vel ſolam materiam iudicabit an obligent ad mortale, vel veniale. Secundum quod debet conſiderari ad hoc colligendum, eſt conſuetudo, quæ ſcilicet explicat verba, ſenſum, & intentionem Prælati, & eſt optima legum interpres.

5 Circa dictum verò *n.* 2. *&* 3. de ſubdito dubitante an pro tunc teneatur obedire Prælato iubenti, bene notat Sayro *lib.* 1. *Clau. Reg. cap.* 13. *numer.* 41. poſt medium cum Medina, in tali caſu maximè conſiderandam eſſe qualitatem Prælati: ſi enim ille ſit vir prudens, doctus, & bonus religioſus, & ſubditus idiota, & prælatus ſecunda vice iubet, vt faciat, non obſtante ſuo dubio, poterit deponere dubium, maximè ſi talis Prælatus dicat ſe id recipere in ſuam conſcientiam.

6 Subditus habens aliquam opinionem probabilem poteſt obedire Prælato iubenti ex dictamine oppoſitæ opinionis quam ſequitur Prælatus, dummodo ſubditus deponat dubium practicum, ſecum dicendo quod non peccat in operando contra ſuam rationem.

Cor

Cordub.*lib.*3.*quæst.q.*9. Vaſquez 1.2. *diſp.*62. Solùm probo exemplo communi, omnes enim dicunt poſſe confeſſorem ſequi opinionem pœnitentis litterati, qui allegat pro ſe opinionem contra opinionem confeſſoris; & dicunt poſſe confeſſorem ſua opinione depoſita, ſequi opinionem pœnitentis, & illum abſoluere. Ergo à fortiori poterit ſubditus ſua opinione depoſita conformare ſe cum opinione Prælati, atque obedire.

7 Maius dubium eſt, quando opinio ſubditi eſt probabilior quàm opinio Prælati, ſi poſſit ſubditus obedire Prælato præcipienti iuxta opinionem minus probabilem? Credo quod poteſt etiam tunc obedire abſque peccato. Nam omnes fere Doctores, vel magna pars recentiorum admittunt, poſſe me ex duabus opinionibus probabilibus eligere vnã quæ minus probabilis eſt relicta probabiliori, vt tenet Nauarr.*in Sum. capit.*26. *numer.*4. Vaſqu. 1.2. *diſputat.*62. *toto cap.*4.& 9. & alij multi; ergo cum Prælatus non peccet vtendo illa opinione minus probabili, non peccabit etiam iuxta illam iubendo, & proinde cùm non iubeat peccatum, poterit ſubditus depoſita ſua opinione probabiliori, operari ſecundùm opinionem Prælati minùs probabilem. Imò credo quod proxima ratio non ſolùm probat poſſe ſubditum tunc obedire, ſed etiam teneri. Nam ſubditus tenetur obedire in omnibus quæ Prælatus licitè præcipit abſque peccato: ſed tunc Prælatus licitè præcipit abſque peccato, vt oſtendimus. Et hoc procedit vt vides quando diuerſitas opinionum verſatur circa ipſam rem faciendam ſit ne licita, vel illicita.

8 Sed quid ſi diuerſæ opiniones verſentur circa poteſtatem ipſius prælati, aliis dicentibus ipſum poſſe præcipere; aliis verò negantibus? Sayro *lib.*1. *Clau. Reg.cap.*12.*num.*4. reſpondet poſſe tunc ſubditum obedire,

dire,non verò teneri.Probat primum,quia in priori casu Prælatus potest præcipere, & proinde subditus potest obedire,quando scilicet opiniones versantur circa rem faciendam : probat secundum,quia in hoc secundo casu quando dubitatur de potestate, tunc licèt subditus possit parere,non tamen obligatur, cùm subditus non obligetur obedire, nisi quando Prælatus habet ius ad præcipiendum. Sed responsio non satisfacit, & credo stante hoc dubio de potestate Prælati teneri subditum obedire.Primò,quia in dubio isto,possessio est pro Prælato, vt possit iubere, non verò est possessio pro libertate voluntatis subditi. Et confirmo, quia in dubio an lex obliget, vel non, omnes dicunt parendum esse legi,quia lex est in possessione,vt sibi obediat subditus; eadem verò ratio est de Prælato an possit, ac de lege an possit. Et confirmatur ex communi dicto Theologorum dicentium excommunicationem in dubio an sit licita,vel illicita seruandam esse.Adde quod subditi non est litigare de potestate Prælati, sed humiliter obedire,vt sancti moralizantes passim affirmant. Vltimò quia data illa opinione,seu libertate,daretur occasio multis scandalis ac perturbationibus : sæpe enim subditi arriperent quanuis opinionem vt dicerent Prælatum non posse iubere. Solùm ergo meo iudicio poterit subditus non parere quando clarè constat ex communi sententia Prælatum non posse iubere. Secus si tantùm sit dubium;& hæc mea responsio clarè colligitur ex traditis à Sanchez 1. *Decalog. cap.* 1.*num.* 23.& 34.

9 Pro maiori explicatione prædictorum vide supra *verb. Leges numer.* 2. & 3. vbi dixi ex Molina non omnia verba Bullarum Papalium aliquid præcipientium continere vim obligando ad mortale vt cùm aliquando Papa dicit, firmiter iubemus, vel interdicimus:

dicimus,ſed penſandam eſſe grauitatem materiæ,vt diximus hoc *verb.n.*4.Et hoc poteris applicare ad ſtatuta religiorum.

OFFICIVM DIVINVM.

Vide ſupra ver.*Horæ Canonicæ*,quia coincidunt.

ADDITIO.

VIde ſupra verbo *Horæ Canonicæ*,vbi dictum eſt de officio diuino præter illa quæ dixi ſup.*eodem ver.*

OFFICIA ORDINIS.

Vide infra verb.*Vox actiua.num.*2.

1 IN Ordine Minorum,qui procurat officia, aut dignitates per interceſsionem ſæcularium , per ſe, vel per alios,eſt priuatus voce actiua & paſſiua,& inhabilis ad omnia officia in poſterum obtinenda;& præterea excommunicatus.ita Pius V.& Greg.XIII.quorum Bullæ ſunt apud Rodrig. *tom.*2.*quæſt.*57.*art.*2. Et ad incurrendas has pœnas ſufficit probare,quòd litteræ poſtulatoriæ ſæcularis pro fratre , exhibeantur Prælatis. Niſi forſan conſtiterit tales litteras malitiosè factas fuiſſe à ſæculari , vt tali Religioſo nocerent ob incurſum prædictarum Bullarum. Hæc enim,& maiora poteſt tentare malitia.

2 Similes alias pœnas pro Ordine Prædicatorum,vide apud Rodrig.*loco citato* poſitas à Greg. XIII.& Clemen. VIII.ſed circa litteras miſſas ad procuranda officia vel ſimilia,vide ſupra *verb. Litteræ.num.*4. & infra *ver.Subornatio.*

3 Quando prælatus commisit delictum dignum priuatione, non debet priuari, quidquid lex dicat, si illud fecit animo simplici, & absque malitia. Rodrig. *Addit ad Sum. tom.4. capit.104. conclus.2.* Excipit tamen, si ex commisso delicto resultet scandalum in publico; tunc enim potest, ac debet priuari, saltem ratione scandali.

4 Non possunt prælati superiores amouere ab officio prælatos Conuentuales sine culpa, vel causa iusta, etiam in Ordine Franciscano. Rodrig. *tom.3. quæst.29. artic.9.* Imò neque in Congregatione intermedia apud Minoritas: nisi illud per statutum, vel antiquam consuetudinem sit introductum. *Ibidem.*

5 Lex quæcumque etiam papalis, si dicat quod priuentur officiis contrafacientes, dignitatibus, &c. etiam si dicat ipso facto, & absque declaratione, non obligat vt possessor culpatus per se renuntiet officium, & sit executor contra se. Henriquez fusè, & sufficientissimè *tom.2. libr.13. cap.56. a num.2. & sequentibus.* Secus si lex aliquid præcipiat sub excommunicatione, priuatione, inhabilitate, & similibus priuationibus, nam hæ abstinentiæ, & pœnæ statim ligant in foro interno, & externo, modo possibili, & non indigent externo executore: sed ipse culpatus debet se abstinere, iuxta dicta supra, *ver. Lex. num.6. & num.7. sequenti.* vide supra, *ver Lex. num. vlt.*

6 Omnes actus exerciti ab his, priuatis, inhabilibus, & excommunicatis in occulto sunt validi. *cap. infamis. 3. quæst.7. & l. Barbarius. ff. de officio prætoris*: & est communis.

7 Grauis quæstio, & rigida: Si excommunicatus, vel inhabilis, vel priuatus occultus eligatur ad officium, vel dignitatem Ordinis: si tenetur se prodere, vel non acceptare? Suarez *tom. de censur. disput.13. sect.*

sect.1. num.31. casum ponit,& resoluit. Primò tenetur quantum potest renuntiare omnibus viis, & modis, quantum poterit:dicendo in communi,se non esse idoneum,vel quid simile. Secundò, si hoc non sufficiat,& suum impedimentum detectum non sit infamatorium valde,debet illud publicare saltem Prælato in occulto ne confirmetur:& si hæc duo non faciat peccabit mortaliter cum onere restituendi. Tertiò, si præcedentia non habeant locum,vel non sufficiant nisi publicando impedimentum infamatorium, non tenetur se prodere;sed potest acceptare:at cùm primùm poterit, procurare debet dispensationem,& nouam confirmationem in officio, idque in secreto:seu collationem nouam officij. Vide etiam Henriquez *tom.2.de excom. libr.3.c.14. num.2.& 3.*

Ego super hac doctrina,quæ vera est,aduerto, quod si officium non est conferibile,nisi per electionem,non potest superior illud per se dare in secreto,neque confirmare:videat tamen si potest(& poterit vt plurimum) sic malè electum facere suum Commissarium, vel delegatum,vt nomine suo gubernet, tanquam Clericus gubernans Ecclesiam sibi commendatam. Quod si superior neque hoc possit facere, securius erit procurare occultam dispensationem à Papa. Suar. *cit. loc. n* 34.

Notat verò *ibidem* Suarez quòd si elector nouit electum vel eligendum teneri aliquo impedimento secreto;& suffragia dentur in secreto,non posse illi dare suffragium. Secus si dentur in publico:tunc enim tenetur dare,ne illum infamet. Sed de hoc vide supra *ver. Definitores,& verbo Electio.*

ADDITIO.

1 QVia sæpius in Bullis Pontificiis priuantur Religiosi

ligiosi officiis, ac dignitatibus: vtile fuerit scire in quo differant hæc tria, officium, dignitas, & personatus. Igitur Syluestr. *verb. Dignitas* sic distinguit hæc tria in vsu proprio, & antiquo Ecclesiæ. Dignitas est id quod habet iurisdictionem in foro externo, & rerum administrationem. Huiusmodi sunt in religionibus Prælatus Conuentualis, &c. Superiores, hi enim omnes administrant res suum officium concernentes, & præterea habent iurisdictionem externam in suo districto. Officium est illius qui habet administrationem rerum aliquarum, sed non habet iurisdictionem fori externi. Tales sunt in religione procurator Conuentus, Sacrista, ianitor, & vicarius Conuentus in præsentia Prælati localis. Hi enim omnes habent administrationem, vel procurationem certarum rerum, sed non habent iurisdictionem fori externi. Tertiò personatus est illorum qui neque habent rerum administrationem, neque iurisdictionem, sed solùm habent præcedentiam in Choro, vel alio loco simili, propter particularem excellentiam, vel remunerationem Credo quod in religionibus tales erunt Magistri in Theologia, vel lectores iubilati, vel qui fuerunt Prouinciales, & similes. Hi enim neque habent iurisdictionem in foro externo, neque administrationem aliquarum rerum, sed solùm loci, vel sedis honorificæ præcedentiam, cum aliquibus priuilegiis. Et licèt illi qui fuerunt Prouinciales in aliqua religione habeant suffragium in diffinitorio consultiuum, ac decisiuum, credo quod hoc non est officium, neque dignitas propriè loquendo: quia hi tales neque habent iurisdictionem fori externi, vt patet, neque administrationem rerum. Exempla pro Ecclesiis, & Prælatis Ecclesiasticis ponit Sylu. *cit. loco*. Hæc est propria acceptio talium vocum. Sed hodie sæpius hæc vocabula confunduntur: vt id quod est solùm personatus, aliquando

quando vocetur dignitas, seu honor, & id quod est dignitas, vocetur officium.

2 At ego credo, quòd in Bullis Pontificiis est seruanda prædicta vocum acceptio in sua primæua significatione, quia Bullæ Pontificiæ semper vsurpant voces in sua propria & antiqua significatione. Vnde si aliqua Bulla aut lex priuet solo officio, non extendetur ad dignitatem. Et sic de cæteris quia lex pœnalis est. Sed de ordinario Bullæ Pontificiæ semper priuant officiis, & dignitatibus, imò, & honoribus. Et in religionibus quando priuant honoribus intelligendæ videntur quod priuent illis quæ diximus in religionibus esse personatus, vt sunt alia multa honorifica in religionibus. Addo tamen ex consuetudine saltem in Ordine Minorum quando statuta priuant officio, id propriè etiam intelligunt de dignitate Prælationis: sic enim eadem statuta iam declararunt titulo de pœna priuationis officiorum, vel vocis actiuæ, & passiuæ. Idem quod dixi de priuatione officiorum, intellige quando Bullæ Pontificiæ inhabilitant ad officia, dignitates, &c. Scio aliquas Bullas priuare officiis, dignitatibus, beneficiis, non verò honoribus. Videat ille cuius interest.

3 Officia Prælatorum in Ordine Minorum excepto Generali vt plurimum sunt triennalia: ita enim statuta generalia antiqua ordinarũt, ac denuo secũdum Bullas Pontificias obseruatur. In particulari verò quando possint Guardiani vltra tres annos per aliquod tempus extẽdi, dictum est in statuto generali Romano anno 612. Vbi statuitur, quod si Capitulũ dilatetur per sex mẽses sic iudicante Prælato superiori, per eosdem menses poterit etiam extẽdi Guardianus, & proinde Prouincialis. Vide tamen supra *ver. Guardianus n. 3.* Vbi diximus nõ posse manere Guardianum in eodem Conuentu vltra

triennium sub titulo præsidentis. Id enim non repugnat huic dicto in præsenti quod possit extendi per sex menses vltra triennium. Quando enim extenditur per sex vel quatuor menses, quia Capitulum extenditur, non manet sub titulo præsidentis, sed adhuc est verus Guardianus, & nondum finiuit officium, ex concessione Papæ.

4 Greg. XIII. in Bulla relata à Rodriguez *tom.* 2. *qq. q.* 52. *art.* 11. decreuit, vt Constitutio Pij V. circa Prouinciales, Commissarios generales, ac generales ipsos non reeligendos ad idem officium, nisi prius vacauerint per tempus duarum electionum, explicauit ac concessit Greg. XIII. hanc vacationem non debere esse mathematicam, vt scilicet Prouincialis qui durat per triennium, debeat vacare per integros sex annos mathematicè: sed computandos esse illos annos ita vt duæ electiones celebrentur antequam ad idem officium reeligatur: Ac proinde si Capitula accelerentur, vel anticipentur pro necessitate negotiorum; ita vt non intercurrerint sex anni perfecti, sufficiet quod celebratæ fuerint duæ electiones capitulares. Vna in qua desinit esse Prouincialis, & alia in qua eligitur successor sui successoris. Circa hoc verò notat Rodrig. *cit. art.* 11. quod si ex acceleratione Capitulorum resultet paruum tempus deesse ad prædictos sex annos vacationis, hoc non impedire, quia possit reeligi post illas duas celebrationes Capituli. Non verò exprimit quod dicendum sit paruum tempus. Et quidem exempla quæ ille ibi adducit in alia materia, solum ad mensem, vel quid simile extenduntur. Vide *n. sequenti.*

5 Hinc ego deduco, quod si propter mortem, vel renuntiationem Prouincialis, ita duæ celebrationes Capituli anticipentur, vt illæ factæ sint intra quinquennium, vel citra quinquennium, non poterit reeligi in

Digitized by Google

Prouincialem ille qui per solum quinquennium vacauit, vel citra quinquennium: Nam annus integer, vel annus cum dimidio est pars valde notabilis: & Bulla Greg. XIII. videtur loqui solùm de duabus celebrationibus Capituli ordinariis, quando neque precedit mors neque renuntiatio prouincialis, quæ notabiliter faciat Capitula anticipare. Verba enim legis sunt accipienda in significatione propria, & iuxta consuetudinem receptam: non verò iuxta casum insolitum.

6 Maius dubium est; si generalis Minister, vel Commissarius generalis ob iustas causas Capitulum aliquod anticipauerint per sex menses: ita vt in Capitulo tunc celebrando sit aliquis Religiosus qui transactis duobus Capitulis habet quinque annos cum dimidio vacationis à prouincialatu: an, inquam, iste post transactas duas celebrationes Capituli, cui tamen desunt sex menses ad sexennium, possit reeligi in isto Capitulo in prouincialem? Hoc dubium pendet ex Motu proprio Clementis VIII. citato in Capitulo Romano Minoritarum (quem fateor me non vidisse, non enim ponitur à Rodriguez in Bullario, neque ab alio quem viderim.) Si enim, quemadmodum ibi citatur, Clemens VIII. sicut concessit, vt Prælati supremi possint dilatare Capitulum, ità etiam ibi concessit vt possint anticipare Capitula per sex menses: nullum dubium est, quin possit reeligi in prouincialem qui transactis duabus electionibus habet sex menses minus ad sexennium. Illa enim anticipatio, dispensatio esse videtur, vt non noceat in hoc casu, illi cui desunt sex menses ad sexennium. Si verò in prædicto Motu proprio solùm Papa concedit de Capitulo dilatando post sex menses, non verò de anticipando ante sex menses; credo non posse reeligi illum cui desunt sex menses ad sexennium: est enim

pars valde notabilis,&fiet admissio eius sine autoritate Papæ:quod secus accidit, quando anticipatio prædicta fieret autoritate Papæ. Et ego,dum non video Motum proprium, credo quòd debet concedere, vt possint Capitula anticipari per sex menses. Nam vltra quam quod grauamen fit Prouinciali inuito, si sex menses officij illi aufferantur (dico grauamen nostro modo via ordinaria) datur etiam occasio, vt Generalis possit anticipare Capitulum de industria,ne eligatur prouincialis is cui desunt sex menses propter illam anticipationem.

OFFICIA ORDINIS DATA, vel impetrata per fauorem sæcularium.

SVpra *hoc eodem verb.* dixi Minoritas ac PP. Dominicanos per Bullas pontificias prohiberi procurare officia Ordinis per interceſſionem sæcularium, idémque fortè habebunt alij Religioſi postea anno præterito 1619. D.Papa Paulus V. pro solo Ordine Minorum edidit Motum proprium contra Minoritas prælatos,ac subditos dantes,vel procurantes officia Ordinis intuitu sæcularium. Quem Motum proprium volui hîc inserere, & explicare. Tum quia lapsu vnius tantùm anni non potest esse derogatus per contrarium vsum: Tum quia ea quæ hîc dixerimus in illius explicatione inseruient etiam pro aliis religionibus habentibus idem mandatum:etenim in substantia textus Bullarum idem est.Prius igitur pono transumptum Motus proprij.Deinde ponam expositionem.

TEX

TEXTVS MOTVS PROPRII.

BREVES D. N. PAVLI PAPÆ V. contra Superiores Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, qui fauores extra ſuum Ordinem attendentes, officia, dignitaies, ac gratias concedunt, & contra eoſdem fratres dictos fauores conquirentes.

PAVLVS PP. V.

AD perpetuam rei memoriam. *Admonemur paſtoralis officij noſtri debito diligentius proſpicere ne Religioſis, qui regularem vitam profeſſi ſæculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus. Quocirca Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolica poteſtatis plenitudine, dilectis filiis Miniſtro Generali ac Prouincialibus, & reliquis Ordinis fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Prælatis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, & mandamus: Ne ad inſtantiam, & requiſitionem quaruncunque perſonarum tam laicorum quàm Eccleſiaſticarum extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſæculari dignitate, & excellentia etiam ducali, regali, & imperiali fulgentiũ, cuiuis prædicti Ordinis Regioſo, vllam gratiam concedere; vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus, honores, dignitates, officia, & adminiſtrationes, functiones, & Prælaturas eiuſdem Ordinis concedere audeant. Quinimo dicti Ordinis fratres, Religioſos, qui contra Decreta, hac via & his mediis, conquiſitos fauores, & ſuffragia aliquid ſibi procurauerint, ad talia, & ſimilia, ac etiam maiora in eodem Ordine conſequenda perpetuo inhabiles declaramus. In ſuperdictis Religioſis fratribus*

eiusdem Ordinis quibuscunque sub eisdem pœnis præcipimus, & expresse interdicimus, vt non solum in præmissis omnibus, fauores huiusmodi minimè procurare, sed nec etiam sponte oblatos, aut ab eis minime procuratos recipere, & similiter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinat. Apostolicis, dictique Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia robboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Aut si eidem Ordini, & fratribus prædictis communiter, aut diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionē. Volumus autem quod præsentium litterarum transumptis, etiā impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus si forent exhibitæ, & ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris, die 18. Aprilis 1619.

EXPOSITIO PRÆDICTI
Motus proprij.

7 PRohibuerant hoc ipsum Minoritis Pius V. & Gregor. XIII. specialibus Bullis quas citat Rodrig. *tom. 2. qq. Reg. quæst. 56. art. 2.* Illarum summa erat, quod procurantes officia, & dignitates via sæcularium, incurrunt excommunicationem papæ reseruatam. Secundò incurrunt inhabilitatem ad officia, &c. cum priuatione vocis actiuæ, & passiuæ. Tertiò iubentur vno mense carceri mancipari. Addidit præterea Greg. XIII. quod ipso facto quod aliquis sæcularis

tis rogaret pro aliquo fratre, talis frater maneret inhabilis ad officia Ordinis: nisi constaret prædictum sæcularem id malitiosè feciſſe, vt hac via talis frater maneret inhabilis. Qui duo Motus proprij recepti sunt in Ordine Minorum, & per statuta Generalia ipsius seruari iubentur vt exprimitur in statuto generali Tolletano, & Victoriæ Romæ confirmato sub generali Zoza. Vnde non credo esse reuocata per contrarium vsum: quia tamen aliquis posset cogitare dicta duo Breuia esse reuocata per contrarium vsum, S. D. Paulus V. hoc speciali Motu proprio duos prædictos renouauit, & ferè instaurauit. Est autem hic Motus proprius mitior illis duobus, quia non ponit excommunicationem reseruatam, nec pœnam carceris, neque alia contenta in duobus illis, vt patet in textu, & patebit ex dicendis.

8 Continet iste Motus proprius duas partes, in prima prohibet prælatis ne dent officia ad instantiam sæcularium: in secunda prohibet fratribus subditis ne illa tali via procurent.

9 Nullam pœnam spiritualem, vel corporalem imponit papa sæcularibus rogantibus, vel intercedentibus pro Religiosis quo ad officia illis danda: vt videre est in textu Bullæ. Et probatur, quia si sæculares puniret, esset hic Motus proprius publicandus sæcularibus. Quod non vidi factum, solis enim Fratribus iussu Superiorum fuit publicatus.

10 Non imponitur vlla pœna Diffinitoribus, custodibus Capituli generalis, patribus prouinciæ qui sunt Diffinitores; hi enim omnes, vel similes non sunt prælati. At papa expresè, & clarè solùm loquitur, *de Prælatis dicti Ordinis*, tales sunt Guardiani, custodes custodiarum, prouincialis, Commissarius, & Minister generalis, & cæteri qui iuxta Ordinis statuta sunt

veri

veri Prælati, vt ſunt etiam vicarij in capite. At ſtatutum generale Victoriæ comprehendit illos omnes, Diffinitores ſcilicet & omnes in diffinitorio dantes ſuffragium Religioſo ad aliquod officium ad inſtantiam ſæcularium. Quanuis prædictum ſtatutum Victoriæ ex ſe non iubet ſub cenſura aliqua, *Sed ſub obedientia*, quæ obligat ad peccatum mortale, ſecus de duabus prioribus Bullis.

11 In hoc motu proprio ponitur pœna excommunicationis non reſeruatæ omnibus prædictis Prælatis dantibus officium Fratri alicui ad inſtantiam ſæcularium. Et præterea non priuantur officiis, neque inhabilitantur ad illa, ſicut in duabus Bullis antiquis.

12 Comprehenduntur in hoc Breui Prælati Conuentuales ſi dent officium ſui Conuentus, vel vllam gratiam notabilem ſuo ſubdito faciant ad inſtantiam ſæcularium. Patet ex Bulla quæ poſtquam expreſſit Generalem, & Prouincialem, addit, & cæteris Prælatis dicti Ordinis, Prælati verò Conuentuales ſunt veri Prælati. Et in illis militat eadem ratio. Et propoſitio indefinita æquiualet vniuerſali in rebus neceſſariis, & grauibus.

13 Si Prælatus aliquis in Diffinitorio, vel extra illum dederit ſuffragium pro aliquo Fratre ad aliquam dignitatem ad inſtantiam ſæcularis, effectu non ſecuto, quia ſcilicet ſuum ſuffragium non obtinuit, non incurrit, quia Bulla dicit, dantes officium: dare autem ſuffragium non ſecuto effectu, non eſt dare officium, vel dignitatem. Secundò quia lex pœnalis imponens pœnam, non incurritur niſi ſecuto effectu.

14 Si Prælatus inferior, vt Guardianus, ad inſtantiam ſæcularis petiuit à Superiori, id eſt, Prouinciali, vt daret officium, vel fauorem alicui Fratri, & inferior obtinuit: talis inferior non incurrit ſola interceſſio

ceſſione: quia Bulla ſolum prohibet concedere, intercedere verò non eſt concedere. Imò neque Superior concedens ad inſtantiam Prælati inferioris, incurret, ſi ignoret ſæcularem petiiſſe: Prælatus enim inferior petens, non eſt ſæcularis. Secus verò dicetur ſi Prælatus Superior ſciat inferiorem Prælatum petere ob inſtantiam ſæcularis, tunc enim verè Prælatus Superior concedit ad inſtantiam ſæcularis.

15 Si Prælatus concedat officium fratri intuitu ſæcularis amici, cui vult morem gerere, qui tamen ſæcularis nihil rogauit, non incurrit Prælatus: quia concedere intuitu ſæcularis non eſt concedere ad inſtantiam ſæcularis: Bulla verò dicit, *ad inſtantiam, & requiſitionem*; quæ verba denotant particularem, ac præuiam actionem ſæcularis, precum, vel ſimilium pro officio obtinendo; quod non inuenitur quando prælatus id facit ſæculari ſe habente paſſiuè, ſed Prælatus facit ſolo intuitu illius.

16 Si ſæcularis donet munera, vel donaria Prælato cum propoſito, vt Prælatus faueat alicui Fratri in officiis, & Prælato conſtet de tali propoſito etiam ſi ſæcularis nihil omnino petierit; & Prælatus dederit officium, vel fauorem, credo quod incurrit: nam tunc interuenit inſtantia, vel requiſitio ſæcularis. Dona enim, ac munera illa cum tali propoſito cognito, ſunt inſtantia, & requiſitio in communi hominum acceptione. Et probo ex iis quæ ſtatim Papa decernit circa ſubditos, illis prohibens ne pro dictis officiis munera donent. Idem credo dicendum ſi ſæcularis verbis generalibus, & obſcuris dicat: Fullanus eſt meus conſanguineus: eſt bonus Religioſus: meretur honorari: & ſic de cæteris. Si enim Prælatus inde ſolum motus concedat officium, vel fauorem, incurret, quia iam fecit ad

inſtan

instantiam sæcularis, verba enim illa instant, & mouent.

17 Incurret etiam prælatus si à se petat Frater subditus pro alio subdito officium, vel fauorem, cùm sciat ipse prælatus sæcularem petiisse ab hoc subdito petente, vt impetraret pro alio subdito: in hoc enim casu iam prælatus facit ad instantiam sæcularis qui petit ab hoc subdito, vt peteret pro alio subdito: Frater verò subditus, qui ad instantiam sæcularis intercessit, & obtinuit pro alio, non incurret, quia papa hîc non excommunicat subditos intercedentes, seu procurantes pro aliis, sed subditos procurantes pro se ipsis.

18 Exprimit papa nomine *sæcularium* intelligi quemcumque etiam Regem, & Imperatorem: nomine *Ecclesiasticarum personarum*, ascenditusque ad Cardinales. Et denique addit quamcumque personam extra Ordinem constitutam. per personam verò extra Ordinem constitutam imprimis prohibetur ne id fiat ad instantiam Monialium nostri Ordinis: clarè enim sunt personæ extra nostrum Ordinem. prohibetur etiam fieri ad instantiam cuiuscumque Religiosi alterius Ordinis, est enim persona extra Ordinem, & præterea est persona Ecclesiastica. Tertiò, prohibetur etiam fieri ad instantiam alicuius Episcopi qui fuit Frater Minorita, siue sit in suo Episcopatu, siue illi renunciauerit, & viuat intra Conuentum. Ducor, quia licet talis Episcopus sit hodie Frater Minor, est tamen persona Ecclesiastica extra Ordinem Minorum iam constituta. Iam enim non est subditus Religionis prælatis: iam non habet suffragium in Capitulo Ordinis, imò iuxta aliquos iam non gaudet priuilegiis Ordinis sicut diximus supra verb. *Episcopus*, quæ omnia satis probant talem Episcopum esse personam extra Ordinem constitutam.

19 Non

19 Non incurrit prælatus qui dederit officium, vel fauorem alicui Moniali ad inſtantiam ſæcularis. probatur, quia textus ſolùm prohibet ne talia concedantur Religioſis dicti Ordinis. At Monialis non eſt perſona noſtri Ordinis. Et ſic tenet Rodrig. in ſimili materia *tom.2. qq.q.56. art.2.* explicans Bullas Pij V. & Gregor. XIII. dicens quod in his pœnalibus maſculinum non comprehendit fœmineum, niſi exprimatur.

20 Prælatus concedens aliquid alicui nouitio, non incurrit: nam textus exprimit ne concedat Religioſis. At nouitius in iure, maximè in pœnalibus non cenſetur Religioſus. Addo quòd prælatus recipiens nouitium ad inſtantiam ſæcularis, non incurrit. In hac enim receptione nihil concedit Religioſo, ſed ſolùm ſæculari, & ipſi nouitio recepto.

21 Res, quas papa prohibet ne concedantur Religioſo ad inſtantiam ſæcularis, ſunt ſequentes. Vlla gratia: Remiſſio alicuius pœnæ: Gradus: Dignitas: Officia: Adminiſtrationes: Functiones: prælaturæ. Non vidi aliam Bullam talia ſpecificantem, vnde nihil fere eſt alicuius miniſterij honorifici in Religione quod ſupradictis verbis non comprehendatur. Et quidem quid ſit dignitas, officium, vel perſonatus in ſua propria, & primæua acceptione dixi ſupra *hoc verb. n.1.* Multa verò hìc verba ponuntur quæ ferè coincidunt, & idem videntur ſignificare, ſed papa voluit nihil omnino latere & omnia comprehendere. Vnum, vel alterum verbum tantùm explicabo, de quo eſt maius dubium, & fuit iam orta controuerſia.

22 Primùm prohibitum eſt (*vlla gratia*) verbum ſatis generale: De quo audiui in quadam prouincia huius Ordinis dubitatum fuiſſe, an per hoc verbum (*vlla gratia*) intelligatur quicunque fauor conceſſus

Reli

Religioso ad instantiam secularis : qualia sunt dare licentiam ad Ordines suscipiendos, transferre Religiosum de vno Conuentu ad alium : dare licentiam eundi extra Conuentum per octo, vel amplius dies : & sic de similibus. Et mihi dictum fuit à Patre graui illius prouincię Reuerendissimum Patrem nostrum Generalem Romę tunc agentem affirmatiuè respondisse. Si verò ille consultus ita respondit, non potest esse dubiũ illa omnia prohiberi. Et confirmo, quia verbum illud (*vlla gratia*) satis clarum est: & ponitur primo loco, & ponitur per disiunctiua, (*vel pœna*) ergo non debet ibi poni otiosè, sed debet habere proprium effectum, & proinde prohibet id quod latè significat, videlicet quęcumque fauorem, qui ad arbitrium boni viri, & iuxta Ordinis consuetudinem censetur fauor, & gratia notabilis : qualia sunt illa tria posita paulò supra in exemplo, sunt in Ordine reputata pro fauore, & gratia. Idem ergo est vlla gratia, atque aliquod beneficium, fauor, amicitia, & sic de ęteris. Idem erit promouere ad studium, & sic de cæteris. Et confirmatur ex eo quod statim Papa prohibet subditis procurantibus sibi, ponit enim verbum adhuc generalius dicens (*Aliquid sibi procurauerint*) nota verbum *Aliquid*, nihil enim clarius, & rigorosius exprimi potuit.

23 Dixi, *si Prælatus modo illo prohibito concedat gratiam notabilem*, quia cum in omni materia morali paruitas materiæ excusat vt omnes concedunt, si Prælatus concedat vllam gratiam, quæ ad arbitrium prudentis Religiosi censeatur parua materia, credo quod non incurret, vt si pro vna die concedat licentiam eundi foras : vel paruam aliquam disciplinam, vel reprehensionem ordinariam condonet, & sic de cæteris minimis. Neque enim Papa hæc minima prohibere videtur, maximè cum hæc minima, & non frequent

quentata, non deſtruant bonos mores Religionis, nec ſupponant animum ambitioſum procurantis Religioſi, cui Papa obuiare prætendit.

24 Secundum prohibitum eſt remiſſio pœnarum, per quam prohibetur Prælatus remittere ſupplicium debitum Religioſo ad inſtantiam ſæcularis. Hoc autem tribus modis credo poſſe contingere. Primò, ſi Prælatus nullam omnino pœnam poſitam à lege, vel ex rationis dictamine, imponat ſubdito. Secundò, ſi ex tota pœna debita partem ſolam pœnæ imponat. Tertiò, ſi in pœnitentia iam impoſita diſpenſet, & eam aufferat. His enim omnibus tribus modis verè dicitur quis pœnam remittere. Si verò prælatus iniuſtè aliquam pœnitentiam alicui impoſuit quæ duret in fieri, & hanc pœnitentiam Prælatus aufferat à ſubdito ad inſtantiam ſæcularis, non videtur incurrere, quia Papa ſolùm loquitur de pœna iuſta, & licita, cuius remiſſio eſt nociua Religioni: non verò de remiſſione pœnæ iniuſtæ quam ipſe Prælatus de iuſtitia tenetur aufferre.

25 Tertium, quartum, & quintum prohibitum ſunt gradus, honores, & dignitates. Gradus poſſunt intelligi illi qui dantur in Academiis Bacalauri, Licentiati, & cæterorum, ſi qui ſunt ſimiles in Ordine Minorum, vt Lectorum iubilatio: Honores, ac dignitates res clarè ſunt maximè ex dictis *hoc verb. numer.* 1. vnde etiam colliges quid ſit officium hîc prohibitum, de quo dixi *citat. num.* 1. vbi etiam explicaui quid ſit propriè dignitas. Quamuis vt ibi dixi, hæc nomina aliquando, vel confunduntur, vel etiam accipiuntur pro eodem. Quod idem poteſt hîc dici de duobus aliis prohibitis; functionibus, ſcilicet, & adminiſtrationibus. Videntur enim idem eſſe, vel parum differre. Sepe enim Summi pontifices verba idē ſignificantia multiplicant,

vel claritatis gratia, vel vt consuetudinem loquendi antiquam Ecclesiæ retineant: vt quando in concessione alicuius indulgentiæ dicebatur plena, plenior, plenissima, de quo supra *verb. Indulgentia.*

26 Si Prælatus concedat aliquam licentiam eundi foras per longum tempus ad petitionem alicuius sæcularis, cui sæculari solum interest vt talis Frater aliquod negotium sæcularis exequatur, & ad Fratrem non spectat, talis Prælatus non incurrit: quia non facit fauorem Religioso, sed sæculari. Secus si de principali petitur licentia in fauorem Fratris, & secundariò in fauorem sæcularis, tunc enim incurret.

27 Si Prælatus possit aliquam prælaturam extra Ordinem conferre, vt olim prælati præsentabant Fratres vt essent Inquisitores, vel ad quodcunque aliud officium extra Ordinem, vt examinare Clericos in aliqua Diœcesi, vel Regno in aliquo negotio iussu Regis, & ista officia det Prælatus ad instantiam sæcularis, non incurret, quia textus solùm prohibet honores, & prælaturas, vel officia eiusdem Ordinis. At illa officia, & honores non sunt eiusdem Ordinis.

28 Si aliquis Frater canonicè sit electus ad aliquod officium, & Prælatus Superior nolit iniustè confirmare: & rogante sæculari illum confirmet: credo quod Prælatus non incurrit, quia in rigore non facit fauorem Religioso, cùm dederit quod debebat facere de iustitia. Et præterea confirmare in rigore, non est dare officium.

29 Rogauit sæcularis vt daretur officium cuidam Fratri, qui aliàs est dignior, vel saltem æquè dignus: Prælatus dedit officium principaliter, quia Frater dignior, vel æquè dignus, & minus principaliter, quia sæcularis rogauit. Credo quod non incurrit. Facit omnino ad hoc *cap. tuam in domino. de qualit. ætate, & ordine*

dine præfic. vbi text.& gloss.dicunt non committi simoniam si rogante aliquo pro eligendo, electior det officium non habito respectu ad preces illicitas sibi exhibitas. Hoc ipsum applica ad prælatos concedentes aliquam licentiam Minoritis præcedentibus precibus, si id non faciant propter preces,sed quia ratio, & necessitas postulat.Moueor etiam,quia non magis debet hęc lex obligare quàm lex imponens pœnas simoniæ:at simonia non est dare, vel facere aliquid spirituale principaliter propter finem licitum, & propter bonum temporale tamquam propter conditionem sine qua non,v.g. cùm Clericus vadit ad chorum, principaliter propter Deum, & propter stipendium vadit secundariò concurrente stipendio solùm tamquam conditione sine qua non. Et idem videtur de Prælato dante officium principaliter propter merita Religiosi, concurrente sæculari solùm vt conditione sine qua non. Secundò probatur ex lege subornationis lata à Pio V. quam Nauarr. & alij explicant non ligare eius censuras illum Religiosum, qui subornat vt detur officium digniori, vel digno: & sic erit ista lex prohibens rogare, intelligetur enim solùm de rogante pro indigno. Tertiò, quia hæc lex fundatur in præsumptione; præsumitur enim indignos illos esse, qui sæcularium intercessiones inquirunt: ergo si cesset præsumptio, non rogante sæculari pro indigno, cessabit lex. Vltimò, quia non debet esse mens Papæ, vt vir aliàs dignissimus, vel dignior fiat incapax officij eo solùm quod pro illo rogatum est. Vide supra *verb. Lex.* quomodo explicauerim legem fundatam in præsumptione,cessare cessante præsumptione, *ver. Lex. num.* 4. Si verò Prælatus Fratri digno conferat officium principaliter, quia sæcularis rogauit, tunc incurret, quia est simile exemplum de simoniaco operante principa-

liter propter lucrum principale. Idem applicabis in alio fauore Prælati erga ſubditum, vt ſi Religioſus habeat patrem, vel matrem valde ægrotantes, & lex naturalis petat vt illos inuiſat, idque roget ſæcularis, credo quod non incurret: quia mens Papæ non erit vt quid fiat contra legem naturalem, & natura rei tunc obligat id concedere.

30 Ponit Papa in iſta prohibitione & in prohibitione circa ſubditos hoc verbum, *Audeat, vel præſumat.* Quæ duo verba iuxta omnes Doctores quando ponuntur in lege pœnali, vel in Bullis Pontificiis non ligant tales pœnæ contra facientes, ſi faciant bona fide, ignoranter, vel inaduertenter, ſeu per inaduertentiam. Nam *audere*, & *præſumere* ſupponunt ſcientiam, & contumaciam. Sic explicant Doctores in Motu proprio Pij V. de ingreſſu fœminarum in Conuentus Monachorum & in ſimilibus, vbi ponuntur iſta verba.

31 Illa verba illius Motus proprij: *Quinimo dicti Ordinis Fratres*, adhuc ſpectant ad Prælatos, quos monet Papa non ſolùm non debere promouere ad officia Fratres, pro quibus rogarunt ſæculares, ſed potius monet Papa Prælatos ipſum Sum. Pontificem de facto inhabilitare prædictos Fratres, pro quibus rogatur, & eos reddit inhabiles ad omnia officia Religionis, & ad omnes dignitates in eodem Ordine. Ex quibus vltimis verbis colliges, quòd ſi iſte ſic inhabilis ad officia Ordinis eligatur ad aliquod officium extra Ordinem, non erit inhabilis, quia Papa ſolùm inhabilitat ad officia Ordinis. Colliges etiam quod ſi Prælatus conferat officium alicui pro quo rogauit ſæcularis, qui proinde iam eſt inhabilis per Papam, grauius peccatum committit, quia dat officium, & indigno, & inhabili. Ac proinde incumbit Prælato vt procuret cum tali inhabili vt renuntiet tali officio, quod acceptauit præcedente inhabilitate.

Priuat,

Digitized by Google

Priuat præterea papa prædictos Fratres pro quibus rogant ſęculares, voce actiua, & paſſiua. Sed aduerto quod ſi preces ſæcularis fuerunt in ſecreto, non eſt priuandus Religioſus in publico voce actiua & paſſiua. Pœna enim tam grauis in publico non eſt imponenda pro crimine ſecreto, maximè cùm aliquando ex parte Religioſi non interuenerit crimen. Priuabitur verò voce actiua, & paſſiua in publico, ſi preces fuerunt publicæ. Quod verò attinet ad inhabilitatem, etiamſi preces ſæcularis fuerint ſecretæ, credo quòd Prælatus non poterit illi conferre officium; quia non dando illi officium, non infamat. Et præterea Prælatus ſciens in ſecreto aliquem eſſe inhabilem à Papa, non poteſt illi conferre officium.

32 Ait Papa Religioſos incurſuros hanc inhabilitatem qui ſibi aliquid procurauerint: *Per fauores, & ſuffragia*. Intellige ſæcularium, vel *Perſonarum Eccleſiaſticarum*, modo ſupra expoſito *n.* 18. Vbi primùm nota verbum tam generale, *Aliquid procurauerint*. Aliquid enim comprehendit, quamcumque rem: & videtur reſpondere verbo poſitiuo in prohibitione facta Prælatis: *Vllam gratiam*: Secundum nota dicere Papam: *Sibi procurauerint*. Si enim per viam ſæcularium aliquid procurauerint dandum alteri Fratri non incurrerent, quia Papa ſolùm prohibet procurare ſibi ipſis, non aliis. Probo à ſimili ex Rodrig. *tom.* 4. *Addit. cap.* 130. *concl.* 6. vbi ait excommunicationem iuris poſitam contra Minoritas ne perſuadeant alicui importunè vt mutet ſepulturam, vel eligat in Conuentu Diui Franciſci. non incurri ab illo Minorita, qui ſuaſerit importunè alicui ſæculari vt eligat, vel mutet ſepulturam ad Conuentum Sancti Dominici: quia Papa ſolùm prohibet de electione, vel mutatione ſepulturæ ad propriam Eccleſiam: quod maximè ſeruit ad hoc intentum.

SECVNDA PARS MOTVS PROprij de ſubditis.

IN ſecunda parte Motus proprij loquitur Papa contra ſubditos procurantes officia per ſæculares. Incipit ibi. *Inſuper dictis Religioſis, & Fratribus,&c.* quibus in ſubſtantia tria interdicit.

33 Primùm prohibet illis ne procurent fauores ſæcularium in omnibus præmiſſis, videlicet in illis quorum meminit in prohibitione facta Prælatis, quæ ſunt, vlla gratia, remiſſio pœnæ, officia, gradus, dignitates, honores,&c. ſupra dicta. Secundò prohibet, vt etiamſi Religioſus non petat fauorem à ſæculari, ſi tamen ipſe ſæcularis offerat fauorem, dicens ſe rogaturum: prohibet Papa ne hunc fauorem ſponte oblatum acceptet, ſed obligat vt reiiciat. Patet ex illis verbis: *Sed nec etiam ſponte oblatos, id eſt, fauores.* Itaque in primo prohibet procurare fauores. In ſecundo prohibet acceptare illos. Tertium quod Papa interdicit ſubditis, eſt ne dent munera ſæcularibus eo fine vt intercedant pro illis apud Prælatos, vt Prælati eiſdem ſubditis concedant aliquid ex ſupradictis officiis, & cæteris. Conſtat ex illis verbis: *Ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis,&c.*

34 Pœnæ impoſitæ ſubditis contra facientibus, circa aliquam ex tribus illis rebus prohibitis, ſunt, excommunicatio ipſo facto, ſed non reſeruata: & præterea inhabilitas ad omnia officia Ordinis. Patet ex illis verbis: *Sub eiſdem pœnis*, de quibus ſcilicet in antecedentibus fit mentio, quæ fuit excommunicatio poſita Prælatis, & inhabilitas, qua affecerat iam in proximè præcedentibus ipſos ſubditos aliquid ſibi procurantes. Et probatur quod has ambas incurrat, quia loquitur in plura

plurali: *Sub eiſdem pœnis.* Si enim diceret in ſingulari, videretur loqui de ſola inhabilitate proximè præcedente. Sed addens in plurali comprehendit ambas, excommunicationem,& inhabilitatem. Vbi vides maiori pœna affici ſubditos procurantes, quàm Prælatos concedentes: quia hi ſolùm excommunicantur: at ſubditi procurantes excommunicantur,& inhabilitantur: imò addo quod etiam priuantur voce actiua, & paſſiua, vt dixi *numer.* 31. Et meritò, quia grauius peccatum eſt id procurare per ſæculares, maximè exhibendo munera, quod non longè abeſt à ſimonia: quàm ſit in Prælato aliquid conferre ad inſtantiam ſæcularis.

35 Si Religioſus procurauerit hos fauores ſolo verbo, incurrit pœnas, vt per ſe patet, verbo enim propriè procuratur. Si item det munera cum tali propoſito,etiamſi nihil petat;pariter incurrit,quia hoc in rigore dicitur procurare, & efficacius mouent munera quàm verba, vt experientia teſtatur. At ſi cum verbis, vel muneribus,vel vtriſque, non ſibi procurent hos fauores, ſed pro aliis Fratribus, non incurrent: quia, vt diximus,ſolùm prohibentur procurare ſibi. Quod verbum, *ſibi*: licèt hîc non ponatur, fuerat tamen proximè poſitum in prohibitione iam facta ſubditis: quando eos inhabilitauit, dicens, *ſibi procurauerint*: quod idem hîc videtur applicandum: maximè cùm ſit lex pœnalis, & proinde non extendenda ad procurantes pro aliis.

36 Si ſæcularis ſe obtulit Fratri rogaturum pro illo ad aliquod officium, vel honorem obtinendum, & Religioſus taceat nihil ommino loquens, incurrit pœnas, per Regulam iuris: *Qui tacet conſentire videtur.* Quæ iuxta Doctores communiter tunc maximè vera eſt quando res,de qua agitur eſt proficua,vel honorifica

ipsi tacenti, vel tacet in rebus sibi vtilibus, vt latè tradit Sanchez *libr.1. de Matrimonio, disputat.5. numer.5.* citans multos. At materia ista de oblatione fauoris ad officia, est vtilis, & honorifica sic tacenti. Si verò sæcularis interceſſit pro Religioso, illíque officium obtinuit, ignorante ipso Religioso, tunc acceptans officium non incurrit: quia ignorauit, nec proinde præsumpsit. Nec post acceptationem prædicti officij sic obtenti cum ignorantia tenetur illud postea sciens renunciare. Ad hoc enim solùm obligatur possidens beneficium sibi collatum per simoniam alterius ipso possidente ignorante: licèt enim non peccauerit in acceptatione illius, quia ignorauit simoniam in illius impetratione commissam ab alio: vbi tamen primò sibi constiterit de simonia commissa in impetratione, tenetur renunciare beneficio. Hoc, inquam, non habet locum in nostro casu de officio obtento per fauorem sæcularium ipso Religioso ignorante: nam lex illud præcipit ibi in pœnam grauissimi criminis simoniæ: in præsenti verò Motu proprio Papa non iniungit hanc renunciationem. Addo tamen quòd si Religiosus post obtentum officium sciat sæcularem illud sibi impetrasse per viam simoniæ, tunc tenetur illud renuntiare iuxta legem simoniacis impositam, de quo Nauarr. *libr.5. Consiliorum, titulo de Simonia, consil.11. & consil.66. num.2.* vbi citat textus de hoc disponentes.

37 Si sæcularis obtulit fauores Religioso, non rogante, neque acceptante Religioso, imò recusante; postea verò intercessione sæcularis officium illi detur tali Religioso, & acceptet: credo quòd non incurrit. Nam imprimis ille non procurauit fauores, vt patet. Secundò neque acceptauit, imo reiecit: neque munera dedit: ergo non incurrit, parum verò ad rem facit quod

quod Religiosus sciat sæcularem rogaturum, vel rogasse, cùm ipse nihil fecerit ex tribus prohibitis à Papa: neque è contra Papa hîc illum obliget vt moneat prælatum ne sibi det officium ad instantiam illius sæcularis.

38 Si Religiosus donet sæculari paruum munusculum quod non est materia peccati mortalis, neque de se moueat ad obtinendum fauores, & officia, etiamsi fiat cum tali proposito, non incurritur in illis pœnis, quia illud opus externum est paruitas materiæ in se, nec sufficiens ad mortale, vt patet, & quamuis propositum internum fuerit peccatum mortale Ecclesia non excommunicat, neque punit grauiter opus mortale internum, nisi quando est coniunctum operi externo mortali, vt diximus supra *ver. Excommunicatio, & ver. Manus violenta.*

39 Si Religiosus det munera Prælato pro obtinendis officiis, vel similibus hic prohibitis, non incurret pœnas huius Breuis: hîc enim solum prohibentur dari munera sæcularibus ad prædictum finem, vt patet ex illis verbis Bullæ: *Munera aliqua prædictis personis exhibere: id est, sæcularibus, & Ecclesiasticis extra Ordinem, de quibus ante loquebatur.* Non verò loquitur si munera exhibeantur Prælatis Ordinis. At prædictus Religiosus sic dans munera Prælato cum animo beneficia, vel officia impetrandi, poterit committere maiorem culpam, simoniæ videlicet.

40 Religiosus qui dedit munera sæculari pro fauore ad officia obtinenda: promittente sæculari se rogaturum: & tamen postea non rogauit, nec officium impetratum est: peccauit mortaliter, sed non incurrit has pœnas. Quod peccauerit mortaliter patet, quia in re graui violauit legem Pontificiam. Quod non incurrit pœnas, probatur ex supra iam dictis, quia pœna

legis ordinaria non obligat, niſi ſecuto effectu: hîc autem non eſt effectus ſecutus. Probatur ex Nauar. *lib.4. Conſil.titul.de Excommunic. conſil.60.* vbi dicit ſtante lege excommunicante Religioſum mittentem epiſtolas ad Moniales:non excommunicari illum, qui miſit epiſtolam ad Monialem,ſed epiſtola non peruenit:quia ſcilicet non eſt ſecutus effectus.

41 Electus fui ad aliquod officiúm, Prælatus confirmaturus non vult confirmare, idque recuſat iniuſtè ob paſſionem: ſi ego, vt confirmet electionem, dedi munera, non incurro in pœnas iſtius Motus proprij, quia non do munera pro officio, ſed pro confirmatione ad quam habeo ius: & quam Prælatus de iuſtitia tenetur concedere. Probatur à ſimili, nam omnes Doctores concedunt electum ad beneficium, non incurrere ſimoniam ſi pecuniam det confirmatori nolenti confirmare, pro obtinenda confirmatione. Nec etiam à ſimili incurret in pœnas qui munera dederit ſæculari, vt impetret fauorem illius pro obtinenda confirmatione à Prælato: neque item ſi fauores ſuos pro hoc mihi oblatos acceptem.

42 Ad incurrendas has pœnas requiritur vt ſubditus taliter indebitè procuranſ faciat ſcienter, vel cum mala fide: ſi enim faciat ignoranter, vel bona fide, non incurret, quia Papa ponit verba, *Audeat, vel præſumat.* Quæ verba requirunt ſcientiam, & contumaciam, vt ſupra diximus agentes de prohibitione facta Prælatis.

43 Iſte Motus proprius non obligat Religioſos, vel Prælatos tertij Ordinis Patris noſtri Franciſci. Patet clarè ex verbis illius in principio:exprimit enim Prælatos S.Franciſci de Obſeruantia.

44 Subditus antè publicationem iſtius Motus proprij procurauit, vel acceptauit fauores ſæcularis pro aliquo

aliquo officio obtinendo, qui fauor non est sortitus effectum ante publicationem, quia non est celebratum Capitulum. Post publicationem Bullæ fit Capitulum: si potest Religiosus tacere, & si tacens sequatur effectus, an incurret? Credo quòd sic, quia illa procuratio fauoris antiqui adhuc moraliter viget, & operatur: ac proinde tenetur Religiosus illi expressè denuo renuntiare: aliàs incurret pœnas istius Motus proprij.

OPINIO ELIGENDA.

MVlta solent occurrere dubia Religiosis tum in propriis actionibus quo ad scrupulos, tum in sæcularium confessionibus, ac dubiis quæsitis dirigendis, & resoluendis, quæ commodè fieri nequeunt, nisi sciant quæ Doctores dicunt circa opinionis naturam, & electionem, per summam ergo, potiora sic accipe.

1 Duplex est opinio: alia probabilis, alia improbabilis. Probabilis est, quæ nititur rationi alicuius momenti, dummodo pro opposita parte nihil sit conuincens. Si enim pro opposita parte sit aliquid conuincens verb. grat. textus, vel ratio euidens, iam non erit opinio probabilis: neque illius ratio, cui nititur in rigore dicenda est ratio. Opinio improbabilis est illa, quæ non nititur rationi alicuius fundamenti: sed debilissimo fundamento nititur, vel nulli, & sic in rigore non debet dici opinio, sed placitum. Hac ergo relictà, opinio probabilis alia potest esse probabilior, alia minus probabilis. Probabilior est quæ nititur plurĩbus rationibus, ac melioribus. Minus probabilis est, quæ nititur paucioribus, ac debilioribus rationibus: Parum verò facit ad maiorem probabilitatem opinionis

nis habere pro ſe plures, vel pauciores Doctores, quamuis enim hoc aliquid iuuet, tamen præcipuum eſt rationes habere plures, & meliores. Et poterit vna opinio plures pro ſe habere Doctores, ſed pauciores, ac debiliores rationes, & ita erit minus probabilis, quàm alia, quæ habet pauciores Doctores, ſed plures, ac meliores rationes. Sæpe enim Doctores in aliqua opinione diſputanda non conſiderant rationes illius, ſed ſubſcribunt aliis qui illam ſequuntur propter illorum authoritatem. Et poteſt contingere, vt opinio quæ olim pro ſe pauciora, ac debiliora habebat fundamenta ex maiori ſubſequentium ſtudio, nunc habeat plura, & meliora, & proinde ſit probabilior, vt videre eſt in opinione Conceptionis Mariæ Deiparæ. Cæterorum ſupradictorum facile eſt exempla aſſignare.

2 Non eſt idem opinionem eſſe probabiliorem, atque eſſe tutiorem. probabilior, vt vidimus, eſt quæ nititur pluribus, & melioribus rationibus. Tutior verò eſt quæ magis vitat peccatum. verb. grat. Circa aliquam materiam, in qua dubitatur, an pœnitens teneatur in hoc caſu ad reſtituendum: ſunt duæ opiniones, altera quæ eſt probabilior dicit non teneri: altera minus probabilis dicit obligari. Tunc tutior opinio eſt iſta quæ iubet reſtituere, nam reſtituendo magis vitatur peccatum de non reſtituendo. Vbi vides poſſe opinionem minus probabilem eſſe tutiorem: & ſic de aliis exemplis. Et pro confirmatione, ac lumine maiori dictorum, cito verba *legis, Cod. de vlt. Iur. lege* 1. vbi ponuntur hæc verba: *Sed neque ex multitudine authorum, quod melius, & æquius eſt iudicatote: cùm poſſit vnus forſitan, & deterioris ſententiæ, & multos, & maiores in aliqua parte ſuperare.* ſic ibi. Et ſæpe accidit vt in ſectanda aliqua opinione, iuremus in verba Magiſtri,

ſtri, & locum habeat illud Senecæ: *Itur qua itur, non qua eundum eſt.* Quibus ſuppoſitis:

3. Primò dico: licitum eſt ſequi, & operari ſecundùm opinionem minùs tutam ſed probabilem, & quam puto probabilem, licèt credam oppoſitam eſſe tutiorem & probabiliorem. Ponit hanc concluſionem Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 9. *num.* 13. citat Mercado, Medin. Vaſq. Valentiam, Gutierrez, Suarez, Henriq. Bannes, Azor. Nauar. Lopez, & alios multos. Ego pono exemplum quotidianum Confeſſoribus, ac Religioſis ex ipſo Sanchez alio loco videlicet 7. *lib. de Matrim. diſp.* 55. verb. grat. Eſt grauis quæſtio vtrum Confeſſor cogitatione, vel opere peccans cum filia ſpirituali, cuius confeſſionem audiuit, vel cui Baptiſmum miniſtrauit, teneatur in confeſſione aperire circunſtantiam, quod peccauerit cum filiâ ſpirituali? Pauci Doctores, Sà videlicet, & Petr. Ledeſma tenent non obligari ad hoc declarandum, locis ibi citatis à Sanchez *nu.* 2. *fine.* Alij dicunt obligari, & ſunt fere decem quos citat ibi Sanchez *nu.* 2. & opinio negans habet etiam ſuam probabilitatem, quod non ſit circunſtantia mutans ſpeciem. Vnde ſecunda opinio affirmans eſt probabilior, & magis tuta, quia aperiendo hanc circunſtantiam magis vitatur peccatum circa nullitatem confeſſionis. In hoc ergo caſu, qui ſecutus fuerit priorem opinionem negantem, ac minus probabilem, tacendo illam circunſtantiam, non peccabit, rationes ſunt. Prima, quia operans ſecundum probabilem opinionem non poteſt iudicari temerarius neque imprudens, habet enim pro ſe rationes alicuius momenti. ergo ſi ſic operans non eſt imprudens, nec temerarius, non peccat. Secundò, quia licèt opinio tutior ſit, perfectior & ſecurior, nemo tenetur ſequi, quod perfectius eſt, & quod ſecurius, dūmodo ſequatur

perfè

perfectum, ac tutum. Tertia, quia cùm omnimoda certitudo in rebus agendis haberi nequeat, sufficit vt operemur cum certitudine probabili, & non requiratur omnimoda certitudo: opinio autem minus probabilis, & minus tuta, est aliàs sufficiens ad bene operandum moraliter: esset enim onus intolerabile, & multis scrupulis expositum si opiniones probabiliores semper inuestigare tenerentur. Et hoc verum est etiamsi ipse pœnitens, vel operans extra confessionem, haberet opinionem oppositam illi quam vult sequi in operando, vel in confessione sacramentali facienda: potest enim vtrobique deposita sua probabiliori, ac tutiori, sequi aliam minùs probabilem, & minùs tutam, dummodo opposita, quam sequitur, sit probabilis, & tuta habens rationes aliquas pro se, ac Doctores. Militant enim etiam ibi eædem rationes supradictæ: & tenet Sanchez *citato capit.nu.*15. cum Vasq.& Azor.

4 Maius est quod tenet Sanchez *ibidem nu.*7. dicens authoritatem vnius Doctoris tantùm, si sit probatus, ac doctus, & adducat aliquam rationem probabilem, sufficere vt quis possit licitè secundùm illius dictum operari. Citat ad hoc Sylvest. Angel. Nauar. Valentiam, Sà, imò & D.Thom.*quodlib.*3.*art.*10. dicentem quemlibet in iis quæ spectant ad mores sequi opinionem quam à Magistro audiuit. Sed ego hoc limitarem vt verum habeat in casu nouo nunquam ab aliis disputato, tunc enim potero quietari cum dicto vnius tantum Theologi mihi dicentis licere, & aliquam rationem habentis. Secus in casu iam à multis aliis ventilato, & pluribus rationibus in contrarium ac Doctoribus munito: tunc enim non acquiescerem vnius Doctoris dicto obstantibus aliis multis, & Doctoribus, & rationibus. Et sic videtur intelligendus D.Thom.

citatus

citatus cùm dixit posse me acquiescere dicto solius Magistri, in casu scilicet nunquam ab aliis ventilato, & cuius noui casus ipse Magister resolutionem colligit ex dictis ab aliis.

5 Quæris an liceat alicui recedere à communi opinione? Nauarr. *in Sum. Latina cap.7. num.4.* ait hoc licere quando contra communem opinionem datur textus, vel ratio cui non potest satis bene responderi, vt ipse latius probat *in ead. Summa cap.27. num.286.* Adducit hoc vt defendat pœnitentem peccantem cum propria matre, vel filia, si caret confessore qui illum, & matrem ignoret, non teneri confiteri circunstantiam matris, ne detegat crimen matris. Et cùm quidam Doctor Nauarro obiiceret communem opinionem contrarium tenere: Respondet Nauarr. recedendum esse à communi opinione quando contra illam est ratio cui satis bene non potest responderi: Et pro suo casu ait Nauar. militare hanc rationem insolubilem: quia scilicet præceptum naturale de non infamanda tunc matre coram confessore illam cognoscente, est fortius præceptum quàm præceptum confessionis integræ quod est positiuum: vltra alias rationes ibi à Nauarr. adductas, & iuxta hanc limitationem Nauarr. possunt applicari, vel explicari aliæ limitationes quas adducit Sanchez *citato cap. num.9.& 10.* dum citat Vasquez, & Azor. dicentes posse aliquando recedi ab opinione communi, maximè viro docto hoc licere. Si post longum studium nouam rationem inuenit, quam priores Doctores non sunt assecuti.

6 Supradictum adeo verum est vt si quis haberet opinionem, non licere sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, adhuc potest sequi minus probabilem, si probabile quoque reputet, licere minus probabilem sequi. Quia adhuc retinet iudi-

cium

Digitized by Google

cium probabiliter iudicans seu dictans hîc, & nunc hoc licere. Sanchez. *citato cap. nu.* 17. Addit idem autor, quod magnæ consolationis est pro scrupulosis *ibidem num.* 18. videlicet, quod vt aliquis licitè operetur secundùm aliquam opinionem non requiritur iudicium certum practicum, & euidens, sibi dictans hoc opus esse licitum. Sed satis esse iudicium probabile, etiam si adsit formido partis oppositæ. Nam formido vnius partis non excludit assensum determinatum circa aliam partem: & sufficit ad licitè operandum assensus determinatus prudenter quod in hoc non pecco, etiamsi formidem me peccare. Aliàs nunquam daretur remedium pro scrupulosis, qui semper formidant peccatum, etiam si operentur ex consilio docti, & prudentis viri. Secundò, quia cùm prudentia sit regula humanorum actuum, id quod sufficit ad prudenter agendum sufficiet ad prudenter, ac licitè operandum. At prudens operatio non excludit omnem formidinem, aliàs vix esset cui liceret operari: ergo ad operandum licitè, maximè viro scrupuloso, sufficit quod probabilem habeat opinionem iudicans se non peccare cum fundamento suæ opinionis: neque opus est vt careat omni formidine peccati: hoc enim esset postulare scientiæ euidentiam in omni actione quæ scientia excludit formidinem. Vide Vasquez. 1. 2. *quæst. 9. art. 6. disp. 16. cap. 5. num.* 26.

7 Ex dictis sequitur posse virum doctum contra suam opinionem aliis consulere: posse item modò consulere iuxta vnam, & modò consulere iuxta aliam. Hoc enim ex dictis clarum est: cùm enim licitum sit opinione propria depositâ, operari secundùm aliam absque peccato: Idem licebit aliis consulere absque peccato, dummodo semper opinio quam consulit sit probabilis. Imò poterit contingere, quod aliquando perso

persona, quæ consilium petit, sit valde scrupulosa: vel remedium illi dandum secundùm opinionem probabiliorem, sit valde difficile, ac proinde prudentia dictet hic, & nunc consulendum esse iuxta opinionem minus probabilem in qua datur facilius remedium ad istum curandum. Vt cùm ex consilio dando pendet reiteratio confessionum totius vitæ homini sæculari: vel magna restitutio facienda, quam difficilimè implebit: Et tamen datur opinio etiam minus probabilis, quæ liberet illum ab his duobus, prudentia tunc dictabit licitum esse huic consulere iuxta opinionem minus probabilem relicta probabiliore, ac tutiore. Et ita tenet Sotus *de secreto mem.3.q.2.concl.3* & Nau.*c.inter verba.n.2.corolar. 53.num.135.*

8 Discurrendo autem per personas publicas quæ in praxi poterunt vti supradictis: imprimis omnes fatentur posse confessorem absoluere pœnitentem sequendo opinionem minus probabilem pœnitentis deposita opinione propria probabiliori. Nauarr.*in Sum.cap.26. num.4.* Henriq.*libr.6.de pœnit.capit.16.num.50.* & cæteri communiter: vt si Confessarius credat contractum hunc esse prohibitum, & pœnitens, alias peritus, iudicet esse licitum, & vult contractum inire: vel circa circunstantias non mutantes speciem confitendas, & sic de cæteris. Imò addit Henriquez *citato loco* teneri Confessorem tunc absoluere pœnitentem. Idemque tenet Suarez *tom.4.de pœnitent.disput.32.sect.5. numer.4.* cum Soto, Ledesm. Nauarr. & Diuo Antonino quos refert Sayro *libr.1. Clau. Reg.cap.9. à num.13.* & alij. Rationem reddunt, quia sicut pœnitens tenetur obedire Sacerdoti in Sacramento pœnitentiæ prudenter iubenti: ita Sacerdos tenetur absoluere illum prudenter, ac sufficienter dispositum. At sufficienter, & prudenter dispositus est pœnitens, qui contritus habet pro se

SECVNDA PARS MOTVS PROprij de ſubditis.

IN ſecunda parte Motus proprij loquitur Papa contra ſubditos procurantes officia per ſæculares. Incipit ibi. *Inſuper dictis Religioſis, & Fratribus,&c.* quibus in ſubſtantia tria interdicit.

33 Primùm prohibet illis ne procurent fauores ſæcularium in omnibus præmiſſis, videlicet in illis quorum meminit in prohibitione facta Prælatis,quæ ſunt, vlla gratia, remiſſio pœnæ, officia, gradus, dignitates, honores,&c. ſupra dicta. Secundò prohibet,vt etiamſi Religioſus non petat fauorem à ſæculari, ſi tamen ipſe ſæcularis offerat fauorem, dicens ſe rogaturum: prohibet Papa ne hunc fauorem ſponte oblatum acceptet,ſed obligat vt reiiciat. Patet ex illis verbis: *Sed nec etiam ſponte oblatos,id eſt, fauores.* Itaque in primo prohibet procurare fauores. In ſecundo prohibet acceptare illos.Tertium quod Papa interdicit ſubditis,eſt ne dent munera ſæcularibus eo fine vt intercedant pro illis apud Prælatos, vt Prælati eiſdem ſubditis concedant aliquid ex ſupradictis officiis, & cæteris. Conſtat ex illis verbis:*Ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis,&c.*

34 Pœnæ impoſitæ ſubditis contra facientibus,circa aliquam ex tribus illis rebus prohibitis, ſunt, excommunicatio ipſo facto, ſed non reſeruata: & præterea inhabilitas ad omnia officia Ordinis. Patet ex illis verbis:*Sub eiſdem pœnis*, de quibus ſcilicet in antecedentibus fit mentio,quæ fuit excommunicatio poſita Prælatis,& inhabilitas, qua affecerat iam in proximè præcedentibus ipſos ſubditos aliquid ſibi procurantes. Et probatur quod has ambas incurrat, quia loquitur in plura

plurali: *Sub eiſdem pœnis.* Si enim diceret in ſingulari, videretur loqui de ſola inhabilitate proximè præcedente. Sed addens in plurali comprehendit ambas, excommunicationem,& inhabilitatem. Vbi vides maiori pœna affici ſubditos procurantes, quàm Prælatos concedentes: quia hi ſolùm excommunicantur: at ſubditi procurantes excommunicantur,& inhabilitantur: imò addo quod etiam priuantur voce actiua, & paſſiua, vt dixi *numer.* 31. Et meritò, quia grauius peccatum eſt id procurare per ſæculares, maximè exhibendo munera, quod non longè abeſt à ſimonia: quàm ſit in Prælato aliquid conferre ad inſtantiam ſæcularis.

35 Si Religioſus procurauerit hos fauores ſolo verbo, incurrit pœnas, vt per ſe patet, verbo enim propriè procuratur. Si item det munera cum tali propoſito,etiamſi nihil petat;pariter incurrit,quia hoc in rigore dicitur procurare, & efficacius mouent munera quàm verba, vt experientia teſtatur. At ſi cum verbis, vel muneribus,vel vtriſque, non ſibi procurent hos fauores, ſed pro aliis Fratribus, non incurrent: quia, vt diximus,ſolùm prohibentur procurare ſibi. Quod verbum, *ſibi*: licèt hîc non ponatur, fuerat tamen proximè poſitum in prohibitione iam facta ſubditis: quando eos inhabilitauit, dicens, *ſibi procurauerint*: quod idem hîc videtur applicandum: maximè cùm ſit lex pœnalis, & proinde non extendenda ad procurantes pro aliis.

36 Si ſæcularis ſe obtulit Fratri rogaturum pro illo ad aliquod officium, vel honorem obtinendum, & Religioſus taceat nihil omnino loquens, incurrit pœnas, per Regulam iuris: *Qui tacet conſentire videtur.* Quæ iuxta Doctores communiter tunc maximè vera eſt quando res,de qua agitur eſt proficua,vel honorifica

ipsi tacenti, vel tacet in rebus sibi vtilibus, vt latè tradit Sanchez *libr.1. de Matrimonio, disputat.5. numer.5.* citans multos. At materia ista de oblatione fauoris ad officia, est vtilis, & honorifica sic tacenti. Si verò sæcularis interceſſit pro Religioso, illique officium obtinuit, ignorante ipso Religioso, tunc acceptans officium non incurrit: quia ignorauit, nec proinde præsumpsit. Nec post acceptationem prædicti officij sic obtenti cum ignorantia tenetur illud postea sciens renunciare. Ad hoc enim solùm obligatur possidens beneficium sibi collatum per simoniam alterius ipso possidente ignorante: licèt enim non peccauerit in acceptatione illius, quia ignorauit simoniam in illius impetratione commissam ab alio: vbi tamen primò sibi constiterit de simonia commissa in impetratione, tenetur renunciare beneficio. Hoc, inquam, non habet locum in nostro casu de officio obtento per fauorem sæcularium ipso Religioso ignorante: nam lex illud præcipit ibi in pœnam grauissimi criminis simoniæ: in præsenti verò Motu proprio Papa non iniungit hanc renunciationem. Addo tamen quòd si Religiosus post obtentum officium sciat sæcularem illud sibi impetrasse per viam simoniæ, tunc tenetur illud renuntiare iuxta legem simoniacis impositam, de quo Nauarr. *libr.5. Consiliorum, titulo de Simonia, consil.11. & consil.66. num.2.* vbi citat textus de hoc disponentes.

37 Si sæcularis obtulit fauores Religioso, non rogante, neque acceptante Religioso, imò recusante; postea verò intercessione sæcularis officium illi detur tali Religioso, & acceptet: credo quòd non incurrit. Nam imprimis ille non procurauit fauores, vt patet. Secundò neque acceptauit, imo reiecit: neque munera dedit: ergo non incurrit, parum verò ad rem facit quod

quod Religioſus ſciat ſæcularem rogaturum, vel rogaſſe, cùm ipſe nihil fecerit ex tribus prohibitis à Papa: neque è contra papa hîc illum obliget vt moneat prælatum ne ſibi det officium ad inſtantiam illius ſæcularis.

38 Si Religioſus donet ſæculari paruum munuſculum quod non eſt materia peccati mortalis, neque de ſe moueat ad obtinendum fauores, & officia, etiamſi fiat cum tali propoſito, non incurritur in illis pœnis, quia illud opus externum eſt paruitas materiæ in ſe, nec ſufficiens ad mortale, vt patet, & quamuis propoſitum internum fuerit peccatum mortale Eccleſia non excommunicat, neque punit grauiter opus mortale internum, niſi quando eſt coniunctum operi externo mortali, vt diximus ſupra *ver. Excommunicatio, & ver. Manus violentæ.*

39 Si Religioſus det munera Prælato pro obtinendis officiis, vel ſimilibus hîc prohibitis, non incurret pœnas huius Breuis: hîc enim ſolum prohibentur dari munera ſæcularibus ad prædictum finem, vt patet ex illis verbis Bullæ: *Munera aliqua prædictis perſonis exhibere: id eſt, ſæcularibus, & Eccleſiaſticis extra Ordinem, de quibus ante loquebatur.* Non verò loquitur ſi munera exhibeantur Prælatis Ordinis. At prædictus Religioſus ſic dans munera Prælato cum animo beneficia, vel officia impetrandi, poterit committere maiorem culpam, ſimoniæ videlicet.

40 Religioſus qui dedit munera ſæculari pro fauore ad officia obtinenda: promittente ſæculari ſe rogaturum: & tamen poſtea non rogauit, nec officium impetratum eſt: peccauit mortaliter, ſed non incurrit has pœnas. Quod peccauerit mortaliter patet, quia in re graui violauit legem Pontificiam. Quod non incurrit pœnas, probatur ex ſupra iam dictis, quia pœna

legis ordinaria non obligat, niſi ſecuto effectu: hîc autem non eſt effectus ſecutus. Probatur ex Nauar. *lib.*4. *Conſil.titul.de Excommunic. conſil.*60. vbi dicit ſtante lege excommunicante Religioſum mittentem epiſtolas ad Moniales:non excommunicari illum, qui miſit epiſtolam ad Monialem,ſed epiſtola non peruenit:quia ſcilicet non eſt ſecutus effectus.

41 Electus fui ad aliquod officium, Prælatus confirmaturus non vult confirmare, idque recuſat iniuſtè ob paſſionem: ſi ego, vt confirmet electionem, dedi munera, non incurro in pœnas iſtius Motus proprij, quia non do munera pro officio, ſed pro confirmatione ad quam habeo ius: & quam Prælatus de iuſtitia tenetur concedere. Probatur à ſimili, nam omnes Doctores concedunt electum ad beneficium, non incurrere ſimoniam ſi pecuniam det confirmatori nolenti confirmare, pro obtinenda confirmatione. Nec etiam à ſimili incurret in pœnas qui munera dederit ſæculari, vt impetret fauorem illius pro obtinenda confirmatione à Prælato: neque item ſi fauores ſuos pro hoc mihi oblatos acceptem.

42 Ad incurrendas has pœnas requiritur vt ſubditus taliter indebitè procuranſ faciat ſcienter, vel cum mala fide: ſi enim faciat ignoranter, vel bona fide, non incurret, quia Papa ponit verba, *Audeat, vel præſumat.* Quæ verba requirunt ſcientiam, & contumaciam, vt ſupra diximus agentes de prohibitione facta Prælatis.

43 Iſte Motus proprius non obligat Religioſos, vel Prælatos tertij Ordinis Patris noſtri Franciſci. Patet clarè ex verbis illius in principio:exprimit enim Prælatos S.Franciſci de Obſeruantia.

44 Subditus antè publicationem iſtius Motus proprij procurauit, vel acceptauit fauores ſæcularis pro aliquo

aliquo officio obtinendo, qui fauor non est sortitus effectum ante publicationem, quia non est celebratum Capitulum. Post publicationem Bullæ fit Capitulum: si potest Religiosus tacere, & si tacens sequatur effectus, an incurret? Credo quòd sic, quia illa procuratio fauoris antiqui adhuc moraliter viget, & operatur: ac proinde tenetur Religiosus illi expressè denuo renuntiare: aliàs incurret pœnas istius Motus proprij.

OPINIO ELIGENDA.

MVlta solent occurrere dubia Religiosis tum in propriis actionibus quo ad scrupulos, tum in sæcularium confessionibus, ac dubiis quæsitis dirigendis, & resoluendis, quæ commodè fieri nequeunt, nisi sciant quæ Doctores dicunt circa opinionis naturam, & electionem, per summam ergo, potiora sic accipe.

1 Duplex est opinio: alia probabilis, alia improbabilis. Probabilis est, quæ nititur rationi alicuius momenti, dummodo pro opposita parte nihil sit conuincens. Si enim pro opposita parte sit aliquid conuincens verb. grat. textus, vel ratio euidens, iam non erit opinio probabilis: neque illius ratio, cui nititur in rigore dicenda est ratio. Opinio improbabilis est illa, quæ non nititur rationi alicuius fundamenti: sed debilissimo fundamento nititur, vel nulli, & sic in rigore non debet dici opinio, sed placitum. Hac ergo relictâ, opinio probabilis alia potest esse probabilior, alia minus probabilis. Probabilior est quæ nititur plurib⁹ rationibus, ac melioribus. Minus probabilis est, quæ nititur paucioribus, ac debilioribus rationibus: Parum verò facit ad maiorem probabilitatem opinionis

Digitized by Google

nis habere pro ſe plures, vel pauciores Doctores, quamuis enim hoc aliquid iuuet, tamen præcipuum eſt rationes habere plures, & meliores. Et poterit vna opinio plures pro ſe habere Doctores, ſed pauciores, ac debiliores rationes, & ita erit minus probabilis, quàm alia, quæ habet pauciores Doctores, ſed plures, ac meliores rationes. Sæpe enim Doctores in aliqua opinione diſputanda non conſiderant rationes illius, ſed ſubſcribunt aliis qui illam ſequuntur propter illorum authoritatem. Et poteſt contingere vt opinio quæ olim pro ſe pauciora, ac debiliora habebat fundamenta ex maiori ſubſequentium ſtudio, nunc habeat plura, & meliora, & proinde ſit probabilior, vt videre eſt in opinione Conceptionis Mariæ Deiparæ. Cæterorum ſupradictorum facile eſt exempla aſſignare.

2 Non eſt idem opinionem eſſe probabiliorem, atque eſſe tutiorem. probabilior, vt vidimus, eſt quæ nititur pluribus, & melioribus rationibus. Tutior verò eſt quæ magis vitat peccatum. verb. grat. Circa aliquam materiam, in qua dubitatur, an pœnitens teneatur in hoc caſu ad reſtituendum: ſunt duæ opiniones, altera quæ eſt probabilior dicit non teneri: altera minus probabilis dicit obligari. Tunc tutior opinio eſt iſta quæ iubet reſtituere, nam reſtituendo magis vitatur peccatum de non reſtituendo. Vbi vides poſſe opinionem minus probabilem eſſe tutiorem: & ſic de aliis exemplis. Et pro confirmatione, ac lumine maiori dictorum, cito verba *legis, Cod. de vlt. Iur. lege* 1. vbi ponuntur hæc verba: *Sed neque ex multitudine authorum, quod melius, & æquius eſt iudicatote: cùm poſſit vnus forſitan, & deterioris ſententiæ, & multos, & maiores in aliqua parte ſuperare.* ſic ibi. Et ſæpe accidit vt in ſectanda aliqua opinione, iuremus in verba Magiſtri,

ſtri, & locum habeat illud Senecæ: *Itur qua itur, non qua eundum eſt.* Quibus ſuppoſitis:

3. Primò dico: licitum eſt ſequi, & operari ſecundùm opinionem minùs tutam ſed probabilem, & quam puto probabilem, licèt credam oppoſitam eſſe tutiorem & probabiliorem. Ponit hanc concluſionem Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 9. *num.* 13. citat Mercado, Medin. Vaſq. Valentiam, Gutierrez, Suarez, Henriq. Bannes, Azor. Nauar. Lopez, & alios multos. Ego pono exemplum quotidianum Confeſſoribus, ac Religioſis ex ipſo Sanchez alio loco videlicet 7. *lib. de Matrim. diſp.* 55. verb. grat. Eſt grauis quæſtio vtrum Confeſſor cogitatione, vel opere peccans cum filia ſpirituali, cuius confeſſionem audiuit, vel cui Baptiſmum miniſtrauit, teneatur in confeſſione aperire circunſtantiam, quod peccauerit cum filia ſpirituali? Pauci Doctores, Sà videlicet, & Petr. Ledeſma tenent non obligari ad hoc declarandum, locis ibi citatis à Sanchez *nu.* 2. *fine.* Alij dicunt obligari, & ſunt fere decem quos citat ibi Sanchez *nu.* 2. & opinio negans habet etiam ſuam probabilitatem, quod non ſit circunſtantia mutans ſpeciem. Vnde ſecunda opinio affirmans eſt probabilior, & magis tuta, quia aperiendo hanc circunſtantiam magis vitatur peccatum circa nullitatem confeſſionis. In hoc ergo caſu, qui ſecutus fuerit priorem opinionem negantem, ac minus probabilem, tacendo illam circunſtantiam, non peccabit, rationes ſunt. Prima, quia operans ſecundum probabilem opinionem non poteſt iudicari temerarius neque imprudens, habet enim pro ſe rationes alicuius momenti. ergo ſi ſic operans non eſt imprudens, nec temerarius, non peccat. Secundò, quia licèt opinio tutior ſit, perfectior & ſecurior, nemo tenetur ſequi, quod perfectius eſt, & quod ſecurius, dūmodo ſequatur

perfectum, ac tutum. Tertia, quia cùm omnimoda certitudo in rebus agendis haberi nequeat, sufficit vt operemur cum certitudine probabili, & non requiratur omnimoda certitudo: opinio autem minus probabilis, & minus tuta, est aliàs sufficiens ad bene operandum moraliter: esset enim onus intolerabile, & multis scrupulis expositum si opiniones probabiliores semper inuestigare tenerentur. Et hoc verum est etiamsi ipse pœnitens, vel operans extra confessionem, haberet opinionem oppositam illi quam vult sequi in operando, vel in confessione sacramentali facienda: potest enim vtrobique deposita sua probabiliori, ac tutiori, sequi aliam minùs probabilem, & minùs tutam, dummodo opposita, quam sequitur, sit probabilis, & tuta habens rationes aliquas pro se, ac Doctores. Militant enim etiam ibi eædem rationes supradictæ: & tenet Sanchez *citato capit.nu.*15. cum Vasq.& Azor.

4 Maius est quod tenet Sanchez *ibidem nu.*7. dicens authoritatem vnius Doctoris tantùm, si sit probatus, ac doctus, & adducat aliquam rationem probabilem, sufficere vt quis possit licitè secundùm illius dictum operari. Citat ad hoc Sylvest. Angel. Nauar. Valentiam, Sà, imò & D.Thom.*quodlib.*3.*art.*10. dicentem quemlibet in iis quæ spectant ad mores sequi opinionem quam à Magistro audiuit. Sed ego hoc limitarem vt verum habeat in casu nouo nunquam ab aliis disputato, tunc enim potero quietari cum dicto vnius tantum Theologi mihi dicentis licere, & aliquam rationem habentis. Secus in casu iam à multis aliis ventilato, & pluribus rationibus in contrarium ac Doctoribus munito: tunc enim non acquiescerem vnius Doctoris dicto obstantibus aliis multis, & Doctoribus, & rationibus. Et sic videtur intelligendus D.Thom.

citatus

citatus cùm dixit posse me acquiescere dicto solius Magistri, in casu scilicet nunquam ab aliis ventilato, & cuius noui casus ipse Magister resolutionem colligit ex dictis ab aliis.

5 Quæris an liceat alicui recedere à communi opinione? Nauarr. *in Sum. Latina cap.7. num.4.* ait hoc licere quando contra communem opinionem datur textus, vel ratio cui non potest satis bene responderi, vt ipse latius probat *in ead. Summa cap.27. num.286.* Adducit hoc vt defendat pœnitentem peccantem cum propria matre, vel filia, si caret confessore qui illum, & matrem ignoret, non teneri confiteri circunstantiam matris, ne detegat crimen matris. Et cùm quidam Doctor Nauarro obiiceret communem opinionem contrarium tenere: Respondet Nauarr. recedendum esse à communi opinione quando contra illam est ratio cui satis bene non potest responderi: Et pro suo casu ait Nauar. militare hanc rationem insolubilem: quia scilicet præceptum naturale de non infamanda tunc matre coram confessore illam cognoscente, est fortius præceptum quàm præceptum confessionis integræ quod est positiuum: vltra alias rationes ibi à Nauarr. adductas, & iuxta hanc limitationem Nauarr. possunt applicari, vel explicari aliæ limitationes quas adducit Sanchez *citato cap. num.9.& 10.* dum citat Vasquez, & Azor. dicentes posse aliquando recedi ab opinione communi, maximè viro docto hoc licere. Si post longum studium nouam rationem inuenit, quam priores Doctores non sunt assecuti.

6 Supradictum adeo verum est vt si quis haberet opinionem, non licere sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, adhuc potest sequi minus probabilem, si probabile quoque reputet, licere minus probabilem sequi. Quia adhuc retinet iudi-

cium

Digitized by Google

cium probabiliter iudicans seu dictans hîc, & nunc hoc licere. Sanchez. *citato cap. nu.* 17. Addit idem autor, quod magnæ consolationis est pro scrupulosis *ibidem num.* 18. videlicet, quod vt aliquis licitè operetur secundùm aliquam opinionem non requiritur iudicium certum practicum, & euidens, sibi dictans hoc opus esse licitum. Sed satis esse iudicium probabile, etiam si adsit formido partis oppositæ. Nam formido vnius partis non excludit assensum determinatum circa aliam partem: & sufficit ad licitè operandum assensus determinatus prudenter quod in hoc non pecco, etiamsi formidem me peccare. Aliàs nunquam daretur remedium pro scrupulosis, qui semper formidant peccatum, etiam si operentur ex consilio docti, & prudentis viri. Secundò, quia cùm prudentia sit regula humanorum actuum, id quod sufficit ad prudenter agendum sufficiet ad prudenter, ac licitè operandum. At prudens operatio non excludit omnem formidinem, aliàs vix esset cui liceret operari: ergo ad operandum licitè, maximè viro scrupuloso, sufficit quod probabilem habeat opinionem iudicans se non peccare cum fundamento suæ opinionis: neque opus est vt careat omni formidine peccati: hoc enim esset postulare scientiæ euidentiam in omni actione quæ scientia excludit formidinem. Vide Vasquez. 1. 2. *quæst. 9. art. 6. disp. 16. cap. 5. num.* 26.

7 Ex dictis sequitur posse virum doctum contra suam opinionem aliis consulere: posse item modò consulere iuxta vnam, & modò consulere iuxta aliam. Hoc enim ex dictis clarum est: cùm enim licitum sit opinione propria deposita, operari secundùm aliam absque peccato: Idem licebit aliis consulere absque peccato, dummodo semper opinio quam consulit sit probabilis. Imò poterit contingere, quod aliquando perso

persona, quæ consilium petit, sit valde scrupulosa: vel remedium illi dandum secundùm opinionem probabiliorem, sit valde difficile, ac proinde prudentia dictet hic, & nunc consulendum esse iuxta opinionem minus probabilem in qua datur facilius remedium ad istum curandum. Vt cùm ex consilio dando pendet reiteratio confessionum totius vitæ homini sæculari: vel magna restitutio facienda, quam difficilimè implebit: Et tamen datur opinio etiam minus probabilis, quæ liberet illum ab his duobus, prudentia tunc dictabit licitum esse huic consulere iuxta opinionem minus probabilem relicta probabiliore, ac tutiore. Et ita tenet Sotus *de secreto mem.* 3. *q.* 2. *concl.* 3 & Nau. *c. inter verba. n.* 2. *corolar.* 53. *num.* 135.

8 Discurrendo autem per personas publicas quæ in praxi poterunt vti supradictis: imprimis omnes fatentur posse confessorem absoluere pœnitentem sequendo opinionem minus probabilem pœnitentis deposita opinione propria probabiliori. Nauarr. *in Sum. cap.* 26. *num.* 4. Henriq. *libr.* 6. *de pœnit. capit.* 16. *num.* 50. & cæteri communiter: vt si Confessarius credat contractum hunc esse prohibitum, & pœnitens, aliàs peritus, iudicet esse licitum, & vult contractum inire: vel circa circunstantias non mutantes speciem confitendas, & sic de cæteris. Imò addit Henriquez *citato loco* teneri Confessorem tunc absoluere pœnitentem. Idemque tenet Suarez *tom.* 4. *de pœnitent. disput.* 32. *sect.* 5. *numer.* 4. cum Soto, Ledesm. Nauarr. & Diuo Antonino quos refert Sayro *libr.* 1. *Clau. Reg. cap.* 9. *à num.* 13. & alij. Rationem reddunt, quia sicut pœnitens tenetur obedire Sacerdoti in Sacramento pœnitentiæ prudenter iubenti: ita Sacerdos tenetur absoluere illum prudenter, ac sufficienter dispositum. At sufficienter, & prudenter dispositus est pœnitens, qui contritus habet pro se

opinionem probabilem. Addit Soto *in 4. dist.18. q.2. articul.5. ad quintum*, & Valentia 2.2. *disputat.5.quæstion.7. puncto vltimo in fine*, hoc posse facere confessorem, quanuis credat opinionem pœnitentis esse falsam, si illa alias reputetur probabilis inter Doctores probatæ opinionis,& authoritatis. Nam pœnitens non tenetur sequi opinionem Confessoris magis quàm opinionem aliorum, ac proinde cùm alij teneant opinionem pœnitentis, poterit Confessor aliorum sequi opinionem, licèt illam falsam esse credat: Nam poterit Confessor cum illa quietari, ac credere se fortasse non assequi; mentem oppositæ. Et hoc maximè verum habet quando pœnitens est doctus,vel saltem sufficienter instructus à viro docto. Secus si esset idiota, nec à viro docto eruditus.

9 Circa medicos an possint etiam eligere opinionem minus probabilem circa medicinas:Dicendum est primo,quod si morbus sit grauis,& sint opiniones diuersę circa aliquam particularem medicinam, an profutura sit,vel nocitura:& datur aliud medicamentum certum, ac sufficiens pro illo morbo curando, nullo modo eis licet hoc medicamento omisso vti opinionibus. Nam vtendo illo medicamento posito sub opinione, exponunt se manifesto periculo nocendi,& ideo imprudenter agit omittens certum pro incerto.Et præterea peccatum est præbere ægroto medicamentum dubium:sicut peccatum est efficere aliquam rem dubiam in moralibus.Nau.*in Sum.cap.*35.*num.*61. Vnde peccant medici pro qualitate circunstantiarum, quando applicant medicinas ignotas solius captandæ experientiæ causa. Si verò remedium dubium sit,neque adest aliud remedium certius, & aliunde mors est certa ægroto, ac de eius salute desperatur,licere tunc applicare remedium dubium tenet Valentia 2.2.*disp.*3. *q.*10. *punct.*2. Ratio est,

est, quia cùm vita infirmi prorsus desperata sit, conformius prudentiæ, & infirmi voluntati est tale tunc remedium applicare. Nam si tunc noceat parum, vel nihil nocet, cùm mors sit certa: & præterea nocet præter intentionem: Et ex altera parte datur spes quod proderit.

10 Si iuxta regulas medicinæ non sit medicamentum certius, nec certum: sed sint opiniones probabiles pro aliquo medicamento oppositæ, peccabit mortaliter medicus eligens medicamentum iuxta opinionem minus probabilem. Ita Soto *l.3.de Iust.q.6.art.5.ad quartum*, & Suarez *tom.4. in 3.part.disp.26.sect.6.numer.5.* Vbi docet generaliter quod in quæstionibus ad rem spectantibus, quando valor rei inde pendet, non satis est sequi opinionem, sed sectandam esse probabiliorem ne fiat actus nullus seu inualidus. Et hoc verum est non quod hîc peccetur contra iustitiam, sed contra charitatem.

11 Non minor quęstio est de iudice an liceat illi ferre sententiam secundùm opinionem minus probabilem omissa probabiliore? Ante responsionem præmitto, quod si dubium, vel opiniones solùm versentur an liceat iudici hoc illud agere, vt interrogare reum, vel testes in hoc casu; poterit iudex eligere opinionem etiam minus probabilem, vt in particulari tenet Vasq.1.2. *q.* 19.*art.6.disp.64.c.2.* Sed tota dubitatio est, quando opiniones variæ sunt circa ius partium & merita causę. Et in hoc casu possunt variæ opiniones existere duobus modis: primò ex parte iuris, quia scilicet lex posita in hoc casu varias habet Doctorum expositiones. Secundo modo possunt esse variæ opiniones ex parte facti; id est, ex parte probationum partis vtriusque, scilicet vtraque pars, reus scilicet, & accusator probat suã causam sufficientibus rationibus, & instrumentis vel testibus.

Digitized by Google

12 Quando ergo ſunt variæ opiniones ex parte iuris, quia ſcilicet variæ ſunt opiniones æquiualentes in explicanda lege, poteſt iudex ferre ſententiam ſecundùm opinionem quam maluerit: Imò poteſt modò ſecundùm vnam, modò ſecundùm aliam iudicare: dummodo non arguatur leuitatis, vel det ſcandalum videntibus modò ſic, modò ſic iudicare, quod poterit ſuppleri ſi in ſententia dicat, viſo, quod ſint diuerſæ opiniones, &c. Quod verò poſſit tunc eligere quam maluerit opinionem, patet, quia ſtantibus æqualibus opinionibus non magis vni quàm alteri tenetur diſtribuere ex vi iuſtitiæ diſtributiuæ. Sicut Prælatus quando duo æquè digni procurant beneficium poteſt donare cui maluerit. Ita Medin. 1.2.q.19.*art*.6. Rodr.1. *tom.Sum.ſecundæ editionis c.6.n.* 1.Sayro *Clau.Reg.lib.*1.*c*.11.*n*.4.& alij communiter. Si verò opinionum in explicatione iuris alia ſit probabilior quàm altera, credo teneri iudicem ferre ſententiam ſecundùm opinionem probabiliorem. Nam iudex pro bono communi conſtitutus debet iudicare ſecundùm quod æquius viderit: æquius autem eſt iudicare ſecundùm opinionem meliorem, ac tutiorem. Nam aliter faciens iam erit acceptor perſonarum, ſicut Prælatus qui ex duobus beneficium petentibus omiſſo digniori confert minus digno. Ita Rodriguez *loco citato*. & Vaſquez 1.2.*quæſt*.19. *artic*.6. *diſputat*.46.*cap*.2. & alij. Excipit Sayro *num*.1.cum Aragone, tenendam partem probabiliorem ex parte iuris, niſi talis opinio iam ſit vſu contrario abrogata, & in praxi oppoſita expoſitio recipiatur.

13 Quando ſunt duæ opiniones ex parte facti æquè probabiles, quia ſcilicet vterque ex æquo probat factum ſuum, tunc iudex in ciuilibus debet componere partes inter ſe: ac res, de qua litigatur, eſt diuiſibilis debet diuidere inter partes. At verò in criminalibus debet

fauere

fiuere reo. Sic Sayro *num.* 12. Ratio prioris partis est, quia cùm vterque ius æquale habeat, ius æqualiter illi distribuendum est, quod distribui potest. Ratio secundæ est *caput cum sunt, de Regulis Iuris in 6.* Vbi dicitur in dubio fauendum esse reo non actori. Si verò sint opiniones variæ ex parte facti, quia scilicet vnus probat melius quàm alter, tenetur iudex de iustitia iudicare pro parte melius, & efficacius probante: tenetur enim iudex iudicare secundùm merita causæ, aliàs tenetur ad restitutionem. De quo latè Sayro *num.* 13.

14 De aduocatis verò paucis dicendum est, primò, eos peccare mortaliter & contra iustitiam si patrocinentur pro causa, contra quam communis opinio clamat. Exponit enim clientulum manifesto periculo damni. Secundò dicendum quod si sint duæ opiniones æquè probabiles ex parte iuris, ita vt secundùm vtranque soleat iudicari per iudices: item quando altera opinio est paulo aliquid probabilior, sed solent iudices iuxta oppositam etiam iudicare. Respondet Sayro *n.* 19. *& sequent. b.* quoad primum posse aduocatum patrocinari, pro vtrius parte, & sequi opinionem quam maluerit, quia iura sunt paria. Quoad secundum casum, quando alia est parum, seu tantillum probabilior altera, dicit etiam posse patrocinari, dummodo moneat clientulum de illa incertitudine. Et à fortiori dicendum quod si dentur duæ opiniones quarum altera est multo minus probabilis, pro illa non poterit aduocare, similiter enim exponit clientulum probabili periculo amissionis causæ. Hæc omnia latius Sayro *citato loco*, & Sanchez, sed nobis hæc summa sufficiat.

15 Non erit inutile scire ordinem quem quis sequi debeat in opinionibus eligendis, & sectandis assignatum ab Armilla *ver. Opinio a n. 2. & seqq.* Vbi ponit hunc

ordinem Primò tenenda est ea opinio,quæ meliori nititur fundamento. Secundò,si opinio continet æquitatem scriptam,præferenda est opinioni quę continet rigorem scriptum in iure.Tertiò opinio continens fauorem , præferenda est illi quæ continet aliquid rigoris strictioris:fauores enim ampliandi,pœnæ verò restringendæ sunt. Addunt alij quod cæteris paribus eligenda est opinio,quæ ex se habet legem ; si verò altera etiam nitatur legi , tunc iura iuribus concordanda sunt. Æquior autem seu benignior opinio est illa quæ fauet iuramento,testamento,voto,pupillo,pauperi,voto,matrimonio, religioni, &c. similibus piis operibus,argumento *c. 2. de cognatione spirit.* Ac denique cæteris paribus tenenda est opinio quæ melioribus rationibus , ac Doctoribus confirmatur.

ORDINES MENDICANTES.

Qui sint,& quot,vide supra. ver. *Communicatio priuilegiorum,n.1.* & quomodo communicent in priuilegiis,vide citato verb. *per totum.*

ORDINES SACRI.

Vide infra verb. *Pœna. num.21.* & verb. *Suspensio. numer.6.7.& 13. & 14. & 16.* & verb. *Prælatus quo ad dispensationem,& c.*

1 REgulares virtute suorum antiquorum priuilegiorum non possunt ordinari ante legitimam ætatem præscriptam à Concil. Trident. *session.23.c.12.* tenet constanter,& efficaciter Rodrig. *tom.3. quæst.23. art.6.& 8.*& Mirand. *tom.1.q.39.art.1.* & iterum Rodr. *in Addit.ad Sum.tom.4.c.77.concl.1.* & expresse Sayrus *libr.*

lib.6.de censuris.c.12.n.14.& 15.& Fr.Ioan. à Cruce *in Epitom.priuilegiorum lib.2 c.3. §. Tertia concl.* dum ait generaliter non posse Regulares vti priuilegiis reuocatis à Concilio Tridentino.Et Concilium Tridentinum *cit. loco*, adeo rigorosè,& clarè loquitur,vt nullum dubitationi locum reliquerit. Cùm enim ætatem singulis Ordinibus sacris assignauerit, & prohibuerit aliter fieri:subiungit (*priuilegiis quibuscunque quo ad hoc penitùs exclusis*)quam reuocationem tam rigorosam nescio si alibi posuerit,vnde nescio quomodo potuerit irrepere clancula, vt dicitur,opinio, eo non obstante posse hodie Regulares ordinari in minori ætate,per sua priuilegia antiqua: nam priuilegia, primò non derogant iuri communi, nisi illud exprimant. Et hoc ius commune à contrario derogat in illa materia expressè,omnia priuilegia;& quod maius est, omnes Pontifices qui post Concil. Trid. confirmarunt priuilegia Ordinum, excipiunt in suis confirmationibus,dummodo Concil. Trid.non contradicant.Et verba illa generalia Tridentini,(*quibuscumque priuilegiis*,)etiam videtur excludere viuæ vocis oracula;hæc enim etiam priuilegia sunt. Et circa viuæ vocis oraculum, quod in hac materia non valeat,immoratur Rodrig.*citato art.6.*dicens,etiam esse sublatum postea à Sixto V.in quodam Motu proprio circa ordinandos: & Miranda similiter. Et Rodriguez addit esse parum versatos in materia Motuum Papalium,qui aliter explicauerint.Et Miranda ait se nescire de aliqua concessione quæ id concedat Regularibus post Tridentinum,& Sixtum. Ac proinde omnino censeo debere Religiosos in hoc stare decreto Tridentini, & tot ac talibus Doctoribus Religiosis.Vide infra *ver. Priuilegium n.64.*

2 Congregatio Cardinalium declarauit non posse Religiosos ordinari nisi ab Episcopo in cuius Diœcesi

viuunt, nisi quando talis diœcesanus, vel ab fuerit, vel ordines non sit collaturus. Nec debere Religiosos dimissorias dilatare pro tẽpore quo diœcesanus abfuerit, vel ordines non sit daturus. Sic declaratũ est Romæ anno 1596. die 15. Martij. Hoc tamen in Hispania nõ videmus receptũ in praxi. Et Paul. III. Patribus Societatis in suo Cõpend. *ver. Ordines* §. 1. cõcedit vt possint ordinari à quocũque Episcopo non impedito per Ecclesiã.

3 Non possunt Regulares ordinari à quouis transeunte Episcopo in suis Conuentibus absque expressa licentia proprij diœcesani Episcopi, in cuius Diœcesi viuunt. Tridentinum *sess. 6. c. 5.* aliàs talis Religiosus ordinatus manet suspensus ab Ordinibus.

4 Posse Religiosos ordinari extra tempora tenet fusè, & constanter Rodrig. *tomo 3. quæst. 23. art. 5.* respondens omnibus in oppositum. Negat verò Miranda *tomo 1. quæst. 38. art. 4.* dicens esse conformius Pio II. Tridentino, & Sixto V. At video opinionem Rodrig. esse in praxi. Et cum Rodriguez tenet Frater Ioan. à Cruce in Compendio suo siue Epitome *lib. 2. cap. 8. dubio 1.* Et denuo concessum hoc fuit à Clem. VIII Patribus Congregationis Sancti Ioan. Euangelistæ in Portugallia, vt possint ordinari extra tempora, & per quemcumque Episcopum. Ita concessit prædictus Papa anno 1596. die 23. Nouembris, quod ego vidi. Idque concessit tribus Dominicis, vel festis continuis, vel interpollatis non seruatis interstitiis à Concil. Tridentin. designatis. Vidi in Compendio illius Religionis. Et est amplissima, & magna concessio pro hac materia. At nota, quod in dicto priuilegio Clemen. VIII. quod ad Ordines minores concedit, vt possint concedi quatuor diebus festiuis, vel feriatis, continuis, vel interpollatis. Vnde per hoc priuilegium, non possunt Ordines quatuor minores in vna die recipere: secus si Episcopus,

statu

ſtatutis temporibus id faciat ex conſuetudine: aliqui enim conferunt omnes ſimul, per hoc tamen priuilegium non poteſt fieri.

5 Diſpenſare interſtitiis requiſitis ad Ordines ſuſcipiendos, non poſſunt Prælati erga ſubditos, ſed id ſolùm poſſunt Epiſcopi Ordines collaturi; Tridentinum *ſeſſion.*23. *capit.*11. Et hoc debent facere cum cauſa à Prælato ſignificata. Hæc verò cauſa iuſta, eſt vtilitas Eccleſiæ, vel neceſſitas. Vtilitas autem erit, quando ſunt pauci Miniſtri idonei, & aliqualiter vtile erit quod aliquis ordinetur. Neceſſitas verò erit ſi deſint idonei, & non idonei. Miranda *tomo* 1. *quæſtione* 38. *articul.*8. Videant tamen qui poſſunt communicare priuilegio proximè poſito *præcedenti numero* 4.

6 Poteſt Epiſcopus ordinare Religioſum Ordine presbyteri, qui bene legit & cantat, quanuis ſit minus litteratus. Henriquez *libr.*10. *de Sacramento Ordinis tom.*2. *capit.*16. *in fine* cum gloſſ. *ibidem. littera V.*

7 Ordinatus Sacerdos cum aliquo impedimento propter quod manet ſuſpenſus ab Ordinibus: non incurrit irregularitatem ex eo ſolùm, quod conſecrat cum Epiſcopo in Miſſa in qua ordinatur: talis enim ibi ordinatus, & ſic cum Epiſcopo conſecrans, re vera non dicit Miſſam, & proinde nondum exercet Ordinem presbyteri. Sayrus *lib.*4. *de cenſur. cap.*16. *numero* 5. citans alios: quidquid contra ſentiat Nauarr. & Capucinus.

8 Qui fecit profeſſionem irritam, & hoc ſibi notum eſt, peccat mortaliter ſi permittat ſe ordinari Ordine ſacro. Ordinatur enim tunc ſine titulo patrimonij, vel Religionis; quod eſt contra ius commune. Rodrig. *Addit. ad Sum. tom.*4. *cap.*65. *num.*10. & præterea

manet ſuſpenſus. Sayrus *citat. libr. capit.* 13. *numero* 14.

9 Religioſus carens Ordine presbyteri ſi Miſſam celebret, vt ſuſpectus de hæreſi, tradendus eſt Inquiſitoribus. Ita Paul. IV. Sixtus V. Clemens VIII.

10 Prælatus diſpenſans cum aliquo ad Ordines impedito, ſi poteſt cum illo diſpenſare, ſi dat licentiam ad Ordines minores ſuſcipiendos, videtur dediſſe licentiam ad alios Ordines ſacros maiores ſuſcipiendos: & proinde poteſt talis ſubditus mortuo illo Prælato cenſeri diſpenſatus ad alios. Nauatr. *lib.* 1. *Conſil. titul. de ætat. & qualitat. ordin. conſilio* 1. At oppoſitum probabilius tenet Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſput.* 1. *num.* 26. cum multis ibi citatis.

11 Subdiaconus eiectus ab Ordine poteſt poſtea ab Epiſcopo admitti ad ſuperiores Ordines ſi ille ſit emendatus. Excipe ſi fuit eiectus cum aliqua irregularitate, in qua Epiſcopus non poteſt diſpenſare, tunc enim ad Papam recurrendum eſt. Rodr. *tom.* 3. *quæſt.* 24. vbi monet Prælatos quod ante eiectionem cum his diſpenſent in quibus poſſunt ne poſtea adigantur miſeri pro diſpenſatione, Epiſcopos adire cum labore ac difficultate.

12 Si quis ordinatus ſit ante legitimam ætatem incurrit duas ſuſpenſiones, vnam propter delictum, aliam propter defectum ætatis. Et ita ſi abſoluitur à prima propter delictum, non proinde abſoluitur ab alia propter defectum ætatis, neque abſolutus à prima, poteſt miniſtrare in illo Ordine donec attingat ætatem. Suarez *de cenſur. diſputat.* 29. *prope finem.* Et nota quod à prima ſuſpenſione propter delictum indiget particulari abſolutione, neque ab illa abſoluitur etiam ſi attingat ætatem. Ab illa verò ſecunda incurſa ob defectum ætatis liberatur vbi primùm attigerit

rit ætatem, & per aduentum ætatis ipso facto tollitur, absque alia absolutione: innuit Suarez *ibidem*. Et tenet expresse Capucinus ad Compend. *verbo Ordines sacri. fol. 282. in principio*. Sed nota quòd si durante prima suspensione propter delictum ministrauit in Ordine suscepto, vltra absolutionem censuræ, indiget particulari dispensatione irregularitatis, quam incurrit ita celebrando.

13 Religiosus ordinatus, extra tempora, vel per saltum, vel absque legitima ætate, vel absque dimissoriis sui Prælati, ipso facto manet suspensus ab Ordine sacro: & si in illo ministrauerit, incurrit irregularitatem. Constat ex Motu proprio Sixti, contra malè promotos vbi citat Bullam Pij II. quæ quod ad hoc ligabat Regulares. Excipit tamen Miranda *tom. 1. quæstion. 39. artic. 6*. Quod si quis bona fide fecit, credens se habere ætatem, vel credens sibi licere per priuilegium, vel quid simile, non incurrit dictas pœnas: pro quo citat Nauarrum dicentem prædictam pœnam suspensionis, solùm esse positam contra præsumentes: qui verò bona fide facit non dicitur præsumere. Est tamen illa suspensio, ipso facto lata, & non ferenda: & vt suspensus se abstineat, non est opus declaratione, vel executione Iudicis, quia est pœna priuatiua sicut excommunicatio. Comit. *lib. Resp. moral. quæstio.* 37. Vide omnino infrà *verb. Pœna num.* 19. & 20.

AN PRÆLATVS REGVLARIS *possit absoluere subditum suspensum, propter Ordines susceptos ante ætatem, vel aliàs indebitè.*

14 COgit rei necessitas, sæpiùs fortè eueniens & à me in præsenti quæsita, disputare, an possit Præla

Prælatus Regularis diſpenſare cum ſuo ſubdito ordinato ante ætatem, vel abſque licentia: abſoluendo illum à ſuſpenſione; ac etiam diſpenſando cum illo in irregularitate contracta, ex miniſtratione illius Ordinis, durante ſuſpenſione.

Capucinus *ad Compend. verbo Ordines ſacri, folio* 282. dicit primò, poſſe Prælatum Regularem diſpenſare cum ordinatis ſine licentia; &, quod cum ordinatis in apoſtaſia, poſſunt Prælati diſpenſare virtute priuilegiorum. At non poſſe diſpenſare, vel abſoluere ordinatos ante ætatem: imò neque id poſſe Epiſcopos: citat gloſſam *Clementin. finali, de ætate, & qualitat. ordin.* Syluestrum, Nauarr. imò quod neque per Bullam Cruciatæ poſſunt diſpenſari, neque per Iubileum. Capucinum citat, & ſequitur Sayrus *libr. 6. de cenſur. capit. 12. num. 13. & 14.* vbi expreſsè dicit Prælatum Regularem, non poſſe diſpenſare cum ſuis ſubditis ordinatis ante ætatem virtute priuilegiorum: ſubditque hæc priuilegia eſſe derogata per Concilium Tridentin. *ſeſſio 23. de reform. cap. 12.* & citat alios pro eadem opinione, quatenus tenet opinio ſolum Papam, non verò Epiſcopum poſſe in hoc diſpenſare dicens eſſe communem.

Ego perſuaderi non poſſum quod Religiones cum tot, & tam amplis priuilegiis hodie confirmatis careant hoc remedio vt poſſint prædictum malè ordinatum abſoluere, & diſpenſare, ſed quod teneatur miſer Religioſus hac de cauſa Romam adire. Et ſaluo meliori iudicio, cui me ſubmitto, quod hoc fieri poſſit à Prælato Regulari, probo in primis, ex Viualdo *in ſuo Candelabro, titulo 15. de Sacramento Ordinis, titulo de tempore Ordinationis num. 3. § Si autem*: vbi expreſsè dicit quod ſi ordinatus ante ætatem miniſtrauerit in Ordine, & delictum fuit ſecretum, poteſt

Epiſco

Episcopus per se, vel per suum Vicarium in vtroque dispensare per Concil. Trident. *sess.24. cap.6.* vbi illi conceditur dispensare in omnibus istis secretis non deductis ad forum contentiosum vel publicis. Imò noto quodConcilium non prohibet Episcopos dispensare in publicis; sed in deductis ad forum contentiosum: & poterit res esse publica, sed non deducta ad forum contentiosum: & videtur innuere, quod si non sit deducta ad contentiosum forum, etiam si sit publica poterit dispensare. Et Henriq. *tom.2.l.14.cap.20.n.3.* dicit cum ordinatis ante ætatem, vel per saltum dispensare Episcopum; non limitans si sit secretum, vel publicum. Et licèt Sayrus exponat quod loquitur Henriq. de sic malè ordinato, si non ministrauit in Ordine: exponit puto ad libitum: Henriq. enim neque *ibi, neque 8.cap.eiusdem libri.§.5.* ad quæ se remittit, tale non explicat, neque innuit. Solùm dicit quod potest Episcopus cum tali dispensare impleta ætate. Quo posito ex his duobus authoribus, posse scilicet Episcopum dispensare in hoc casu cum subditis: ego concludo, saltem in casu secreto posse Prelatum Regularem absoluere, ac dispensare talem subditum; quia per concessionem Pij V. factam Prædicatoribus *ver. Abbas, n.6.* possunt Prælati, etiam Guardianus, cum suis subditis per se ipsos omnia quæ possunt Episcopi cum suis diœcesanis. Secundò probo, quia vt supra dixi *ver. Confessor erga fratres,* & *ver. Dispensare,* & infra dicetur *ver. Prælatus quo ad absoluendos subditos*, habemus satis multa priuilegia nostra, & communicata, in quibus nobis conceditur quod Prælati possint absoluere subditos à quibuscumque peccatis, censurisque reseruatis sedi Apostolicæ, imò, & dispensare in irregularitate homicidij voluntarij occulta, vt supra dixi *ver. Disp.* Cũ ergo ista suspensio promoti ante ætatẽ sit censura Ecclesiæ, etiam

etiam si sit reseruata, cùm non sit contenta in Bulla Cœnæ, cur non poterit Prælatus illam absoluere: & in irregularitate inde contracta dispensare cùm dispenset in aliis maioribus, & hæc irregularitas non reseruetur in Tridentino, vt statim dicam. Est huius sententiæ, vt videtur, Rodrig. 1. *tom.quæst.* 20. *artic.* 14. *ad finem*, vbi expresse ait posse prouinciales absoluere subditum à suspensione à diuinis, si est contracta ob delictum occultum, atque etiam si fuerit publica, dummodo non sit perpetua, & reseruata. Et statim addit quod possunt absoluere etiam si sit perpetua, dummodo non sit reseruata. At ego insto: & ad quid ergo inseruiunt tot concessiones dicentes quod possint absoluere à censuris reseruatis Papæ, & suspensio est censura. Imò Rodrig. citatus supra *verbo Abbas, num.* 11. tenet posse Prælatos absoluere à casibus Bullæ Cœnæ paucis ibi exceptis. Qui casus Bullæ Cœnæ sunt censuræ perpetuò reseruatæ: innuit etiam clarè hoc ipsum Ludouicus de Beia *in Resp.* 4. *par. casu* 37. §. *Aduertendum.* vbi ait ex Couar. & aliis posse Prælatos etiam dispensare pluspquam Episcopi possunt videlicet etiam in deductis ad forum contentiosum, priuilegio Sixti IIII. in quibus Episcopi non possunt.

Neque obstat quod dicit Sayrus *citato loco* priuilegia Regularium esse quo ad hoc reuocata per Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 12. *de reformat.* Nam Concilium ibi solùm reuocat priuilegia, ne ordinentur Regulares ante ætatem ibi assignatam: non verò reuocat priuilegia Regularium quæ aliàs habent absoluendi à Sede Apostolica suos subditos. Imò Concil. clarè loquitur. Ait enim (*priuilegiis quo ad hoc exclusis*) quo ad hoc, inquam, id est, quo ad Ordines suscipiendos ante hanc ætatem: vnde non loquitur

tur de priuilegiis Regularium ad absoluendos subditos.

Quod si Sixtus V. vel alij pontifices antecessores reuocarunt priuilegia Regularium ad absoluendos subditos sic malè promotos: transeat; & adhuc non obstat, quia post Sixtum Clemens VIII. confirmauit nostra priuilegia ex certa scientia: & Paulus V. confirmauit vtens verbo *innouamus*: vt infra dicemus, *verb. Priuilegium quo ad confirmationem*, & hoc dato omnes Doctores, dicunt quod per confirmationem priuilegiorum factam tali forma, ex certa scientia, reualidantur etiam priuilegia antea reuocata ab antecessoribus; & proinde licèt absolutio, & dispensatio cum malè promoto de quo agimus, esset reuocata per Bullas Sixti, Pij II. & aliorum, essentque per illos reuocata priuilegia per quæ Prælati id poterant, eadem priuilegia sunt reualidata, ac denuo concessa per Clemen. VIII. cúmque in *citato loco* Trident. neque ista suspensio ponatur reseruata, imò neque ibi de suspensione fiat mentio, neque in alio loco Concilij quem sciam, ponatur talis censura reseruata: videtur omnino dicendum quod possint Prælati saltem Prouinciales, & fortè locales subditos absoluere sic suspensos & irregulares; Etiam si sint publici non deducti ad forum contentiosum, per dictum Rodrig. supposito quòd ista suspensio non ponitur in iure reseruata saltem *cit. loco* Trident. imò etiam si alio iure ante Tridentinum poneretur reseruata, nostra priuilegia concedentia absolutionem à censuris etiam reseruatis, videntur extendi ad illam. Dixi *ante Tridentinum*, quia si ista suspensio in Tridentino reseruaretur cum reuocatione priuilegiorum, id non affirmarem: quia confirmationem priuilegiorum hodie semper excipiunt, ne sint contra Concilium Trident. Ego autem

autem non video locum in Concil. Trid. vbi dicatur expreſsè quod ſuſpenſio incurſa ob ſuſceptum Ordinem ante ætatem ſit ſuſpenſio reſeruata, & quod Regulares ab illa non poſſint abſoluere per priuilegia.

Quod verò attinet ad Capucinum, nullam rationem adducit, ſed ſolos Doctores citat: ego verò & aliquos Doctores adduco, & priuilegiorum exempla. Et præterea, arguo contra Capucinum; ille enim ibi dicit, quod poteſt Prælatus abſoluere ſuſpenſionem ordinati Religioſi qui abſque licentia, vel in apoſtaſia fuit ordinatus, non obſtante quod dicatur in *cap. final. de apoſt.* ordinatum in apoſtaſia non poſſe miniſtrare in Ordine ſuſcepto abſque licentia Papæ, eiuſve diſpenſatione. Et tamen non obſtante hoc iure communi tam claro ait Capucinus poſſe Prælatos per priuilegia diſpenſare illam ſuſpenſionem reſeruatam Papæ, & præterea ſuſpenſum abſoluere, qui Ordinem ſuſcepit excommunicatus: cur ergo non poterunt Prælati abſoluere ſuſpenſionem illius, qui ſuſcepit Ordinem ante ætatem, cùm non eſſet excommunicatus? Gloſſa verò quam citat pro ſe Capucinus *Clementina finali. de ætat. & qualitate ordin.* cum qua Capucinus negat: non loquitur de Prælatis Religionum, ſed de Epiſcopo circa ſuos ſubditos, non verò de Religioſis Prælatis qui in aliquibus maiora habent priuilegia quàm Epiſcopi. At poſſe hoc etiam Epiſcopum in foro interno vidimus ex Viualdo, & Henriq. & præterea gloſſa, eſt gloſſa, & non textus. Rogas an poſſit Prælatus diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ſi miniſtrauit in Ordine? Reſpond. quod ſi fuit publica non poteſt, quia Trident. *ſeſſ. 23. cap. 14.* ait Epiſcopum non poſſe. At ſi fuit occultum omnino, ſaluo meliori iudicio, puto poſſe per proximè dicta.

Ad

Ad finem aduerto, vltra authoritatem Prælatorum quo ad hoc iam dictam, etiam cõfessores Regularium, posse consubditos suos aliquando absoluere; vide supra *ver. Confessor fratrum n.* 15. 18. 19. 20. Quo ad authoritatem verò Prælatorum absoluendi subditos, vide supra, *ver. Abbas. n.* 6. *&* 11. *& ver. Disp. n.* 7. 8. 9. *&* 16. & infra *sub tit. Prælati potestas ad absoluendos subditos toto illo tit.* maximè *n.* 23. & vltimo loco addo quod in Compendio Societatis Iesu. §. 6. *ver. Absolutio.* conceditur vt omnes illius Religiosi per Generalem, vel per deputatos ab ipso possint absolui ab omnibus peccatis ante, vel post ingressum Religionis commissis. Itémque ab omnibus Ecclesiasticis, & sæcularibus sententiis, censuris & pœnis à iure, vel ab homine, exceptis quatuor, de quibus supra *verbo Abbas numero* 11. vbi non limitat si sint publicæ censuræ, si secretæ. Et Collector notat hoc concedi etiam à suo Generali cæteris superioribus, & iis quibus ipsi commiserint, & puto quod in omnibus supradictis inuenietur remedium ad casum de quo agitur.

ADDITIO.

VIde supra *verb. Irregularitas*, maximè *n.* 9. & *verb. Nouitius n.* 26. *cum sequentibus, ibi* supra dixi *hoc ver.* sufficientia, & substantialia pertinentia ad Religiosos circa Ordinum susceptionem, & malè ordinatorum absolutionem.

1 Circa id quod dixi *ibid. n.* 2. non teneri Religiosos ferre dimissorias Episcopi in cuius Diœcesi morantur, quando vadunt ad Episcopum alterius Diœcesis pro Ordinibus suscipiendis, facit denuo concessio Alexandri IV. in Bullario Rodr. *f.* 54. *col.* 1. vbi concedit Prælatis Minorum vt liceat illis Fratres eiusdẽ Ordinis ordi-

nandos præsentare quibuscunque Episcopis Catholicis habentibus communionem,& gratiam Sedis Apostolicæ,qui Episcopi possint dictos Fratres præsentatos absque examinatione ordinare. Quod verò attinet ad vltima hæc verba ; ibi illis conceditur posse ordinari absque examine præuio,est reuocatum in Concil. Tridentin. *sess.* 23. *cap.* 12. Vbi dicitur etiam regulares esse examinandos , non obstantibus quibuscunque priuilegiis. Bene tamen aduertit Villalobos 1. *tom. suæ Sum. tractat.* 11. *difficul.* 14. *num.* 5. posse Episcopum in hoc stare examini Prælatorum Ordinis,vel hoc examen illis committere,vt ipsi per se,vel per Religiosos doctos examinent.

2 Qui facta diligentia adhuc dubitat an habeat ætatem legitimam ad suscipiendos Ordines , tenetur sub mortali abstinere ab illis suscipiendis.Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 41. *n.* 38.cum quo concordat Rodr. *tom.* 1. *Addit. ver. Ieiunium c.* 25. *n.* 7. Addit *ibidem* quòd si dubitans de ætate suscepit Ordines putans se peccare , absque dubio incurrit suspensionem. Idem dicendum de illo qui à parte rei est suspensus,& cum dubio an sit suspensus, & credens peccare, ministrat in Ordine : talis enim absque dubio incurrit irregularitatem. Secus si bona fide Ordines suscipiat, vel bona fide in illis ministret:tunc enim euadet vtramque pœnam, vt dixi supra *hoc ver. n.* 13.& tenet denuo circa euasionem irregularitatis Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 11. *n.* 6. propter verbum, *præsumpserint*, positum à Sum. Pontificibus in his prohibitionibus.

3 Probatio illa vitæ de moribus , & bono exemplo etiam requiritur in religiosis , sicut requiritur in clericis , quia Concilium Trid. neminem excipit ordinandorum in quibus requirit morum probitatem. *sess.* 23. *c.* 4. Vnde colligo quod si Prælatus religionis det licentiam

tiam vt Ordines ſuſcipiat aliquis Religioſus vitæ culpatæ, peccabit mortaliter contra Concilium ſiue culpæ ſint cognitæ in ſæculo; ſiue ſolum intra Ordinem. Imò maior prohibitas morum requiritur in Religioſo, quàm in ſæculari ordinando.

4 Concilium Tridentinum *ſeſſ.25.c.4.* præcipit, vt Ordines ſuſcepturus priùs recipiat Sacramentum Confirmationis. Circa quod notat Nau. *in Sum. Latina c.22. n.9.* contra facientem nullam cenſuram incurrere. Secundò addit neque id fore peccatum mortale, ſi fiat ex obliuione, ignorantiáve. Fore autem peccatum mortale ſi tale Sacramentuum omittat ex contemptu. Quanuis ibi Nau. cum Soto dicat eſſe peccatum veniale, ſi id ſciens omittat ex negligentia: mortaliter verò ſi faciat ex contemptu.

PACTVM.

Vide ſupra verbo *Alienare*; & verbo *Canonica portio num.8.*

1 PRælatus ſucceſſor tenetur ſtare pacto inito à Prælato ſuo prædeceſſore. *cap. dilect. filiis. de foro competenti*, & ibi Abbas cum communi, & Rodriguez *tom.3. quæſtion.26. artic.1.* intellige dummodo pactum præcedens fuerit iuſtum, & licitum, neque Religioni, neque ſtatutis Ordinis contrarium. *cap. is qui, de Reg. Iuris in 6.*

2 Si quis cum particulari Religioſo pactum faciat de mutuando, vendendo, vel quid ſimile, & ibi non interueniat licentia Superioris ſaltem implicita, pactum in conſcientia non valet: aſſimilatur enim tale pactum illi quod facit ſeruus abſque licentia domini. Et proinde in foro iudiciali poterit reſcindi. Seruetur tamen

consuetudo,vel statuta particularium Ordinum, idem dic de pacto quod facit vnus Religiosus cum alio, est enim nullum,maximè in re graui. Rodrig.*tom.*3.*q.*33. *art.*1,

3 Inter Prælatum & subditum dari potest pactum obligans de iure naturæ, quemadmodum inter seruum, & dominum idem pactum obligans dominum dari potest. Tenet Nauarr.*cap.non dicatis.numer.*42. & Rodriguez *tom.*3.*quæst.*29.*artic.*4.vbi ponit hoc exemplum. Quidam Generalis de consensu Conuentus habentis redditus annuos, cuidam Fratri bene merito concessit modo peculij ad suas necessitates hortum, verbi gratia, eiusdem Conuentus.Quæritur si absque culpa, & causa possit successor illum dicto horto priuare? Respondet quod non, & quod peccabit grauiter in hoc,quia Prælati ad Monachum dari potest obligatio ex pacto. Hoc autem tunc euidentius apparebit, si Prælatus commendauit subdito negotium aliquod commune, ad cuius executionem subditus fecit impensas pecuniarias sua industria quæsitas; & Prælatus hoc præuidens, & consentiens, prædicto subdito promisit talem summam pro executione negotij:tunc expleto negotio tenebitur Prælatus ex pacto dare dictam summam Religioso, & in conscientia non poterit negare: si aliàs non repugnat statui illius Monachi tale habere,vel possidere rem promissam.

ADDITIO.

VIde supra *verbo Legatum num.*2.quomodo Minoritæ possint paciscì cum testamentariis circa legata sibi relicta:& quod ego ibi addidi *eodem numer.*& *ver. Monasterium numer.*6. Et dicta supra *verb. Canon. portio.*

1 Alę

1 Alexander IV. in Bullario Rodriguez *fol. 66. col. 1.* concesſit generali Minorum, ac Prouincialibus, vt pacta illa quæ facerent Guardiani, cuſtodes, & alij Fratres abſque licentia Generalis, vel Prouincialis eſſent irrita, neque ad illa Fratres obligarentur. Rodrig. *tom. 1. quæſtionibus quæſt. 36. art. 8.* citans iſtam conceſſionem, dicit eſſe reuocatam per aliud decretum Bonifacij VIII. quod ibidem citat; in quo Bonifacius VIII. iubet ſeruari pacta facta à Guardianis, & ſimilibus Prælatis quæ fecerunt cum Capitulis, & Rectoribus Eccleſiarum etiam ſi non interuenerit conſenſus Generalis, vel Prouincialis. Ego credo, quod non eſt reuocata prædicta conceſsio Alexandri IV. niſi fortè in parte videlicet quod ad pactum factum à Guardiano ſuper Canonica 4. parte, de qua *citato loco* agit Rodriguez. Hæc enim pacta facta à Prælatis localibus circa Canonicam quartam, valida erunt etiam ſi fiant abſque conſenſu Prouincialis, vel Generalis: Nam Bonifacius VIII. hoc tantùm exprimit illis verbis: *Super iuribus parochialibus.* At Alexander IV. non loquitur vllo modo de iuribus parochialibus: ſed in genere dicit. *Super locis ad dictum Ordinem pertinentibus, eorumque cæmeteriis.* Quæ verba non agunt de Canonica portione, neque illam ſignificant: neque item ſignificant iura parochialia: hæc enim iura parochialia ſunt illa quæ ius commune iubet ſolui parochis pro Sacramentorum miniſtrandorum labore. At Bonifacius loquitur de pactis & obligationibus ſuper locis, ac cæmiteriis Minoritarum, ac proinde videtur conceſsio nimis diuerſa, & non reuocata per dictum Bonifacium VIII. Addo quod Bonifacius ſolùm loquitur de pactis factis à Prælatis localibus Conuentus: Alexander verò IV. exprimit Guardianos, cuſtodes, & Fratres Ordinis.

Vnde per iſtam conceſſionem quam puto non reuocatam, prohibetur Guardianus facere pactum per quod obligetur Conuentus, vel Eccleſia aliquid ſoluere in futurum: extra iura parochialia. Vt ſi promittat daturum Conuentum certam ſummam pecuniæ, olei, vini, & ſimilium. Idem dicendum de pacto inito à Fratre particulari de quacumque materia, ſi enim hæc faciant cuſtos, Guardianus, vel Frater ordinarius abſque conſenſu Miniſtri Prouincialis, vel generalis, ſunt irrita per dictam conceſſionem. Et nota quod idem prohibetur cuſtodi Franciſcano in ſua cuſtodia, quamuis in illa habeat iuriſdictionem ſimilem iuriſdictioni Prouincialis.

PARENTES FRATRVM.

Vide ſupra verb. *Indulgentia, ad finem.* & verb. *Iubilæus. num.* 4.

1 PRofeſſus habens parentes in extrema neceſſitate, tenetur illis ſubuenire petita prius licentia à ſuo Prælato: & ad hoc tria debent concurrere. Primò, vt ſit neceſſitas extrema. Secundò, vt prius dicat Prælato. Tertiò, vt non ſit alias in ſæculo qui ſubueniat, & ſit ſpes quod Monachus poſſit ſubuenire. Quod ſi hæc omnia interuenerint, & Prælatus neget licentiam, poteſt ſubditus abſque ſcrupulo, imò tenetur exire. Nauarr. *in Summa Latina, capite* 14. *numero* 14. ex D. Thom. & aliis communiter: quia ius naturale clarum ſubueniendi parentibus in tali ſtatu, obligat tunc filium, imò & Prælatum ad dandam licentiam. Non tamen poteſt Prælatus tunc dare licentiam vt ſubditus habitum dimittat, vt tenet Nauarr. *mox citandus.*

2 Etiam

2 Etiam si necessitas non sit extrema, sed solùm grauis, potest Prælatus dare licentiam vt Religiosus cum habitu maneat extra claustra ad subueniendum patri, vel matri. Nauarr. *libr. 3. Consil. titul. de Reg. consil.* §. 4. & hoc siue hæc necessitas sit præcedens, vel subsequens professionem; vt *ibidem* ait ex D. Thom. & Caietano. Distinguit tamen Nauarr. *ad c. nullam.* 18. *quæst. 2. in.* 49. Quod si necessitas grauis præcessit professionem, tenetur Prælatus dare licentiam, & subditus exire. Si verò necessitas subsequitur, potest Prælatus dare licentiam, sed non tenetur.

3 Quid si Prælatus neget licentiam subdito vt extra Conuentum subueniat parentibus grauiter tantùm indigentibus: an possit de bonis sibi in vsum concessis, quæ re vera sunt bona Ordinis, suis parentibus subuenire? Credo quòd non, quia illa bona in rigore sunt aliena, & sic de furto subueniet quod non licet, maximè cum necessitas non sit extrema. Debet ergo ad illa donanda procurare licentiam: & Prælatus rectè faciet illam concedens intra terminos suæ Regulæ, & constitutionum. Et Pater nost. Franciscus cuidam parenti cuiusdam Fratris iussit dare vnam eleemosynam notabilem.

4 Parentes Fratrum vtriusque sexus, consequuntur plenariam Indulgentiam existentes in Purgatorio; patentes, inquam, Fratrum præsentium, & futurorum, etiam Fratrum defunctorum. Ita in *Comp. Min.* §. *Indulgentia quo ad sæculares.* 8. §. 1. & hanc Indulgentiam non puto reuocatam à Paulo V. quia non est Indulgentia concessa Fratribus: sed intuitu Fratrum. Circa quam Indulgentiam notat Rodriguez *tom. 3. quæst. 27. artic. 2.* quod prædicti parentes eam lucrantur in Purgatorio per modum suffragij: & quod etiam illam lucrabuntur in hac vita semel complacendo de filiorum profesio-

ne.De hoc tamen ſecundo dicto quod lucrentur etiam in vita,dubito valde,quia verba Compendij ſolùm loquuntur de Purgatorio.

ADDITIO.

DIxi ſupra quæ ſufficerent ad cognoſcendum quando Religioſus tenetur ad ſubueniendum parentibus,in extrema vel graui neceſſitate conſtitutis.Et ſumma dictorum fuit,quod tenentur ſuccurrere in extrema, & Prælati tenentur tunc dare licentiam:in graui poſſunt Prælati, ſed non tenentur. Poſſunt,inquam, dare vt extra Conuentum maneat habitu retento ad ſuccurrendum parentibus in graui neceſsitate:quæ eſt fere communis doctorum. Occurrerunt poſtea ſequentia pro declaratione prædictorum.

1 Ad obuiandum dictis aliquorum Religioſorum dicentium parentes ſuos eſſe in extrema neceſsitate: dico hanc rariſſimè, aut nunquam poſſe hodie alicui euenire.Nam extrema neceſsitas definitur eſſe illa,qua aliquid ita eſt neceſſarium vitę alicuius,vt ex ſignis quę apparent videatur quod ſine illo mox, aut breui tempore,interrumpetur vita ipſius.Vt ſi careat cibo vel veſtitu in hyeme horrida,ſitque perſona infirma:Et ſic de aliis.Rariſsimè enim ad hunc ſtatum hodie deuenitur inter fideles pios, in quibus Hoſpitalia ſunt, Prælati, communitates curam pauperum habentes, & conſanguinei,ac ſimiles. Neceſsitas grauis eſt illa quæ extra neceſsitatem extremam, affert magnam, & grauem moleſtiam.Hæc autem grauis neceſsitas poteſt eſſe duplex,altera eſt naturæ,altera ſtatus.Naturæ eſt,vt morbus grauis,diuturnus lepræ,vel febris hecticæ, vel infamię,captiuitatis,& ſimilium;ſeu grauis famis,non tamen extremæ,ſed tamen talis,vt ſuccurratur vitę cum magno

magno labore, & aliquo dedecore. Necessitas status est illa, quæ requirit necessariò aliquid ad conseruationem status, vel ad illius recuperationem.

2 Hoc posito viso quod extrema necessitas, vt dixi, rarò aut nunquam dari potest. Exemplum necessitatis grauis erit si Religiosus habeat parentes nobiles, vel honestos in tali necessitate constitutos, vt nullum aliud remedium suppetat nisi ex mendicitate ostiatim viuere. Quod enim hoc sit grauissima necessitas patet ex eo quod tradunt Doctores in materia charitatis dicentes hominem nobilem, vel grauem, qui aliter viuere non potest, nisi mendicando eleemosynas ostiatim, idque cum magno suo dedecore, ac rubore: posse potius sinere se mori quàm vitam sustentare tali remedio. Sed quoniam neque hoc exemplum ad litteram sæpius eueniet, & necessitates graues pendent ex circunstantia personæ, loci, ac temporis, id debet arbitrari Prælatus suo pio, ac prudenti arbitrio, sciens in causa tam pia potius excessum aliquem permitti, quàm defectum: dummodo semper attendat quo ad fieri poterit Religionis exemplum, & subditi filij qualitates ne propter parentum corpora, propriæ animæ detrimentum patiatur.

3 Dixi supra *numer.* 2. ex Nauar, quòd si necessitas grauis parentum præcessit professionem, tenetur Prælatus dare licentiam, & subditus tenetur exire: nunc addo ex Sanchez 4. *Decalog. cap. 2. numer.* 17. pro maiori claritate nunquam teneri subditum egredi Monasterio absque Prælati licentia ad subueniendum graui necessitati parentum: probat, quia obligatio filij ad subueniendum parentibus obligat illum quantum status Religiosi patitur, ac se extendit: sed status Religiosus pro sola subuentione necessitatis grauis circa parentes, non commodè

patitur, nec se in rigore extendit, vt illis subueniat habitans cum illis extra Conuentum. Hoc probatur exemplo clarissimo: Nam filius habens vxorem, & simul habens parentem in graui necessitate, non tenetur relinquere domum vxoris, vt habitet cum parente grauiter indigenti. Æquale verò vinculum, vel obligatio est (si non dicam maior in aliquibus) subditi ad religionem, atque est viri ad vxorem: Et hoc argumentum, siue exemplum apud me conuincit. Secundò quia per professionem subditus traditur Prælato sicut mortuus. At res vni tradita nequit aufferri vt parentibus subueniatur quando necessitas eorum non est extrema, vt si dedi Ecclesiæ centum aureos, post illos datos non possum reuocare vt subueniam parentibus grauiter indigentibus: ergo à simili de Religioso donato Religioni per validam professionem. Citat pro hac sententia Sanch. Alens. D. Th. Caiet Supplem. Gabr. Abulens. Henric. Antonin. Rosell. Armill. Tab. Cord. Angles, Pasarell. & alios quorum loca ibi videbis. Volui hoc recensere pro quietandis aliquando Religiosis, qui nescio an plus debito inquietantur parentum necessitatibus, quæ aliquando sufficientes non sunt, vt illi inquietentur: qui debebant recordari dicti illius Christi Domini ad adolescentem, petentem licentiam, vt Christi Domini ac Apostolorum ad tempus comitatu relicto, iret ad patrem sepeliendum. Qua Christus Dominus denegata, dixit, *sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Et tamen necessitas assistendi patri moribundo, illumque sepeliendi videbatur necessitas satis grauis. Vide Luc. *cap. 6. num. 60.*

4 Tenetur tamen filius intra religionem salua sua regula, ac statutis, & obedientia procurare remedium patris, vel matris grauiter indigentium, quod nos olim diximus *citato verb. numer. 3.* Ratio est, quia

filius

filius adhuc post professionem manet verus filius, & proinde tenetur facere quod poterit; sicut tenetur filius vxoratus saluo iure, & lege matrimonij: sic etiam filius salua obedientia, & iuribus suæ religionis, cui magis astrictus est quàm patri grauiter indigenti. Sic Nauar. *in Sum. cap.* 14. *nu.* 14. & alij. Modum verò quo subditus intra Conuentum possit succurrere parentibus explicat inter alios, Cord. *in Sum. quæst.* 141. *art.* 2. *opinione* 4. & Ludouicus Lopez 1. *p. Instruct. capit.* 54. dicentes, non posse illum efficere aliquid contra suam Regulam, vel aliquid quod statum Religiosum deceat. Si verò Prælatus neget licentiam succurrendi per modos licitos suæ regulæ, & suorum statutorum poterit filius secretè facere. Dicunt etiam non posse Minoritam procurare pecunias, vt succurrat parentibus. At ego dico posse: quia procurare tunc pecunias non est procurare pecunias sibi, neque illas recipere; sed dicere amico, vt det pecunias patri. Nam regula Minorum non prohibet mihi petere amico, vt det pecunias meo amico: sed prohibet mihi, ne ego Minorita recipiam pecunias, vel expendam illas absque modificationibus permissis in regula, ac declarationibus Pontificiis. Et huius sententiæ est Sanch. *citat. cap.* 5. *num.* 19. loquens de Minorita, ac subuentione suorum parentum per pecuniam mendicatam, & hoc amplius probatum habes apud Sanch. *lib.* 6. *de matrim. disp.* 4. *num.* 7. vbi probat, posse Religiosum dicere sæculari volenti sibi dare pecunias, vel aliquid notabile; posse, inquam, dicere: ego non indigeo: si vis propter me dare amico meo: ego illi deferam. Si verò donator det, ait Sanch. posse illum deferre illud donatum suo amico, etiam absque licentia Prælati. In hoc enim Religiosus ille, nihil recepit contra Regulam nec dedit, solum rogauit ac detulit quod Regula non

non prohibet. Excepto ſi Minorita pecunias in manu detulit.

5 Poteſt etiam Religioſus ſuccurrere parentibus de illis, quæ ſibi neceſſaria dantur in Ordine ſibi ſubtrahendo, quia in hoc nihil auffert Religioni. Poteſt item facere aliquod opus religioſum honeſtum tempore quo non deſit obligationibus Ordinis, ac de mercede illius operis voluntarij ſuccurrere parentibus. Quæ duo ſi negaret Prælatus iniuſtè denegaret. Tenetur verò ſubditus prius ad hæc licentiam petere: niſi certò ſcit ſibi denegandam, & tunc ſiue negata, ſiue conceſſa poterit ſuccurrere parentibus modis prædictis intra Religionem. Corduba *cit. l.* Modi verò operandi intra Religionem erunt ſcribere, pingere, vel alia arte honeſta, ac Religioſa operari. Et hoc verum habet etiam ſi filius ante ingreſſum Ordinis hanc artem ignorauerit. Quãdo verò filius intra Monaſterium non poſſit modis prædictis ſuccurrere, & poſſit ſubuenire extra Conuentum aliis modis, adeſt iuſta cauſa, vt Prælatus concedat licentiam. Si verò iniuſtè neget, non poterit exire. Ita Nau. *lib. 3. conſ. tit. de Regular. conſ. 55. n. 2.* & Rodrig. *2. tom. Sum. cap. 6. n. 4.* Non enim Prælatus dare tenetur talem licentiam, vt patet ex dictis ſupra *num. 3.* & ſupra *num. 2. & 3.*

6 Si Nouitius antequam habitum ſuſcipiat, vel antequam profeſſionem emittat, habet parentes in graui neceſſitate conſtitutos, quibus ipſe modo aliquo poteſt ſuccurrere, nec poteſt ſic licitè habituni recipere, nec profeſſionem emittere. Patet, ex antecedentibus: ſi enim filius profeſſus tenetur modis prædictis parentibus ſubuenire, multò magis tenebitur filius ante receptionem, vel profeſſionem habitus. Et hoc verum eſt, etiam ſi filius habeat votum ſimplex Religionis. Nam ſatis iuſta cauſa eſt iſtius voti dilatandi

ſubuen

ſubuentio parentum in tali neceſsitate. Imò iuſtè poterit differri votum etiamſi adſit terminus temporis præfixi à vouente pro voto implendo: maior enim tunc obligatio parentum præualet.

7. Quærit Sanchez *citato cap.* 20. *Decalog. lib.* 4. *n.* 29. vtrum is qui habet votum ſimplex Religionis, & ſimul habet ſorores pauperes in graui neceſsitate poſitas, maximè cum periculo honeſtatis, poſsit differre ingreſſum religionis, & reſpondet affirmatiuè cum clauſulis etiam poſitis *n. præcedenti*, eſt enim cauſa valde pia, & fratris obligatio erga tales ſorores valde magna. Vnde ſequitur illum qui habens ſorores in tali ſtatu caret voto Religionis, nunquam poſſe Religionem ingredi, durante tali ſtatu ſororum. Hoc verò non eſt extendendum ad alios conſanguineos extra ſorores.

8 Refert tandem Cordub. *Sum. quæſt.* 141. *fine*, ſe vidiſſe diſpenſationes datas à Sum. Pontifice vt Religioſus à Monaſterio exiret ad ſuccurrendum ſororibus in graui neceſsitate. Ad cuius exemplum poſſent etiam Prælati cum ſubditis condeſcendere, quando habent ſorores in graui neceſsitate, maximè pudicitiæ, conſtitutas.

PAROCHVS FRATER.

REligioſi in India Occidentali poſſunt eſſe parochi ſæcularium ex multis priuilegiis, maximè Pij V. quia verò res hæc eſt ibi tantùm particularis, & ibi Religioſi habent notitiam, & praxim ſibi conceſſorum, omitto particularem de hoc tractatum, ſufficiat videre Rodrig. *tom.* 1. *tota quæſt.* 35.

AD

ADDITIO.

VIde ſupra *verb. Matrimonium.* vbi diximus aliqua concernentia Religioſos parochos in Indiis circa adminiſtrationem Sacramenti matrimonij erga parochianos ſuos. Et vide Rodrig. *tom.* 1. *tota quæſt.* 35. Et quomodo non poſſunt moleſtare parochianos ſæculares ſuos ſubditos qui in diebus feſtis Miſſas audiunt in Conuentibus Religioſorum, vide ſupra *verb. Miſſa.*

PECVLIVM.

1 CONcil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de Regular.* prohibet omnino ne Religioſi habeant in particulari bona mobilia, aut immobilia appropriata ad proprium vſum, imò quod neque prælati poſſint eiſdem talia bona ſtabilia in particulari ad proprios vſus concedere, vulgo *Rendas ou tenças.* Idque etiam de Monialibus intelligitur.

2 Explicat hoc Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.* 29. *artic.* 10. ſic debere intelligi. Non poſſe ſcilicet Prælatos concedere ſubdito notabile peculium abſolutè, & independenter, vt Religioſus expendat illud ad libitum, in quibus voluerit: non enim poterit illud impendere niſi in neceſſitatibus, ſeruata Regula, & ſtatutis. Et Religioſus qui etiam de licentia prælati peculium ſecus impenderit peccat mortaliter contra votum paupertatis. At dicit Rodriguez, non prohiberi quin Prælatus concedat ſubdito peculium moderatum pro ſolis neceſſitatibus iuxta Regulam, & paupertatem: maximè quando prædictum peculium conceſſum fuit ſeu relictum Religioſo à parentibus, conſanguineis,

vel

vel amicis, cum dependentia semper à Prælato. Videndum tamen omnino ne peculium sit excessiuum, neve ad libitum, vel prophanè expendatur, vide Sà *in Aphoris. verb. Religio. num.* 48.

3 Minoritis rigorosius prohibetur peculium ex vi Regulæ, & statu maioris paupertatis. Neque pecuniam possunt habere, nisi pro præsenti, vel imminente necessitate, & cum expressa licentia Prælati: & apud Syndicum Papæ: neque insumere nisi cum expressa licentia Prælati. Qui proinde consulant Regulam, declarationes Pontificum, & statuta Ordinis. Quæ persequi non est meum.

ADDITIO.

AN Minorita possit habere peculium in annuo redditu perpetuo pro suis necessitatibus, respondi negatiuè supra *ver. Legatum n.* 30. & infra *ver. Testimentum, num.* 8. *per totum*, & idem semper dicam ob dicta *citatis locis*.

POENA.

Vide supra ver. *Correctio fraterna.* & verb *Dispensare*, & verb. *Prælatus* 13. & verb. *Officia Ordinis*, & ver. *Religiosus. num.* 10. & verbo *Iudex*, & verb. *Vox actiua. num.* 1. *& seqq.*

1 PRælatus non potest reo Religioso remittere totem pœnam legis statutæ. D. Thom. 2. 2. *quæstione* 68. *art.* 3. est communis; & probatur, quia Iudex inferior non iudicat ex potestate propria, sed ex publica, & proinde tenetur stare legi. Imò neque potest illam pœnam minuere, vel commutare. *capit. licèt. de*

pœnis

pœnis. Vide ſupra *verb. Iudex*, ſeu *ver. Correctio Fratrum.num.*54. *& ſequentibus.* Adde quod tenet Rodrig. *Addit ad Sum.tom.*4. *cap.*57.*numero* 4. quod in Religionibus non eſt minuenda pœna propter nobilitatem, vel ſcientiam rei.

2 In pœnis arbitrariis,vel extraordinariis,poteſt Iudex exaſperare, vel mitigare pœnam, attentis circumſtantiis crimininis commiſsi. *d.*1. *de pœnitent. cap. menſuram.*

3 Si pœna imponatur pro aliquo delicto, nunquam tota pœna danda eſt, ſi delictum fuit attentatum, ſed non fuit conſummatum. Abbas *cap.cum in cunctis. de electione.* & Iul. Clar. *in pract.ver. homicidium.num.* 14. verb.grat. parauit quis venenum; imò poſuit in loco vbi credidit bibendum: ſed tamen eſt fruſtratus effectus, quia non bibit is cui parauit. Non eſt danda tota pœna legis, ſed alia extraordinaria multo minor, & ponit Iul. Clar. exemplum in duabus fœminis, quæ ſuo tempore porrexerunt venenum, & effectu non ſecuto, non ſunt damnatæ ad mortem, ſed pœna mitiori.

4 Si pro aliquo delicto quis punitus fuit ab vno Iudice non poteſt amplius puniri pro eodem crimine ab alio Iudice eiuſdem Ordinis,vt ſi vnus Iudex ſæcularis puniuit, non poteſt alius Iudex ſæcularis punire. Si verò ſint diuerſi Ordinis, bene poterunt, vt ſi Iudex ſæcularis puniuit crimen mixti fori pœna poſita à lege ſeculari:poterit poſtea puniri à Iudice Eccleſiaſtico pœna Eccleſiaſtica. Sylu.*ver.Iudex* 1.§.2.Addit Rodr. *Addit.ad Sum.tom.*3.*c.*104.*n.*7.Quod ſi religioſus fuit abſolutus ob defectum probationis, & ille non emendatur à delicto, hoc non obſtat quo minus poſſit iterum accuſari de eodem crimine.Vide infra *ver.Præſcribere, à numer.*2.

5 Non

5 Non obstantibus supradictis *n.*1.& 2.stando etiam in iure communi potest Prælatus Iudex augere,vel minuere pœnam pro qualitate personæ, vt si ætas sit parua in iuuene, vel magna in sene : vel si fecit ignorans, vel metuens,debet etiam attendi occasio delinquendi, tempus,locus,& similia,quæ Iudex prudens attendat.*c. de causis.de off.deleg.* & Doctores *ibidem*,& Iulius Clar. *in pract.q.*85 *vers.vlterius.* Bernard. Diaz *in pract.crim. c.*146.& alij.

6 Pœna imposita Religioso violanti castitatem videnda est apud constitutiones cuiusque Ordinis,& grauior tunc pœna danda pro grauiori crimine, adulterio scilicet, incestu,stupro, & sic de cæteris. Ratio id probat, quia maximè pro adulterio lex ciuilis pœnam capitis imponit.

7 Circa pœnam capitis positam pro crimine pessimo si forte in Clerico reperiatur, quidam exponunt quod pro prima vice, vel secunda, non sit danda hæc pœna, sed quando crimen fuerit continuatum, & in vsu:sic explicantes verbum contentum in Bulla Pij V. contra hoc crimen,cùm dicit (*exercere*) quod verbum innuit vsum, & exercitium continuatum. At sufficere vnam tantùm vicem ad imponendam totalem pœnam tenent grauissimi Doctores,Bernard.Diaz *c.*8.& multi citati ab Aldrete *lib.*2.*de discipl. Relig.c.*15.§.5. *a n.*26. *vsque ad* 34.

8 Pro illo qui carens Ordine presbyteri Missam celebrat dictum est supra *verb. Ordines sacri.n.*9. Et vltra ibi posita incurrit irregularitatem,&ad presbyteratum nunquam potest ascendere.Suar.*tom.*4.*disp.*32.*sect.*4.*n.* 2 & Maiolus *de irregular.lib.*4.*c.*13.*à n.*4.

9 Falsificans litteras Papæ traditur Curiæ sæculari. *c.ad falsariorum.de crimine falsi.* Hodie tamen non seruatur in praxi,sed mitius punitur. Iul. Clar. *practican.*

quæst 36. §. *videamus*. Et similiter mitiori pœna castigantur falsificantes litteras Regis. Et nota, quod aliud est *falsificare*; aliud *aperire litteras*. Illud est, integras litteras falso Papæ, vel Regis nomine facere, vel etiam veras litteras mutare in parte aliqua, ita vt mutet sententiam. At aperire literas, vel impedire ne dentur minus peccatum est: & his imponitur pœna arbitraria iuxta qualitatem delicti. Vide supra *ver. Littera. num.* 5.

10 Falsificantes superiorum litteras, si sint sæculares erga Episcopum, verbi gratia, (applica ad Regulares erga Prælatum) perpetuò deponuntur, & in Monasterio recluduntur vt ibi laicam tantùm communionem accipiant. *c. si. Episcopus* 50. *dist.* & sic de solùm aperientibus litteras superiorum dices, mitiori modo: licèt hi etiam de crimine falsi notentur. In cõstitutionibus verò Patrum Prædicatorum falsificans litteras, vel sigillum Generalis, vel Prouincialis, punitur pœna carceris. *d.* 1. *c.* 18. §. 4. Et Papa Clemens VIII. inter casus quos proposuit Religiosis vt de illis tantùm possint in futuro reseruare posuit istum falsificantium, vel detinentium litteras superiorum, &c.

11 Sacerdos reuelans sigillum confessionis perpetuò deponendus est, & in arctum Conuentum recludendus, Concil. Generale sub Inn. III. vt pœnitentiam ibi faciat vsque ad mortem. Hic tamen non incurrit irregularitatem, vt bene probat Suar. *to.* 4. *disp.* 32. *sect.* 8. Pœna verò illa depositionis significat, vt careat omni munere, & dignitate, & perpetuò priuatur omni altaris ministerio. Vide Rodriguez *tomo* 2. *quæstion.* 35. *art.* 1.

12 Audiens confessiones etiam Regularium absque eo quòd sit confessor, & carens licentia ad illas audiendas, est dignus suspensione: & præterea confessio nulla est.

Digitized by Google

est. Rodriguez *tom.2. quæst.37. art.1.* Et pro isto puniendo, attende ad pœnam positam dicenti Missam carenti Ordine presbyteri; & suo modo applicabitur pœna; licèt non æqualis; at meretur vt nunquam sit confessor.

13 Audiens confessiones absque eo quod sit verè Sacerdos manet suspensus,& irregularis. Nauarr.*in Manuali capit.27. numer.242.* & alij. Et præterea vt suspectus de fide, denunciandus est Inquisitoribus, iuxta Bullam Clement. VIII. & Rodriguez *tom.2. quæst.27. art.2.*

14 Pœnas positas in iure contra prædicatores, malè prædicantes, & leges aliquas Canonicas non seruantes, vide infra *verb.Prædicatores.*

15 Clericus veneficus,& incantator,est degradandus, non reali,sed verbali degradatione,id est,ab altaris ministerio remouendus.Bernar. Diaz.*c.*108.& alij.Si verò simul cum veneficiis exerceat alia multa crimina contra Rempub & suspecta de fide,tradendus est brachio sæculari:vel prius sancto Officio,si habeat crimina suspecta de fide.Qui verò hos consulunt,iuxta suam simplicitatem,vel malitiam puniendi sunt,*c.si quis Episcopus* 16.*q.*5.

16 Calumniator, id est, falsum crimen obiecit, & non probauit, meretur pœnam talionis. *cap. qui non* 2. *quæst.*3.D.Thom.2.2.*q.*68.*art.*4.& est communis:& hoc intellige vbi fuerit recepta pœna talionis. Aliàs damnabitur iuxta qualitatem criminis obiecti,personæ læsæ,& circumstantiarum.Verus autem calumniator est, qui scienter falsum crimen imponit. Præsumptus verò calumniator dicitur,qui sponte detulit,& crimen probare non potuit.

17 Pœna falsi testis,siue periurij est, vt perpetuò deponatur,& in Monasterio recludatur. Quæ verò pœna-

sit hæc, dictum est supra *num.* 11. Et eadem pœna afficiuntur illi qui inducunt aliquem ad iurandum falsum; & hi,& periuri manent infames,& à testimonio ferendo perpetuò sunt arcendi. Sed nota quod solus ille dicitur testis falsus,qui sciens,& prudens dixit falsum in iudicio cum iuramento,in substantialibus.Secus si bona fide dixit,& statim se retractauit.Secus item si dixit absque iuramento: vel si dixit in re leui accidentali, quæ non nocet delato.Cou.*cap.quamuis pactum.* 1. *parte* §.7.*num.* 1.

18 Pœna danda propinantibus venenum effectu secuto, est pœna homicidæ quod si effectus non sequatur,vide supra,*num.* 3.

19 Iectos ab Ordine potest Prælatus mittere in exilium, sic enim praxis obseruat, imò ad triremes,vt supra *verb. Eiicere ab Ordine* ex Pio V. Quod si mittatur ad exilium Religiosus, tenetur Iudex, vel Episcopus executionem sententiæ procurare, vt effectum sortiatur;iuxta *c.postulasti. de foro competenti.& l.relegatorum. de interdict.& relegat.* & Episcopus poterit præcipere relegato sub excommunicatione ne à tali regno,vel ciuitate egrediatur.

20 Qui suscepit Ordines per saltum,est ipso iure suspensus. Suarez *tom.de censur. disputat.* 31. *sectio.* 1. *numero* 45.cum multis ibi citatis, Et qui ministrat in Ordine quem non habet, incurrit irregularitatem. Suarez *citat. tom. disputat.* 42. *sectiom.* 4. *numer.* 2. Quod intelligitur de Ordine superiori, quem non habet, ad hunc enim manet priuatus, & inhabilis, in illo verò Ordine quem iam habebat, manet solùm suspensus ad arbitrium Episcopi. Suarez *loco proxime citato.*

21 Qui verò furtiuè Ordines suscepit, id est, sine licentia,& examine Episcopi,eiusque approbatione(etiã si sit

si sit Regularis) iste si Episcopus ibi promulgauit excommunicationem contra furtiuè se ingerentes, non potest in Ordine sic suscepto ministrare, vel ad superiorem ascendere absque dispensatione Papæ. Si verò talis excommunicatio lata non fuit, Episcopus, vel Abbas Monasterij possunt dispensare. Bern. Diaz *in pract. cap.* 25.

Videantur aliæ pœnæ pro criminibus imponendæ tum apud constitutiones particulares Religionum. Et quando hæ defuerint videatur Bernard. Diaz *in sua practica canonica.* vbi comprehendit omnia ferè delicta fieri solita per personas Ecclesiasticas: & tractat de pœnis eisdem imponendis.

ADDITIO.

Vide supra verb. *Inhabilitas*, verb. *Ignorantia*, verbo *Lex*, &c. quæ diximus supra verb. *Pœna.*

1 QVando lex aliquam imponit pœnam facienti, quomodo faciens oppositum pro foro interno possit excusari à pœna excommunicationis, & similibus dictum est supra *verbo Ignorantia.* Si verò in foro externo quis alleget ignorantiam pro pœna vitanda poterit aliquando illam probare per iuramentum sibi exhibitum, dummodo non sint contra illum tam vehementes coniecturæ, & indicia vt locus non sit iuramento. Prima pars traditur à Nauarr. *libro* 1. *Consil. titul. de Constitut. consil.* 1. & habetur *capit. præsumitur. de Regula. Iuris in* 6. vbi dicitur, ignorantia præsumitur, dum scientia non probatur. Vbi Glossa ait probari ignorantiam per iuramentum, vel probando aliquid quod necessariò consequitur ignorantiam. Et hoc frequentius eueniet in homine idiota, & circa

legem particularem, quæ non est omnibus nota, vel facilis. Secunda pars quod scilicet id locum non habeat quando in oppositum sunt violentæ præsumptiones illum non ignorasse, docetur à Castr. *lib. 2. de lege pœn. §. sicut dictum est c. 14.* Tunc enim iuramentum illi non est exhibendum, neque illi credendum, nisi quando coniecturæ sunt illum ignorasse. Potest etiam probari ignorantia allegando absentiam.

POENITENTIA IMPOSITA à Confessore.

Vide infra verb. *Præceptum.*

QVotidianæ sunt difficultates circa hanc materiam tum vt Religiosi dirigant se ipsos, tum vt pœnitentes in confessione possint consolari. Igitur præcipua hac de re sunt ista.

1 Qui fecit opus iniunctum à Confessore etiamsi illud fecerit absque voluntate implendæ pœnitentiæ, satisfacit, neque tenetur aliud facere. Simile quid supra diximus, *ver. Horæ Canonicæ* de soluente officium Diuinum absque intentione pro tunc satisfaciendi, quem diximus non teneri ad aliud recitandum cum Doctoribus ibi citatis. Idemque dicendum de pœnitentiæ impositæ satisfactione. Et de illa expressè tenet Sanchez 1. *Decalog. capit. 13. numer. 10.* addens *numer. 17.* idem dicendum esse, si pœnitens positiuè dicat in principio se nolle per illud opus illam implere. Neque opus esse, vt dicat postea se velle implere per opus præteritum, sed sufficere vt sciat iam impleuisse. Idem ibi tenet *n. 18.* de illo qui tenebatur ad opus faciendum ex voto, vel iuramento: de quo idem asserit, atque de faciente opera iniũctæ pœnitentię modo proximè dicto.

2 Imple

2 Impletur etiam pœnitentia per actum, etiamsi ob aliquam circumstantiam sit peccatum: vt si fiat cum vana gloria concomitante, vel quid simile. Ita Suarez *tom.4.de Pœnit. disp.38. sect.8. num.1.fine.* Et probatur, quia leges præcipiunt substantiam actus, non modum, nisi modus sit de intrinseca substantia actus: ergo si fiat substantia actus iniuncti à Confessore, satisfieri præcepto, etiamsi careat gratia. Et patet exemplo, quia, qui audit Missam cum actu peccaminoso, vt si vadit ad illam audiendam, vt videat fœminam, satisfacit præcepto, vt patet: & sic à simili de pœnitentiæ impletæ præcepto.

3 Quæris. Iniungit Confessor pœnitenti vt faciat vnam vel duas eleemosynas pauperi: occurrit paupet grauiter, vel extremè indigens, cui ego de præcepto naturali teneor subuenire: an possim huic præcepto naturali eleemosynæ faciendæ, & simul præcepto Confessoris de illa facienda satisfacere cum illa tantùm eleemosyna? Pars affirm. est probabilis, quam tenet Victoria *in Sū. vbi de satisf. n.205.* Sà *in Aphoris. ver. Satisfactio n.9* Henriq. *lib.5. de Pœn. c.21.n.3.* Gloss. *lit.q.* probatur, quia cùm finis eleemosynæ sit iuuare pauperem, & iste oblatus sit nimis pauper, prudenter credi potest, mentē Confessoris fuisse vt huic daretur. Præterea quia est opinio valde probabilis satisfieri præcepto eleemosynę mutuādo pecunias: & proinde satisfiet pœnitentię illas dando. In aliis operibus dicunt Doctores quòd si ego debeo hoc opus ex alio titulo, v. g. audire Missam ex obligatione festi, vel ex obligatione voti, vel iuramenti, non satisfacio Missæ auditioni mihi iniunctæ in pœnitentiam, audiendo illam ex obligatione festi, vel voti, vt tradit Victor. *loc. citat.* Azor. *tom.1.libr.11.c.14. quæst.1. fine.* Henriquez *libr. citato capit.19. numer.5.* & alij. Et idem dicendum si imponat Confessor ieiunium?

non enim satisfit ieiunando in die præcepto ab Ecclesia ieiunari.

4 Si Confessor iniungat septem Psalm. vel officium defunctorum, vel simile quid in pœnitentiam recitandum, satisfit pœnitentiæ dicendo illos Psalmos, vel officium cum socio alternatiuè recitando, & versum socij audiendo. Nam tale præceptum Confessoris intelligendum iuxta modum præcepti Ecclesiastici: At præcepto Ecclesiastico de Diuino Officio satisfit recitando cum socio: ergo satisfiet præcepto Confessoris. Et eodem modo satisfiet si debeam illos septem Psalm. vel Officium voto. Nau. *cap. quando cap.* 10. *numer.* 17. *&* 18. Azor. *tom.* 1 *lib.* 11 *cap.* 7 *q.* 10. Quod non erit dicendum si imponatur in pœnitentiam Rosarium B. Mariæ. Non enim satisfiet dicendo cum socio Aue Maria alternatim, quia talis consuetudo in Ecclesia nunquam fuit audita.

5 Si imponatur à Confessore Rosarium, vel Corona B. Virginis, satisfit illi præcepto, si per partes, & interruptè dicatur: verbi grat. dicendo nunc decem Aue Maria cum Pater nost. Et post horam, vel duas horas alias decem, & sic de cæteris quousque finiatur. Nau. *citat. cap.* 10. *à num.* 37. Ludoicus de Beia latè 2. *part. Resp. Moral. casu* 51. & alij. Quia etiam Diuinum Officium cùm sit pensum vnius diei, dicitur per partes interruptas, primam, scilicet tertiam, &c. Et quod dictum est de Rosario intellige si id fiat vno die: nam in diuersis diebus non licebit illa interruptio decadum pro vno Rosario, vel pro parte tertia illius. Si verò quis voueret Rosarium integrum constans tribus partibus, posset illud dicere in tribus diebus, dicendo singulis diebus vnam partem: nam hæ tres partes in communi æstimatione diuiduntur, vt tenet Sanchez *lib.* 4. *Decalog. cap.* 11. *n.* 4. quod idem videtur dicturus de toto Rosario

sario iniuncto à Confessore, quando non constet mentem illius fuisse vt totum simul diceretur. Videtur enim vtrobique eadem ratio.

6 Potest pœnitens authoritate propria commutare pœnitentiam sibi impositam in aliud opus cognitum euidenter melius. Probatur à simili: nam omnes dicunt posse quemlibet suum votum commutare authoritate propria in opus euidenter melius, vt qui vouit dicere tertiam partem Rosarij, poterit commutare in vnum diem ieiunij. Est autem eadem ratio in præcepto orto ex voto, & ex mandato Confessoris.

7 Si pœnitens confiteatur vni Confessori qui imposuit molestam pœnitentiam, quam commodè implere non potest, & postea confitetur eadem peccata alteri, potest secundus Confessor priorem pœnitentiam minuere, vel moderari prout secundùm prudentiæ regulas iudicauerit. Sic Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. disput.* 38. *sectio.* 10. *n.* 4. cum aliis ibi citatis. Nam potest pœnitens iterate confessionem quoties voluerit, & iudicari modò secundùm iudicium vnius Confessoris, modò secundùm iudicium alterius: in hoc enim nulli facit iniuriam.

8 Etiamsi secundus Confessor non audiat confessionem præteritorum peccatorum, & pœnitens ad se veniens manifestet sibi pœnitentiam impositam à priori Confessore, quam non potest implere sine magna difficultate, potest secundus Confessor illam commutare, vel moderari, etiam non auditis peccatis præteritis, dummodo habeat authoritatem absoluendi ab illis. Nauarr. *in Sum. Latina cap.* 26. *num.* 22. Sylvest. *verb. Confess.* 1. §. 27. Neque obstat quod obiicit Sot. *in* 4. *distinct.* 20. *qu.* 2. *art.* 3. quod scilicet par in parem potestatem non

habet: hoc enim verum est in foro externo litigioso: secus de foro Sacramentali instituto in salutem, & in fauorem animarum.

9 Qui lucratur aliquam Indulgentiam plenariam, non tenetur implere pœnitentiam paulò ante à Confessore impositam: iam enim per Indulgentiam satisfecit: hic enim est effectus Indulgentiæ, remittere pœnas debitas peccatis. Est communis Doctorum cum Gloss. *in cap. dum autem, de Pœnit. & remiss.*

PRÆCEPTVM.

Vide verbo Lex, *& verb.* Obedientia.

1 NOn potest Prælatus præcepto obedientiæ mandare subdito, vt patiatur sibi membrum abscindi curationis gratia. Non tenetur enim obedire cum tanto dispendio: Sà *in Aph. ver. Præceptum n. 2.*

2 Si occurrant duo præcepta seruanda, ita vt vtrique satisfieri non possit, seruandum est præceptum maius, est communis Doctorum. Sit exemplum: assistit aliquis curationi alicuius ægroti grauiter ægrotantis in die festo, in quo tenetur Missam audire, & non est alius qui assistere possit: occurrunt præceptum naturale charitatis proximi, & præceptum positiuum Ecclesiæ de Missa audienda: tunc seruandum est præceptum maius charitatis, quia est præceptum naturale natura fortius: & omittendum præceptum positiuum quod est minus.

3 Vt verò semel hoc dicatur pro rebus quotidie occurrentibus: Sciendum breuiter multiplex esse præceptum. Primò datur præceptum naturale Diuinum. Huiusmodi sunt decem præcepta Decalogi, & illa quæ ex illis decem colliguntur euidenti consequentia,

in

in materia morali. Dicuntur enim hæc omnia præcepta naturalia, quia lumen ipsum naturale dictat illa esse sequenda, & fere publicatione non egent, sed à solo rationis naturalis dictamine publicantur, & imponuntur vnicuique. Dicuntur etiam hæc eadem præcepta naturalia, diuina, quia cùm Deus sit author naturæ humanæ, & luminis naturalis, est etiam ex consequenti author illorum, & quasi legislator naturalis illorum: & hac de causa non furari, verb. grat. est præceptum naturale Diuinum. Secundum præceptum est Diuinum positiuum. Hæc sunt illa quæ Christus Dominus ore proprio posuit in Euangelio maximè circa Sacramentorum administrationem, vel receptionem, & pauca alia. Et hæc dicuntur Diuina, quia posita à Deo dicuntur etiam positiua, ad distinctionem naturalium, quia naturalia dictantur à lumine naturali: illa verò Christi Domini non dictantur à lumine naturali; sed obligant solum, quia sunt posita à Christo Domino. Neque enim lumen naturale dictat recipiendum esse Baptismum, vel Confirmationem. Tertiò datur præceptum positiuum humanum, positum scilicet ab homine puro, qualis est Papa, Concilium, Prælati, Reges, & cæteri Superiores. Dicitur verò positiuum humanum, quia neque à naturali lumine dictantur hæc præcepta, neque à Christo Domino Deo sunt posita: sed ab homine puro, qualia sunt præcepta posita à supradictis. Vnde cùm sit duplex potestas Ecclesiastica, & sæcularis, hoc præceptum positiuum humanum est duplex, aliud positiuum humanum Ecclesiasticũ, id est, positũ à Conciliis, vel Prælatis Ecclesiasticis. Aliud positiuum humanũ sæculare, id est, positum à Rege, & inferioribus potestatibus sæcularibus.

4 Hoc posito iam clarum est quod præceptum maius seruandum sit occurrentibus duobus incompossibilibus.

bilibtis. Primum locum in maioritate, & obligatione obtinet regulariter loquendo præceptum naturale Diuinum: cum quo si concurrat humanum positiuum prævalet Diuinum naturale. Vt si occurrat præceptum seruandæ vitæ vel famæ, cum præcepto positiuo tantùm Diuino, prævalet illud. Si verò hæc duo concurrant cum præcepto humano positiuo, prævalent illa duo. Denique si occurrat Ecclesiasticum cum seculari prevalet Ecclesiasticum in negotio animę.

5 Instas. Occurrit prȩceptum confitendæ fidei traditę in Euangelio à Christo Domino de Sacramentis: & econtra instat periculum vitæ si fuero confessus. Hic concurrunt præceptum naturale Diuinum conseruandę vitę, & præceptum positiuum Diuinum de confessione fidei. Et tamen prævalet positiuum Diuinum de confessione fidei, nam sub peccato mortali teneor confiteri fidem etiam cum amissione vitæ. Respondetur in hoc casu circa confessionem fidei non concurrere solùm præceptum Diuinum positum à Christo Domino circa fidem Sacramentorum: sed concurrere etiam præceptum colendi Deum per confessionem fidei. At præceptum colendi Deum est præceptum primæ tabulæ, ac proinde naturale Diuinum. Et inter præcepta decem Decalogi, tria priora pertinẽtia ad cultum Diuinum sunt maiora, & magis obligant quàm septem sequentia eiusdem Decalogi spectantia ad proximum, siue secundam tabulam. Et proinde magis ibi prævalet cultus Dei per confessionem fidei, quã vitæ propriæ cõseruatio. Dixi supra *regulariter illa tria præcepta prædictum habere ordinem*, quia poterit casus euenire, in quo præceptum maius ob paruitatem, ac dubietatem materiæ omittendum sit propter præceptum minus ob multam grauitatem materiæ; vel

ob

ob clariorem obligationem, quod prudentis arbitrium debet ponderare, vt tradit Sanchez 1. *Decalog. cap.* 10. *num.* 17. Et idem dicendum quando præceptum minus secum trahit circunstantias præcepti naturalis, & boni notabilis, Reginald. 2. *tom. lib.* 16. *n.* 33. & 34.

6 Præcipua dubitatio in hac materia esse potest quando quis debet facere vnum opus ex duabus, vel tribus obligationibus, verb. grat. tenetur dicere vnum Rosarium, vel vna die ieiunare, tum ex voto, tum ex iniuncta pœnitentia à Confessore, vel audire Missam ex voto, vel ex iussu Confessoris, vel ex præcepto Ecclesiæ. Feci illud opus, vel credens me vno illo posse satisfacere omnibus obligationibus prædictis: vel feci absque intentione satisfaciendi vlli ex illis obligationibus: post opus factum, cuinam obligationi censendum est fuisse satisfactum? Et primò dicendum est per vnum tale opus non posse satisfieri illis duabus, vel tribus obligationibus. Secundò dicendum est illum satisfeciisse præcepto ibi maiori, ac magis obliganti, quod primò est præceptum Ecclesiæ pro ieiunio, vel Missa audienda. Secundò est obligatio voti. Tertiò est obligatio pœnitentiæ iniunctæ.

7 Potest vno, & eodem tempore aliquis diuersis actibus satisfacere duobus præceptis compatibilibus. Vt simul dicere Officium Diuinum, & audire Missam, vel hanc audire, & dicere, vel implere iniunctam pœnitentiam; est communis Doctorum, maximè Soti *in* 4. *distin.* 19. *quæst.* 2. *artic.* 1. & aliorum. Ratio redditur à Sanchez *cit. cap.* 14. *n.* 11. quia neutra obligatio requirit attentionem ad verba, sed vtrique satisfit attendendo ad Deum, & res diuinas, & ita vna, & eadem attentione satisfit vtrique obligationi. Est inquam

inquam hæc communis opinio, & proinde facientem non condamno. Placet tamen consilium Nauarr. *in Sum.cap.*21.*num.*8. vbi consulit hoc non fieri. Imò ille *cap.quando.de consecrat. dist.*1. *cap.*19. *num.*170. & Caiet.*in Sum.ver.Festorum violatio*, dicunt esse peccatum veniale. Item quod ait Azor.1. *tom. lib.*7. *cap.*5. *q.*3.*&* 4.difficile esse vtrumque præceptum simul implere si attentio habenda sit ad verba prolata vtriusque. Ex his colligit Sanchez proximè citatus *num.vlt.* illum cui Confessor iniunxit vt audiret duas Missas, posse vnica præsentia ambabus simul satisfacere, si ambæ celebrentur coram se in distantia debita.In quo casu minus dubium inuenio : nam præceptum Missæ non obligat ad verba audienda,vt supra diximus *verb. Missæ*:sed solùm requirit præsentiam corporalem cum attentione morali erga Deum, & sacrificium. Immo potius Maior *in* 4. *distin.*12. *q.*8. *dub.*1. *in solutione ad primum* ait posse prædicto modo simul satisfieri tribus Missis.

8 Reginal. *tom.*2. *lib.*16. *num.*21. dicit: Si præceptum poneretur à Prælato vt omnes singulis mensibus vna vice ieiunent, vel dicant Officium defunctorum, non satisfacere præcepto illum, qui ieiunauit quidem vna vice, vel dixit officium, non recordatus illius præcepti:sed teneri postea ieiunare. Nullum pro se Doctorem citat:solùm dicit requiri consensum operantis ad legem implendam, & consensum supponere scientiam. At verius puto, quod tetigi in *hoc verbo*, & dixi clarius supra *ver.Indulgentia*, & *ver. Horæ Canonicæ*, satisfieri obligationi legis faciendo opus materiale præceptum à lege, etiamsi ignoret legem is qui operatur. Vide ibi citatis istis verbis, vbi plures Doctores citauimus.

PRÆ

PRÆDICATORES.

Vide infra ver. *Stigmata Pat. noſtri Franciſci, de prædicantibus contra illa.*

1 REgularis in ſuis Eccleſiis non poteſt prædicare abſque licentia ſui Prælati, & benedictione Epiſcopi. In aliis verò Eccleſiis extra ſuos Conuentus, non poteſt prædicare abſque licentia Epiſcopi. Tridentin. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. Qui verò abſque tali licentia Epiſcopi prædicauerit poterit excommunicatione feriri. *cap. excommunicamus* 1. *de hæreticis.* §. *quia verò.* Illa verò excommunicatio, ibi non eſt lata, ſed ferenda. Sed nota, quod propter hoc ſolùm quod Regularis prædicauerit abſque licentia Epiſcopi, non debet puniri ab Epiſcopo, ſed ab Prælato; ita declarauit Congreg. Cardinal. ſub Clemente VIII. vide infra, *hoc verbo num.* 8.

2 Poſſe Parochum bis, vel ter dare licentiam Regulari valde docto, & graui, & noto, aliàs ibi non approbato, vt prædicet in ſua Eccleſia, tenet Rodr. citans alios *tom.* 3. *q.* 32. *art.* 1. Quod maximè verum erit ſi prædicator ſit in itinere: tunc enim per priuilegium Societatis Ieſu id poterit facere prædicator, Parocho non contradicente: ſed hoc quod dicit Rodrig. non eſt ex priuilegio, ſed ex epichea; ſed nota, quod apponit, ſi ſit valde doctus, & cognitus: aliàs non poterit, illud verò de priuilegio Societatis, eſt quod Religioſi illius poſſint dum ſunt in itinere prædicare vbique in via, etiam ſi ibi non ſit approbatus (intellige quod ſit à parte rei alibi approbatus ad prædicandum) ſi tamen ibi ſit Epiſcopus, non poteſt abſque eius licentia; & Parochus non contradicat: neque huius

huius rei gratia diuertat ab itinere. Compend. Societ. *verb. Confessarius* § 2.

3 Clemens V. *Clementina* 1. *de priuileg.* sub obedientia, & maledictione æterna prohibuit Regularibus, primò ne in sermonibus ad populum detrahant Ecclesiæ Prælatis. Secundò, ne retrahant laicos à frequentia, vel accessu suarum Ecclesiarum. Tertiò, ne Indulgentias pronuncient ad populum indiscretas.

Circa hanc verò prohibitionem, & quod tangitur primo loco, de detradendo Ecclesiæ Prælatis, nota quod postea Leo X. in Concil. Later. posuit excommunicationem ipso facto contra prædicatores detrahentes in publico Episcopis, & Prælatis reseruatam Papæ. Ait tamen Nauar. *in Sum. cap.* 27. *num.* 145. hanc censuram non fuisse receptam. At in Clementina Papa iubet in textu quod prædicantes contra aliquid ex supradictis per duos menses subiaceant pœnis grauioribus quæ per regulam & statutum solent imponi in sua Religione; quæ pœna grauis est, & grauissima.

Sed quæris primò, an per Prælatos Ecclesiæ intelligantur etiam Prælati Regulares; si illis detrahatur in sermone? Credo quod sic: quia lex ibi generaliter loquitur, & non limitat, & proinde neque nos limitare debemus. Et Prælati Regulares sunt verè Prælati ordinarij. Et Azor. 2. *tom. lib.* 3. *cap.* 25. ait nomine *Prælati* in iure intelligi etiam Abbates, & cæteros ordinarios. Et illos qui præsunt Ecclesiæ collegiatæ, quales sunt omnes Prælati Regulares conuentuales siue locales. Vnde qui non fuerint verè Prælati ordinarij, si contra illos prædicatum fuerit, non poterunt prædicatores de hoc accusare, quidquid sit de horum peccato.

Quæris secundò, quomodo intelligenda sit hæc detractio de prælatis? Respondet glos. *cit. Clement. verbo*

verbo (*detrahant*) quod non requiritur vt expressè nominetur Prælatus; sed sufficit quod talibus verbis, & circumloquio exprimatur, vt circumstantes moraliter intelligant pro tali Prælato id fuisse dictum, & sic ratio moralis dictat.

Quæris tertiò quæ sint Indulgentiæ indiscretæ? R. primò esse illas quæ nunquam fuerunt concessæ. Secundò, sunt illæ quæ sunt reuocatæ. Tertio, sunt illæ quæ sunt dubię, & non possunt probari litteris authenticis, vel traditione indubitabili.

4 Idem Clemens V. sub excommunicatione latæ sententiæ prohibet Prædicatoribus ne in concione, vel extra illam retrahant populum à solutione decimarum. Et eadem censura ligat omnes alios Regulares qui in confessionibus audiendis, vel quomodocumque oppositum fecerint. Nau. *in Sum. Latina. cap. 27. n. 145.* & alij.

5 Prædicatores asserentes in sermone, illos peccare mortaliter qui asseruerint Deiparam matrem caruisse peccato originali, vel peccare recitantes particulare officium Conceptionis, vel audientes sermonem Conceptionis Deiparæ: hi, inquam, omnes incurrunt excommunicationem, per *extrauagantem graue nimis, de Reliq. & venerat. Sanct.* incurrunt etiam pœnas suspensionis, & inhabilitatis positas à Pio V. in Bulla particulari hac de re promulgata, neque item licitum est prædicatori dicere ab oppositio, peccare mortaliter illos qui dictam Deiparam non credunt caruisse originali. In *eadem extrauaganti.* Neque item per Bullam Pij V. licitum est Theologis in conspectu populi habere de hoc disputationes in sermone vulgari: bene verò in lingua Latina.

6 Non prohibetur tamen ab Ecclesia quin pars affirmatiua pro immaculata B. Mariæ Conceptione possit

ſimpliciter prædicari, confirmari ac perſuaderi. Sed ſolum prohibetur diſputatio, controuerſia, & contentio, qua vel pars altera damnetur vt hæretica, & peccaminoſa: vel ad populum fiat vulgari ſermone. Suar. *tom. 2. de Incarn. diſp. 27. ſect. 6. ad finem.* Non tamen poſſunt in ſermone refutare opinionem oppoſitam D. Thom. cum rationibus: per eandem Bullam Pij V. poſſunt tamen probare dictis Sanctorum illam caruiſſe originali. Et hæc per dictam Extrauag. & Bullam Pij V.

At nouiſſimè cùm hæc ſcriberem, ſanctiſſimus DD. Paul. V. hoc anno 1617. Motu proprio ſub grauibus pœnis prohibuit (videlicet excommunicatione, à Sixto IV. poſita *in ead. Extrauag.*) prohibuit, inquam, vt nullus in concione ad populum, vel actibus publicis, intellige, lectionibus, concluſionibus, diſputationibus teneat, vel defendat opinionem D. Th. dicendo B. V. conceptam cum originali, idque propter ſcandalum fidelium. Ait tamen Pontifex, quod per hoc non intendit diffinire partem negantem: imò prohibet ne in actibus publicis Prædicatores, vel lectores dicant opinionem D. Thom. eſſe peccaminoſam, vel hæreticam, ſicut Sixtus IV. & Pius V. decreuerant. Imò iubet D. Paulus V. quod in publico opinionem D. Thom. non impugnent; nec de illa aliquo modo agant, ſeu tractent. Et concedit Epiſcopis, & Inquiſitoribus vt procedant contra oppoſitum facientes. Itaque præcipuum intentum eſt ſolùm prohibere ne in actibus publicis opinio D. Thom. defendatur, vel proponatur, propter ſcandalum fidelium.

7 Prædicator Regularis ab Epiſcopo iam approbatus, non poteſt prædicare etiam in ſuis domibus ſi Epiſcopus id ſpecialiter prohibuerit. Et hoc intellige etiam ſi ipſe Epiſcopus non prædicet: licèt enim Pius V. in quadam Bulla declarauerit illam prohibitionem Epiſcopi

ſcopi ſolùm tenere quando ipſe Epiſcopus prædicauerit:tamen Gregor.XIII. illud reuocauit poſtea in Bulla quæ incipit,*In tanta rerum*, & reduxit ad terminos iuris communis. Et ita reſponderunt quinque Doctores conſulti hac de re Conimbricæ anno 610.

8 Circa proximè dictum accedit declaratio Cardinalium quæ loquens de Prædicatoribus ſic ait. Hos,& quoſcumque alios ab anteceſſore ſuo approbatos ; à prædicatione poterit ſuſpendere(id eſt, Epiſcopus)Attendant tamen Epiſcopi propter quas cauſas id imperent. Volumus namque quod ſi illicitè iuſſerint, ad ius lis deferatur,& interim ceſſent:Sic *ibi*.

9 Prædicator Regularis finita prædicatione poteſt concedere populo 140. dies Indulgentiæ,ex Compen. D.Hieron.in Hiſp.*ver. Prædicator*.§.1.& 2.Neque puto hanc Indulgentiam eſſe reuocatam à Paulo V. quia non eſt conceſſa Fratribus,ſed ſæcularibus.

10 Non poſſunt Prædicatores cuiuſcumque Ordinis ſint,prædicare in Eccleſiis Monialium ſubditarum Minoribus de Obſeruantia,niſi de licentia ſuperiorum earundem Monialium,prohibuit Clem. VIII. Bulla propria in Bullar.Rodrig.*fol* 1226.& vltra peccatum mortale comminatur pœnas alias inferendas. Noto quod hoc tantùm præcipitur pro Regno Portugallię. Et noto ſecundò,quod confeſſores Monialium,neque Guardiani illius territorij poſſunt dare talem licentiam:Papa enim dicit dandam eſſe licentiam à ſuperioribus Monialium,& illi duo non ſunt Superiores illarum in Ordine Minorum.Imò neque Abbatiſſa poteſt dare illam licentiam,quia Papa dicit dandam à Superioribus : & per Superiores non intelliguntur Abbatiſſæ.

11 Bonifacius VIII.& Clemens V.conceſſerunt Dominicanis,& Minoritis,vt poſſint prædicare in plateis communibus : excepta illa hora qua Prælati prædica-

verint, vel fecerint coram se prædicare; intellige quod sint ab Episcopo approbati. Compend. *ver. Prædicatores.* §. 9. At in Ecclesiis parochialibus contradicente parocho non possunt prædicare, nisi Episcopus oppositum iubeat. *Ibid. in Compend.* Illud verò quòd dicitur de prędicatione in plateis publicis, intellige absque licentia diœcesani potita, vel aliorum prælatorum, vt dicitur in eodem Compend. *eodem verb.* §. 11. secus si specialiter Episcopus contradicat quo ad plateas, tunc enim cessandum.

12 Potest Episcopus priuare officio prædicationis Regularem, qui etiam in suo Conuentu ad populum prędicat errores, aut scandala disseminat: quod si hæreses prædicauerit ad Tribunal Sancti Officij deferendus est. Tridentin. *sess. 25. cap. 2. §. si verò quod absit.* Ibi tamen & Concilium ait, vt curent Episcopi, ne prędicator ex falsis informationibus, vel ex calumnia vexetur, iustámve causam habeat conquerendi de ipso Episcopo.

13 Concilium Tridentin. *sess. 24. de reform. cap. 4.* iubet vt prædicetur ad populum saltem omnibus Dominicis diebus, & festis solemnibus. Hoc dato Vicarius generalis, vel pedaneus alicuius oppidi non vult vt tali die prędicetur in tali Ecclesia ex diebus illis assignatis: Magistratus verò sæcularis, siue corrector loci, iubet prędicari: quæritur quis prędualeat? Respon. quod potest dictus Magistratus sęcularis mandare vt prædicetur, non obstante prohibitione Vicarij: quia tunc Magistratus exequitur decretum Concil. Tridentin. quæ executio commendata est etiam Magistratui sæculari à Pio V. in Bulla particulari. Sic Rodriguez *tom. 2. quæst. 63. art. 19.* in facti contingentia fuisse iudicatum Osnæ: & pro hoc citat Doctores: quia quando inferior non vult exequi mandatum Superioris, id potest facere

is ad

is ad quem ſpect :, habens etiam mandatum à Superiore:res tamen attendenda eſt cum ſuis circumſtantiis occurrentibus.

14 Leo X.in Concil. Lateran. prohibuit ſub excommunicatione reſeruata ne vllus prædicator prædicet miracula falſa, aut incerta:vel prophetias quæ ex ſacra ſcriptura non conſtant. Compendium *verbo Prædicator.*§.21.circa hanc tamen cenſuram Leonis vide ſupr. *n.*3.§.*circa hanc*.

15 In Compend.*ver.Indulg.quo ad ſæculares* 5.ponuntur multę Indulgentiæ, conceſſæ à variis Pontificibus iis ſæcularibus qui interſunt prædicationibus Fratrum Minorum,& Prædicatorum, quas Indulgentias ibidem collector epilogans ait facere magnum numerum, quas ibi vide;& has puto non eſſe reuocatas à D.Paulo V.quia non ſunt conceſſæ Fratribus directè.Et conceſſæ vtrique Ordini ſunt per varios Pontifices anni octodecim,& dies 122. Et nota,quod debent prædicatores illas concedere in communi; ſi enim non concedant innuit Collector *ibi*,quod non lucrantur fideles. Et ille numerus proximè dictus, poteſt concedi vbicumque prędicauerint: at in ſuis domibus poſſunt concedere centum dies vltra, & ſic erunt pro ſuis domibus anni 18. & dies 322. Et plures ibi dies aſſignantur quando prædicant in ſuis domibus in quadrageſima feriis 2.4. & 6.tunc enim poſſunt concedere vltra prædicta 138. annos.Collector *ibidem*.

16 Greg. XIII. in Bulla 28.concedit Patribus Societatis Ieſu aliàs idoneis,etiam ſola prima tonſura initiatis, vt poſſint vbique prædicare verbum Dei de licentia ſuorum Prælatorum. Intellige etiam de licentia Epiſcopi. Debent tamen Epiſcopi eos non prohibere, ſi aliàs ſint idonei non obſtante ſola prima tonſura. Refert Ioan. à Cruce *in ſua Epitom.lib.*1.*c.6.dub.2.concl.*2.

Adde quòd prædicare non est actus Ordinis sacri, neque Officium diuinum prohibitum interdicto, aut suspensione à diuinis. Sà *in Aphor. ver. Prædicare. num.* 1.

PRÆLATVS.

Vide supra. ver. *Abbas.* verbo *Dispensare.* verbo *Generalis.* verbo *Guardianus.* & verbo *Prædicatores. num.* 3. & verbo *Licentia.*

1 IN Ordine Minorum nomine Prælatorum quibus committitur aliqua absolutio, dispẽsatio, & similia, in Bullis, vel statutis Ordinum, intelliguntur sequentes, Generalis, Cõmissarius generalis, Prouincialis, Custos, Guardianus. Ita Corduba *ad Compend. verb. Guardianus.* §. 1. Sed nota, quòd Custos de quo ibi, est Custos qui sub se habet Conuentus, & Guardianos subditos, vt hodie vigent in Italia, & in aliquibus Prouinciis: hi enim sunt veri Prælati, & vocant subditos ad Capitulum custodiale. At Custos electus in Ordine Minorum mittendus ad Capitulum generale, non est Prælatus: Licèt enim Rodrig. *tom.* 1. *q.* 70. *art.* 2. dixerit illum esse aliquo modo prælatum; dictum tamen retractat *Addit. ad Sum. tom.* 4. *cap.* 103. *concl.* 1. Hinc colliges Vicarios Conuentuum, non esse veros prælatos, neque præsides, neque hos duos habere iurisdictionem, vel gaudere concessis illis Prælatis, per priuilegia, & statuta, nisi quando priuilegia & statuta id exprimunt pro Vicariis etiam, & præsidentibus, vt solent exprimere aliquando in aliquibus; vt videre est supra *ver. Horæ Canonicæ, Ieiunium*, & infra *verb. aliis.* Aliæ verò Religiones suas constitutiones attendant.

2 Hi omnes possunt delegare, id est, committere alicui vt faciat omne illud quod ipsi possunt ex officio ordina

dinario : probatur , quia hi omnes habent potestatem ordinariam. Vnde Guardianus potest committere cuiuis Fratri, vt admittat ad professionem aliquem Nouitium: & professio facta in manu illius Fratris erit valida. Quod verò habens potestatem ordinariam possit illam delegare, vide Sà *in Aphor. verb. Delegare n.* 1. vbi ait quod etiam Vicarius Guardiani in huius absentia potest delegare. Vide etiam Rodrig. *tom.* 1. *quæst.* 12. *art.* 11. vbi ait potestatem datam per priuilegium esse potestatem ordinariam. Dixi *ex officio ordinario* ; quia si hi prælati habent aliquid sibi concessum à Papa vel à statuto quod ipsi soli per se faciant, tunc hoc peculiare non poterunt delegare. Exemplum habes supra *verbo Abbas num.* 6. de concessione illa Pij V. vt hi prælati in foro animæ possint circa subditos, omnia quæ possunt Episcopi in eodem foro cum suis : cùm enim ibi dicat Papa, id debere facere per seipsos, hanc potestatem absoluendi non possunt aliis committere. Et sic de similibus in quibus hi prælati fuerint iam restricti, vel delegati aliorum.

3 Ob proximè dictum possent prouinciales Minorum committere Guardianis vt reciperent Nouitios ad Ordinem, maximè cùm id concedatur illis in iure *c. exiit. de verborum significatione*. At hæc potestas delegadi pro Nouitiis recipiendis est illis restricta per Capitulum generale Tolletanum. *c.* 1. vbi prouinciales prohibentur hanc potestatem delegare, potest enim Generalis hanc potestatem illis limitare iuxta dicta *cit. cap. exiit*. Et proinde illam non possunt committere aliqui absque licentia Generalis. Alij videant suarum Religionum statuta.

4 Hi omnes habent dignitatem Ecclesiasticam, id est, sunt personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, Sà *in Aphoris. verbo Prælatus*, & proinde quoties in

litteris Apoſtolicis vel in iure, requiritur, vel cõmittitur aliquid alicui perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ, id etiam de Guardiano,& cæteris debet intelligi.

ELECTIO PRÆLATORVM.

CIrca prælatorum electiones dictum eſt fusè ſupra *ver. Electio*, vide ibi per totum. vide etiam *ver. Illegitimus.& ver. Diſpenſare.& ver. Officia Ordinis. n.7.*

PRÆLATI IVRISDICTIO PRO foro externo.

5 GEnerales,& prouinciales habent erga ſuos ſubditos poteſtatem quaſi Epiſcopalem. D. Thom. *2.2. quæſt.33. art.7. ad 5.& cap. Epiſcopus. §. ſi ergo 11. quæſtion.3.* Imò in parte habent maiorem Epiſcopali: quia prælati Regulares habent poteſtatem,& ſupra animas, &ſupra corpora,& lites etiam corporales,&quaſi ciuiles ſubditorum dirimunt, quas non dirimunt Epiſcopi cum tam ampla, & totali iuriſdictione erga ſuos ſubditos. Cum quo ſtat quod iuriſdictio Epiſcopi ſimpliciter eſt maior in ſpiritualibus, ac dignior. Imò ait Sanchez *libr.8. de Matrimon. diſp.3. num.9. & diſputat.1. num.13.* quod etiam prælati Conuentuum habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem erga ſuos ſubditos in foro interno. Quod verificatur bene per dictum ſupra *verb. Abbas. num.6.*

6 Prælati Conuentuales in foro externo habent minorem poteſtatem quàm prouinciales, quæ videatur in cuiuſque Ordinis ſtatutis. At in foro interno circa ſuos ſubditos, habent omne illud quod habent prouinciales in tota prouincia. Vide ſupra *citato verb. Abbas. num.6.*

7 Ean

7 Eandem poteſtatem quam habent Prouinciales erga Fratres, habent etiam erga Moniales ſi quas habent ſubditas, idque authoritate Apoſtolica. In Ordine Minorum ſunt Clariſtæ 1. & 2. Regulæ, Tertiariæ aliquæ,& conceptionis Beatæ Mariæ in Hiſpania.

8 Quam poteſtatem habeant benedicendi ornamenta, & res Eccleſiaſticas, vide ſupra, *verb. Benedicere.*

9 Prælati Regulares non habent poteſtatem dominatiuam per iuriſdictionem erga Nouitios. Nouitij enim nondum ſunt ſubditi, quia nondum Prælato ſubiugarunt voluntatem. Sanchez *lib.* 9. *de Matrimon.diſp.* 39.*num.* 44. & tamen *ibi num.* 45. tenet quod poſſunt Prælati irritare vota Nouitiorum, ſiue facta in ſæculo, ſiue in nouitiatu. Pro quo citat Sylueſt. *Votum* 4. *quæſt.*7.*dicto* 3. Negat tamen hoc de irritatione vóti erga Nouitios, Rodriguez ſupra citatus *ver. Diſpenſare.num.*13.cuius dictum puto probabilius, & de hoc fortè adhuc infra *ver.Votum.*

Non obſtante verò, quod proximè dictum eſt, de Prælato non habente iuriſdictionem erga Nouitios, notandum valde eſt quod ait Nauar.*lib.* 3. *conſil. tit. de Regular. conſil.*59. poſſe Prælatum procedere contra Nouitium de quo eſt præſumptio magna quod Religioſum occiderit, & formare proceſſum contra illum: & proinde innuit poſſe illum punire. Et videtur hoc probari poſſe, quia tunc Nouitius fit ſubditus ratione delicti: quod autem extraneus ratione delicti ſit ſubditus legibus illius Prælati in cuius territorio exiſtit, tenet clarè Suarez *to.de legibus.l.* 3. *c.*33. & Sayrus *l.*1.*de cenſur.cap.*7.*num.* 9. qui dicunt extraneos in alieno territorio teneri ad pœnam territorij,ratione delicti. Hoc ipſum cum Nauarro tenet Rodrig. circa Nouitium puniendum à Prælato ob tale crimen, *tom.*1.

quæst. 2. articul. 10. vbi addit talem Nouitium fore torquendum ob defectum probationum. Et *ibidem* probat ex Panorm. quod Iudex sæcularis non potest talem Nouitium punire manentem cum habitu, quia quamdiu sic manet gaudet priuilegio Clerici. Et in fine articuli resoluit iurisdictionem Prælati parificari in hoc quo ad professos, & quo ad Nouitios.

10 Hæc potestas externa Prælatorum in puniendis criminibus, est omnino plena, & adeo extensa, vt possint pro culpis eiicere ad triremes: & ad exilium supra *verbo Eiicere*, possunt etiam illum tradere brachio sæculari, prius tamen degradatum realiter per Episcopum. Probatur ex Bulla 63. Pij V. quæ incipit, *Ea est officij nostri.* in qua Generali Minorum dat plenum ius in spiritualibus, & temporalibus circa Tertiarios sibi subditos. Et quo ad degradationem verbalem tenet expressè Aldrete *lib. 1. de Disciplin. Relig. cap. 3. à numero 22. & sequentibus.* vbi ponit casum, in quo quatuor Fratres vnius Ordinis in Hispania traditi sunt brachio sæculari, eò quòd suum Prouincialem interfecerunt. Quod prius scripsit practica criminalis Salzedo *cap. 96. aliàs 97.* Sed tamen credo, quòd non possint Prælati Ordinis ob crimina quantumuis atrocia tradere Regularem Curiæ sæculari, absque licentia Papæ: nam illorum priuilegia solùm concedunt vt mittant in exilium, triremes, vel carcerem perpetuum, & in illo casu relato è Salzedo interuenit commissio Papæ facta Archiepiscopo Hispalensi qui fuit Iudex cum aliquibus Religiosis.

Hinc colliges, quod si ad punitionem criminum tanta est potestas Prælati Regularis erga subditum; ad cirationem, & consolationem saltem æqualem habebunt: ad absoluendos, inquam, subditos, &c. de quo statim. Sunt verò aliqua quæ pertinent ad iurisdictio

dictionem Prælati non contentioſam vt ita dicam, ſed circa diuerſos actus externos; quæ ſic accipe, pro præcipuis tantùm, neque enim eſt mens, nec poſſibilitas omnes caſus attingere: pendent enim multa à iure communi, Conciliis, priuilegiis, & ſimilibus. Et præterea multa quæ non poſſunt, quæ etiam ſparſim poſita ſunt in hoc tractatu multis locis.

11 Prælatus ſciens per confeſſionem tantùm ſubditum ſuum in tali loco, vel officio particulari quo ad animam, non poteſt illum ad alium locum transferre: eſſet enim ſaltem indirectè frangere ſigillum confeſſionis. Rodriguez *Addit. ad Sum. tom. 3. cap. 85. numer. 3.* Et probatur ex Motu proprio Clement. VIII. pro caſibus reſeruatis, vbi idipſum in ſubſtantia decernit. Secus ſi Prælatus ſciat extra confeſſionem, etiam ſecretò, & id poſſit facere abſque ſcandalo.

12 Non poſſunt Prælati Superiores vt Generalis diſpenſare in pœna poſita à Prælato inferiori, videlicet Prouinciali, abſque licentia, & conſenſu eiuſdem inferioris, colligitur ex Trid. *ſeſſ. 14. de refor. cap. 1.* Excipe ſi inferior qui pœnam poſuit iam mortuus eſt, vel vacauit: tunc enim poteſt, poterit etiam ſi caſus deuolutus eſt ad Superiorem per appellationem. Rodrig. *Addit. ad Sum. tom. 3. capit. 122. concl. 2. & tom. 1. qu. 22. art. 8.*

13 Vide ſupra *verbo Officia Ordinis*, vbi dicitur non poſſe Prælatum priuare officio ſubditum ob culpam commiſſam abſque dolo, ſed animo ſimplici.

14 Non poſſunt Prælati eiicere à prouincia omnes extraneos in illa iam incorporatos, abſque culpa. Redundat enim hoc in infamiam illorum: & proinde eiecti poterunt per modum querelæ ad Superiorem recurrere. Vega *in Sum. 2. parte verb. Religioſus caſu 41.* Imò neque vnum incorporatum poſſunt eiicere, ſi

prius

prius non audiatur. Nauar. *lib.2. Consilior. titul.de sentent.& re iudicata,consilio 1.*

15 Possunt aliquando inferiores dispensare in lege Superiorum in aliquibus casibus. primò, quando est consuetudo. Secundò, quando res parua, & foret intolerabile Superiorem adire. Tertiò, in casibus frequenter contingentibus vt ieiunio, officio diuino, & similibus. Medina *1.2.quæstio.57.art.4.*

16 Prælati Regulares, tenentur ministrare Sacramenta suis subditis in extrema necessitate(id est,quando per alios id facere non possunt) & ad hoc tenentur etiam cum periculo propriæ vitæ, vt tempore pestis, vel alio simili.Est communis Doctorum.

17 Non possunt prælati Regulares allegare ignorantiam in illis quæ spectant ad suum officium: vnusquisque enim artifex, etiam mechanicus, tenetur scire spectantia ad suum officium. Rodriguez *tom.2. quæstione 72. artic.2.* Hoc intellige pro foro externo, & ad subeundam pœnam temporalem. Nam in foro interno, & coram Deo poterit excusari ignorantia saltem inuincibili:nam homo est & nullus potest omnia scire. Imò in materia iuridica, & legum, ait Nauarr. *libr.5. Consilior. titul. de sentent. excommunicat. consil.42.* reprobari in Monachis nimiam curiositatem in sciendis rebus, ac disputationibus forensibus.

18 Tenetur prælatus Regularis subditis prouidere de rebus temporalibus:ac proinde in hoc magis obligantur quàm Episcopi, qui ad hoc non tam præcisè tenentur. Rodriguez *tom.2. quæstione 73. artic.3. prope finem.*

19 prælati Superiores, non possunt restringere potestatem inferiorum absque iusta causâ: si verò id faciant absque iusta causa, peccabunt, quia aufferunt

alie

alienum, & faciunt iniuriam absque causa. Rodriguez *tom.* 1. *quæstione* 17. *articul.* 7. Et hoc idem præcipiunt statuta generalia Minorum Tolletana, *prope finem*, *in titulo de officiis*, dicentia quod prælati Superiores, non perturbent inferiores in executione sui officij: aliàs magnum sequentur, vt plurimum, inconueniens.

20 Prouinciales concedentes alicui subdito licentiam, vt possint dispensare cum impeditis ad petendum debitum ob incestum, vel votum, non possunt datam licentiam reuocare absque causa iusta: faciunt enim iniuriam illi qui habebat. Rodriguez *cit. quæstione* 17. *art.* 11. Si verò prouincialis qui illam concessit moriatur, vel in officio expiret, subditus illam conseruat, neque opus est vt aliam petat à suo successore. Rodriguez *ibidem.*

21 Contra prælatum difficilius admittendæ sunt accusationes, & querelæ, & si admittantur qualificata indigent probatione, nam, vt ait Concil. Lateranens. prælati sunt positi quasi signum ad sagittam, & quia omnibus placere non possunt multorum odia incurrunt. et ideo quo prælatus grauior est, maiores contra ipsum requiruntur probationes. *cap. qualiter, & quando. de accusat. cap.* 2.

PRÆLATI POTESTAS AD *absoluendos subditos.*

VIde supra, *verb. Ordines sacri. num.* 14. de absolutione à suspensione incursa propter Ordines malè susceptos. & *verb. Abbas numero* 6. de concessione Pij V. Patribus Dominicanis, est enim illa maior omnibus absolutè per quam conceditur Prælatis respectiuè vt possint per se ipsos in foro conscientiæ

omnia

omnia quæ possunt Episcopi cum suis diœcesanis. Et idem intellige quod possint circa suas Moniales.

22 Alexand. VI. concessit Minoritis vt illorum Generalis, vel Prouincialis, possint absoluere subditos, qui existentes in sæculo portarunt arma, & cætera prohibita ad terras infideles. Compend. Min. *verb. Absolutio ordinaria quo ad Fratres.* § 19. Sed iste casus est Bullæ Cœnæ. Et proinde vide supra *ver. Abbas. nu.* 11. & *verbo. Bulla Cœnæ.*

23 Potest Generalis Ordinis per se, vel per alios à se deputatos, absoluere subditos ab omnibus peccatis cõmissis ante vel post ingressum Ordinis, & à quibuscuis censuris reseruatis Papæ, excommunicationis, suspensionis, interdicti, cæterisque pœnis, dummodo his non sit aliquis nominatim comprehensus. Concessit Gregor. XIV. Ordini Ministrorum infirmorum. Refert Capucinus *ad Compend. 1. parte fol. 27. & ibidem* concessit, vt possint dicti Prælati Generales habilitare subditos inhabiles, & infames. Et hoc idem possunt inferiores, quibus ipsi commiserint. Vide Rodriguez *1. tom. quæstione 20. articul. 4.* Hoc tamen non possunt facere dicti Prælati nisi facta prius debita pœnitentia, & satisfactione, vt ibi Rodrig. *art. 5.*

24 In Compend. Societatis, *verbo Absolutio* §. 7. & 8. *& ibidem* §. 3. dicitur quòd possunt eorum Generales, & Prouinciales absoluere suos ab hæresi occulta. Ego hoc non dico, sed dico quod ibi dicitur. Et remitto me ad id, quod ego dixi *verb. Hæresis*, & *ibidem* dicitur §. 14. quòd Gregor. XIII. concessit vt possint absoluere subditos legentes libros prohibitos, in locis in quibus possunt absoluere ab hæreti.

25 Possunt prælati Regulares absoluere suos si sint excommunicati nominatim in foro externo, satisfacta prius parte. Rodrig. *ibi art. 6.*

26 Cir

26. Circa caſſus Bullæ Cœnæ an poſſint aliquid Prælati circa ſubditos, vide ſupra *verb.. Abbas numer.* 11.

27 Abſolutiones præcedentes, & ſubſequentes, ſi dari debeant à Prælatis circa peccata, debent fieri omnino intra Sacramentum pœnitentię; extra quod non remittitur peccatum per abſolutionem. Si verò abſoluant tantùm à cenſuris annexis, id poſſunt facere extra Sacramentum: Rodrig. *articul.* 7. *citata quæſt.* 20. *& eod. tom.* 1. *quæſtio.* 61. *art.* 7.

28 prædictæ conceſſiones abſoluendi à reſeruatis Papæ, etiam extenduntur ad abſoluenda illa quæ ſucceſſores Papæ reſeruauerint; niſi ſubſequentes prædictas Conceſſiones reuocauerint; & Ordinis priuilegia: ſimiles enim Conceſſiones generales debent iſto modo extendi. Rodr. 1. *tom. quæſt.* 20. *art.* 8.

29 Poſſunt prædicti abſoluere ſubditos à ſimonia commiſſa in collatione beneficij, ſeu officij, idque toties, quoties. Rodriguez 1. *tom. quæſtione* 20. *articul.* 13. Ibi tamen ait, non poſſe Prælatos abſoluere ſubditos à ſimonia commiſſa in receptione Ordinis ſacri. Quia, inquit, Sixtus V. in ſua Bulla contra Clericos malè promotos reuocauit abſolutionem huius ſimoniæ, & aliàs ibi, dicens quòd non poſſet impendi ab vllo etiam Regulari, per quodcumque priuilegium, etiam Maris Magni, omnia enim ibi reuocat etiam quod ad Regulares. et quanuis Clemens ipſe VIII. poſtea hanc Bullam Sixti V. reuocauit quo ad alias pœnas ad terminos iuris communis: *ibidem* tamen Clemens exprimit quod pœnæ contentæ in ead. Bulla Sixti contra ſimoniacos in ordine, maneant in ſuo robore antiquo: & proinde infert Rodr. quod à prædicta ſimonia in ordine, non poſſunt Prælati ſubditos abſoluere. At ſaluo meliori iuditio, ego credo quod poſſunt.

possunt. Si enim iuxta ipsum Rodr. & alios citandos infra *ver. Priuilegij confirmatio. num.*33. quando papa successor confirmat priuilegia Ordinis ex certa scientia, reualidat priuilegia etiam si essent reuocata per suos antecessores: vt ibidem probabitur. constat quod post illam Bullam Sixti V. Clem. VIII. confirmauit priuilegia Minorum ex certa, scientia, vt patet ex Bulla ipsius posita in Bullario Rodrig. *fol.* 1201. ac proinde ibi reualidantur priuilegia reuocata à Sixto, per quæ olim Regulares poterant absolui per suos prælatos etiam ab ista censura. Et licèt Clemens ipse VIII. vt ait Rodr. in sua Bulla reducente Bullam prædictam Sixti ad ius commune reliquerit prædictas pœnas, circa simoniacos in ordine intactas, & in suo robore, aduerto quod idem Clemens nostra priuilegia confirmauit vno anno postquam ediderat Bullam illam moderatoriam Sixti, vt videre est in eod. Bullar. Rodrig. *fol.* 1237. Nam nostra priuilegia confirmauit ex certa scientia anno 1597. prædictam verò Bullam moderatoriam Sixti ediderat ante anno 1595. Neque hîc poterit obstare non vsus circa hanc absolutionem, ex eo scilicet quod à tempore Sixti, vsque ad tempus Clementis VIII. prælati non absoluebant ab illa ob reuocationem Sixti. Tale enim spatium, non continet tempus ad faciendam præscriptionem non vsus: quod probo ex ipso Rodriguez qui 1. *tom. quæst.* 8. *articul.* 3. dicit quod in simili materia non vsus in priuilegiis intra Pium IV. & Sixtum V. solùm præcesserunt anni 28. qui non sufficiunt ad faciendam præscriptionem non vsus, quin possimus vti vno priuilegio ibi citato, quod reuocauerat Pius IV. Et postea Sixtus V. confirmauerat nostra priuilegia ex certa scientia, quod in præsenti materia potest applicari: & maiori iure, quoniam multo minus spatium cucurrit inter

inter Sixtum,& Clement. Et præterea D. Paul.V.licet in ſua confirmatione noſtrorum priuilegiorum, non dixerit ex certa ſcientia:dixit tamen quod innouabat:& quod confirmabat priuilegia confirmata eadem noſtra à Clem. VIII. qui tamen, vt dixi, confirmauit ex certa ſcientia : Vide infra *verb.Priuilegium numer.30. per totum.*

30 Prælati habentes poteſtatem quaſi Epiſcopalem, poſſunt abſoluere ſubditos à ſuſpenſione à diuinis,maximè ſi ſit occulta. Rodr.*quæſt.*20.*art.*14.*ad finem.* Imò poſſunt, etiam ſi ſit publica, & perpetua, dummodo non ſit reſeruata:& poſſunt abſoluere à cenſuris incurſis ob indebitam ſuſceptionem Ordinum ſi in iure non reſeruentur Sedi Apoſtolicæ,& ibidem non interuenit ſimonia in Ordine. Sic ibi Rodrig. *cum art.*13. *præced.* Sed tu pro abſolutione ſuſpenſionis ob Ordinem receptum ante ætatem vide ſupra *ver.Ordines ſacrum.*14.*per tot.* Et pro ſimonia vide *n.*29. huic antecedente.

31 Poſſunt Prælati abſoluere ſubditos à cenſura incurſa ob contemptum clauium.Rodrig.*cit.q.art.*15.& à cenſura incurſa ob peccatum factum ob confidentiam priuilegiorum.*ibid.art.*16. Tunc verò peccatur in contemptum clauium quando quis non vult ſubmittere ſe poteſtati Eccleſiæ, putans illam eſſe intolerabilem,iniuſtam,duram,indiſcretam in ſuis præceptis. D. Tho.2.2.*q.*186.*art.*9.*ad*3. ſecus ſi noluit ſubiici ex ira, odio,paſſione repentina,&c.

32 Per conceſſionem Eugenij IV.factam Ciſtercienſibus poſſunt Generales ſemel in vita, abſoluere ſuos ſubditos ac Nouitios, ac donatos ab omni irregularitate,& inhabilitate contractis ante, vel poſt ingreſſum Ordinis, etiam Papæ reſeruatis ex quacunque cauſa, iniuncta pœnitentia ſalutari pro modo culpæ. Refert

Rodriguez 1.*tom.q.*20.*art.*20.Sed notat Sayrus quod si Prælatus absoluat Nouitium propter iniectionem manuumviolentarum factam in Nouitiatu, & ille egrediatur ab Ordine:reincidit in illam excommunicationem.Sic Sayrus *lib.3.de censur.cap.*28.citans Astensem. Et sumitur motiuum ex *c.eos,qui.de sentent. excom.in 6.* De hoc tamen iam dixi sup.*ver.Nouitij absolutio,n.*32. & 33. Quod saltem videtur, quod si prædictus Nouitius absoluatur ibi in foro sacramentali à confessore sæcularium (qualis de ordinario est magister illorum) talis Nouitius exiens ab Ordine non reincidet : quia ille confessor sæcularium per Bullam Paul. III. potest absoluere sæculares ab hac censura *canonis si quis suadente*, absque eo quod reincidant : ergo idem confessor sæcularium poterit absoluere etiam Nouitium absque eo quod reincidat. Neque verò *capit. eos qui, de sentent. e communicat.* iuuat Sayrum : quia ibi absolutus in mortis articulo à censura reseruata, vel extra mortem ob necessitatem,& nollens postea se præsentare potenti absoluere à censura reseruata, si inquam,iste sic primò absolutus reincidit postea in eandem censuram, est, quia ille prior absoluens in tali articulo ex se, ac directè non habebat potestatem absoluendi; sed absoluit solum pro tali articulo, & sub tali conditione, vt se præsentet si euadat : at Prælatus absoluens Nouitium, potest directè illum absoluere ex priuilegio. Et illius priuilegium non exprimit vt absolutus Nouitius,egrediens se præsentet Episcopo : sicut exprimitur in *c. citato* circa absolutos ab aliàs non potente.

33 Omnia prædicta possunt Prælati etiam circa Moniales,& Nouitias,& circa Monialium seruitrices.Quinimò, & Confessores Monialium hæc omnia possunt circa illas.Iuxta supradicta,*ver.Moniales.n.*12.& Rodr.

tomo

tomo 1.*quæst*.20.*art*.21.22. *&* 23. & idem possunt circa Nouitios.

34 Absolutio data à Prælato virtute alicuius priuilegij,quod ipse ignorat,valet,si à parte rei datur illud tale priuilegium per quod illi conceditur posse absoluere.Rodrig.*q*.20.*cit.art*.25.

PRÆLATI PQTESTAS AD dispensandum.

Vide supra verbo *Dispensare*, ibi enim continentur præcipua huc attinentia. Vide verbo *Licentia*. & hoc verb. *Prælatus*. *num*.32. *in princ*. & infra verb. *Votum*. & verbo *Suspensio*.

35 AD dispensandum requiritur iusta causa:& facta dispensatione sine causa, erit peccatum, si fit ad libitum.Est communis.Concil.verò Trid.*sess*.23.*c*.1. *de refo*.assignat has quatuor Christiana charitas:vrgens necessitas:debita obedientia:Reipub.vtilitas.Glossa verò in *c*. *requirentes*.1.*q*.7. ponit has.timor venturi mali: spes futuri boni:vitatio scandali.Sot.*libr*.1 .*de Iust*.*quæst*. 7. *artic*.3. addit quod sufficit etiam qualitas temporis, personæ, scientiæ, & hæ omnes tendunt ad bonum commune.

36 Possunt Prælati Regulares cum suis subditis dispensare in illis omnibus in quibus possunt Episcopi in foro interno,supra *ver*. *Abbas n*.6.Et hoc debent facere per se solos iuxta illam ibi concessionem. Imò possunt plusquam Episcopi quo ad aliqua:nam ibi Cócil.prohibet Episcopos dispensare in irregularitate cótracta ex homicidio voluntario: & tamen Prælati possunt hanc dispensare,si fuerit occulta,vt dictum est supra,*verb*. *Dispensare*,*num*.8.Prædicta verò concessio ibi

facta à Tridentino Episcopis extenditur ad omnia quę per ius commune, vel per Bullas pontificias non sunt illis prohibita. Sylu *ver. Dispensatio.* §. 14. At Regulares multa possunt per priuilegia, de quibus videant; quæ non possunt Episcopi.

37 Illa potestas concessa Dominicanis Prælatis ad exemplum Episcoporum, non potest delegari, neque id possunt facere per alios, vt proximè dictum est. vide *hoc ver. Prælatus in.* 2. Et adde quod alias priuilegia conferunt potestatem ordinariam, nisi limitent, vt per se fiant à solo tali. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 12. *art.* 11.

38 Possunt Prælati dispensare cum subditis in irregularitate contracta ex homicidio voluntario in bello iusto facto, maximè si fuit contra infideles. Banhez 2. 2. *quæst.* 40. *articul.* 2. *dubit.* 4. & Candelabr. Aureum 2. *part. titul. de irregul.* §. *de dispensatione quo ad Fratres. num.* 326.

39 Supra *verb. Dispensare. num.* 7. dictum est posse Prælatos dispensare in mutilatione membri, si illa irregularitas seu culpa sit occulta, non posse verò si sit publica, & delata ad forum contentiosum, intra, vel extra Ordinem. Adde ex Rodrig. *ibi citato*, quod non censetur mutilatio membri, abscissio digiti, vel auriculæ externæ, quia hæc non sunt membrum. Erit verò talis, abscissio pedis, manus, oculi, &c narium, &c. Vide Doctores in materia irregularitatis explicantes quid sit membrum.

40 Prælatus excommunicatus non admittit administrationem nisi sit denunciatus, vel notorius Clerici percussor. Nau. *lib.* 5. *Consil. tit. de sentent. excom. consil.* 53. *num.* 1.

Vide, vt dixi, alia conducentia ad hunc locum supra *ver. Dispensare per totum.* Et citatis in principio.

ADDI

ADDITIO.

DIxi supra sufficienter *verb. Prælatus*: de potestate quam habet Prælatus circa subditos ad absoluendum, ac dispensandum. Nunc pauca de iurisdictione illorum pro foro externo, & interno. Vide etiam supra *in his Addit. verb. Dispensare.*

1 Prælati ergo potestas, seu iurisdictio est duplex. Alia est ordinaria: alia delegata. Potestas ordinaria est illa quæ committitur à lege: nisi lex clarè innuat quod talis potestas sit delegata. Secundò est etiam ordinaria, illa quæ committitur a papa. Tertiò talis etiam est quæ per consuetudinem committitur. Quartò potest etiam per communitatem alicui committi. Ita Sylu. *ver. Iurisdictio*, & alij communiter. Circa secundum modum quando committitur à papa declaro, quod quando Papa concedit alicui prælato, vel communitati priuilegium aliquid faciendi, talis iurisdictio est ordinaria, & potest delegari, vt inter alios tenet, ac probat Sanchez 2. *lib. de Matrim. disp.* 40. *n.* 14. Multum refert an potestas sit ordinaria, vel delegata, vt ex dicendis patebit. Potestas delegata est illa quæ nullo ex prædictis quatuor modis conceditur; sed solùm conceditur ab homine, quando scilicet aliquis Prælatus habens potestatem ordinariam concedit alicui suam authoritatem aliquid faciendi in particulari, vel in communi ad certum genus causarum.

2 Omnes prælati conuentuales Religiosorum habent iurisdictionem ordinariam in vtroque foro, & proinde possunt illam delegare quoad omnia quæ illi possunt. Rodrig. *Addit. ad Sum. ver. Iurisdictio cap* 237. *num.* 3. & Nauar. *cap. non dicatis n.* 95. & probatur, quia habent iurisdictionem ex officio, seu ex lege Canonica

quæ Prælatis ritè electis dat iurisdictionem competentem suo officio. De Præsidentibus verò Conuentuum qui habent vicariam iurisdictionem, innuit Sanchez *lib.4. Decalog. cap.24. numer.23.* quod etiam habent iurisdictionem ordinariam. Dicit enim ibi eos posse irritare vota subditorum, quod non competit, nisi habenti iurisdictionem ordinariam dominatiuam. Dummodo tales Præsidentes habeant in absentia Superioris localis totam plenam authoritatem quam habet Superior Conuentus: & proinde tales Præsidentes poterunt in illius absentia illam authoritatem committere.

3 Pro Ordine Minorum quæris an Vicarius Prouincialis mortui loco suffectus, vel vices gerens Prouincialis absentis, habeat authoritatem ordinariam, vel delegatam in tota Prouincia? Respondeo, duobus modis posse creari prædictum Vicarium Prouincialem, primò per modum præscriptum à statutis generalibus, de quo infra in *ver. Prouincialis*. Secundò quando solus Prouincialis exiens à Prouincia committit alicui regimen illius. Si hoc secundo modo eligatur est delegatus, & habet iurisdictionem solùm delegatam cùm ab homine solùm recipiat, & proinde non poterit illam subdelegare. Si verò priori modo secundùm statuta eligatur, habebit iurisdictionem ordinariam, & poterit delegare, quia illam habet à lege. Vide tamen *verb. Prouincialis*. Et à fortiori omnes Prælati Regulares Superiores ad ipsos conuentuales habent prædictam iurisdictionem ordinariam.

4 Delegatus ad vniuersitatem causarum censetur habere iurisdictionem ordinariam: & proinde potest delegare aliquas causas: non tamen poterit delegare omnem suam delegationem, alium pro se in totum substituendo. Tenet Sanchez *lib.2. Decal. disp.31. à n.2.* citans

citans multos textus, Theologos, & Canoniſtas. Quis autem ſit delegatus ad vniuerſitatem cauſarum explicat *ibi n.*4. dicens eſſe illum cui committuntur cauſę in generali, licèt quoad locum ſit ſpecialis commiſſio. Idem dicendum ſi indefinitè committantur cauſæ alicuius territorij: vel quando committitur in generali circa omnes perſonas, etiamſi non ſpecificentur omnes cauſæ. Sed de ordinario ſemper delegans in commiſſione exprimit ad vniuerſitatem cauſarum, & ſic debet facere pro dubiis amputandis.

5 In Ordine Minorum quando Superiores Prælati mittunt Commiſſarios pro viſitandis Prouinciis, quantumcunque eis dent plenitudinem poteſtatis, & hæc extendatur ad omnes caſus, tales non dicuntur delegati ad vniuerſitatem cauſarum, ſed delegati ordinarij, & conſueti. Probo primò, quia delegatus ad vniuerſitatem cauſarum cùm ſit ordinarius, non amittit iuriſdictionem, donec in particulari ſibi reuocetur; at viſitator prouinciæ finita viſitatione nullam omnino iuriſdictionem habet etiam per ſtatuta Ordinis: neque eſt neceſſe vt fiat illius ſpecialis reuocatio. Addè quòd in litteris ſuę commiſſionis illis conceditur expreſsè vt poſſint ſubdelegare aliquas cauſas quod non eſſet neceſſarium concedere ſi eſſent delegati ad vniuerſitatem cauſarum per proximè dicta. Tertiò, quia Prælati Ordinum exprimere ſolent quando id committunt, ad vniuerſitatem cauſarum quod rarius faciunt, quando viſitatores prouinciarum deſtinant.

6 Habens iuriſdictionem ordinariam poteſt illam committere cui, & quando voluerit. Hoc autem non poteſt facere habens illam delegatam, niſi illi ſpecialiter concedatur. Eſt com. Doctorum, & habetur ex *c. inter cætera de officio ordinarij*. Ratio eſt, quia habens iuriſdictionem ordinariam habet illam tanquam rem pro-

priam,& ſuam : habens verò illam delegatam,póſſidet illam tanquam rem alienam, & ſolùm habet vſum illius. Vnde ſicut qui rem temporalem, cuius habet dominium , vt panem, poteſt alteri donare : non verò id poteſt donare qui habet ſolo titulo commodati,vel titulo depoſiti,ita in iuriſdictione ordinaria obtenta tanquam re propria : vel in delegata obtenta vt commodata,vel depoſita.

7 Hinc oritur alia differentia inter vtramque iuriſdictionem:quod ſcilicet delegata poteſt ad nutum auferri à delegante:non verò ſic poteſt auferri iuriſdictio ordinaria. Patet ex prædictis,cùm enim delegatus non habeat iuriſdictionem propriam , ſed commodatam, eiuſque ſolum vſum, abſque iniuria poteſt illam reuocare is qui conceſſit:ſicut poteſt quis reuocare depoſitum quod apud aliquem depoſuit. Quod non poteſt Superior facere ad libitum auferendo ab inferiori iuriſdictionem ordinariam,quia eſt res ſua,& propria inferioris,conceſſa per legem,vel priuilegium,&c. Vnde ſicut non poteſt auferre officium, vel dignitatem inferioris ad libitum,ſic non poteſt auferre iuriſdictionem illi datam ſeu annexam propter officium:dico,ſine cauſa.Nam ſi detur cauſa v.g. ob culpas Prælati inferioris; ſicut poteſt Superior illum priuare officio , ſic poterit priuare iuriſdictione.Idem etiam poterit facere,limitare ſcilicet iuriſdictionem inferioris in aliquibus pro bono publico:vt cùm Prelati pro bono publico, edicto publico prohibent prælatis inferioribus aliquid quod poterant facere authoritate ordinaria, ſicut praxis obſeruat:& ita debet intelligi Rodrig. *l. 1 co ſupra dicto,ver. Iuriſdictio,n. 3*, dicens eſſe conforme Concilij Tridentini decreto , *ſeſſ.* 14. *can.* 11. vbi ſub anathemate definit poſſe Epiſcopos reſeruare caſus etiam pro foro interno,& externo.

8 Occa

8 Occasione præcedentium dico non posse Generalem Ordinis auferre Prouinciali iurisdictionem procedendi, vel sententiam ferendi in aliquo casu ordinario contento intra limites iurisdictionis dicti Prouincialis, sed tenetur expectare vt Prouincialis procedat, ac iudicet per se, vel cùm Diffinitorio,& tunc per appellationem tantùm poterit de causa cognoscere. Idem iudico suo modo non posse Prouincialem licitè facere circa Prælatum localem in illis,quibus ex consuetudine, vel statuto dicti Prælati locales possunt procedere.Hanc primò probo à simili ex Concil.Trid. *sess.24.cap.2.de Reformat.*vbi clarè præcipit quod causæ omnes in prima instantia terminentur coram Ordinariis locorum tantummodo: ad quarum terminationem coram illis assignat biennium. Ante quod biennium præcipit vt à Superioribus quibuscumque non auocentur, neque appellationes acceptentur:neque fiat illarum commissio, vel inhibitio, nisi à sententia diffinitiua, vel ab interlocutoria habente vim diffinitiuæ, cuius grauamen per appellationem reparari nequit. Excipit causas quæ iuxta ius Canonicum de prima instantia pertinent ad Sum. Pontificem, vel ipse Summus Pontifex per speciale rescriptum manu propria subscribendum commiserit, vel auocauerit. Hoc decreto supposito, constat quod Prouincialis habet in sua Prouincia iurisdictionem quasi Episcopalem, vt patet: cùm ergo possit causas subiectas suæ iurisdictioni coram se motas terminare, saltem cum suis Diffinitoribus non poterit Generalis prohibere, quin dictus Prouincialis de prima instantia eas-dem causas resoluat.Quemadmodum Archiepiscopus nullo modo se ingerit causæ motæ coram Episcopo, nisi per appellationem.Secundò probo ex nostris statutis Generalibus Barcinonensibus Tolleti reformatis *tit.*

de Officiis, vbi præcipitur Prælatis Superioribus ne se conturbent ad inuicem in executione suorum munerum, seu officiorum: sed potius Superiores adiuuent inferiores in suis officiis, non illos impediendo, neque se in illis ingerendo; quin potius quandiu inferiores suis officiis priuati non fuerint, eisdem faueant in omnibus: nam dato contrario sequentur multæ perturbationes & inconuenientia. Sic enim postulat suauis gubernatio Ecclesiæ. Imò & gubernatio orbis; nam primum mobile cælorum, licet suo primo motu secum rapiat inferiores orbes, non tamen impedit quin vnusquisque orbis inferior suum particularem motum, seu cursum peragat, & suas particulares emittat in terram influentias. Vnde concluditur non posse ad libitum Generalem inuito saltem Prouinciali, neque istum inuito Prælato locali; causam coram illis motam auocare, nisi ob grauem, & iustam causam consuetudine, vel lege permissam: aliàs prædicti Superiores iniuriam faciunt inferioribus, ac proinde peccant.

9 Duplex est iurisdictio ordinaria, altera dicitur contentiosa, altera dicitur voluntaria. Contentiosa, seu necessaria est illa, quæ habet contradictorem, quia debet exerceri inter partes litigantes cum strepitu, seu aliqua figura iudicij, citando, inquirendo, & sic de cæteris. Patet ex *l. inter stipulantem*, §. 1. *ff. de verb. obligat.* Et dicitur contentiosa quia actor contendit contra reum. Altera iurisdictio dicitur voluntaria quæ in solos subditos volentes exercetur, vt sunt in foro sæculari adoptio, manumissio, emancipatio, & cætera. In foro Ecclesiastico erunt dispensare, absoluere à censuris, vota commutare, & similia, quia in his subditus voluntariè se subdit Prælato non citatus, neque contra illum aliquis contendit. Sic

gloss.

gloſſ. *legis 2. initio, ff. de officio proconſulis.* Et ibi Iuriſtæ.

10 Hoc poſito Prælatus extra ſuum Conuentum, vel Prouinciam non poteſt in ſubditum exercere iuriſdictionem contentioſam, bene tamen poterit exercere iuriſdictionem voluntariam. Eſt communis Doctorum, maximè Iuriſtarum, & habetur in *citata proximè lege de officio proconſulis*, vbi lex, & Doctores dicunt non poſſe iudicem extra ſuum territorium officium contentioſum exercere. Et ratio idem dictat, quia aliàs iniuriam faciet iudici illius loci, & dabitur cauſa turbationum. Et propter oppoſitam cauſam, iuriſdictio voluntaria poterit exerceri à iudice, & Prælato exiſtente extra ſuum territorium, quia hæc cùm non indigeat ſtrepitu iudicij, neque tribunali, nulli facit iniuriam, neque perturbationem poterit cauſare. Hinc colligitur quod ſi Guardianus, vel alter Prælatus localis (idem dic ſuo modo de Prouinciali) petat cum ſociis alium Conuentum, & ibi ſui ſocij publicum crimen committant, non poterit illos ibi punire, neque illorum cauſam terminare, quia petit caſus iuriſdictionem contentioſam, quam ibi extra ſuum Conuentum non poteſt exercere: imò ſi ſocius illius ibi deliquerit publicè, non poterit illius cauſæ ſe ingerere, ſed id pertinet ad Prælatum localem illius Conuentus. Idem de ſociis Prouincialis exiſtentis extra ſuam Prouinciam. Imò credo quod ſi dicti ſocij inde auffugiant, reſtituendi ſunt Prælato illius loci in quo deliquerunt, vt ibi ipſe illos puniat.

11 Prælatus exiſtens extra ſuum diſtrictum poteſt in ſubditum exercere iuriſdictionem voluntariam ob rationem poſitam *numero præcedenti*, verb. gratia, poteſt ſuum ſubditum extra territorium abſoluere à reſeruatis,

seruatis, cum eodem dispensare in irregularitate extra confessionem, vel intra confessionem: potest illius vota irritare, & sic de cæteris. Et hoc intelligo siue subditus ibi sit præsens cum Prælato extra territorium: siue Prælatus extra illud existens inde per scriptum prædicta iubeat fieri, quæ possint per scriptum licite fieri. Addo etiam quod Prælatus existens extra territorium poterit fulminare validam excommunicationem legendam in suo territorio contra suum subditum existentem intra territorium illius Prælati: vel inde iubere vt aliquid contentiosum fiat in suo territorio. Nam per hæc omnia non fit iniuria Prælato, in cuius territorio existit, neque illius tribunal modo aliquo læditur, vt patet. Et idem quod diximus de iurisdictione ordinaria, vel contentiosa, vel voluntaria vt possit, vel non possit exerceri extra territorium dicendum est similiter de iurisdictione delegata, vt scilicet voluntaria possit extra territorium exerceri, non verò contentiosa. Excipe tamen, & dic posse Prælatum exercere iurisdictionem contentiosam extra suum territorium, si Prælatus illius territorij, & partes contendentes consentiant, prout latè probat, & citat Sanchez *libro 3. de Matrim. disputat. 19. num.* 8. Sit exemplum Episcopi non valentis exercere Pontificalia in aliena Diœcesi, quod tamen facere potest si Episcopus illius Diœcesis per quam transit licentiam concedat. Vt patet ex Tridentino *sess. 14. capit. 2. de reform. & sess. 6. cap. 5. de reformat.* intercedit enim vtrobique fere eadem ratio.

12 Concessa aliqua re à superiore conceduntur omnia necessaria ad illam comparandam *l. 2. ff. de iurisdict. omn. Iudic.* vbi sic habetur. *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa videntur sine quibus iurisdictio explicari non potuit.* Habetur etiam *cap. præterea de officio delegati.*

Vbi

Vbi sic dicitur. *Ex eo quod causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.* Excipe tamen, vt nō vtatur mediis aliquibus ad illam causam vtilibus ac iuuantibus, si talia media ipsi Iudici sint specialiter prohibita. Hac de causa diximus supra *verbo Episcopus num. 5.* etiam si Episcopo aliquando concedatur per Tridentinum posse punire Religiosos in aliquo casu, & ad id faciendum sit vtile medium Religiosos citare per censuras: hoc tamen medio non possunt vti nisi in tribus casibus ibi permissis à Concilio, in aliis verò non poterunt vti medio excommunicationis, quia iure Canonico & per multas concessiones non possunt regulares exempti excommunicari ab Episcopis. Et sic debet intelligi *citatum capitulum præterea.* dum ait, commissa causa iudici Ecclesiastico, posse ab illo fulminari excommunicationem pro causæ assecutione. Intelliges dummodo non sit priuilegiata persona illa contra quā vult ferre excommunicationem, vt non possit censuris ligari, sicut non possunt regulares, nisi in casibus expressis. Poterit enim tunc Iudex, vel Prælatus cui commissa est causa vti aliis remediis iuris sibi non prohibitis, vt *cit. loc.* dixi. Aduerto præterea in *citat. cap. præterea.* id concedi etiam Iudici delegato. Quod proinde fortiori iure competet Prælato ordinario.

13 Adhuc pro maiori claritate casuum contingentium, libuit hic in Summa resumere Summam positam à Glossa in initio *citati capitis præterea.* quæ sic habet. Committit Papa alicui delegato causam sub hac forma. *Causam, quæ vertitur inter tales tibi committimus terminandam: quod iustum fuerit exequaris.* Iudex iste, quia in rescripto non continebatur, quod posset punire contumacem, vel posset citare partes, quæsiuit vtrum posset contumacem cogere, vt veniat, aut

an

an possit eum punire si non veniat? Respondet Papa vt supra, hæc Gloss. Hinc colliges quod delegante Superiore Prælato alicui inferiori causam aliquam, talis delegatus pro expeditione talis causæ poterit vti omnibus mediis necessariis ad illius causæ finalem resolutionem dummodo media sint licita, & non specialiter interdicta. Imò addit Glossa *ibidem* tunc extendi iurisdictionem ad omnia accessoria, quæ sunt necessaria ad illius causæ terminationem. Addit etiam *Gloss. citata* quod concesso principali conceduntur accessoria, & connexa, pro quo citat sex, vel plures textus iuris Canonici, ac Cæsarei.

14 Et quoniam video vnum ex copiosis titulis decretalium esse illum, qui agit de officio delegati. Et vidi iam in hac materia quæstiones exortas, dicam solùm in Summa, quæ Doctores tradunt de durationę potestatis delegatæ, an scilicet expiret morte concedentis. Nam communis opinio est, imò expressa in iure quod iurisdictio ordinaria non expirat morte concedentis. De iurisdictione verò delegata, sunt aliqua dubia resoluenda. Circa quam omnes etiam concedunt quod iurisdictio delegata concessa alicui expirat mortuo concedente, re integra, id est, non incæpta. Non verò expirare si res iã erat incæpta, seu negotium iam cæptum. In summa, & clarius sic accipe. Commisit mihi Superior talem causam. Recepi litteras, antequam manum vllam ad negotium admouerem, renuntiatum est mihi illum esse mortuum. Dicitur res integra, seu non incæpta, quia negotium adhuc integrum est, nec manum admoui, & adhuc non est incæptum. Si verò iam citaui partem, vel aliquam diligentiam feci inquirendo, &c. iam negotium non est integrum sicut antea, sed est incæptum, & inchoatum. Sunt ergo multæ opiniones circa hoc punctum,

quam

quando ſcilicet circa commiſſionem cauſæ factam à Prælato mortuo, vel officio priuato, dicenda ſit mihi commiſſario res integra, vt non poſſim procedere neque inchoare: vel dicenda ſit mihi res incæpta, vt poſſim procedere non obſtante morte delegantis.

15 Communior opinio dicit requiri, ac ſufficere citationem partis, vt res dicatur incepta, & iam non ſit integra, & proinde poſſit procedere vſque ad terminationẽ cauſæ ex iuriſdictione delegata à mortuo delegante. Colligitur ex *capit. gratum. de officio delegati*, ibi: *Cum citatione facta, negotium ſit quaſi cæptum*. Et habetur etiam ex *cap. final. eodem titulo*, vbi ſimilia verba ponuntur. Citat multos Doctores vtriuſque iuris pro iſta opinione Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 28. *num.* 10. Et addit *ibidem num.* 13. ac probat cum multis ſufficere quod delegatus decretum publicauerit, vt pars citetur etiam ſi citatio non fuerit intimata citato. Iam enim illud fuit incipere negotium, ac proinde iam res non eſt integra. Et colligitur ex *citato cap. gratum. de officio delegati*: ibi. *Propoſito citationis edicto*. Æquiualet verò citationi partis, actus quicunque factus coram parte circa idem negotium. Vt ſi coram parte legatur commiſſio delegantis, vel quid ſimile.

16 Quid ſi negotium commiſſum non habeat partem citandam? pono exemplum: Committit Prælatus alicui patri, vt viſitet prouinciam in ordine Minorum, in qua viſitatione non requiritur citatio partis, quis actus æquiualens citationi dicetur, vt dicatur res incæpta, vt poſſit procedere ob inchoatum negotium? Credo quod ſufficiet legiſſe iam litteras commiſſionis ſuæ in aliquo Conuentu Prouinciæ ſibi delegatæ, vt iam res ſit inchoata. Probo, quia illa lectio ſeu publicatio litterarum æquiualet citationi Prouinciæ,

ciæ, & proinde si post illarum litterarum publicationem mors delegantis nuntietur, iam res non est integra, sed inchoata. Et confirmo à simili, quia in iure ac praxi ciuili minori actu acquiritur possessio, quàm sit publicatio commissionis solemnis. Nam in practica iuris emens domum acquirit veram possessionem domus solum tangendo parietes, vel quid simile in aliis possessionibus: ergo illa publicatio commissionis facta cum solemnitate sufficiet pro acquirenda possessione illius delegationis, cùm iam exercuerit actum iurisdictionis conuocando ad Capitulum, præsidendo in communitate, &c. Si verò prædictus commissarius iter arripiens ad visitandam prouinciam in itinere certior fiat de morte delegantis antequam litteras commissionis publicet in Conuentu modo solito, non poterit incipere, quia res est integra, & non cæpta. Et ex hoc inferes quid dicendum sit in aliis commissionibus similibus in quibus non requiritur citatio partis, sed verb. grat. informatio recipienda per testes absque citatione partis. Sufficiet enim vocasse testem, quia hoc iam est inchoasse rem, etiam si testis nondum sit auditus modo explicato *num. precedenti.* Acceptare verò litteras commissionis etiam in publico, non est incæpisse negotium, quia acceptare non est actus iurisdictionis exercitæ.

17 Hinc melius intelliges quod diximus supra *ver. Indulgentia siue Iubileus*, videlicet confessorem qui in vltima die Iubilæi non potuit perficere totam confessionem, seu concessionem Iubilæi modo ibi prædicto, audiuit tamen pœnitentem, & absoluit modo quo ibi diximus, posse transacto Iubileo commutare vota, & facere quod ibi diximus, quia sua illa delegata iurisdictio concessa in Iubilæo iam est cæpta, & inchoata, iam enim audiuit pœnitentem, quod æquiualet citationi,

tioni,& proinde iam res non dicitur integra,& ex consequenti potest continuare. Vide *citato ver. Indulgentia n.16.*cum dictis supra *eodem verb.n.6.*

18 Si quis delegatur Commissarius ad Vniuersitatem causarum quæ variæ sunt, sufficiet inchoasse vnam, vt res iam dicatur cæpta etiam quoad omnes alias. Tenet Sanchez citans multos *disputat.28. citata num.27.*

19 Sicut cessat iurisdictio delegati per mortem delegantis re integra,& non cæpto negotio,ita expirat si re integra delegans priuetur officio vel finiat officium. Idem enim est quoad hoc mori, vel non habere officium,quocunque modo amittatur,dummodo de morte delegantis constet,vel de officij illius cessatione. Est communis Doctorum. Et hoc intelligitur etiam si ipse delegans sit Sum.Pontifex,vt habetur *c.licet vndique.de offic. delegati. & c.si cui nulla. de præb.in 6.* siue sit Papæ rescriptum ad negotium iustitiæ,siue gratiæ, dummodo moriatur re integra.Si enim moriatur re iam cepta, non expirat.

20 Circa dictum præcedens de rescripto Papæ concesso ad gratiam distinguere oportet quod duobus modis Papa concedit aliquam gratiam, primò de gratia iam facta completè: Secundò de gratia facienda,v.gr. concessit Papa Romæ dispensationem alicui absolutè, non committendo Episcopo,vel alicui,vt faciat informationem,& illa facta Episcopus dispenset:ista vocatur gratia facta,& ista non expirat morte Papæ cõcedentis re integra. Alio modo facit Papa gratiam,quæ dicitur gratia facienda:quando scilicet iubet Episcopo,vt facta informatione dispenset: Iam enim Papa fecit aliquam gratiam inchoatã,sed restat facienda per Episcopũ.Hęc autem gratia expirat morte Papæ concedentis re integra,id est,si Episcopus nullum actũ iurisdictionis facere

cæpit circa talem informationem, de quo latè Sanchez *cit. disp.* 28. *à num.* 48. *vsque ad finem disputationis*: quod non est meum prosequi: licèt ibi multa & doctè tradat quæ possunt Prælatis inseruire in casu similium commissionum.

21 Rediens verò ad negotium propriè regularium non omittam ponere casum, qui contigit in mea Prouincia circa iurisdictionem delegatam. De mandato Generalis visitauit Prouinciam quidam commissarius: finit, ac perfecit visitationem viuente adhuc Generali: eo verò tempore quo Generalis se parabatvt veniret ad Capitulum celebrandum, mortuus est Generalis: fuit grauis quæstio agitata an delegatio commissarij duraret, ac proinde deberet gubernare Prouinciam vsque ad electionem successoris loco defuncti: an verò cessaret delegatio morte Generalis delegantis. Aliqui Doctores dixerunt non expirasse. Ratio pro illis esse potuit, quia iste commissarius delegatus iam inchoauit iurisdictionem suæ delegationis in multis actionibus visitando, corrigendo, &c.

At multi ac meliores, cum quibus ego censui, dixerunt expirasse, ac proinde non potuisse amplius procedere. Rationes pro ista parte sunt istæ. Nam primò; delegatus terminata sua causa sibi commissa, non potest amplius procedere, vt omnes fatentur; quia illi solùm delegata est iurisdictio ad istam causam terminandam: vt si rex alicui non iudici ordinario, committat causam alicuius homicidij per ipsum finaliter terminandam: lata sententia finali, & executioni mandata cessauit iurisdictio illi delegata. At commissarius prædictus finierat visitationem, pro qua sola illi data est iurisdictio: ergo expirauit delegatio. Neque obstat quod prædicti commissarij solent assistere in Capitulo ac Diffinitorio, vt ibi præsentent visitationes quas fecerunt, &

proin

proinde videtur quod delegatio illius durare debuit vsque ad futurum Capitulum Non, inquam, obstat. Quia per accidens est tales commissarios solere assistere Capitulo: non enim in illo habent suffragium decisiuum, neque consultiuum, sed solùm præsentant visitationes: quod & absentes facere possunt. Et in mea prouincia iam contigit præsidentem Capituli prælatum generalem cuiusdam commissarij visitationes in quodam Capitulo recepisse non admisso illo commissario ad diffinitorium: quo posito sic arguitur secundò. Accessorium sequitur naturam principalis, regula *accessorium. de regul. Iuris in* 6. ita quòd peremptо principali perit accessorium. At visitare prouinciam est principale intentum iurisdictionis in talibus commissariis, assistere verò Capitulo est per accidens, vt diximus. Imò gubernare prouinciam dum actu visitant est per accidens, quia in aliquibus religionibus visitant visitatores, & non gubernant. Imò ipsi nostri visitatores quando visitant Cõuentum aliquem non illum gubernant. Tertiò principaliter quia nostra statuta generalia Vallisoleti anno 1593. expresè decernunt vt visitator prouinciæ intra tres menses illam visitet: & si Capitulum non sit mox celebrandum, exeat à prouincia. Et prædictus visitator iam tres menses excesserat: & totam Prouinciam visitauerat. Quartò quia visitator Prouinciæ non est delegatus ad vniuersitatem causarum, vt supra diximus *num.* 5. ergo vt illorum visitatorum iurisdictio expiret non est expectanda reuocatio particularis sed solùm terminatio, & finitio causæ delegatæ, quæ est visitatio. Et ita in terminis tenet Rodrig. *tom.* 1. *qq. quæst.* 9. *art.* 1. id expresse dicens seruari in Societate Iesu. Tenet etiam Aldrete *libr.* 1. *de discipl. Relig. cap.* 5. *num.* 30. *& seqq.*

22 Gesta per prælatum excommunicatum valent,

quandiu est toleratus ab Ecclesia videlicet donec nominatim denuncietur, vel si sit notarius Clerici percussor. Vide quæ diximus supra. *ver. Excomm. n. 6*. Et ibi citatum Sanchez: adde Sà *in Aphor. ver. Iurisdictio*, qui citat Navar. dicentem posse quemlibet excommunicatum exercere suam iurisdictionem, si non sit declaratus, aut si non sit suspensus. Vide etiam *citato verb. Excommun. n. 4. & 5.* quomodo, vel quando sint valida gesta per Prælatum habentem titulum putatiuum cum errore communi vulgi, hic enim possunt inseruire. Declaro tamen quod prædictus Prælatus sic excommunicatus officium exercens peccabit mortaliter, nisi illum excuset ignorantia, necessitas famæ: vel quid simile. Puto autem gesta per illum valere etiam, si delictum sit publicum, quandiu est toleratus, & non denuntiatus nominatim vt diximus *citato n. 6*.

PRÆSCRIPTIO CONTRA BONA Regularium.

Vide infrà verbo *Restitutio, per totum*.

1 DE iure communi contra bona Regularium, quæ sunt etiam Ecclesiastica, non præscribitur nisi spatio 40. annorum. *cap. de quarta. de præscript.* Hoc enim communiter conceditur omnibus Ecclesiis.

2 Per specialia priuilegia, Benedictini in Portugallia, & cum illis communicantes habent vt eorum bona non possint præscribi nisi spatio sexaginta annorum. Ita enim illis primò concessit Eugenius IV. & postea, idem papa Benedictinis extra muros Romæ degentibus concessit vt non præscribant bona illorum nisi per spatium centum annorum. Et inter bona præscriptionis capacia, numerantur etiam priuilegia, vt infra dicetur

cetur *verb. Priuilegij ceſſatio per non vſum*, citata priuilegia Benedictinorum citat Rodriguez *tomo 3. quæſtione 35. art. 2.*

PRÆSCRIPTIO QVO AD *crimina.*

1 IN iure ciuili præſcribunt aliqua crimina quatenus ob longum tempus præcipit ius propter pacem Reipub. ne crimina aliqua accuſentur, niſi intra certum tempus: quo elapſo ad bonum pacis nequeunt accuſari, vel puniri.

2 In iure ciuili crimina præſcribunt ſpatio annorum viginti vt plurimum. Et aliqua præſcribunt minori ſpatio, adulterium enim intra ſolum quinquennium poteſt accuſari. Iulius Clarus *in practic. quæſtion. 51. num. 4.* videantur leges particulares Regni, & Ordinum.

3 Si tempore aſſignato ad ſyndicandum Iudicem ſecularem aliquid contra illum non fuit delatum, tali tempore tranſacto, ſi noui veniant accuſatores non recipiuntur: quia præſcripſit accuſationis tempus. Iul. Clar. *ibidem num. 5.* Et fortè per hoc ſe poterit etiam defendere, vtcunque prælatus ſyndicatus, vbi conſuetudo eſt quod finito officio ſyndicetur per viſitatorem proprium, vt fit in Ordine Franciſcano. (Vide tamen mox dicenda) *ibidem* notat Iul. Clar. illam præſcriptionem ſyndicati valere, etiam ſi nondum ſit abſolutus. Addit Rodriguez *tom. 3. Addit. ad Sum. cap. 104. concl. 7.* hoc in Religionibus non eſſe in vniuerſum admittendum, eſt enim præiudicium Ordinis, quod crimina maneant impunita.

4 Si verò ſententia iam lata eſt contra aliquem pro crimine, executio talis ſententiæ nunquam præſcribitur,

ſed poteſt longo poſt tempore executioni mandari. Gloſſator Iulij Clari *ad q.cit.51.n.2.*

5 Crimen nefandum nunquam præſcribit,ſed poteſt puniri quocumque tempore innoteſcat. Gloſſator Iul. Clari,*vbi proximè.*

6 In iure canonico præſcriptio criminum vt plurimum non admittitur, & præcipuè ad procedendum per inquiſitionem, & indicendam purgationem canonicam.Salzedo *in pract.crim.cap.*147. & Rodrig.*tom.*2. *quæſt.*33. *art.*11. dicens poſſe Religioſum puniri poſt quindecim annos,à commiſſo crimine:quia vt ibi probat,ex iure canonico crimina non præſcribunt.Et probat; quod etiam ſi in aliquo ordine eſſet ſtatutum nè punirentur crimina niſi intra vnum, vel duos annos, illo non obſtante poſſet Prælatus ratione correctionis, & boni publici punire. Quantuis accuſator tunc præſcriberet,& non poſſet tunc accuſare.

7 In Ordine Minorum in ſtatutis generalibus Romę, anno 1587.ſtatuitur vt qui Religioſus proprio Prælato non denunciauerit,abſque legitima cauſa:& poſtea alteri Prælato denunciauerit,puniatur ob talem omiſſionem ſi cauſam omiſſionis non dederit: ſed tamen ipſe reus delatus non ſit immunis à pœna,& à culpa. Per quod etiam videtur quodammodo tollere præſcriptionem criminum, ſtandum tamen eſt legibus & moribus cuiuſque Ordinis, & prudentia dictabit etiam, ac circumſtantia temporis quid magis conducat bono communi ac particulari culpati.

QVID, ET QVOTVPLEX *priuilegium?*

1 PRiuilegium eſt lex priuata aliquid ſpeciale concedens:id eſt,aliquem fauorem ſeu beneficium.

Vnde

Vnde si non concedat aliquem fauorem, vel beneficium, non est in rigore priuilegium. Est communis Doctorum. Vnde lex imponens grauamen seu censurã in aliquo Ordine, non est priuilegium, sed lex pœnalis.

2 Non est necessarium quod priuilegium concedat aliquid contra ius: sed satis est quod sit vltra ius, vel præter ius. Quando verò à papa fit aliqua declaratio iuris communis, vel particularis Bullæ, in rigore talis declaratio non potest dici priuilegium, quia nihil concedit: sed tamen latè dici potest priuilegium quatenus concedit quietem conscientiæ. Suarez *tom. de Legibus, lib. 8. cap. 1. num. 7.*

3 Non est necesse quod priuilegium detur in scriptis, sufficit dari verbo tenus: imò Leo X. in supplemento, *f. 58. Concession. 161.* concessit, quod Minoritæ secura conscientia possint vti omnibus sibi à Sede Apostolica concessis, siue per Bullas, aut Breuia; siue per viuæ vocis oracula, sicut in libris Ordinis reperiuntur. Rodr. *tom. 1. quæst. 7. art. 5.* & proinde iniuit papa sufficere vt reperiatur priuilegium scriptum in libris Ordinis, ad hoc vt fidem faciat in quouis foro. Idem est, si per solas supplicationes factas papæ à Cardinali, aliquid impetretur: & Papa dicat, *Fiat.* Et de hoc Cardinalis det suum testimonium, vt praxis docet, & habentur multa exempla in Bullario Rodriguez. Eandem fidem habent transsumpta authentica, deducta ab originali priuilegio, etiam pro foro iudiciali, sicut concessum est pro Minoribus, & aliis: Supplement. *folio 69.*

4 Priuilegium aliud est reale; aliud personale: & hæc cognoscere multum interest. Reale est illud; quod conceditur directè alicui rei, loco, muneri, vel officio distincto, seu conditioni distinctæ à persona, vt quando aliquid conceditur tali Ecclesiæ; vt scilicet tali die su-

ſpendatur in illa interdictum: tunc id conceditur loco, non perſonæ: & extra illum, non licet perſonæ: quod ſibi licet in illo. Similiter, ſi conceditur rebus immobilibus Eccleſiæ vt prædio, non conceditur perſonæ: item ſi conceditur officio, vt Vicario generali, non conceditur illi tali perſonæ; quia cùm non fuerit Vicarius, illud non poterit. Hoc autem priuilegium reale indirectè, tranſit ad perſonas, quæ gaudent illo ratione rei, officij, & ſimilium. Si enim Papa dicat concedimus Epiſcopo Eborenſi tale, vel tale; vel Miniſtro Prouinciali, tale, vel tale, intelligitur priuilegium eſſe reale: ſecus ſi dicat, concedimus tibi, vel illi: Tunc enim eſt perſonale. Hinc iam patebit quid ſit priuilegium perſonale: eſt enim illud quod directè conceditur perſonæ, & ad ipſam dirigitur, & hoc priuilegium non extenditur vltra perſonam illam.

Rurſus priuilegium reale, vel eſt particulare, conceſſum ſcilicet vni tantùm loco: vel eſt generale conceſsũ ſcilicet omni loco, & omni Religioni, & ſic de cæteris. Eodemque modo, priuilegium perſonale, aliud eſt generale, conceſſum videlicet omnibus perſonis iſtius Regni, vel omnibus Religioſis Ordinis, vel eſt particulare, conceſſum tantùm vni, vel paucis de populo: vel vni aut duobus Religioſis tantùm, vel paucis. Clarius, & ad intentum dic: Priuilegium conceſſum vni Conuentui eſt reale particulare: conceſſum toti Ordini eſt reale generale: conceſſum item vni Religioſo, eſt perſonale particulare: conceſſum verò omnibus perſonis Religioſis, eſt perſonale generale.

5 Stante dubio an priuilegium ſit reale, an perſonale, aliqui dicunt habendum eſſe pro reali; alij dicunt habendum eſſe pro perſonali. Alij melius diſtinguũt, quod ſi eſt contra ius commune, vel contra bonum tertij, cenſen

censendum est personale. Si verò est præter ius,& purus fauor,in dubio censetur reale.

6 Priuilegium aliud est odiosum, aliud fauorabile. Fauorabile est quod purè fauorem continet illius cui conceditur,& nulli alteri nocet, nec præiudicium infert iuri. Odiosum est illud quod ita alicui fauorem aliquem concedit,vt tamen alteri noceat, vel est contra ius aliquod:quale est priuilegium de non soluendis decimis: & priuilegium ad lites,quod fauet actori, & non reo. Et ista priuilegia odiosa,quia nocent iuri, vel tertio stricte sunt interpretanda, vt minus noceant quàm nocere possint. Quando verò priuilegium est purè fauorabile ita vt neque iuri, neque tertio noceat, tunc amplè est interpretandum, iuxta infra dicenda:& hic propriè habet locum quod dici solet, fauores sunt ampliandi,odia verò restringenda:quæ est vna de Regul.Iuris.*in 6 Regul.* 15.

7 Item aliud priuilegium est insertum in corpore iuris canonici. Aliud verò est extra corpus iuris. Et licèt vtrumque coram Deo æqualem vim habeat,differunt tamen, primò quia priuilegium insertum in corpore iuris,est quasi lex publica,&obligat omnes ad sui obseruationem seu conseruationem. Priuilegium verò extra corpus iuris, contentum scilicet in aliqua Bulla particulari,non ita promulgatur,neque ita obligat,nisi post exhibitionem authenticã,& iustificatam. Secundò differunt, quia priuilegia contenta in corpore iuris nõ reuocãtur,nisi de illis fiat specialis mentio, vel dicatur quod reuocantur etiam priuilegia in iure cõmuni contenta,& sic non sufficit reuocatio quãtumcumque generalis: priuilegia verò posita extra corpus iuris reuocantur per quamcumque reuocationem generalem.

8 Priuilegium purè fauorabile concessum viris,conceditur etiam fœminis coniunctis si sint capaces

illius, vt priuilegium conceſſum Fratribus concedi-tur etiam Monialibus. Rodrigu. *tom.* 1. *quæſtion.* 13. *art.* 22.

9 Priuilegium, quod non continet præiudicium tertij, ſtatim eſt validum, & illo poteſt quis vti abſque promulgatione: vt priuilegium recitandi Horas canonicas, tali modo, vel tali hora. Si verò contineat præiudicium tertij, neceſſariò debet prius promulgari, vel notificari illi tertio, vt illi conſtet, & poſſit reclamare. Rodrig. *tom.* 1. *quæſt.* 7. *art. vltimo.* Priuilegia item data per leges vniuerſales, cùm ſint leges, debent priùs promulgari. At priuilegia data per Bullas particulares Conuentibus, Religioſis, &c. non eſt neceſſe quod promulgentur in publico: ſed vt ligent ſatis eſt quod publicentur ſuo tempore: ſic enim praxis obtinuit vt hæc non promulgentur ſolemniter. Et ſic exhibita, ſi continent excommunicationem, ſtatim ligabunt illum cui exhibentur, ſi Bulla ſit authentica, & exhibeatur iuridicè. Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 24. *num.* 8.

PRIVILEGII FORMA.

10 DVobus modis præcipuè ſolet concedi priuilegium. Primo ex Motu proprio, quando ſcilicet princeps ad illud concedendum non mouetur precibus alicuius, ſed ex ſua ſola liberalitate. Secundo modo datur vt plurimum ad inſtantiam partis: & hic eſt modus communior. Differunt tamen quod conceſſum ad inſtantiam partis, non eſt adeo voluntarium, & liberale, ſicut eſt conceſſum ex Motu proprio. Et proinde priuilegium cum clauſula *ex Motu proprio* ampliat priuilegium quantum patitur proprietas verborum: quod non habet priuilegium conceſſum

sum ad instantiam partis. Est communis Iuristarum. Secundò differunt, quia aliquando qui petiit priuilegium cogitur vti priuilegio petito, vt infra dicetur: si verò fuit illi concessum ex motu proprio, nunquam potest cogi vt illo vtatur. Tertiò differunt, quia priuilegium subreptitiè impetratum ad instantiam partis, non valet. At datum Motu proprio valet, quia clausula, *Motus proprij* tollit omnem subreptionem. Hæc omnia Suarez ex multis testibus, & Doctoribus *citat. lib.* 8. *cap.* 12. *à num.* 8.

11 Si datur priuilegium alicui (vt datur sæpe Prælatis Regularibus) faciendi aliquid; vt dispensandi, absoluendi, vel puniendi, cum consilio alicuius, vel aliquorum; tunc petitio consilij ad substantiam formæ pertinet, & tenetur illud petere: non est tamen necessarium; neque obligatio sequi illud consilium: quia ad hoc per illa verba non obligatur: aliud enim est postulare consilium, aliud verò sequi consilium. Et quidem illud postulare, semper est vtile: illud verò sequi aliquando est inutile. Neque verò refert si dicat Bulla, aut lex *vt fiat de consilio*, vel *cum consilio*, vel *ex consilio*, quia hæc sunt synonyma. Secus verò esset, si diceretur; hoc fiat secundùm consilium, vel iuxta consilium pro vt visum fuerit Petro. Tunc enim tenetur non solum petere, sed etiam sequi consilium Petri. Et idem dicendum si dicat concessio, vt fiat aliquid cum consensu, vel de consensu Petri. Tenetur enim tunc sequi consensum, & sine eius consensu non poterit: consensus enim plus dicit quàm consilium. Suarez *vbi supra cap.* 13. *num.* 5.

12 Ad intelligendam formam substantialem priuilegij (& suo modo, cuiuscumque Bullæ) tres partes sunt notandæ. Prima est quæ antecedit concessionem, & hæc vt plurimum est narratio petitionis, vel est

redditio cauſæ mouentis, vel neceſſitatis priuilegij, aut Bullæ. Secunda eſt ipſa conceſſio priuilegij, per quam Princeps ſuam explicat voluntatem: & hæc, vt plurimum incipit in illis verbis: *Nos igitur*: vel, *Quibus attentis*: vel aliis ſimilibus. Tertia, eſſe poteſt limitatio, vel extenſio priuilegij: & non obſtantiæ derogatoriæ ſolitæ abhiberi.

13 Non eſt neceſſarium, quod in priuilegio dicatur: *Non obſtante iure communi*, cùm ſcilicet derogat: iam enim ſupponitur, vel Principem id ſcire, & habere omne ius in pectore: & eo non obſtante id concedere. Si tamen priuilegium poteſt habere aliquem effectum ſaluo iure communi, tale ius ſemper ſaluandum eſt. Gloſſ. *in capit. 1. de conſtit. in 6. verb. Noſcatur.* Et colligitur ex *capit. in his. de priuileg.* Si autem priuilegium non poteſt ſortiri aliquem effectum conceſſionis, niſi derogando iuri communi, id credendum eſt voluiſſe Papam. Non enim credendum eſt illum voluiſſe concedere aliquid illuſorium. Colligitur ex *cap. inter dilectos. de fide inſtrum. & gloſſ. dicto cap. in his.*

14 Datur aliquando priuilegium quod dicitur ad inſtar: & eſt illud quod alicui datur per ſimilitudinem, vel æquiparationem ad aliud conceſſum alteri, vt ſi dicat Papa: concedo Petro priuilegium ad inſtar, id eſt, ad ſimilitudinem priuilegij iam Paulo conceſſi. Et tunc priuilegium ſecundum Petri, dicitur priuilegium ad inſtar. Item ſi vni Religioni concedatur priuilegium ad inſtar, id eſt, ad ſimilitudinem priuilegij Minorum; ſecundum priuilegium dicitur ad inſtar, & priuilegium Minorum dicitur exemplar, colligitur ex *leg. omnia. 34. Cod. de Epiſc. & Cler.*

15 Hoc priuilegium ad inſtar concedit omnem fa-

uorem,

uorem,& gratiam formaliter contentam in ſuo exemplari: & in eodem ſenſu in quo continetur in ſuo exemplari, & cum eadem extenſione, & reſtrictione. Hoc patet, quia in hoc conſiſtit æquiparatio, vel imitatio,quam ſignificat priuilegium, ſeu verbum ad inſtar,ſeu ad ſimilitudinem.

16 Aucto priuilegio exemplari ſeu primo, non augetur priuilegium ad inſtar, quia dans priuilegium, ſecundum, ſeu ad inſtar, ſolùm reſpicit ad ſtatum quem tunc habebat exemplar, & non ad ſtatum futurum. Neque è contra ſi augeatur priuilegium, ad inſtar, non augetur exemplar: non enim habent hæc duo quo ad hæc dependentiam.

17 Abrogato, vel amiſſo primo priuilegio exemplari quocumque modo id fiat, non perditur neque abrogatur priuilegium ad inſtar: iam enim priuilegium ad inſtar eſt diſtinctum, & factum eſt proprium illius cui ſecundo conceſſum eſt: neque pendet ab exemplari in conſeruari. Eſt communis Doctorum, maximè Nauar. *Coment. de Iubileo. notat.* 26. *numer.* 8. Exempla facile applicabis ex dictis *numer.* 14. ſi etiam contingat quod priuilegium exemplar reſtringatur, non reſtringitur priuilegium ad inſtar, niſi illud exprimatur in particulari; idque ob cauſam proximè dictam.

18 Si priuilegium ad inſtar dicat, *concedimus Ordini Minorum talia vel talia*, exprimendo illa, ſicut conceſſum eſt Ordini S. Benedicti: tunc dato quod in Ordine S. Benedicti non inueniatur talis conceſſio, valet tamé illa cõceſſio facta Minoribus in priuilegio ad inſtar. Iã enim fuit mens Papæ illa ibi expreſſa concedere Minoritis. Suar. *l.* 8. *cit. c.* 15, *n.* 7. cum multis citatis. Secus foret ſi tale exẽplar priuilegium non inueniretur apud Benedictinos, neque Papa aliquid exprimeret quod

conce

concederet; sed in genere, & in confuso loqueretur: tunc enim nihil concederet.

COMMVNICATIO
Priuilegiorum.

Vide supra hoc etiam verb. *littera C. Communicatio priuilegiorum, & adde sequentia.*

19 PRiuilegium concessum alicui Sacerdoti vt recitet matutinum vespere multo ante solis occasum communicatur etiam socio recitanti cum illo Sacerdote priuilegiato, & socius satisfacit muneri suo. Si enim illud priuilegium datum fuit ad leuandum laborem in recitando, & ipse solus laboriosè recitat, extenditur fauor ad socium ne priuilegium reddatur inane. Suarez *citato libr.* 8. *capit.* 11. *numero* 7. & 8.

20 Concessa vni Monasterio vnius Ordinis censentur etiam concessa omnibus Monasteriis eiusdem Ordinis. Sic concessit Pius IV. patribus sancti Hieronymi in Hispan. ad instantiam Regis Philipp. II. de quo Rodrig. *citat. quæst. art.* 9. & 18. vnde infert Rodrig. *art.* 18. quod Indulgentia illa celebris Portiunculæ Assisij concessa in Conuentu Pat. nost. Francisci, pro intrantibus Ecclesiam illam, conceditur etiam vniuersis Minoritis in toto Ordine pro eodem die, in suis Conuentibus. Qua de re ego dubito, vt dixi supra, *verb. Indulgentia, tit. circa Indulgentias & Iubileum, num.* 2. & vltra ibi dicta nunc addo instantiam. Nam si Minoritæ omnes extra illum Conuentum Assisij fruuntur illa Indulgentia eo quod sit communicata illi Conuentui, ratione cuius totus ordo participat: sequetur clarè quod etiam omnes aliæ Religiones gaudebunt

debunt illa Indulgentia eodem die, eo quod iam illa Indulgentia per se est communis toti Ordini, cum quo Ordine cæteri Mendicantes participant: ad eum modum quo omnes Religiones communicant in priuilegio recipiendi Nouitios, absque præuia informatione, concesso Dominicanis in Monasterio Salmanticensi, eo quod concessum illi Monasterio censetur communicatum toti Ordini prædicatorum: & proinde cæteri Ordines cum illo communicant. At nemo vnquam dixit, neque praxis edocuit, quod cæteræ Religiones communicant in illa Indulgentia portiunculæ in illa die: ergo neque tota Religio Minorum extra illam domum. Et maximè hodie quando vt ibi dixi omnes Indulgentiæ Regularium sunt reuocatæ, præter ibi positas. Hoc ergo dictum in isto numero, quod concessum vni Monasterio conceditur alteri, ego intelligo de priuilegiis, non verò de Indulgentiis, quæ nimis differunt à priuilegiis.

21 Priuilegium concessum vni Religioso tantùm, non conceditur aliis Religiosis eiusdem Ordinis: hîc enim militat diuersa ratio, quæ enim vni Religioso congruunt, alteri Religioso erunt indecentia: quod non continget in priuilegio concesso vni Monasterio respectu aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis. Addo ego quod si vnum priuilegium sit concessum prælato vnius Conuentus ratione officij, vel Fratribus in communi alicuius Cõuentus, quod illud participabunt omnes prælati conuentuales, & omnes Fratres illius Ordinis: imò & prælati conuentuales, & Fratres aliorum Ordinum communicantium. Exemplum est in priuilegio posito *num. præcedente* concesso priori Conuentus Dominicanorum Salmanticensium, & in aliis exemplis videre licebit: concessum enim fuit officio, & non personæ.

22 Quan

22 Quando vna Religio communicat in priuilegio alteri Ordini primo concesso, tale priuilegium ita fit proprium Religionis communicantis, ac si illi primò fuisset concessum: & proinde si prima Religio illud perdat, amittat, vel mutet per reuocationem particularem Religionis vetantis illius vsum, non hæc eueniunt in secunda Religione cuius factum est priuium. Neque è contra: si mutetur priuilegium communicatum, vel reuocetur vel restringatur, non fit hæc mutatio, vel alteratio in priuilegio concesso priori Religioni. Est communis: & patet ex dictis in priuilegio ad instar, respectu priuilegij exemplaris. Secus si reuocetur priuilegium quo ad omnes illud habentes per communicationem, extensionem, & similibus clausulis quæ videndæ sunt.

23 Solent concedi priuilegia hoc modo in aliqua Religione; vt scilicet Religiosi illius, illis non gaudeant nisi illis fuerint concessa à suo Generali quo ad vsum eorundem priuilegiorum: vt habet Soc. Iesu. Hoc posito dubitas, si illa priuilegia illi Ordini primò concessa cum illa restrictione ad Generalem, postea communicentur Ordini verb.grat. Minorum, intelligantur concessa cum ea restrictione, vt Minoritæ non vtantur, nisi Generalis ipsis concedat? Resp. quod non, sed poterunt Minoritæ illis vti absque concessione particulari sui Generalis. Rodrigu. *tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 17. §. 2. *dubium.* & Suar. *lib.* 8. *citat. cap.* 17. *num.* 6.

24 Illi qui communicant in aliquo priuilegio alteri Ordini primò concesso possunt se defendere tali priuilegio sibi communicato contra illum Ordinem cui primò concessum fuit: si iste Ordo se defendens est reus, & patitur damnum. Exemplum sit, fuit primò communicatum Ordini Minorum, vel concessum

ne

ne Religiosi alterius Ordinis ædificent conuentum prope Minores intra spatium tot cannarum(de quo supra *verb. Monasterium*) cui priuilegio communicant Carmelitæ.Postea Minoritæ volunt ædificare Conuentum prope Carmelitas intra idem spatium, possunt Carmelitæ se defendere contra Minores per illud priuilegium concessum primò Minoribus: quia hoc priuilegium iam factum est proprium Carmelitarum per communicationem.Tenet Rodrig. *cit. quæst. 15. art. 21.* citans Cordub.Et est communis. Et ait Corduba quod iuxta hoc si casu fuerit positum interdictum vni Ordini ad instantiam alterius, poterit Ordo interdictus suspendere interdictum per priuilegia concessa Ordini illius qui petiit interdictum.

25 Quando dicitur priuilegiatum non posse agere contra priuilegiatum,non intelligitur in casu proximè præcedente,sed intelligitur quando vnus priuilegiatus habet aliud distinctum priuilegium,& contrarium,repugnans,seu tollens priuilegium alterius. Exemplum. Habet Rex priuilegium à Papa vt petat subsidiũ à clericis non obstante iure cõmuni.E contra habet Conuẽtus speciale priuilegium ab illo non derogatum,per quod sibi conceditur ne soluat subsidium cuicumque personæ: tunc Rex priuilegiatus,non potest agere contra Conuentum illum priuilegiatum in oppositum. Secũdò,habet Dux militum priuilegiũ à Rege,vt obliget quemcumque plebanum recipere hospitem militem. Habet è contra plebanus Minorũ cõfrater,priuilegiũ a Rege ne cogatur ad recipiendos tales milites,vel hospites sæculares:in tali casu Dux priuilegiatus non potest agere contra talẽ plebanum priuilegiatũ,sunt enim priuilegia mutuo pugnãtia & habentia oppositionẽ respectiuam:quod non cernitur *in dicto n. præcedente*: est enim tunc in cannis idem priuilegium non sibi repugnans.

PRIVILEGII CONFIRMATIO.

26 ETiam si priuilegia vnius Ordinis non confirmentur à nouo Papa electo, non proinde dicta priuilegia manent abrogata. Primò, quia priuilegia Ordinum non contradicentia Concilio Tridentino, sunt confirmata per ipsum Concil. *sess.* 25. *c.* 20. *de Reg. in fine*, quod est ius commune. Secundò, quia vt Iuristę dicunt, priuilegium, seu beneficium principis debet esse immobile. Confirmantur verò vt plurimum Ordinum priuilegia à nouo Pontifice, petentibus Religionibus, quia, vt ait S.D.Papa Paul.V. in confirmatione priuilegiorum Minoritarum, anno 1609. illa quæ authoritate Apostolica sæpius confirmantur, maius robur, & firmitatem acquirunt. Addo quod ex iterata illa confirmatione aliquando aliquid nouum acquiritur in modo confirmationis, vt mox dicemus. Vide *infra verbo isto, num.* 50.

27 Duobus modis solent confirmari priuilegia, valde diuersis, & scitu dignis ad multos effectus. Primò confirmantur in forma communi, id est, in confuso sicut iacent, sine examine, & hæc dicitur confirmatio in forma communi. Secundo modo confirmantur priuilegia ex certa scientia; quia scilicet supponit princeps habere se notitiam claram illorum priuilegiorum, idque facere præuio examine, & inquisitione. Si verò antequam confirmet, ponit tenorem priuilegij, tunc clarè confirmat ex certa scientia. Idē est si in confirmatione dicat se confirmare ex certa scientia. Talis enim confirmatio fortior est, & amplior, vt dicemus. Idem valet hoc verbum, si dicatur, *confirmo ex plenitudine potestatis*: per hæc enim verba significat Papa se velle operari quidquid potest, videlicet supra ius, & contra ius.

Digitized by Google

ius. Idem valet si dicat: *non obstante lege in contrarium*, ex his colliges quando confirmetur priuilegium in forma communi;& quando ex certa scientia. Confirmatio enim ex certa scientia fit, quando opponitur aliquod ex sequentibus. Ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis, vel non obstante lege in contrarium. Quando verò confirmatio caret aliqua clausula ex his tribus,est confirmatio in forma communi.

28 Quando priuilegium confirmatur solùm in forma communi, talis confirmatio nullum ius nouum confert, neque dat valorem priuilegio, quod erat ante inualidum:& ita non est concessio priuilegij, sed sola roboratio pro statu in quo erat. Est communis Doctorum ad *cap. quia diuersitatis, de concessione præbendæ* & proinde si hæc confirmatio cadat supra actum incapacem, seu nullum: nihil confert. Si verò conferatur à Superiori, & actus sit confirmabilis, additur robur præcedenti priuilegio. Suarez *cit. libr.* 8. *numer.* 8. 9. & 10.

29 Confirmatio ex certa scientia habet vim nouæ concessionis talis priuilegij, vel priuilegiorum. Ita gloss. *in capit. quia diuersitatis, & in capite* 1. *de transact.* Et ratio redditur, quia talis confirmatio ex certa scientia habet vim confirmandi actum nullum reddendo illum de inualido validum, seu de priuilegio nullo, facere validum. Suarez latè, & efficaciter *citat. libro capit.* 18. *à numer.* 12. *& seqq.* Limitat tamen *ibi* Suarez, dummodo Papa confirmans ex certa scientia non ponat aliquam clausulam per quam dicat se nolle confirmare priuilegium aliàs nullum, vt si verbi gratia, dicat quatenus sunt in vsu. Tunc enim si aliquod priuilegium sit iam nullum, quia non est in vsu, tunc non confirmantur ibi priuilegia ex certa scientia. Idem erit de similibus restrictionibus, vt si

dicatur (*dummodo sub vllis reuocationibus non sint comprehensa*) vel si dicatur (*prout in libris Ordinum reperiuntur*) tunc enim non confirmantur ex certa scientia illa quæ neque in libris Ordinum, neque in Bullis reperiuntur. Idem si dicatur, *dummodo Concil. Trident. non sint contraria*, tunc enim hæc non confirmantur.

30 Ego pro quiete & consolatione Minoritarum, aduerto à Clemente VII. vsque ad hunc diem septem Pontifices confirmasse priuilegia Minorum ex certa scientia, & aliquos ex his insuper dixisse de plenitudine potestatis. Bullæ confirmatoriæ horum Pontificum habentur in Bullar. Rodrig. *foliis mox citandis*. Primus ergo fuit Clemens VII. cit. Bullar. *fol.* 759. *col.* 1. dicens. *Motu proprio, & ex certa scientia approbamus, &c.* Secundus fuit Iulius III. eodem Bullar. *fol.* 826. *col.* 2. dicens, *quatenus sunt in vsu & viridi obseruantia, ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine.* Tertius fuit Paul. IV. *ibid. fol.* 843. *col.* 2. dicens: *Ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine.* Quartus fuit Pius IV. *ibid. fol.* 863. *col.* 2. dicens: *Ex certa scientia, & de plenitudine potestatis.* Quintus fuit Gregor. XIII. *ibidem fol.* 985. *col.* 2. dicens: *Ex certa scientia, ac de Apost. sedis plenitudine.* Sextus fuit Sixt. V. *ibid. fol.* 1152. dicens: *Ex certa scientia, in illis in quibus Tridentin. non aduersantur.* Vltimus fuit Clemens VIII. *ibid. fol.* 1223. *col.* 1. dicens: *Ex certa scientia, in his in quibus Tridentin. non aduersantur.* Tandem aduerto, quod neque Sixtus V. neque Clem. VIII. restrinxerunt dummodo sint in vsu. At Paul. V. D. N. eadem priuilegia nobis confirmans, anno 1609. non posuit clausulam *ex certa scientia: nec de plenitudine potestatis.* Sed tamen etiam abstinuit à clausula, *quatenus sunt in vsu.*

Ex

Ex his habes ſaltem priuilegia Minorum eſſe confirmata à tot annis,abſque clauſula, *quatenus ſunt in vſu*. Et à tot annis eſſe confirmata *ex certa ſcientia*. Sed dubitas:ſi vltimus Papa D. Paulus V. non confirmauit *ex certa ſcientia* : hoc nocebit,& efficiet inualidas confirmationes,ſeptem Pontificum factas,antecedentes,*ex certa ſcientia* ; & efficient vt priuilegia non ſint confirmata *ex certa ſcientia*?Credo quod non:neque hoc illis nocebit:nam vt ſupra vidimus *n.* 6. etiam ſi priuilegia Ordinis non confirmentur à nouo Papa:illa priuilegia non perdunt robur ſuum : ergo licèt D. Paulus V. non confirmaret,& omnino taceret,erant noſtra priuilegia confirmata *ex certa ſcientia*, vſque ad Clementem VIII. Quanuis ergo illa tacuerit *ex certa ſcientia* : hæc taciturnitas non reuocat certam ſcientiam anteceſſorum,vt patet. Vide infra *n.* 36.

31 Quando Papa confirmans priuilegia dicit ; *dummodo non ſint contra Concilium Tridentinum*, non eſt mens eius reuocare priuilegia omnia contraria dicto Concilio quouis modo, ſed ſolum illa quæ ita ſunt illi contraria, vt in terminis, & expreſſe ab illo reuocentur,pro vt reuocantur in locis particularibus.Si enim in terminis,& directè non fuerint reuocata à Tridentino, etiam ſi aliàs illi contrarientur., non ſunt reuocata : & proinde à Papa confirmantur, etiam ponente illam clauſulam. Rodriguez *tom.* 1. *quæſtion.*8. *art.*6. dicens ſic fuiſſe reſponſum à Doctoribus Salmanticenſibus. Et conſentit Suarez *lib.cit.cap.* 18. *ad finem* & inclinat Miranda *tom.*2. *quæſt.*42. *art.*3.§. *ſed alij*. Ponit hoc exemplum Rodriguez : Ordinari extra tempora eſt contra Tridentin. *ſeſſ.*23. *cap.*8. Quia tamen *ibi* Concil. non reuocat priuilegia Regularium, quæ ipſi habent in contrarium : eadem priuilegia manent integra, licèt ipſi Concilio ſint contraria,quia ibi quo ad illud non ſunt

priuilegio reuocato per ius commune, est communis Doctorum. Et maximè Cord. ad Compend. *ver. Absolutio quo ad seculares. 2. ad §. 16.*

34 Si Papa confirmat priuilegia vnius Ordinis illi propria, & primo concessa *ex certa scientia*; illa Religio quæ communicabat priuilegia istius primę Religionis ante illam confirmationem, si communicat non solùm concessa, sed etiam concedenda (vt fere habent omnes Mendicantes, & non Mendicantes) etiam gaudet illa confirmatione *ex certa scientia*, quoad priuilegia quibus vtitur, communicatis ab illo primo Ordine: probatur, quia cùm communicet etiam concedendis, & confirmatio ex certa scientia sit etiam quasi priuilegium nouum primi Ordinis, etiam isto communicabit secunda Religio. Si verò non communicet nisi concessis de præterito, non participat illa vt confirmata *ex certa scientia*. Suarez *cap. 19. num. 9. & 10.*

35 Si Papa cõfirmet *ex certa scientia* priuilegia vnius Ordinis, non censetur etiam confirmare *ex certa scientia* priuilegia propria alterius Ordinis participantis priuilegia illius primi Ordinis. Quia Papa non intendit confirmare ex certa scientia, nisi tantum priuilegia, v. g. Minorum, & non Minimorum: seu priuilegia specialia Minorum: ergo non confirmat ex certa scientia priuilegia specialia Dominicanorum, vel Minimorum: aliàs plura confirmaret quam intenderet. Suarez *ibid. num. 12. & 13.*

36 Quando Papa in confirmatione priuilegij dicit, *innouamus*, si hæc innouatio sit in forma communi, iudicabitur de illa sicut supra dictum est de confirmatione facta in forma communi, quæ non reualidat priuilegium antea reuocatum. Si verò ista innouatio sit innouatio ex certa scientia, habet vim ad validanda priuilegia reuocata cum moderatione supra posita *n. 32.*

quam vide. Est Cordub.ad Compend. *verb. Absolutio quo ad seculares* 2. §. 15. Ex tenore autem verborum coniici debet,si innouatio sit ex certa scientia. Et quidem vt supra dixi S.D.Paulus V.in sua Confirmatione solum posuit,*confirmamus,& innouamus*.Sed ait se confirmare priuilegia confirmata à Clemente VIII.suo antecessore : quia tamen Clemens VIII. dixit,*ex certa scientia.*

37 Verba illa solita apponi in confirmatione priuilegij videlicet (*supplentes omnes.Iuris, & facti defectus, si qui interuenerint*) non supplent defectus, ex iure naturali repugnantes illi actui, neque defectus subreptionis. Sed adhibentur illa verba, *ad maiorem rei euidentiam, seu tollendos scrupulos, & ad tollendam occasionem, mouendi lites fundatas in solo iure positiuo.*

38 Quando ad impetrandum priuilegium, narratur aliquid falsum, quod principaliter mouet Papam ad dandum priuilegium,tunc priuilegium est nullum.*cap. super litteris.cap.ad aures.de rescriptis*:& est communis. Oportet autem, quod illa falsa narratio moueat Papam ad dandum priuilegium. Si enim dantur etiam aliæ causæ graues, & veræ quæ Papam moueant,valet priuilegium. Inualidat etiam priuilegium occultatio rei illius,quæ si sciretur à Principe,non concederet : vt quod supplicans beneficium iam habet aliud beneficium : vel petens Indulgentiam, iam habet aliam Indulgentiam fere in simili materia, hoc enim si sciret Papa non concederet. Et hæc,de iure communi,ac de stylo Curiæ sunt explicanda in petitione. Quemadmodum ad obtinendam dispensationem matrimonij inter consanguineos, ex stylo Curiæ necessariò declaranda est copula quæ præcessit, quia solet difficiliorem reddere dispensationem, & hæc si proinde taceatur,

reddit

reddit dispensationem inualidam, iuxta veriorem opinionē, de qua Sanch. *l.8. de Matr. disp.25.* citans multos.

PRIVILEGII VSVS.

39 CAp. *si de terra, de priuilegiis* dicitur, quod non potest quis cogi vt vtatur suo priuilegio. Videtur enim implicare moraliter vt cùm priuilegium sit fauor, ego cum molestia cogar vti tali priuilegio, & fauor vertatur in grauamen. Excipitur tamen à proximè dicto quando aliquis non potest renunciare suo priuilegio sine præiudicio publico, vel præiudicio tertij. Exemplum. Si Clericus renunciet priuilegio fori Ecclesiastici, vt scilicet causam dicat apud solum Iudicem sæcularem. Hæc renuntiatio cedet in detrimentum Ecclesiæ, in cuius præcipuè fauorem concessum est illud priuilegium: & proinde Clericus non poterit illi renuntiare, sed cogetur illo vti: & aliter faciens peccabit mortaliter. Aliud exemplum est de habente priuilegium ad Missam audiendam tempore Interdicti. Tunc enim cùm remotum habeat impedimentum, ob tale priuilegium Cruciatæ, vel simile, tenetur Missam audire, & cogetur vti suo priuilegio. Et huius secundi exempli datur regula generalis, quod tunc aliquis cogetur vti suo priuilegio, quando per priuilegium efficitur, vt actus sit licitus, qui absque priuilegio erat illicitus. Vide etiam supra quando priuilegiatus non possit vti suo priuilegio contra priuilegiatum.

Ex dictis de Clerico non valente renuntiare suo priuilegio fori, quia est in præiudicium Ecclesiæ; colliges primò à simili non posse Minoritam renuntiare priuilegio recitandi singulis feriis quintis de sanctiss. Sacramento, quia illud priuilegium non est

ſibi conceſſum, ſed conceſſum toti Ordini. Infertur ſecundò quod ſi alicui perſonæ particulari concederetur aliquod priuilegium, non intuitu communitatis, vt quod non ieiunet, vel quod recitet Breuiaria parua, tunc bene poterit tali priuilegio renuntiare.

40 Circa vſum priuilegij ignorati, nota quod ſi ego audiens pœnitentem in confeſſione de caſu graui, puto me poſſe illum abſoluere, vel quia non credo caſum eſſe reſeruatum, vel quid ſimile per errorem, ignorans omnino me habere priuilegium ad abſoluendum ſicut de facto habeo, cùm tamen abſque priuilegio non poſſem illum caſum abſoluere: tunc abſolutio tenet, patet ex illo dicto communi Iuriſtarum; ſi non valet hoc quod ago, pro vt ago, valeat vt valere poteſt. Et hæc eſt mens operantium, in omni materia graui. Ille enim ſic abſoluens, habuit voluntatem generalem vtendi priuilegiis Ordinis, & ſimul habuit voluntatem abſoluendi: & ſic concurrerunt omnia neceſſaria. Colligitur ex *cap. vnico. de Deſponſat. impub.* & eſt communis Doctorum.

41 Habens priuilegium Bullæ Cruciatæ in Hiſpania comedendi lacticinia, non poteſt illa comedere extra Hiſpaniam: quia illa licentia clarè, ſolùm datur pro Hiſpania, Suarez *lib. citat. cap. 26. num. 4.* Sumitur enim ratio ſpecialis ex circunſtantia loci pro quo datur Bulla. Secus ſi ſit priuilegiatus ob infirmitatem, vel aliquid ſimile per Prælatum, tunc enim vbique poterit comedere, quia eſt priuilegium purè perſonale.

42 Priuilegium datum ab vno Epiſcopo diſpenſante in aliqua lege ſui territorij (idem applica ad Prouincialem ſuo modo) ad faciendum aliquid; non valet ad operandum illud in alieno Epiſcopatu, ſi ibi per Epiſcopum ſit etiam prohibitum. Probatur, quia peregri

regrinus tenetur ſeruare leges, & mores illius territorij in quo eſt, & proinde priuilegiatus in ſuo Epiſcopatu, non eſt ſimiliter priuilegiatus in alio Epiſcopatu pro illo opere ibi ſimiliter prohibito. Et præterea, quia priuilegium vnius Epiſcopi non poteſt derogare præcepto alterius Epiſcopi. Vide ſupra, *verb. Libri.* aliud exemplum de non valente legere libros prohibitos ſibi conceſſos in Portugallia, ſi ſit ipſe in Caſtella, vbi iidem libri ſunt ſpecialiter etiam prohibiti, & quod priuilegiatus in Portugallia, vt portet Archebuſium paruum: non eſt priuilegiatus vt illud ipſum portet in Italia, vbi eſt etiam ſpecialiter prohibitum.

PRIVILEGII EXTENSIO, ampliatio, ſeu reſtrictio.

43 PRiuilegium purè fauorabile, quod ſcilicet neque eſt contra ius commune, neque contra bonum tertij, eſt amplè interpretandum ſicut ſupra diximus quantum recta ratio, & communis verborum ſignificatio, & prudentia permiſerit. Eſt communis Doctorum, & colligitur ex *l. hoc modo. ff. de condit. & demonſtrat.* Quod maximè intelligitur de priuilegio conceſſo toti Religioni, quo ad exemptionem, vt tenet Henriquez *tom. 1. libr. 7. de Indulgent. capit. 24. num. 4.*

44 Priuilegium derogans iuri communi eſt odioſum, & ideo reſtringendum potius quàm extendendum. Nauar. *in Sum. Latina. cap. 12. num. 79.* & alij communiter; nam bonum commune præferendum eſt ſingulari. Tamen reſtrictio taliter debet fieri, vt ſemper admittat aliquem fauorem fieri, per priuilegium erga priuilegiatum, aliàs priuilegium eſſet inane, quod

quod à Principe non ſperatur. Poſtquam verò priuilegium dubium ſortitum fuerit aliquem effectum contra ius commune, tunc reſtringendum eſt; ne amplius iuri noceat. Dixi, *ſi ſit dubium*, quia ſi clarè duo vel tria contineat contra ius commune, non eſt quod reſtringatur ad vnum tantùm.

45 Excipitur à proxima regula quando priuilegium eſt conceſſum Motu proprio, non petente priuilegiato, quia tunc amplè poteſt interpretari, etiam ſi deroget iuri communi: tale enim priuilegium fortius eſt, & fauorabilius. *cap. ſi Motu proprio. de præbend. in 6.* Excipiuntur etiam priuilegia contenta in corpore iuris: iam enim illa non ſunt ius priuatum: talia priuilegia ſunt, exemptio Fratrum ab Epiſcopis, & priuilegium præſentandi confeſſores datum Minoribus: hæc enim contenta ſunt in corpore iuris, & proinde amplè poſſunt interpretari ſalua ſemper propria ſignificatione verborum, de quo vide *mox num.* 47.

46 Priuilegium inferens præiudicium tertio contra ius quod iam habet acquiſitum, eſt valde reſtringendum: quia non eſt mens Principis alteri ſuum ius aufferre. Et proinde etiam ſi priuilegium ſit conceſſum Motu proprio non extenditur ad priuandum aliquem iure acquiſito, illo non audito.

47 In reſtrictione priuilegii ſunt attendenda verba illius ſecundùm veram proprietatem, & communem ſignificationem verborum ibi contentorum, neque detorquenda ſunt verba à communi ſenſu, & ſignificatione ordinaria. Sic enim poſtulat ratio, vſus, & praxis in legum interpretatione. Aliàs ſi ſecus fieret mille ſequerentur abuſus, vt ſi quis verba ex litterali ſenſu detorquere vellet ad moralem ibi & improprium. Excipitur caſus, in quo, ſi ſeruaretur proprietas

verbo

verborum crederetur conceſſio nimis iniqua, vel iniqua, aut prodiga: tunc enim ratio dictat faciendam eſſe reſtrictionem cum improprietate verborum, ne dicatur Princeps iniqua vel prodiga concedere.

Excipitur etiam quando priuilegium ſecundum contrarium eſt priori niſi reſtringatur. Tunc enim reſtringi debet etiam cum improprietate verborum ne dicatur Princeps concedere contraria. Tertiò excipitur quando priuilegium derogat alicui ſtatuto particularis Prouinciæ, quod in illa eſt valde neceſſarium, quod præſumitur Papam ignoraſſe, & creditur quod illi noluerit derogare: tunc enim non ſolùm reſtringendum eſt: ſed nec tali priuilegio debent vti incolæ illius Prouinciæ, ſed debent ad Papam reſcribere. Excipitur quartò, quando per tale priuilegium tollitur ius iam acquiſitum alicui tertio, tunc enim non præſumitur Papa tale priuilegium concedere. Eſt communis Doctorum, & patet ex præcedentibus.

48 Priuilegium extendi non debet ad alias perſonas, vel alios actus propter ſimilitudinem vtrobique repertam. Vt, ſi hic ob fragilitatem, & infirmitatem habet priuilegium expreſſum non recitandi, vel recitandi tali modo: vel non ieiunandi: non extenditur hoc eius priuilegium ad alium propter rationem ſimilem in illo inuentam: ſed debet procurare ſimile expreſſum priuilegium. Eſt communis Doctorum, & probatur, quia valor priuilegii non eſt poſitus in ſimilitudine rationis, ſed in voluntate, & poteſtate concedentis. Et proinde quando Clericus priuilegiatus ad celebrandum tempore interdicti aſſumit famulum ad miniſtrandum, & Dominus aſſumit famulum ordinarium ad audiendum: nó extenditur priuilegium ad hos famulos, vel perſonas ratione ſimilitudinis ibi reperte:

ſed

sed fit extensio ad famulos, ne, vel priuilegium sit inutile Clerico, vel Domino: aut quia congruentia rei, sic petit fieri. Et similiter accipe quod dictum est supra, de Clerico priuilegiato recitante cum socio.

CESSATIO PRIVILEGII, loquendo in communi.

49 SI Priuilegium sit conditionale, cessante conditione cessabit priuilegium. Nam mens concedentis illa fuit vt priuilegium haberet dependentiam ab illa conditione apposita. Et probatur ex concessione Indulgentiæ sub conditione quod fiat tale, vel tale. Si enim non fiat illud quod iubetur, omittens non lucratur Indulgentiam. Idem dic de priuilegio concesso, scilicet per tempus limitatum: finito enim tempore illo, cessat priuilegium, in quo res est clarior.

50 Priuilegium non cessat per mortem concedentis, *cap. is, qui nulla, de prebendis in 6.* & communis Doctorum: & hoc est verum, etiam si priuilegium deroget iuri communi, vel alicui tertio. Talis etiam est dispensatio, quæ licèt sit contra ius commune, data tamen à legitimo dispensante, non expirat morte, vel vacatione dispensantis, iuxta Doctores communiter. Quod adeo verum est, vt si papa committat Episcopo, vel Prouinciali, vel alicui commissario vt dispenset cum aliqua persona in tali, vel tali, vt fit aliquando dispensante prius Papa, & committente supra dictis executionem; si Papa moriatur ante executionem talis dispensationis factæ per Episcopum, vel commissarium, non cessauit commissio, seu dispensatio, & potest commissarius exequi, vt

cum

cum multis tradit Sanchez *de matrim.lib.*8. *disput.*28. *num.*8. Et de priuilegio intellige etiam si priuilegiatus nondum aliquem vsum acquisierit: hæc enim conditio, vt scilicet iam res sit incæpta, requiritur in rescriptis iustitiæ, vt in officio Iudicis delegati, & in similibus; non verò in materia gratiæ, quale est priuilegium.

51 De iure communi priuilegium datum alicui ad absoluendum à reseruatis, vel censuris, vel dispensandi in irregularitate, &c. non expirat morte concedentis. Sanchez *loco cit.* Dixi *de iure communi*, quia vt iam supra dixi, in Ordine Franciscano, potestas absoluendi à reseruatis expirat per amotionem ab officio illius qui concessit quando amotus est finito officio, & loco ipsius alter ordinarius suffectus est in Capitulo Prouinciali, vel Generali. De licentia verò concessa à Prouinciali vt confessor dispenset ad petendum debitum cum impeditis, iam supra dictum est hanc non cessare, etiam amoto Prouinciali, & finito suo officio.

PRIVILEGII CESSATIO PER renunciationem, vel non vsum.

52 PRiuilegio renuntiare potest solus ille cuius est propriè priuilegium, vnde priuilegium concessum vni Religioni in communi non potest renuntiari à Monacho particulari, neque à Capitulo Prouinciali. Probatur quia renuntiatio est abdicatio illius quod cuique proprium est; at priuilegium totius Ordinis non est proprium vnius Monachi, neque vnius Prouinciæ: & proinde solum Capitulum generale potest renuntiare priuilegium, vt iam fecit Capitulum generale Minorum. Rodr. *tom.*1. *q.*8. *art.*2.

53 Nolle

53 Nolle vti priuilegio pro vna vice, vel duabus, non est illud renuntiare: sed est solùm pro tunc abstinere ab illius vsu. Renuntiatio enim est voluntas expressa abdicandi à se totum ius, & facultatem priuilegij: sicut enim consensus non extenditur ad non cogitata: ita neque desitio operis extenditur ad perditionem priuilegij non cogitatam, si semel, vel bis illo non vtor, cum de renuntiatione non cogitem. Optimè Sanchez *lib.*8.*de Matrim.disp.*32.

54 Propositum, seu voluntas internè proponens non vtendi priuilegio, non est renuntiatio priuilegij: potest enim quis post formatum illud propositum iterum vti priuilegio: quia illud propositum non est contra priuilegium, sed contra vsum priuilegij. Imò licèt interius velit non habere amplius tale priuilegium, potest retractare talem voluntatem, & iterum illo vti. Suarez *lib.*8. *citat.cap.*34. *num.*18. & proinde necesse est vt exterius voluntas prodeat.

PRIVILEGII CESSATIO per non vsum.

55 CLarum est posse priuilegium perdi per non vsum. Quia saltem Iulius III. confirmans priuilegia Minorum vt diximus *supra num.*3. dixit, quatenus sunt in vsu viridi. Sed primò recolendũ est quod supra diximus *verb. Communicatio priuilegiorum lit. C. num.*11. videlicet, quod licèt vna Religio non vtatur suo priuilegio, & illud priuilegium sit in vsu apud aliam Religionem communicantem, ista secunda Religio apud quam est in vsu poterit vti tali priuilegio. Adde quod intra vnum, & eundem Ordinem poterit contingere vt vnum priuilegium possit esse in vsu apud vnam, vel plures Prouincias, & non sit in vsu

vsu apud alias. Et tunc credo quod simpliciter non dicetur tale priuilegium cessasse in illo Ordine per non vsum: sufficit enim quod aliquæ prouinciæ vtantur, vt priuilegium dicatur esse in vsu in illo Ordine. Et præterea si priuilegium vnius tantũ Conuentus extenditur ad omnes Conuentus illius Ordinis: etiam priuilegium quod est in vsu in vna, duabus, vel tribus Prouinciis poterit extendi ad omnes Prouincias eiusdẽ Ordinis.

56 Aliud est non vsus priuilegij, aliud verò est contrarius vsus priuilegij. Non vsus priuilegij opponitur priuilegio affirmatiuo concedenti vt aliquid fiat, vt scilicet recitetur tali, vel tali modo diuinum officium, vel celebretur in domo priuata. Si verò oblata occasione hoc non fit dicitur tunc vere non vsus priuilegij, seu non vsus priuatiuus. Contrarius verò vsus apponitur priuilegio negatiuo, quo conceditur ne aliquid fiat, vt si concedatur Monasterio ne soluat decimas, ne accedat ad processiones vltra milliare existenti à loco, &c. Et nihilominus soluit & vadit, datur vsus contrarius, vel non vsus contrarius. Et vterque modus habet varios effectus.

57 Non vsus priuilegij primo modo, seu priuatiuus, vt dicatur talis, & verus non vsus requirit sequentia. Primò, vt oblata fuerit occasio faciendi, & non sit factum. Secundò, vt detur scientia talis priuilegij. Tertiò vt detur potentia tunc faciendi, id est, non detur tunc impedimentum: si enim hæ tres conditiones non concurrant talis non vsus non dicetur voluntarius, neque proinde poterit esse indicium renuntiationis, quæ debet esse voluntaria. Est communis Doctorum.

58 Non vsus in Religione, vel contrarius vsus non sufficiet ad perdendum priuilegium nisi duret per spatium quadraginta annorum de iure communi, *c. accedentibus. de priu.* tenet Cord. in Compend. *ver. Absolutio*

quo ad ſæculares 2.§.19. & per conceſſionem particularem Benedictinorum, de qua ſupra *ver. Præſcribere*, requiruntur centum anni vt præſcribatur priuilegium per non vſum. De quo Rodrig. *tom.* 1. *quæſt.* 8. *artic.* 2. & *tom.* 3. *quæſt.* 51. *art.* 5. Cùm enim priuilegium ſit bonum quoddam Religionis, contra bona Religionis nõ præſcribitur niſi dicto ſpatio temporis. Et innuit Suarez *cit. libr.* 8. *cap.* 35. & clarè *n.* 21. & Frater Ioan. à Cruce de hoc non vſu agens *libr.* 2. *Epitom. cap.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 2. refert aliam Bullam per quam conceſſum eſt Benedictinis ne contra illos præſcribatur niſi per centum annos.

59 Si modò, cùm Religio vult vti aliquo priuilegio eſt in vſu, apud illam, & apud alias Religiones præſumendum eſt quod ſemper fuit in vſu, & nunquam data eſt interpollatio ſufficiens ad præſcribendum, præſumendum eſt enim actum fieri legitimè. *lex merito. ff pro ſocio.*

60 Contrarius vſus factus per aliquem, vel aliquos Religioſos vel per particularem Cõuentum, non tollit priuilegium datum Religioni, quia contrarius vſus debet eſſe illius, cuius eſt priuilegium. Rodriguez *tom.* 3. *quæſtione* 51. *articul.* 5. & Suarez *capit.* 35. *numero* 6. Vnde colliges, quod ſi Guardianus non obligatus ire ad proceſſiones, nihilominus vadit bis, & ſæpe, per hunc contrarium vſum non perditur priuilegium Ordinis, aut Conuentus; ille enim contrarius vſus non eſt factus à Religione: & ſaltem ſucceſſor reclamans obtinebit, antequam accreſcat præſcriptio contra illud Monaſterium. Conſulunt tamen Rodriguez *tomo* 3. *quæſtion.* 36. *articul.* 3. & Suarez *numer.* 3. vt etiam tunc, & in ſimilibus fiat proteſtatio coram Notario, ſe facere illum actum contrarium ſuo priuilegio, ſalua ſemper exemptione, & conſeruatione ſui priuilegii.

Et

Digitized by Google

Et notat Suarez, *citat. cap.33. num.24.* quod talis proteſtatio, ſaltem hoc habet vtile, vt poſtea ab illo actu, vel actibus non poſſit inchoari præſcriptio contra priuilegiatum. Vide omnino infra *verb. Proceſſiones numero 6.*

61 Prædicta verba Pontificum poſita in confirmatione priuilegiorum videlicet(quatenus ſunt in vſu)ſic adhuc explicantur. Primò,ſi adhuc ſunt in vſu;id eſt,ſi contra illa non eſt præſcriptum, ſpatio iam prædicto:ſi enim contra illa præſcriptum eſt, iam non confirmantur,quia non cõfirmatur niſi illud quod verum,& ſubſiſtens eſt. Secũdò poteſt intelligi(quatenus ſunt in vſu) id eſt,eo modo quo ſunt in vſu.Si enim non totum priuilegium, ſed pars priuilegij ſit in vſu, hæc pars in vſu conſiſtens confirmatur.Id enim videntur etiam ſonare verba illa,*quatenus ſunt in vſu*:id eſt,eo modo quo ſunt in vſu, & tunc adde quod ſaltem conſuetudo firmabit illam partem priuilegij. Maximè cùm multi dican priuilegium poſſe obtineri conſuetudine.Neque hoc mirum videri debet: ſi enim lex abrogatur per conſuetudinem, & conſuetudo facit legem: etiam conſuetudo poterit facere priuilegium,quod eſt lex quædam priuata,vt initio diximus.

62 Nicolaus IV. conceſſit Cartuſienſibus vt poſſint vti priuilegiis ſibi conceſſis, etiam ſi propter ſimplicitatem, & iuris ignorantiam vſi non fuerint retro actis temporibus,dummodo eis non ſit per prę ſcriptionem, vel aliàs legitimè derogatum. Compend. Minor. *verb. Priuileg.* §. 33. & hæc conceſſio ſaltem confirmat ſupradictum, quod ſcilicet vt perdantur priuilegia per non vſum, requiritur præſcriptio legitima in contrarium.

Dixi ſupra Clementem VIII. & Paul. V. in confirmatione priuilegiorum Minorum non poſuiſſe

(*quatenus sunt in vsu*) & Rodrig. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 28. ait, quod quando priuilegia confirmantur absque ista clausula, confirmantur etiam illa quæ non sunt in vsu. Quod magnam consolationem, & securitatem affert. Sed tamen vrgere videtur in oppositum quod id quod nullum erat, non videtur confirmari, nisi ponatur ex certa scientia, vel quid simile iuxta prędicta. Et Rodrig. illud ibi ait de confirmatione Sixti, qui vltra quam quod abstinuit à clausula, (*quatenus sunt in vsu*) posuit etiam *ex certa scientia*: & tunc non est dubium confirmari etiam illa quæ erant inualida, vt supra diximus. Secus si non ponantur hæc verba *ex certa scientia*: quæ posita sunt à septem Pontificibus in confirmatione nostrorum priuilegiorum.

63 Prædicta verba (*quatenus sunt in vsu*) id est, quæ modò sunt in vsu, habent etiam hunc sensum: vt scilicet, si contra priuilegia quæ modò sunt in vsu, sint trãsacti aliqui anni incipientes præscriptionem, vel illam inchoantes talia priuilegia denuo incipiant à tali confirmatione, ac si denuo confirmarentur. Frater Ioan. à Cruce *lib.* 2. *Epitom. c.* 3. *dub.* 2. *concl.* 6. Addit Cord. citat. à Capucino. 1. *par. Compend. f.* 52. quod vt perdatur priuilegium per non vsum opus est habere scientiam priuilegij, & voluntatem non vtendi illo iuxta supradicta, *n.* 57. Vnde inferri videtur, quod si vna Religio communicans in priuilegiis alterius per 40. annos saltem, ignorauit omnino priuilegium illius cui communicat. Et iuncta ignorantia etiam forte defuit occasio vtendi, per hoc dictum Cordubæ, & per supradicta, Religio denuo sciens priuilegium poterit illo vti, cuius notitia & vsu carebat, quorum exempla passim inuenies. Vide infra. *ver. Restitutio in integrum.*

64 Tota dubitatio est, an possint hodie Regulares, solùm in foro conscientiæ vti priuilegiis suis, quæ sunt expresse

expreſſe reuocata per Concil. Tridentin. Dixi *quæ ſunt expreſsè reuocata*, nam de illis priuilegiis quæ ſunt contraria Concilio Tridentino, ſed ab illo non reuocata, quale eſt vt poſſint ordinari extra tempora & ſimilia; diximus ſupra, *n.* 31. ex Rodriguez, Suarez, & Mirandâ, poſſe Regulares illis vti. At de illis quæ ſunt ſpecialiter reuocata à Trident. vt ibi diximus eſſe illud antiquum vt ordinari poſſent ante ætatem, omnes etiam Doctores dicunt, quod in foro externo non poſſunt Regulares illis vti. Quod verò quæritur eſt, an ſaltem his poſſint Regulares vti ſolùm in foro conſcientiæ: Henriquez *libr. 7. de pœnitent. tomo* 1. *cāpit.* 24. *ad finem cum gloſſ. littera K.* affirmat non poſſe illis vti in foro conſcientiæ tantùm: quia Pius V. viuæ vocis oráculo, id conceſſit Minoritis dicens, quod poſſent vti priuilegiis ſuis, etiam ſi eſſent reſtricta, vel derogata per Concil. Tridentin. in foro ſolùm conſcientiæ. Et quod, licet Gregor. XIII. poſtea reuocauit illa, quæ Pius V. conceſſerat, contraria Concilio Tridentino, ſolùm reuocauit, vel pro foro externo tantùm, vel reuocauit ſolùm Conſtitutiones ſcriptas, non verò oracula viuæ vocis, quæ non ſunt Conſtitutiones. Idem tenet Rodriguez *tomo* 1. *quæſtione* 8. *artic.* 9. & Compend. Societat. *verb. Concil. Trid.* §. 3.

Ego verò ſalua tantorum Doctorum authoritate, nō poſſum illis aſſentiri propter rigorem quo omnes Pontifices poſt Conc. Trid. vtuntur in confirmatione priuilegiorū illa clauſula exceptiua (*dummodo Conc. Trid. non ſunt contraria*) quæ clauſula ſi non intelligatur de priuilegiis ſpecialiter à Tridentino reſeruatis, vel reuocatis, de quibus nam debet intelligi? vel ad quid inſeruit ibi poſita, & toties repetita? Quid operabitur illa clauſula? Adde quod Gregor. XIII. in ſua reuocatoria non

solùm reuocauit priuilegia, sed etiam cætera indulta sine litteris expedita, dicens (*& quæcumque alia nostris statuto, ordinationi, & reductioni contraria*) iam verò oraculum illud Pij V. est indultum satis repugnans illi Ordinationi Gregorij, ac reductioni ad terminos Iuris communis, & contra Rodriguez potest argui ad hominem: si enim iuxta illum possumus vti priuilegiis de quibus est quæstio in foro conscientiæ, tenetur fateri posse hodie Regulares in foro conscientiæ, ordinari ante ætatem à Tridentino assignatam, quod tamen ille negat, & bene relatus à nobis supra *verb. Ordines sacri num.* 1. Et nos ibi satis impugnauimus cum illo. Et eadem ibi dicta huc etiam inseruiunt. Et hanc etiam sententiam contra Henriquez & Rodrig. tenet expresse Ludo. Lopez 1 *part. Instruct. cap.* 8. Frater Ioan. à Cruce, *libr.* 2, *Epitom. capit.* 3. *dubit.* 3. *concl.* 3. & alij multi quos non oportet citare. Miranda *tom.* 2. *quæstion.* 42. *articul.* 3. etiam innuit hanc partem, quanuis enim ibi dicat se nolle ferre sententiam: id tamen non dicit circa priuilegia expresse reuocata à Tridentino. Imò de his innuit cum opinione secunda ibi citata esse reuocata omnino, nec proinde nos posse illis vti in foro conscientiæ. Et expresse tenet nos non posse Miranda *tom.* 1. *quæst.* 39. *art.* 1. *concl. vnica.* Post hæc vidi quod Capucinus ad Compend. 1. *par. f.* 86. idem tenet quod Rodr. dicens Greg. XIII. non reuocasse pertinentia ad forum internum, nec viuæ vocis oraculum, sed solum spectantia ad lites externas. Et proinde qui voluerit tenere cum Rodr. Henr. Capucino, & Compendio Societatis, non condemno licèt putem oppositum securius ob prædicta. Et quia oppositi tenentur dicere licitũ esse ordinari ante ætatem Tridentini, quod ego nunquam dicam.

65 Notat Capucinus ad Compend. *ver. Priuilegium*, quod quando Pontifices dicunt in Confirmatione priuilegio

uilegiorum (*dummodo ſacris Canonibus, & Concilio Trid. non aduerſentur*). Illud, *ſacris Canonibus*, intelligitur de decretis contentis in iure canonico (his enim multa priuilegia clarè ſunt contraria) ſed intelligitur de canonibus poſitis in eodem Concilio Trid. in illo enim ſunt etiam Canones, & decreta.

PRIVILEGII CESSATIO PER reuocationem.

66 PRiuilegia duobus modis poſſunt reuocari: primò expreſsè, ſecundò tacitè. Expreſsè reuocantur cùm per verba expreſſa, & clara dicitur: *reuocamus, annullamus*, vel aliis ſimilibus. Et iſta reuocatio expreſſa poteſt eſſe, vel ſpecialis, vel generalis: ſpecialis eſt quãdo reuocatur aliquod priuilegium ſpeciale, & nominatum, vt quando Greg. XIV. reuocauit priuilegium Sixti V. de aborſu, vel de illegitimis. Erit autem hæc reuocatio expreſſa generalis cùm non ſpecificat aliquod priuilegium ſpeciale quod reuocet, ſed in genere, & in communi dicit ſe reuocare omnia priuilegia, & indulta in contrarium; idque faciunt Pontifices, per hæc verba: *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, &c.* Si verò aliquando aliquod priuilegium haberet clauſulam dicentem, quod non cenſeatur reuocatum niſi de illius tenore tranſcripto fiat mentio, hæc omnia ſupplet Papa ſucceſſor, cùm in ſua reuocatione ponit verba reflexiua dicens (*etiam ſi de prædictis reuocatis facienda foret expreſſa mentio: vel tenor inſerendus,*) & ſic de ſimilibus verbis: Papa enim prædeceſſor non poteſt ligare manus ſucceſſoris, vt ſic, vel ſic reuocet, tranſcribẽdo antiquum priuilegium, & ſic de cæteris, & illæ non obſtantię ſolitæ poni à Reuocatoribus ſufficiunt ad derogãda quæcumque præterita priuilegia.

67 Excipitur tamen quando priuilegium eſt inſertum in corpore iuris communis: tunc enim cùm ſit iam lex publica maiori, & clariori reuocatione indiget, quàm ſit illa reuocatio generalis. Et proinde opus eſt vt dicatur: *non obſtante iure communi*, vel *non obſtante priuilegio etiam inſerto in iure communi*, vt patet ex gloſſ. *in authent. quia. Cod. vbi de crimine. ver. illic omni priuilegio*: & eſt communis DD.

68 Reuocatio tacita priuilegij eſt illa quæ non fit verbis expreſſis: ſed à concedente priuilegium fit aliquis actus contrarius omnino priuilegio, per quem actum priuilegium non poteſt ſubſiſtere. Tunc enim per hunc ſecundum actum contrarium clarè innuit ſe tollere priuilegium. Requiritur tamen vt concedens, vel reuocans priuilegium habeat notitiam illius, & voluntatem tollendi illud. Si enim deſit notitia & voluntas, non cenſebitur illud tollere. De ſe patet, & eſt communis Iuriſtarum.

69 Quando priuilegium reuocatur per legem generalem, non ligat reuocatio donec lex illa ſufficienter fuerit promulgata. Probatur, quia illa reuocatio fundatur in lege, & de ſubſtantia legis eſt quod ſit promulgata. Sed ad hoc ſufficit vna promulgatio in Curia Principis, vel in loco deſtinato. Et probatur, quia Pius V. & Greg. XIII. ſuas Bullas contra ingredientes Monaſteria Monialium ſolùm Romæ publicarunt: & per illas ibi publicatas derogarunt omnia priuilegia in contrarium: nec iuſſerunt alias publicationes in ſingulis Dioeceſibus fieri. Non tamen hæc promulgatio in Curia ſtatim obligat omnes abſentes extra Curiam à die promulgationis: ſed communiter requiruntur duo menſes vt obliget extra Curiam, iuxta probabiliorem ſententiam.

70 Aliqui cenſent quod lex reuocãs priuilegia reuocat

Digitized by Google

cat illa ſtatim à die publicationis Romæ factæ : ita vt actus talium priuilegiorum non valeant ab illa die, etiam ſi propter ignorantiam ſine culpa fiant extra Curiam maximè quando dicit lex ; *ex nunc*, *pro tunc*: vel *ex præſenti die*. Sed probabilior eſt opinio oppoſita dicens ; actum eſſe validum donec de tali reuocatione habeatur notitia. Verba autem illa, *ex nunc* eſſe intelligenda cum debito ordine naturali, & ſecundùm ius ſuaue, habita ſcilicet notitia ; vel poſt tempus ſufficiens duorum menſium ad habendam talem notitiam. Videtur enim de iure naturali quod nemo ſpolietur niſi auditus. Elapſo verò hoc tempore ſufficienti ſtatim reuocata cẽſentur priuilegia etiam ſi priuilegiatus dicat ſe ignoraſſe inuincibiliter : ſi tamen inuincibiliter ignoret, carebit peccato coram Deo. Suarez *lib.8.cap.40.num.3.4.& 5*. Addit ibi Suarez, quod ſi aliquis vtatur priuilegio ſic reuocato ex ignorantia publica, & communi faciens actum pertinentem ad iuriſdictionem, verbi gratia, ferendo ſententiam, vel ſimilem : actum fore validum non ex vi priuilegij, ſed ex iure communi tolerante tales actus alias nullos, per *legem Barbarius.ff.de offi.prætoris*. Et per hæc, ſeu ad hæc conciliabis ſuperius dicta *ver. Leges.n.4*. Ibi enim locuti ſumus iuxta vnam opinionem, hîc iuxta aliam : & hanc hoc loco puto probabiliorem, & ſuauiorem.

71 Priuilegia Regularium non reuocantur per Bullam Cruciatæ, vbi illa publicatur : nam talis Bulla ſolùm reuocat Indulgentias, & non priuilegia : ſunt enim valde inter ſe diſtincta priuilegium & indulgentia : ac proinde poſſunt Religioſi ſtante Bulla Cruciatæ abſoluere pœnitentes ab omnibus ſibi concẽſſis per ſua priuilegia propria & communicata, de quibus ſupra *verb. Confeſſor*, ac ſi Bulla non extaret, Rodriguez *tom.1. quæſt.61.art.14*.

72 Quæris ſi priuilegia Regularium reuocentur per Bullam Cœnæ Domini? Reſp. Quod refero tantùm, quod dicitur in Compend. Patrum Societatis Ieſu, & ſupra dixi *verb. Bulla Cœnæ. numer.2.* Nam citato Compend. *verb. Bulla Cœnæ*, dicitur ſibi conceſſum à Gregor. XIII. ne conceſſiones factæ ſuo Ordini cenſeantur reuocatæ per Bullam Cœnæ Domini. Sed video ſequentem Sum. Pontificem non alligari anteceſſori, illi viderint, & tu vide.

73 Priuilegia Regularium reuocata per Leonem X. in Concil. Lateran. ſunt poſtea reualidata per aliquos Sum. Pontifices, vt tenet Rodrig. *tom.1. quæſtione* 8. & Henriquez *tom.1. lib.7. de Indulgent. cap.24. numero* 8. & alij.

74 Priuilegium poſterius reuocat prius priuilegium, ſi ſecundum faciat mentionem de primo. Si verò non facit mentionem, non illud reuocat: maximè ſi per primum priuilegium eſt iam acquiſitum ius alicui tertio. Prima pars patet, quia tunc clara eſt voluntas concedentis. Secunda verò pars conſtat ex dictis ſatis in præcedentibus.

75 Si primum priuilegium eſt inſertum in corpore iuris, & ſecundum extra corpus iuris, & ſunt inter ſe contraria, ſecundum priuilegium tenet, etiam ſi non faciat mentionem iuris communis. Nam Princeps ſupponitur ſcire ius commune cui vult, & poteſt derogare. Vide Rodrig. *tom.1. quæſtion.9. artic.3.* §.2. dico cum multis ibi citatis. Hoc autem non contradicit illi dicto in ſuperioribus poſito, quod ſcilicet priuilegium inſertum in corpore iuris communis non reuocatur niſi de illo fiat expreſſa mentio: hoc enim intelligitur quando lex reuocans non eſt ſimiliter priuilegium, ſed ſolùm eſt lex ordinaria, ſeu Bulla ordinatiua, quæ non eſt priuilegium. At quando ſecunda

Digitized by Google

cunda lex derogans est etiam priuilegium verificatur hoc dictum in isto *num.75.*

PRIVILEGII DECLARATIO, *aut prohibitio.*

Vide supra verb. *Generalis num.5.* vbi diximus posse Generalem in suo Ordine declarare priuilegia Ordini concessa, & ibidem etiam, vide *num.6.*

76 PAulus III. concessit Societati Iesu, vt Prælati Ecclesiæ non possint sua priuilegia interpretari; siue clara sint, siue dubia prout concesserat antea Clem. IV. Prædicatoribus, & Minoribus. Imò potius, quod cùm dubium extiterit in priuilegio aliquo inter Iurisperitos, & Iudices, & iudicetur in fauorem prædictæ Societatis. Rodrig. *tom.2. quæst.63. artic.7.* & de dicta concessione facta prius Prædicatoribus, & Minoribus vide Compend. Min. *verb. Priuilegium.* §.5.

77 Sixtus IV. sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionis à regimine prohibuit Prælatis Ecclesiæ, ne molestent, vel inquietent Dominicanos, & Minoritas præter, aut contra priuilegia præcedentium Pontificum illis concessa. Compendium *verb. Priuilegium* §.11.

78 Leo X. concessit Minoribus vt Generalis illorum in Capitulo, vel Prouincialis in eodem Capitulo de consensu saltem maioris partis Capituli, possint declarare an sit vtendum aliquo viuæ vocis oraculo, an non. Et prædictæ determinationi stare debent omnes tam Fratres, quàm Moniales Ordinis. Compend. *verbo citato* §.26.

79 Idem Leo X. concessit Minoribus vt transsumptis

ptis priuilegiorum firmatorum manu Notarij publici indubitata fides adhibeatur etiam in iudicio, ſicut daretur ipſi originali. Compend. *citato verbo.* §. 29. *littera C.* pro quo vide quæ dicta ſunt ſupra *verb. Notarius, num.* 1. Ex Pio V. vbi dicitur poſſe Prouinciales ad hoc intentum creare Notarios Religioſos, qui priuilegia Ordinis tranſcribant: & illorum ſcriptis tanta fides adhibeatur, quanta Notario publico. Et nota, quod non eſt neceſſarium quod iſta priuilegia in Ordine habeantur in ſuo originali, ſeu primo exemplari; hoc enim eſſet impoſſibile morale; & naturale in omnibus Conuentibus. Sed ſufficit quod habeantur hæc priuilegia in libris ordinariis & authenticis Ordinis, vel auctorum, ſeu ſcriptorum Ordinis. Conceſſit enim Leo X. viuæ vocis oraculo Minoribus vt valeant illorum priuilegia præſentata, ſaltem pro foro conſcientiæ, ſicut in libris Ordinis reperiuntur, vt diximus ſupra *hoc verb. num.* 3.

ADDITIO.

Vide infra verb. *Viuæ vocis oraculum.*

SVfficienter dixi ſupra de priuilegij natura, diuiſione, forma, communicatione, confirmatione, vſu, extenſione, ceſſatione, & declaratione, ita vt pene ibi regulares omnia ſibi neceſſaria inueniant: Neque ego poſt ea in genere de priuilegiis inueni, niſi paucula ſequentia.

1 Dixi *ibi num.* 3. quot Pontifices à Clemente VII. priuilegia Minoritarum confirmauerint ex certa ſcientia ſeu Motu proprio, quæ confirmatio ſub tali forma quantum profit dixi *ibid. n.* 29. Nunc addo ante prædictos ibi Pontifices, Minorum priuilegia ex certa ſcientia

tia confirmasse Paulum II. in Bullario Rodr. *fol.* 301. Et post illum Sixtus IV. in eodem Bullario *f.* 337. *col.* 1. Si verò quæras ad quid seruiat ista recordatio seu, aduertentia? Dico; quod cùm priuilegia possint amitti vel per non vsum, vel per reuocationem, multum prodest scire à quot annis priuilegia antiqua sint in vsu, vel reuocata: & proinde scire à quot annis sint confirmata ex certa scientia, si quidem confirmatio ex certa scientia innouat priuilegium antiquatum, vel per non vsum, vel per reuocationem particularem, vt dixi *citato numer.* 29. Et ante illos duos Pontifices Paulum II. & Sixtum IV. multi alij Pontifices priuilegia concesserunt quæ possunt quotidie inseruire regularibus.

2 Pro his verò magis intelligendis, seu applicandis recolendum, & applicandum est quod dixi supra *verb. Præscribere num.* 2. Mendicantes gaudere priuilegio concesso Benedictinis ab Eugenio. IV. vt sua priuilegia (quæ sunt bona Cõuentus, non possint præscribi nisi per spatium centum annorum. Tunc recole ex Pontificibus hic & supra citatis, qui Minorum priuilegia confirmarunt ex certa scientia. Et quantum spatium interceserit intra vnum Pontificem & alium confirmantes ex certa scientia. Et facile inuenire poteris quæ priuilegia Minorum, & aliorum, sint valida, quæ non.

3 Quod attinet ad vsum priuilegij, aduerto, non posse aliquem vti priuilegio, siue dispensatione Papæ ex solo dicto personæ ordinariæ, quæ scilicet audiuit, ita factum fuisse à Papa. Sed oportet quod sit persona certa, procurator scilicet impetrans, vel Nuntius, aut epistola illius. Cùm enim priuilegium de ordinario sit odiosum legi, oportet certissimum esse, vt ego possim operari præter legem, vel contra legem. Vide Sanchez 4. *Decalog. cap.* 48. *à num.* 2. *& seqq.*

4 Quia

4 Quia verò modus frequentior amittendi priuilegia inter Regulares, est non vsus, seu contrarius vsus: libet pro religiosorum quiete, hîc transcribere verba quibus Eugenius IV. concessit congregationi Sanctę Iustinæ Benedictinorum, vt possint vti suis priuilegiis etiam si contra illa habuerint contrarium vsum. Habetur concessio in Bullario Rodrig. *fol.* 194. *col.* 1. Vbi sic Papa concedit. *Vt si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus, contra huiusmodi aut quæcunque alia priuilegia, indulta, gratias, immunitates præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum aliquod, à quocunque cuiuscunque conditionis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis causa propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obseruatum ignoranter, vel scienter nullum tamen præiudicium decretis, priuilegiis, indultis, gratiis volumus generari, sed in suo vigore, ac robore permanere.* Sic ibi Sum. Pontifex. Pro isto verò contrario vsu, vel non vsu vide omnino quæ ibi dixi *numer.* 61. & aliis ibidem non libet, neque tu patieris eadem bis repetere.

5 *Cap. cùm ordinem. de rescript.* habent Cistertienses hoc priuilegium. Si contra vos super decimis, vel aliis (quæ ordini vestro specialiter sedes Apostolica indulsit) non facta mentione Ordinis vestri Cistertiensis litteræ fuerint impetratæ, per eas minimè teneamini respondere. Vnde videant communicantes huic priuilegio, si litteræ Papales, sibi ostensæ derogent huic priuilegio posito in iure communi.

ADDI

ADDITIO AD ADDITIONEM.

QVanuis de hoc multa dixerim ſuperiùs, hoc vnum tantùm denuo occurrit tanquam valde, & quotidie occurrens, ac proinde neceſſarium. Et habetur in Rodriguez *tom.* 1. *quæſtionibus Regul. quæſt.* 61. *artic.* 3. §. *At Vrbanus.* vbi ait quod priuilegium conceſſum verb. gratia, Carmelitis, & nobis Minoritis communicatum, hoc inquam priuilegium non perditur à nobis niſi legitimo tempore præſcribatur, & debet haberi à nobis ſcientia talis priuilegij, & præterea debet adeſſe voluntas non vtendi illo priuilegio ad hoc vt perdatur per non vſum. Nota tres conditiones neceſſarias: Prima eſt præſcriptio: Secunda ſcientia priuilegij: Tertia voluntas non vtendi. Et licèt *ibi* Rodrig. dicat ſpatium ad præſcribendum eſſe quadraginta annorum. Nos tamen Minoritæ habemus priuilegium vt contra res noſtras, & iura, & perſonas non præſcribatur per centum annos, vt dixi ſupra verb. *Præſcribere*. Non præſcribuntur ergo noſtra priuilegia, etiam communicata, niſi ſpatio centum annorum, & niſi de illis habeatur ſcientia, & voluntas illis non vtendi. Quod valdè notandum eſt pro multis dubiis quotidie occurrentibus pro vſu priuilegiorum antiquorum, quando non fuerunt expreſſè reuocata à Sede Apoſtolica, ſed de ſolo vſu, vel non vſu dubitatur.

PROCESSIONES.

1 TEnentur Regulares, qui ſoliti iam ſunt adire proceſſiones, ad illas accedere, ſi fuerint vocati. Excipit Concil. Tridentin. illos qui inſtrictiore clau

clauſura perpetuo viuunt. Tridentin. *ſeſſion.* 25. *cap.* 13. *de Regular.* Vbi nota verbum, *vocati*; requiritur enim vt prius vocentur, alias non tenentur, vt notat Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.* 37. *art.* 1. Debent verò hæ proceſſiones eſſe non qualeſcumque, ſed pro cauſa magna, & publica, quales etiam ſunt proceſſiones conſuetæ.

2 Quando ibi Concilium dicit poſſe Religioſos compelli ab Epiſcopis vt accedant ad proceſſiones, explicant aliqui non poſſe Epiſcopos quo ad hoc obligare Religioſos per cenſuras, excommunicando ſcilicet, & alias cenſuras ferendo: ibi enim Concilium non facit illos legatos: & alias Religioſi habent priuilegia ne poſſint excommunicari ab Epiſcopis niſi ſpecialiter illis fuerit commiſſum à Papa. Sic Rodrig. *Addit. ad Sum. tom.* 4. *cap.* 105. *concluſ.* 1. vbi ait quod ſi in contrarium oſtendatur aliqua declaratio Cardinalium, illi ſtandum erit. At Capucinus *in Compend. verb. Proceſſiones*, ait Cardinales hoc iam declaraſſe: poſſe ſcilicet Epiſcopos in hoc cogere per cenſuras. Et hanc declarationem citat Marzilla expreſsè §. *ad publicas*, *loco mox citando.* Poſſunt etiam Epiſcopi compellere ad hoc Religioſos aliis pœnis vt priuando concionibus, & confeſſionibus, & ſimilibus.

3 A prædicta lege eundi ad proceſſiones liberantur illi Religioſi qui diſtant ab vrbe, ſeu loco vltra vnum milliare vulgo, *mil paſſos.* Sic enim ſtatuit Leo X. in Concil. Lateranenſe, Compend. *verbo Proceſſio* §. 2. At Marzilla *in ſuo lib. declarat. Cardin. lib.* 2. *titul.* 12. *capit.* 14. §. *Exemptiommes*, refert vnam declarationem, & alteram deciſionem Cardinalium, in qua dicitur non teneri accedere ad proceſſiones, Regulares, qui degunt in Monaſteriis diſtantibus ab vrbe, vel oppido per dimidium milliare. Quod neſcio quo-

modo

modo non aduertant Religiosi aliqui; de quo priuilegio, quid possint facere, non obstante non vsu, seu ignorantia illius, vide supra *verbo Priuilegij non vsus.*

4 Excipiuntur etiam à dicta lege processionum, Patres Sancti Hieronymi in Hispania, per Bullam Pij V. de qua Capucin. *citato verb.* & Patres Societatis Iesu, per Bullam Greg.XIII.

5 Pius V. in alia Bulla quę incipit, *& si Mendicantium*, excipit illos Fratres qui neque in choro cantant, neque ad mortuos accedunt, sed tantùm studiis & lectionibus vacant: vnde collegia Mendicantium excipiuntur, vt *ibid* ait Marzilla: & licet idem author *citato loco* putet prædictam Bullam Pij V. esse reuocatam à Greg.XIII. Capucinus tamen *cit. loco* oppositum videtur innuere. §. *Ac teneantur*. Et tenet cum illo Rodr. *Addit. ad Sum. tom.4.c.105.*

6 Si aliquod Monasterium non obligatum ire ad processiones, nihilominus vadit, non ideo censetur renunciare suo priuilegio, quia illud priuilegium non conceditur illi Prælato, vel illi loco, sed toti Ordini, vide supra *ver. Priuilegij non vsus, n.59.* & adde quod Canonicis Regularibus Lateran. Ecclesiæ concessum est vt licet per vnum, aut plures actus contraueniant suis priuilegiis scienter, aut ignoranter, nihilominus illa non perdant, refert Rodrig. *tom.3. quæst.36. art.3.* & præterea facientes illud non dicuntur renuntiare ex suprædictis.

7 Tenet Rodrig. *Addit. ad Sum. tom.4.c.105. n.1. in fine*, quod Priores, vel Archipresbyteri in vrbibus, vel oppidis vbi non residet Episcopi, non possunt compellere Religiosos ad processiones prædicto modo, si processiones sint insolitæ, & parum necessariæ, neque pro causa publica.

8 *Eodem loco n.*5.tenet Rodrig.de iure communi non posse Religiosos facere processiones extra suos Conuentus, quia extra illos non habent territorium. *citat. cap. certum est quidem. de consecr. dist.*1. & Zarolam dicentem sic vidisse practicari vbicumque fuit. At ego dico quod vbicumque fui oppositum contra Zarolam vidi practicari, vt scilicet Religiosi absque licentia Episcopi faciant processiones extra suos Conuentus, pro pluuia, serenitate,& similibus: neque in hoc vituperantur,imò laudantur à populo,clero,& Episcopis.Et quidquid sit de prædicto capite,& authore, saltem pro hoc Regno Portugalliæ sufficiat longa praxis quam cito.Standum verò erit consuetudini cuiusque loci.Adde quod *citatum c.certum est quidem*,hoc non prohibet:solum enim dicit quod non fiant processiones in Ecclesiis,vel oratorio non dedicatis authoritate Episcopi,vel Sedis Apostolicæ.Licèt autem ibi dicat requiri authoritatem Sedis Apostolicæ in illius Ecclesiæ dedicatione:Ecclesiæ Fratrum sunt dedicatæ,ædificatæ,authoritate Sedis Apostolicæ,Episcoporum videlicet,qui dant licentiam authoritate Papæ. Lege casum dicti capitis, & videbis quod nihil facit pro Rodr.& Zarola.Si verò ibi intelligeres per Sedem Apostolicam,licentiam Papæ immediatam, in paucis Ecclesiis fierent processiones, quia paucæ ædificantur cum licentia immediata Papæ,sed modo quo dixi.

9 Tridentinum iubet vt Episcopi circa precedentias Regularium in processionibus, lites componant omni appellatione postposita. Et Capucinus *citato verb. Processiones*,citat ad longum verba Greg.XIII.& Pij V.circa easdem præcedentias componendas. Quia tamen ibi dicta non sunt vbique recepta in vsu,& nouas lites postea vidimus omitto referre. Et proinde standum est consuetudini. Diuersa enim diuersis locis audio practicari.

cari. Solum aduerto cum Rodr. *cit. c.* 105. non esse damnandos Regulares de tali præcedentia litigantes cum licentia, & fundamento: quia illud spectat ad honorem suæ Religionis: & in domo Dei congruum est, vt omnia ordinatè fiant, & quod iuxta D. Paul. sint Religiosi se inuicem honore præuenientes. Imò & in cœlo sedes digniores erunt, & aliæ minus dignæ; imò & in choro angelico sunt maiores ac minores.

Hoc vnum tantùm dico esse facilem illam compositionem Greg. XIII. citatam à Capucino *citato loco*; qui iussit, vt quando non constaret de maiori antiquitate inter Religiones ipsas, tunc Religiosi illi præcedant in processionibus, quorũ Conuentus in illa vrbe, seu loco antiquiores quo ad ædificium, seu fundationem: idque propterea fortè Papa iubet, quia tunc facilius est probare antiquitatem Conuentus, quàm Religionis. Vide hanc Bullam in Bullatio Rodr. *f.* 1000.

10 Non potest Iudex sæcularis, aut Episcopus conuocare processiones, facere ordinationes, vel similes actus in Ecclesiis Regularium inuito illarum Prælato: neque cogere vt ibidem retineatur reus vinctus. Secus de Inquisitoribus sancti Officij. Henriquez *tom. 1. lib. 7. de Indulgent. cap. 26. num. 5.* citans multas concessiones pro ista materia.

ADDITIO.

1 DIxi supra hoc ipso *ver. n.* 2. ex Capucino *ibi citato* posse Episcopos cogere per censuras Monachos, vt vadant ad processiones: idque iuxta declarationem Cardinalium ibi citatam ex Marzilla. Post hæc vidi nostrum Barbosam Lusitanum in suis Remissionibus ad Tridentinum *sess. 25. cap. 13. de Regularibus fol. 141. col. 3.* vbi refert ex Quaranta, non posse cogere

per censuras. Et addit Barbosa pluries à Cardinalibus sic fuisse declaratum. Et hoc consonat cum iis quæ diximus supra *verb. Episcopus*; non posse scilicet illos contra Religiosos vti censuris niti in casibus illis expressè concessis à Papa. At Concilium Tridentinum *citato loco* cùm concedit Episcopis, vt cogant Monachos ad processiones, non exprimit, vt possint illos cogere per censuras. Cùm suppetant alia media per quæ illos possint cogere. Et citat Barbosa, Sanchez, & Rodriguez.

2 Dixi *ibidem num.* 3. Conuentum distantem à loco, vrbe, vel oppido per vnum milliare, non teneri accedere ad processiones ex concessione Leonis X. Nunc addo, neque ad id teneri Conuentum distantem ab vrbe, vel oppido per medium milliare quod continet solum quingentos passus. Ita declarauit Congregatio Cardinalium apud Rodriguez in Bullario *folio* 1200. *col.* 1. sub Clemente VIII. Vbi dicitur Regulares distantes ab vrbe vltra medium milliare, non posse compelli ab Episcopo.

PROCVRATOR MONIALIVM Sanctæ Clarę, vel Fratrum, &c.

1 NOn possunt Fratres Minores esse Procuratores Monialium suarum in temporalibus, quo ad reddituś scilicet colligendos, & cætera negotia temporalia tractanda. Prohibuit expressè Clemens VIII. Bulla particulari apud Rodrig. in suo Bullario, *fol.* 1225. De procuratore verò Fratrum Minorum, qui alio nomine est, & dicitur Syndicus Apostolicus, dicitur infra *ver. Syndicus.*

2 De Procuratoribus sæcularibus Monialium, vulgo

Mon-

Mor domos:qui constituuntur œconomi generales pro causis, redditibus, & negotiis Conuentus, dubitas an possint Prouinciales illos amouere ab officio ad nutum?Ex dictis à Rodr. *tom.3.q.38. art.1. & 2.* potest responderi ad dubium.Ibi enim *ar.1.*dicit non posse prouincialem amouere procuratorem constitutum à Conuentu, quando ipse Conuentus illum creauit seruata solemnitate Iuris. Hæc autem solemnitas est vt ibi ait *art.2.*quod pulsata campana in Capitulo per Præsidentem,audiãtur omnia suffragia,&is in quem maior pars cõsenserit,dicetur procurator.Si autem Abbatissæ hoc seruarent,posset dici quod Prouinciales nõ possent illũ amouere.At illæ in praxi hoc non obseruant,imo & in praxi video positum quod Prouinciales eos amouent, maximè si habent causam. Imò Rodr. *Addit.ad Sum. tom.4.c.106.conc.3.*tenet quod potest Abbatissa,& proinde Prælatus, amouere Procuratorem positum à fundatore Monasterij,vel descendẽtem talis Procuratoris, etiam si fundetor dicat,quod si amotus fuerit ab Abbatissa soluat in pœnam mille ducatos;& dat causam, quia non est positus cum Ordine Prælati.Vide *ibi.*

PROFESSIO FIDEI.

1 PIus IV. mandauit, vt omnes obtinentes beneficium ante illius possessionem faciant professionem Fidei:cuius tenorem ponit ad longum Capucinus in fine suarum *Add. ad Compend.f.19.*Et eandem professionem fieri iussit à Prælatis Religionum quando primò eliguntur. Et ego vidi hoc practicari in mea prouincia,cùm esset Commissarius Generalis R & doctissimus pater Matheus à Burgos postea Episcopus Sygunciæ;& hic vt refert Rodr. *tom 2. q.72.art.1.* iussit in tota Hispania omnes prælatos Minoritas facere

professionem fidei,cùm iam essent in officio positi,idque fecisse dictum Commissarium generalem de mandato Cardinalis Matthæi tunc protectoris Ordinis : & ego tunc illam feci cùm essem iam Guardianus.Similiterque fecerunt Prædicatores. Et Rodrig. *cit. art.* ait hodie ad illam obligari Regulares.

Capucinus vero in Compend. *verbo Professio fidei* dicit hoc non esse in vsu:& sic consuluisse viros doctos, & obseruari in praxi:quam praxim etiam ego video in hoc Regno. At retuli quod vidi,& quod feci.Et Rodr. scripsit post Capucinum vt certò scio. Sed non condemno morem,vel omissionem prouinciarum, & Religionum, vt inde videas obiter , quod dixi supra *verb. Leges* , quam cito lex etiam Pontificia,per non vsum, vel contrarium vsum possit antiquari.

2 Ait tamen Capucinus , *citato verb.* ad Compend. declarasse Cardinales tempore Pij V. quod prædicatores obtinentes licentiam Episcopi ad prædicandum, tenerentur facere professionem fidei si ab Episcopo requirantur.At video pariter hoc non esse in vsu in hoc Regno.

3 Maius dubium est,an lectores Theologi,cęteriquc Lectores in Religionibus teneantur ad professionem fidei faciendam antequam lectuę possessionem obtineant?Pius I V. aliam Bullam edidit particularem,per quam obligat omnes lectores cuiuscumque artis , siue Clerici sint , siue Regulares, vt teneantur sub peccato mortali & amissione gradus seu cathedræ,facere professionem fidei, etiam si sint lectores Grammaticæ,vel Musicæ (vt postea Cardinales declararunt apud eumdem Capucinum)& ita obseruatur hodie in Vniuersitatibus. Et circa hanc non ait Capucinus valere hodie praxim in oppositum circa Regulares , sicut ait de prima circa prælationes:sed tacens,videtur innuere quod

ad

ad hanc ſecundam tenentur etiam Lectores Regulares, intra ſuos Conuentus, & expreſſe hoc affirmat Rodrig. *cit. tom. 2. & q. art. 1.* Et dicit Prælatos Regulares aliter promouentes Lectores in ſuo Ordine incurrere prædictas pœnas poſitas in 2. Bulla Pij IV.

4 Regulares tamen, vel Clerici, quo ad poſſeſsionem beneficij, ſi dictæ Bullæ contradixerint omittentes dictam profeſsionem fidei ante poſſeſsionem beneficii, vel lecturæ, ſi id omiſerunt facere ex ignorantia, obliuione, vel incogitantia, vel ſimili de cauſa, non incurrunt pœnas poſitas in dicta Conſtitutione prima, & ſecunda vt in quodam caſu de Clerico ſic omittente, reſpondit Nau. *libr. 1. Conſil. tit. de conſt. conſil. 3.* dicens ex D. Tho. *1. 2. q. 88. art. 5. & 6.* illum qui tranſgreditur legem humanam ex ignorantia, vel inaduertentia, non peccare mortaliter, quod eſt valde conſolatorium, pro caſibus ſimilibus.

PROFESSIO NOVITII.

Vide ſupra verbo *Monaſterium num. 11.* de propinis Nouitiarum. & verb. *Nouitius per totum.*

1 COncil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regular.* iubet vt finito anno probationis ſuperiores ſtatim admittant Nouitium ad profeſsionem, vel eiiciant: idem dic de Nouitia, nec poſsint amplius profeſsionem dilatare. Quo non obſtante, dicunt Doctores quod ſi cauſa iuſta interuenerit, poterunt ſuperiores illam dilatare, vt ſi verbi gratia, Nouitius non bene recitet diuinum officium, vel quid ſimile ad arbitrium pij ac prudentis Prælati. Et ſic declaraſſe Congregationem Cardinalium, refert Rodrig. *tom. 3. quæſt. 17. artic. 10.* vbi ait quod in Nouitiis Monialium diutius aliquando poterit

expectari, vt ibi tradit. At ſtatuta generalia Tolletana Minorum priuant officio Guardianos qui vltra dies octo profeſsionem Nouitij dilatauerint. In quo tamen ſtatuto videtur etiam admittenda moderatio communis Doctorum, vt ſcilicet illam pœnam non incurrat habens euidentem cauſam & iuſtam dilatandi.

2 Duplex eſt profeſsio, vna tacita, altera expreſſa. Et ſuppono hodie, etiam poſt Tridentinum dari poſſe profeſsionem tacitam validam: vt Doctores communiter affirmant. Et conſtat ex Bulla 1. Sixti V. contra criminoſos, in qua annullat profeſſionem factam contra ſuam illam conſtitutionem, etiam (ait) ſi ſit profeſsio tacita. Et proinde clarè innuit etiam poſt Tridentinum valere profeſsionem tacitam.

3 Profeſsio expreſſa eſt illa in qua Nouitius clarè, & expreſsè, emittit tria vota eſſentialia vocaliter in manibus veri Prælati habentis ius recipiendi ad profeſſionem in religione approbata. Vide & nota ſingula verba hìc poſita. Et tales ſunt profeſsiones, quæ fiunt hodie communiter. Neque hoc indiget maiori explicatione.

4 Profeſſio tacita eſt illa quæ fit tacendo, abſque votis emiſſis voce, vel ſcripto: ſed ſolùm aliquid faciendo, vel tacitè conſentiendo ſe eſſe profeſſum. De quo multa Sylueſt. *verb. Religio 3. quæſtion.* 19. & alij. Et ex multis modis ibi aſsignatis à Sylueſt. duo præcipui poſſunt colligi, quibus olim fiebat, & nunc etiam poteſt fieri profeſsio tacita. Primus erat, quando ante Concil. Trid. ſolebant aliquando Nouitij recipi, & in anno nouitiatus non finito, veſtiebantur habitu profeſſorum abſque vlla differentia Nouitij: & hi ſic portantes habitum profeſſorum abſque diſtinctione, de conſenſu Prælati, & Conuentus, cum aliis circunſtantiis, de

quibus

quibus Sylueſt. *ibidem*, cenſebantur exinde profeſſi: quia ſcilicet Nouitius, & Religio conſentiebant, & quaſi in illo ex conſuetudine compromittebant. Secundus modus erat. Si per vnum annum geſtabat Nouitius habitum non patenter diſtinctum ab habitu profeſſorum, de manu Prælati, & geſtabat per annum integrum: tunc enim cenſebatur tacitè profeſſus: idque ob eandem cauſam, quia ſcilicet Religio, & Nouitius conſentiebant, & compromittebant. Cùm enim profeſſio ſit contractus inter Nouitium, & Ordinem: poteſt aliquando contractus fieri abſque verbis expreſſis, ſed per ſola ſigna externa declaratiua conſenſus. Hæc poſſunt colligi ex Clementina *eos qui, de Regular.* Vt videtur quod tunc habitus Nouitiorum non erat patenter diſtinctus ab habitu profeſſorum ſicut modò eſt: in colore, forma, vel figura: & in Ordine Minorum ſpecialis habitus diſtinctus Nouitiorum eſt caparo vſque ad cingulum.

Circa ſecundum verò modum proximè dictum de geſtando habitu per annum indiſtinctum, opus erat vt habitus non eſſet patenter diſtinctus, in colore, forma, & figura: ſi enim in aliquo horum differebat, non erat profeſſio tacita, etiam ſi geſtaret per 20. annos. Et primus quidem modus hodie eſt abrogatus per Trid. per illum enim primum modum profeſſio fiebat tacita, & valida per geſtationem habitus ſimilis omnino habitui profeſſorum, etiam ante annum, hodie verò poſt Trid. non eſt valida niſi finito anno nouitiatus. Secundus verò modus profeſsionis tacitæ ſupra dictus hodie dari poteſt poſt Trid. ſi videlicet nouitius per annũ integrũ geſtet habitum indiſtinctũ à profeſsis cum dictis conditionibus, & cũ conditionibus ſequẽtibus. Prima eſt, ſi portet cũ intẽtione profitẽdi: ſi enim portet deuotionis gratia, non valet: vel ſi illi datur illa habitus indiſtinctio

honoris gratia: vt fit aliquando circa Nouitios in Ordine Minorum: cum quibus aliquando fuit dispensatum eo quod sint Sacerdotes;vel viri aliàs grauissimi, ne portent insignia Nouitij caparonem scilicet vsque ad cingulum (quod ego consulo ne fiat vt vitentur lites)hi enim non possunt pro se allegare,quia talis indistinctio non datur illi ad ius sed ad honorem absque vllo consensu admittendi ad professionem tacitam. Secunda conditio est vt portet talem habitum per vnum annum continuum. Tertia, quod Nouitius credat, quod per talem habitum profiteatur tacitè: Quarta,quod gestet talem habitum scientibus & consentientibus Prælato,& Fratribus. Et tunc finito anno censetur professus tacitè, neque ista professio reuocata est per Concil.Trident.Tenet hoc Nauar.*lib.3. Consil.titul.de Regul.consil.41.*Rodriguez *Additio.ad Sum. tom.3.cap.64.num.1.* Miranda *in Explicat. Regulæ Minorum ad cap.1.Regulæ,cap.46.*

5 Vt prædicta professio tacita sit valida opus est vt Nouitius gestans habitum modo prædicto,sciat se non esse professum, & sciat quod sponte sua gestat illum habitum ad profitendum finito annō. Vnde si fortè aliquis Religiosus portans habitum professorum per annum, & duos annos, vel plures, & faciens professionem ordinariam, sed cum impedimento annullante illam (ita vt à parte rei non sit professus ob impedimentum quod ignorat: is per talem gestationem habitus vnius, vel multorum annorum, non facit professionem tacitam, quia neque illi constat de tali impedimento: nec proinde ex sua parte consentit,vel compromittit: imò neque scit, neque compromittit Religio:neque ipse portans sic habitum prætendit vt sic profiteri. Est Doctorum quos proximè citaui, & Caiet,2.2.*quæst.189.art.5.*

6 Po

9 Potest Nouitius agere Nouitiatum in vno Conuentu, & de mandato Prouincialis profiteri in alio Conuentu eiusdem prouinciæ. Ludouicus de Beia 4. *parte Resp.casu 9.§. Attamen.*

PROFESSIO NVLLA EX IVRE naturali, siue ex natura contractus.

7 ESt professio quidam contractus naturalis inter profitentem, & inter Religionem, teste Nauar. *lib.3.Consil.tit.de Regular.consil.5.* Et proinde, (sicut in omni contractu) requiritur consensus ex vtraque parte, & conditiones appositæ ex iure communi, quibus deficientibus contractus professionis est nullus. Et proinde tum ex parte profitentis, tum etiam Religionis consensus requiritur, & impletio conditionum.

8 Ex parte Conuentus deficiet consensus si pars maior Conuentus non suffragetur pro Nouitio, & tunc professio facta per Prælatum erit nulla, dissentit enim Conuentus expresse. Vide supra *verb. Abbas. numer.7.*

9 Erit etiam professio nulla ex defectu consensus Conuentus si profitens celauit morbum caducum, de quo fuit rogatus saltem in genere morbi; vel etiam celauit lepram, vel quid simile. Si item negauit se descendere ex Iudæis, Sarracenis, hæreticisve combustis in Ordine Minorum. Et ob hæc duo negata poterit expelli in Ordine Minorum, defecit enim vtrobique consensus ex parte Conuentus & proinde contractus fuit nullus. Nauar. *lib.3 Consil.titul. de Regular. consil.5.* & Rodrig. *tom.3. quæst.17. artic.9.* vbi citat concessionem Leonis X. quo ad eiiciendos professos ab Ordine qui mentiti sunt in professione, tacentes crimi

crimina grauia de quibus iam erant notati in sæculo, & diffamati. In hoc enim etiam consensus Ordinis, qui si sciret talem defectum, illum non reciperet.

10 Erit etiam professio nulla ex defectu consensus Ordinis si Nouitio intimetur aliqua conditio seu pactum statuti cum protestatione, si sit de re notabili, & postea inueniatur mentitus. Licèt enim non possit expelli ratione solius statuti Ordinis, maximè si non est expressè firmatum auctoritate Papæ) expelli poterit ratione contractus nulli, seu ex defectu consensus: Nauarr. *citato loco.*

11 Pari modo si ex parte Nouitij deficiat consensus, professio erit nulla, quia de ratione contractus naturalis, & ciuilis est, vt ex vtraque parte contrahentium sit consensus. Probatio verò istius defectus ex parte Nouitij erit difficilis, neque illi credetur nisi probauerit valde vehementem præsumptionem in foro externo. Si verò sibi constet in foro interno tantùm, se non consensisse reuera non est professus. Sed bene tunc aduertit Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 37. nu. 39.* quod tunc non potens probare defectum consensus sui, non tenetur profiteri denuo, & consentire; sed poterit manere in Ordine vsque ad tempus, quo possit fugere absque scandalo: & idem tenet Henriquez *lib. 11. de Matrimon. cap. 11. num. 11. littera V.* ob causas ibi assignatas, de quo adhuc infra redibit sermo. At si hic taliter professus nulliter, ex defectu consensus, secum solus in animo consentiat in Monachatu, & professione, manet professus absque alia diligentia. Nauar. expresse *lib. 3. Consil. titul. de Regular. consilio 24.*

12 Eodem modo erit professio nulla si fiat per grauem metum incussum. Metus enim cadens in constan-

tem

tem virum, imò & metus minor, grauis videlicet, annullat contractum naturaliter, quia tollit consensum liberum. Et est communis Doctorum. Et de hoc prudentis arbitrio standum erit; minor enim metus annullabit professionem fœminæ, quàm viri, & sic de cætero intra terminos metus gravis.

Pro quo nota quod Nauarr. *lib.* 1. *Consil. titul. de Renunciatione consil.* 3. *num.* 6. tenet quod metus reuerentialis parentum excusat à valore professionis, & citat glossl. celebrem *in cap. præsens* 2. *quæstio.* 3. & idem reperit *lib.* 4. *titul. de sponsal. consil.* 26. *num.* 4. Pro quo nota primò quod ait timorem reuerentialem parentum: non verò aliorum consanguineorum hoc posse facere: vidi enim ego in facti contingentia cùm essem Prouincialis, Monialem allegantem nullitatem suæ professionis, eo quod vouisset ex metu reuerentiali amitæ suæ Monialis, fuisse iudicatam veram Monialem in foro diœcesani. Addit etiam Nau. *in Manuali, c.* 22. *n.* 51. quod omnis timor etiam minor iusto annullat actum in foro interno, si talis metus fuit causa sine qua non fieret talis actus. At Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 6. *num.* 17. tenet professionem non annullari per metum reuerentialem, & pro hoc citat multos. Idem innuit Rodr. *tom.* 3. *qu.* 17. *art.* 15. dum dicit tunc metum patris annullare professionem, quando pater iurauit, quod filius, vel filia debent esse Religiosi velint, nolint, & quando pater est duræ conditionis, &c. At idem Rodriguez *citat. quæstion.* 17. *artic.* 18. concordat cum Nauarr. circa nullitatem professionis ob metum reuerentialem, & cum Nauarr. tenet Henriq. 2. *par. lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 5. & citat Nauar. & Sot. Vnde vides pro vtraque parte esse graues Doctores, quo ad metum reuerentialem. Et proinde vtraque opinio est probabilis. Adde quod in lib. Declarat.

Cardi

Cardinalium relicto ex Farinacio *tom.* 4. *fol.* 106. *col.* 1. habetur quod Romæ anno 1585. lata est sententia in qua declaratum fuit fuisse nullam vnam professionem fœminæ factam ob solum metum reuerentialem.

Ego duo tantùm dico breuiter. Primum quod iam tetigi, & latius dicit Henriquez videlicet qualitatem metus, quando non sit cadens in constantem virum, relinqui iudicandam prudentis arbitrio. Secundum dico, quod si porta aperiatur hodie maximè in Monialibus, circa professionis nullitatem ob metum reuerentialem lites innumeræ suborrientur.

PROFESSIO NVLLA EX *defectu ætatis, & anni integri.*

Imprimis pro integritate anni Nouitiatus vide supra, verbo *Nouitij annus in Nouitiatu.*

13 CONcil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* duo impedimenta annullatiua professionis ponit. Primum si fiat ante annum ætatis 16. expletum. Secundum, si fiat ante annum integrum nouitiatus, vbi innuit posse Nouitium recipere habitum anno 15. ætatis expleto: & profiteri anno 16. expleto. Et idem intellige de Nouitiis Monialium.

14 Quando ibi Tridentinum requirit annum expletum, non sufficit vt annus sit inchoatus sicut sufficit ad Ordines. Sed ita debet esse expletus, vt neque dies illi desit, imò neque hora. Si enim supra, *verbo Nouitij annus in nouitiatu*, diximus requiri vt annus nouitiatus sit integer de momento ad momentum, pari modo, imò maiori iure annus ætatis debet pari modo esse integer de momento ad momentum, & omni

omnino perfectus. Nam Conc. *citato loco* de anno nouitiatus non dicit quod ſit expletus, ſicut dicit, & exprimit de anno ætatis: vnde in hoc videtur requirere maiorem expletionem, & maius complementum ætatis. Sanchez *libr.2. de Matrimon. diſputat.24. num.22.*

14 Fratres Minimi habent ſtatutum generale, ne aliquis inter illos admittatur ad profeſſionem ante annum decimum octauum ſuæ ætatis. Et Nauar.de hoc quæſitus *lib.3. Conſil. titul. de Regular. conſil.22.* tenet, vel ſaltem inclinat vt dicat profeſſum in illo Ordine ante 18. annum, ſed cum decimo ſexto expleto, non eſſe validè profeſſum: & illud ſtatutum non contradicere Concil.Tridentino, At, quod talis profeſſio in illo Ordine omnino valeat ante illum annum; tenet expreſſe Rodrig.*tom.3. quæſt.17. art.20.* Et dat cauſam, quia Concil. Tridentin. non irritat profeſſionem factam poſt annum 16. ſed factam ante annum 16. Et probat etiam ex Regula Minimorum, adducens verba Regulæ, quæ etiam, licèt prohibeat, non tamen irritat profeſſionem factam aliàs cum ætate à iure requiſitam, quæ ante Concil. Tridentinum erat annus 14. & in nouo Tridentini eſt annus 16. & Religio non poteſt in re tam graui annullare quod ius commune non annullat. Et hanc opinionem Rodrig. cenſeo probabiliorem.

15 Profeſſio facta abſque interno conſenſu Nouitij, vel per metum, ratificabitur validè ſi profeſſus ſciens impedimentum, apud ſe tantùm illam ratificet: neque ad hoc oportet iterum profiteri, vel conſenſum Prælati requirere: nam Ordo ſemper manſit in ſuo conſenſu, & ſufficit nouus conſenſus profitentis apud ſe tantùm; res enim per eaſdem cauſas conualeſcunt in moralibus, per quas à principio fieri poterant.

quando profeſsio fuit nulla ob impedimentum poſitum ex iure communi: requiritur enim noua profeſsio, & externa.

16 Si profeſſus nulliter ob ætatem neſciat impedimentum ſuum, quandiu illud neſcit non ratificat profeſsionem ſuam nullam, per geſtationem habitus profeſſorum, neque per receptionem Ordinum ſacrorum, vel officiorum Ordinis, & ſimilium NAVARR. *vbi proxime iuncto Conſil.44. ſequenti.* Ait præterea NAVARR. quod in his caſibus ratificans profeſsionem nullam debet habere antiquitatem iuxta diem profeſsionis nullæ, ac ſi eſſet olim profeſſus.

17 Profeſſus nulliter ob annum non integrum nouitiatus, vel ſimiles ob defectus quomodo debeat ratificare profeſsionem, vide ſupra, *verbo Nouitij annus in probatione*, & infra, *verbo Remedium profeſſionis nullæ.*

18 Coniugatus matrimonio rato, nollens conſummare matrimonium intra bimeſtre, ſi ideo intrat Religionem, non poteſt profiteri ante annum expletum: nam *cap. ex publico. de conuerſ. coniugatorum* aſsignans duos menſes intra quos dictus coniugatus tranſeat ad Religionem: ibi pertranſire ad Religionem non intelligi profiteri: ſed intrare Religionem. Et licèt dictum *caput*, *in verbo tranſire*, intelligeret profiteri, iam non valeret, quia corrigitur per Concil. Tridentin. annullans profeſsionem factam ante annum NOVITIATUS.

19 Corduba *caſu 31. primæ editionis*, & Henriquez *tom 2. lib.13. cap.40. num.2. littera O. in gloſſ.* dicunt Monachum tranſlatum de vno Ordine non Mendicante ad alium non Mendicantem poſſe profiteri ante annum: & Henriqu. addit quod etiam id poteſt tranſlatus ad Carthuſiam. Verùm oppoſitum omnino dicendum

dum est,quia Tridentinum generaliter loquitur,& annullat generaliter. Ita Sanchez *libr.2. de Matrimon.disputation.24. num.2.* & Cordub. *in 2. editione* se corrigens.

At iuxta probabiliorem opinionem dictum Tridentini de integro anno nouitiatus non obligat in Religionibus militaribus,excepto D.Ioannis.Sanchez *lib.7. de Matrim.disp.44.n.8.& 9.*

PROFESSIO EX IVRE COMmuni,& ex Bulla Sixti V.

DE hoc iam dixi sufficienter supra *verbo Nouitius. à numero 8. & sequentibus.* vbi videre poteris quot modis per ius commune annulletur professio, & quæ sint impedimenta posita à iure communi: & quomodo Bulla Sixti V. quo ad professionis annullationem sit reducta ad ius commune per Clementem VIII.

Hoc solùm adde, quod si hodiè reperiretur aliquis nulliter professus ob professionem nullam factam durante Bulla Sixti V. standum est regulis assignatis ab eodem Sixto, circa nullitatem illius: nam Clemens VIII. non validauit professiones nullas factas tempore Sixti:sed solùm locutus est de futuris. Si verò professus est iam à tempore quo Clemens VIII. reduxit Bullam Sixti ad ius commune tunc consule quæ diximus *cit. loco ver. Nouitius.*

ALIA BVLLA CIRCA VALIDItatem professionis.

10 MOnialis aliàs inualidè professa,& nullitatem ignorans si recipiat ab Episcopo velum

virginitatis,& ibi votum virginitatis emittat, non proinde censetur professa valide: quia professio Religiosa non consistit in vno tantùm voto virginitatis, sed in tribus votis ordinariis. Rodrig. *Add. ad Sum. tom. 4. c. 64.* & est certissima.

21 Professio inualida facta ab vnò superiore ex defectu potestatis, potest ratificari à Superiore illius Superioris habente potestatem ad illud, vt tenet Innocentius *cap. porrectum. extra de Regul.* & Rodrig. *tom. 3. q. 17. art. 12.*

22 In terris vbi Concilium Tridentinum non est receptum, in Ordine non mendicante, professio facta ante annum expletum valet. Secus si fuerit Religio ex mendicantibus. Nauarr. *libr. 3. Consil. titul. de Regul. consil. 27.* Idem dicendum videtur de professo in eisdem terris ante annum 16. ætatis, in Ordine non mendicante.

23 Fœmina, quę fingens se esse hominem professa est in Conuentu virorum intendens se obligare ad Religionem, manet verè professa, iuxta Anton. Sylu. Angel. Tabienam, Armill. citatos à recentiore Comitolo *lib. 2. Resp. Moral. q. 8.* dicente sic à se responsum fuisse in facti contingentia in Italia: licet alij pauci negent. Ego etiam cum citatis ac Sylu. valere puto: quia talis fœmina emisit vota essentialia in quibus consistit essentia Religionis, ad quam essentiam per accidens est distinctio sexus. Nota verò quod pra dicta fœmina hodie id faciens excommunicationem incurrit ob ingressum in Conuentum virorum: & casu deprehenso reponi debet à Prælato in Conuentu Monialium sub clausura, & talis excommunicatio cum qua professa est non annullat professionem, vt mox dicam.

24 Professio facta ab aliquo excommunicato, valet. Est communis Canonistarum, & citat Rodrig. *tom. 3. quæst.*

Digitized by Google

quæst.17.art.14.& Comitolus *f.337.c.1.*& innuunt valere etiam si sit excommunicatus denunciatus;quia professio est contractus naturalis,& non annullatur hoc in iure quidquid tunc sit de peccato admittentium.Et hoc certius est in excommunicato occulto cuius professo omnino valet.*c.cùm illorum.de sentent.excom.*vbi loquitur de professo percussore Clerici, qui æquiualet denunciato.

Quid si professus sit clam hæreticus tempore professionis,an professio erit valida?Nauar.*lib.4.Consil.tit. de sponsal. consil.38.* innuit validam esse dum ait matrimonium cum hæretica valere: eadem verò ratio est, vt valeat professio, quia est contractus tantùm naturalis, & præterea non est sacramentum, sicut est matrimonium. Idem dicturus videtur Sanchez qui *libr.7. de matrimon.* fusè probat valere matrimonium personæ catholicæ cum alia hæretica etiam publica.At Regula Pat. nost. Francisci primam conditionem inter omnes in Nouitio requirit vt sit Catholicus.Et de hoc Nouitius rogatur ante professionem.Cum quo tamen stat (vt puto) quod Nouitius hæreticus occultus si profiteretur in ordine Minorum, non faceret, professionem ipso iure nullam : quia Regula ibi non annullat professionem hæretici,imò nec posset annullare,si ius commune non annullat. Credo autem certissimè, quod talis professus potest expelli ab Ordine alio titulo, ex eo scili. et quia defuit consensus ex parte Conuentus,& quia negauit conditionem de qua fuit rogatus in re grauissima, ob quam clarè Conuentus non consensit. Vt potest eiicii is qui negauit se esse tantùm Christianum nouum ordinarium, qui hoc negauit rogatus;ob defectum consensus Conuentus ibi similiter repertum.Et nota,quod descendentes ab hæreticis combustis expelluntur à professione; etiam si ipsi non fint

hæretici in se propter Bullam Pauli IV. de qua supra. At ipsi hæretici in se, non arcentur à professione iuxta hoc, id est, non annullatur professio illorum.

25 De professione Nouitiæ inter Moniales Dominicanas existentis in articulo mortis, facta tunc ante annum nouitiatus expletum. Vide supra, *verbo Nouitia.*

26 Etiam si professio non fiat per verba contenta in Regula, vel statutis, est professio valida, & expressa si promittantur tria vota substantialia. In his enim consistit essentia professionis: colligitur ex dictis à Theologis circa formas Sacramentorum.

PROFESSIO CONIVGIS INVITO, ignorante, vel sciente alio coniuge.

27 SVpponitur de iure communi certissimum vnum coniugem non posse profiteri inuito altero: hoc posito. Si vnus inuito alio coniuge profiteatur, & ab alio extrahatur, mortuo non professo, is qui nulliter professus est, non manet verus professus *ex Regul. 18. in 6. de regul. iuris.* Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit: habet tamen illa professio præterita vim voti simplicis ita. vt non possit petere debitum, sed solùm reddere. Item mortuo coniuge non professo, ille professus nulliter non potest contrahere secundum matrimonium. Sed non tenetur iterum intrare Religionem quia votum Religionis fuit omnino irritum; non verò fuit irritum votum castitatis. Ita Sanchez *libr. 7. de Matrim. disp. 34. à numer. 12. & sequent.*

28 Valet professio fœminæ, quæ credens, licèt falso, inter se & maritum dari verum diuortium, si ille iam

pro

professus est Religionem, vel susceptit sacros Ordines, illa etiam professa est durante illa opinione, & professo iam, aut ordinato marito. Et in hoc non facit iniuriam marito, quia causa falsa quæ illam impulit non fuit finalis, sed impulsiua. Sanchez *libr.* 10. *de Matrim. disp.* 9. *n.* 23. Si tamen maritus non erat professus, neque Ordinem sacrum susceperat potest illam reuocare à Monasterio.

29 Si vnus coniux profiteatur inuito alio, potest extrahi à Monasterio nulliter professus, etiam si vterque coniux antea vouissent castitatem. Sanch. citatus *n. præcedente.* Et ratio est, quia licèt ambo vouerint castitatem, non per hoc dederunt licentiam adinuicem profitendi in Religione: quia potest adhuc v.g. fœmina manens in sæculo indigere suo viro ad se, & ad familiam alendam, ad quod vir specialiter obligatur.

30 Si coniux manens in sæculo est iuuenis, non potest dare licentiam alteri vt intret Religionem, nisi etiam ipse iuuenis illam intret. Neque sufficiet vt voueat castitatem manens in sæculo. Neque item sufficit vt intret Religionem vt ibi viuat in clausura absque habitu monachali, & professione; sed debet intrare vt profiteatur. Si verò intrans sic Religionem, exeat durante nouitiatu, cogendus est intrare iterum, si alius professus est. Si verò etiam alter mansit in sæculo cogendus est redire ad coniugem manentem, etiam si hic castitatem vouisset, quia hoc votum fuit pendens à professione intrantis, & fuit frustratum non secuto effectu. Si autem coniux manens in sæculo sit grandæuæ ætatis, tunc cum licentia Episcopi, emisso prius voto castitatis poterit dare licentiam alteri vt profiteatur, & grandæuus cum voto potest manere in sæculo. Hæc omnia tum patent ex iure, tum etiam traduntur à Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 32.

31 Si coniux profiteatur de licentia alterius coniugis in aliqua Religione seruatis conditionibus proximè dictis; professio tenet, vt patet. Et adde quod de facto valebit si data est licentia à coniuge manente, etiam si hic manens sit iuuenis, & proinde suspectus de castitate, dummodo votum castitatis emiserit, & probatur, quia professio coniugis manentis vel dantis licentiam non est de essentia illius profitentis. Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disput. 33. à numer. 2.* sed solùm est conditio iure apposita, non tamen annullans professionem factam cum licentia. Et proinde taliter professus non seruata illa conditione iuris, vt scilicet alter etiam intret, vel profiteatur, non poterit reuocari à tali coniuge licentiam dante. Vt verò fœmina in sæculo maneat cum solo voto castitatis, absque ingressu Religionis debet esse vt minus quinquagenaria. Sanchez latè, & doctè cum multis. *libr. 7. de Matrimon. disp. 32. numer. 14. & seqq.* & vir manens erit vt minus sexagenarius.

32 Si coniux dans licentiam, & manens in sæculo non emisit votum castitatis, & sciebat coniugem non posse profiteri, nisi ille manens voueret castitatem, si esset senex, vel intraret Ordinem si erat iuuenis, non poterit tunc professus reuocari: poterit verò, si coniux manens hoc ignorabat: Ratio est, quia manens in sæculo, & conscius illius iuris per datam licentiam videtur renunciare illi iuri reuocandi: at ignorans ius illud non videtur illi cedere. Sanchez *cit. disp. n. 14.* vbi alia hac de re bona adducit.

33 Si exempti Regulares iubente Episcopo nolint reddere coniugem Nouitium, vel professum nulliter, coniugi manenti, ac petenti, peccabunt grauiter, vt patet. Sed Episcopus illos in hoc casu per censuras non potest cogere, quia ad hoc non est Iudex delegatus ex iure,

iure, vel Tridentino. Poterit tamen cogere aliis pœnis priuando concionibus, confessionibus, &c. est conclusio indubitata.

34 Si coniux professus est altero non consentiente expresse, vel tacitè, vel ignorante: vel si sciuit neutraliter se habuit per tempus non longum, professio est nulla. Et si paulo post professionem, coniux manens in sęculo mortuus est, taliter professus potest exire, & si matrimonium contrahat peccabit mortaliter ob votum castitatis, matrimonium tamen valebit; quia in rigore professio facta, fuit nulla. Si tamen velit ratificare professionem, poterit. Dixi *per tempus non longum*; quia si longum tempus interceſſit, tunc manens in sæculo sciens, ac dissimulans, consentire videtur in professione, ac proinde post longum tempus non poterit reclamare. Quod tempus longum, vel breue prudentis arbitrio relinquitur iudicandum.

35 Si coniux obtinuit licentiam ad profitendum à coniuge manente in sæculo per metum cadentem in virum constantem, professio nulla est: quia metus talis annullat omnem contractum: imò etiam si sit solùm metus grauis, est nulla, & potest reuocari. Et reuocatus poterit reddere, sed non petere debitum. Est clara ex supradictis. Non tamen iste tenetur redire ad Ordinem quia professio fuit nulla. Idem dic, si licentiam profitendi obtinuit dolo, fuit enim tunc professio nulla. Sanchez *lib. 7. cit. disp. 31. & sequentibus. vsque ad 35.* Et in his casibus in quibus nulliter professus potest reuocari à manente in sæculo, non potest professus propriâ authoritate exire nisi reuocetur, & postuletur: Sanchez *disp. 33. cit. lib. n. 5.*

36 Licitum omnino est coniugi innocenti inuito socio adultero intrare Religionem, & profiteri quantumcunque reclamet adulter. Patet ex *cap. constituimus, & ex*

cap. veniens de conuerſ. coniug. Et probatur quoniam adulter perdit omne ius coniugale. Et idem puto licere fœminę innocenti inuito marito adultero. Si enim conſtet publicè maritum fuiſſe adulterum eandem licentiam habet à iure, quia eadem ratio militat in fœmina, & in viro perdendi ius matrimoniale, ſeu debiti conjugalis ob adulterium. Si verò adulterium viri fuerit occultum non poterit hoc mulier facere in foro externo ratione ſcandali: valeret tamen in foro interno ſi fieret. Et præterea ſi ſit data ſententia perpetui diuortij inter coniuges, poterit vterque Religionem intrare, & profiteri, quia licet tunc non diſſoluatur matrimonium, diſſoluitur tamen cohabitatio, & perditur ius petendi debitum. Dato etiam caſu quod vir ſit innocens, & vxor adultera, poteſt vir ſuſcipere ſacros Ordines & manere in ſæculo. Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. diſp.* 11. *per totam.*

37 Si coniux aliquis profeſſus eſt inualidè, abſque licentia manentis in ſæculo, is qui in ſæculo manet non poteſt intrare Religionem inuito illo nulliter profeſſo: profeſſio enim fuit nulla, & delictum profeſſi non dat ius manenti. Aſtenſ. *in Sum.* 2. *p. lib.* 8. *tit.* 11. *art.* 2. *q.* 13. & alij.

38 Si coniux profiteatur abſque licentia, & inualidè quouis modo: & tamen coniux manens in ſæculo fornicetur: non poteſt hic illum reuocare. Et taliter profeſſus exire poterit propria authoritate, vel profeſſionem ratificare. Conſtat ex ſupradictis, & Sanchez *libr.* 7. *diſp.* 36. *num.* 3.

Multa alia de profeſſione coniugum vide apud citatum authorem fuse, ac doctè tradita *citat. libr.* 7. *diſp.* 32. *& ſequentibus*: quæ omitto, vel quia minus frequentia ſunt, vel quia magis pertinent ad forum externum Eccleſiæ. Et ſupra hic tradita ſunt præcipua, & ſufficientia.

REME

REMEDIVM PROFESSIONIS nullæ.

39 SI professio fuit nulla, cum præiudicio tertij clamantis, vt pote quia professus est seruus, coniugatus, debitor, tutor, & sic de cæteris, professio non habet remedium, nisi exire, & satisfacere parti clamanti, ac petenti. Neque Papa in hoc potest dispensare cum præiudicio magno tertij. Vide tamen supra *verb. Nouitius cùm agitur de debitis.*

40 Si professio nulla non intulit præiudicium tertio, & impedimentum tolli potest à professente, & Religione, facile remedium est, vt ratificetur professio, vel apud solum professentem, vel apud illum, & Religionem. Hæc enim ratificatio sufficit ad illam validandam: contractus enim potest reuocari, & potest etiam conualescere dissentientibus vel consentientibus illis ad quos spectat: iuxta communem Doctorum sententiam.

41 Si impedimentum fuit ex eo solùm, quia ex parte Nouitij defuit consensus, vel adfuit metus, potest ratificari professio ex parte solius Nouitij iterum apud se tantùm consentiendo. Nam aliàs erat capax professionis: & non requiritur nouus consensus Conuentus, quia iste nunquam defuit. Sanchez *lib. 2. de Matrim. disput. 32. num. 14.*

42 Si verò professio fuit nulla, quia Nouitius erat incapax ad professendum ob defectum ætatis, vel quia annus nouitiatus non fuit integer vel aliam causam causantem incapacitatem: tunc ad ratificandum, ablata prius incapacitate, requiritur nouus consensus vtriusque Ordinis, scilicet, & professentis quia Conuentus prima vice consensit incapaci. Sanchez *libr. 2. de*

Matrim.disput.35.art.4. An verò, si quando annus non fuit integer, vltra consensum Conuentus, & professionis debeat iterum inchoari Nouitiatus, & quando, dictum est supra, *verb.Nouitij annus in probatione.* Vide *ibi.*

43 Quid si nulliter professus habet impedimentum secretum quod non potest probare: & sibi certò constat se non esse professum, non tamen auditur, nec potest probare: an teneatur ratificare professionem ob damna redundantia in Ordinem cum sua permansione: quia scilicet non Monachus suscipit alimenta Ordinis, dat suffragia in Capitulo, Ordines & officia suscipit non Monachus? Sunt enim hi actus, & alij similes annexi Monacho, prohibiti huic qui non est verè Monachus, & proinde videtur in conscientia obligari, vel ad ratificandum vel exeundum. Resolutionem ponit Sanch. *lib.7.de Matr.disp.37.à num.38.* sub his corollariis. Primò quod si absque culpa sua talem statum acquisiuit, quia scilicet non est professus animo ficto, &c. tunc non tenetur in conscientia ratificare professionem, quia remedium professionis est difficilimum, & ad rem tam difficilem non tenetur, vt vitet leuiora supradicta, maximè si expertum habet Religiosum statum non sibi congruere, sed esse sibi in illo subeunda pericula. Secundò ait, quod absque peccato poterit interim exercere in publico supradictos actus, comedendi, suffragandi, & similes Monachi proprios quando hos actus euitare non potest absque grauissima infamia. Tertiò quod in publico ratione scandali tenetur seruare vota Religionis, non verò in occulto cessante scandalo. Quartò quod habita occasione, si potest fugere, tenetur fugere absque scandalo, vbi ait Sanchez; quod saltem obsequium istius fratris, & seruitia corporalia poterunt supplere, vt

quam

quandiu manet, mereatur illud, quod ab Ordine recipit in alimentis,&c.

Si autem professio fuit nulla ob culpam ipsius professentis, (ait Sanchez) quia scilicet fictè professus est, aliqui Doctores innuunt illum teneri ad ratificandam professionem, sicut tenetur ille qui contractum iniuit fictè, validare illum. At neque tunc adhuc teneri ad professionem ratificandam tenet Henriq. *lib.*11. *de matrim. cap.*11.*num.*11. *litt.V.* & Sanchez *vbi proximè* ob eandem causam iam dictam: quia scilicet non tenetur ad remedium tam difficile. Ait tamen teneri vel ad ratificandam professionem si velit: vel oblata occasione sine scandalo, fugere ad euitandos illos actus professioni annexos. Si enim maneat, & neutrum velit facere, peccabit grauiter cum onere restituendi.

44 Adhuc de taliter professo nolente ratificare, & non habente probationem impedimenti, neque audito, neque valente fugere; nota quod quandiu non potest fugere, si absque notabili infamia non potest recusare, quin ad sacros Ordines, vel ad prælaturam promoueatur absque magno scandalo (debet enim omnino hæc recusare quantum poterit absque graui infamia, aliàs peccabit grauiter) si, inquam, non possit absque grandi infamia, poterit acceptare ad vitandum scandalum magnum cum animo dimittendi vbi primùm occasio data fuerit: quemadmodum in simili occulto electo in Prælatum, qui facta omni diligentia morali, & renunciatione prælaturæ, non auditur, & non acceptans notatur grauissima infamia, & absque illa non potest exponere causam sui impedimenti: tunc enim vt ibi diximus poterit acceptare, cum animo quàm primùm quærendi remedium ibi assignatum. Quod suo modo huc inseruit.

PRO

PROFESSIO NVLLÆ RECLAMATIO coram Ordinario.

45 CONcil. Tridentin. *sessione. 25. de Regular. cap. 19.* decernit, quod si aliquis Regularis prætendat se non esse professum, quia professus est per vim, aut metum, vel ob defectum ætatis, vel similem causam feciſſe professionem nullam, & velit habitum dimittere: non audiatur nisi id fecerit intra quinquennium à die professionis: idque coram suo Prælato, & coram Ordinario causas allegando.

Circa quod vide primò dicta supra hoc verb. *num.* 42. Secundò nota quod licèt Tridentinum dicat non esse audiendum nisi reclamauerit intra quinquennium; tamen si allegauerit causas ob quas non reclamauit intra quinquennium, quia scilicet, vel ignorauit, vel non potuit ob metum parentum viuentium, vel quid simile, est audiendus si causæ allegatæ sint iustæ, & probentur. Rodrig. *tom. 3. quæst. 17. art. 16.* puto tamen hodie esse in praxi, vt vidi in facti contingentia, quod vt possit audiri debet impetrari rescriptum à Papa, & quod sine hoc Prælatus, nec Episcopus possunt audire. Et hoc est petere restitutionem quinquennij à Papa: nam absque tali rescripto videbuntur Prælatus, & Episcopus contraire, expresso decreto Tridentini.

Notat etiam Rodrig. *citato loco*, quod non obstante decreto illo, si professio illa in illo quinquennio fuit nulla, per illud decretum non validatur, quia Papa non potest validare per se id quod pendet à consensu partis reclamantis: quod intelligo quoad validationem in foro interno, vt dicitur in *cap. 1. de Regulis iuris* cùm ait: Omnis res per quascunque causas nascitur,

tur, per eaſdem diſſoluitur:& proinde à contrario:per quas cauſas diſſoluitur, per eaſdem naſcitur.Et quando Tridentinum iubet, ne reclametur poſt quinquennium, eſt quia ſupponit in foro externo illam profeſſionem tacitè fuiſſe ratificatam à profeſſo. Quod facere potuit Tridentinum ob pacem Religionis,quemadmodum multæ leges ciuiles ponunt ſilentium, & interdicunt proceſſum in aliquibus caſibus antiquis propter pacemReipub.At ſi talis reclamans à parte rei illam non ratificauit, profeſsio eſt nulla: ſi olim fuit nulla. Et proinde taliter non auditus ſciens verè nullitatem ſuæ profeſsionis, poteſt fugere, ſi poteſt abſque ſcandalo, & in foro conſcientiæ non erit Apoſtata. Rodrig.*ibidem.* Et id verum habet etiam ſi durante quinquennio recepit Ordines ſacros,vel officia Ordinis. Et ſi non eſt ordinatus poterit nubere in conſcientia,vbi non fuerit cognitus.

46 Addit *citato loco* Rodriguez, ex Nauarr. quod ſciens clarè nullitatem ſuæ profeſsionis,ſi abſque ſcandalo poſsit fugere non teneri allegare cauſas ſuæ nullitatis coram Superiore & Prælato: neque eſſe apoſtatam. Et præterea, quod ſi habitum dimiſit ante reclamationem poterit adhuc audiri. Concilium enim ſolùm videtur innuere, quod non audiatur abſque habitu,id eſt, exutus habitu. Depoſitio enim illa habitus ſi præceſsit,non debet adeo præiudicare miſero homini, vt teneatur inuitus tota vita ſubire iugum tam difficile, maximè cum præiudicio Ordinis, cui fortè eſt ineptus. Id quod etiam verius erit, ſi dimiſit habitum, quia cum illo commodè non poterat allegare cauſas ſuæ nullitatis,& cum tali habitu non poterat commodè Prælatum,& Epiſcopum adire.

47 Addit Sanchez *lib.7.de Matrim.diſp.37.num.12. & 13.*quod ſi nulliter profeſſus dubitat an ratificauerit pro

professionem, stante tali dubio non poterit exire, quia tunc iudicandum est in fauorem Ordinis possidentis. At si nullo modo ratificauit, & prælatus sit certus de nullitate professionis, poterit illum dimittere in foro conscientiæ: non verò in externo propter Concil. Tridentin.

48 Istud quinquennium vt possit reclamari, currit à die professionis nullæ, iuxta Concil. *citato loco*: & datur in fauorem Religionis vt inde currat, & vltra non transeat.

49 Beneficium restitutionis vt possit reclamare competit sic professo etiam extra quinquennium, durante ignorantia probabili, vel impedimento reclamandi iuxta Couar. *in Regula possessor num.* 3. & alios. Et qui fuerit ætatis maioris, vt restituatur debet probare ignorantiam impedimenti: neque ad illam probandam sufficiet suum iuramentum, vt sufficit in aliis causis ad illam probandam. Rodr. *Addit. ad Sum. tom.* 4. *cap.* 65. *concl.* 6.

50 Non est credendum professo etiam iuranti se fuisse professum ficto animo, neque ratificasse professionem, nisi accesserint coniecturæ probabiles, & probatæ. Sanchez *citat. disput.* 17. *num.* 14. cum ibi citatis.

51 In foro conscientiæ ille qui est ætate minor, & sciuit nullitatem suæ professionis, neque vllo modo illam ratificauit in quinquennio, potest reclamare transacto quinquennio ratione iustæ ignorantiæ. Si autem sub iuramento rogetur an ignorauerit licentiam reclamandi quam habebat in quinquennio, potest iurare se ignorasse, intelligens interius, se habuisse ignorantiam, & non habuisse scientiam cum qua ratificauerit professionem præsumptam à Tridentino, ob quam præsumptionem iubet vt non audiatur. Sic San-

chez

Digitized by Google

chez *citato loco*, *numer.*18. & probat ratione Soti *ibi citati.* qui ait quod rogatus à Iudice ſub iuramento, an tranſierit per locum, vbi mortuus iacebat occiſus, vt inde Iudex inferat, ſi eſt culpatus : licèt ipſe à parte rei tranſierit per talem locum, ſed innocenter, poteſt iurare, ſe non tranſiſſe ; intelligens apud ſe, non tranſiſſe culpabiliter.

52 Concil. Tridentin. in dicto decreto non comprehendit perpetuò inhabiles ad profitendum : hi enim non præſumuntur tacitè profeſsi per ratificationem internam, neque externam : & proinde ſemper poſſunt reclamare : Sanchez *citata diſp.*37. *num.*32. Et idem dicendum de habentibus impedimentum temporale, ſeu ad tempus annullatiuum intra quinquennium. Et proinde illi, qui per metum aut defectum ætatis, ſunt profeſsi durantibus his impedimentis in quinquennio non ſunt profeſsi tacitè ; durantibus enim his impedimentis non poterant profiteri.

53 Qui fecit profeſsionem irritam ex defectu ætatis, ſi vult poſtea ratificare profeſsionem non indiget nouo anno nouitiatus : iam enim expertus eſt Religionem, vt ſupra dictum eſt. Et præterea Concil. Trident. *ſeſſ.*25. *de Regular. cap.*15. annullat profeſſionem, ſed non annullat receptionem, & geſtationem habitus. Neque item opus eſt, vt fiat denuo Nouitiatus ſi Papa diſpenſat in impedimento annullatiuo profeſsionis. Quod intellige niſi tale impedimentum annullaret profeſsionem, & receptionem habitus vt fecit Sixtus V. in prima Bulla contra illegitimos. Rodriguez. *Addit. ad Sum. tom.*4. *capit.*66. *concluſ. vltima.*

PRO

ADDITIO.

SAtis multa dixi ſupra hoc ipſo verb. de pertinentibus ad profeſſionem: quibus addenda ſunt dicta *ibidem verb. Nouitius*, & in his addit eodem *verb. Nouitius*.

Nunc ſolùm addo circa illud quod ibi dixi *num.*12. §.*pro quo nota*, opinionem eſſe pro vtraque parte probabilem, quod profeſſio facta ob metum reuerentialem tantùm, ſit valida, vel non. Et pro parte affirm. quod ſit irrita citaui ibi ſententiam Rotæ, & Nauarr. & Henriquez: nunc addo etiam cum Nauarro tenere Sayrum, & Aloiſium Riccium, citatos à Barboſa *in ſuis Remiſſion.ſeſſ.*25.*de Regul.cap.*19.*num.*4.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

AVdiui quod paucis ab hinc menſibus contigit iſte caſus. In quodam Conuentu Monialium Religionis approbatæ quædam tunc ſolùm fœmina cum ſexu tantùm fœmineo, habitum ſuſcepit, & ſuo tempore profeſſionem emiſit, tranſacto vno, vel duobus annis poſt profeſſionem, humeros ſupponens oneri cuidam graui vi ponderis erupit in illa ſexus maſculinus, & ſic effecta manſit hermaphrodita. Prouincialis Conuentus, re comperta, & factis diligentiis debitis, (debuit) illam eiecit à Conuentu Monialium. Hoc mihi ſolùm indicatum fuit: Cui ſimilem caſum nunquam legi, neque vidi auctorem de illo in terminis tractantem. Et quoniam id quod ſemel contigit, iterum poteſt euenire, pro deciſione iſtius iam facti, & alterius poſſibilis poſſunt quæri quinque circa caſum prædictum. Si verò iſte caſus contigit alio modo,

vt

vt ſcilicet iſta perſona non maneret hermaphrodita cum duobus ſexibus ſed cum ſolo maſculino, vide reſponſionem infrà in fine operis quæſt propria.

Primum eſt, An profeſſio iſtius prædictæ in hoc caſu, fuerit valida.

Secundum eſt, An ſic profeſſa, & poſtea hermaphrodita, potuerit manere in illo Conuentu Monialium.

Tertium eſt, An ſuppoſito quod non potuerit manere, ſolus Prouincialis poſſet illam expellere à Conuentu Monialium. An verò expectanda ſit licentia Papæ.

Quartum eſt, An ſic eiecta tanquam incapax, & nociua Conuentui Monialium teneatur in ſæculo ad obſeruationem trium votorum ſolemnium, eo modo quo potuerit.

Quintum eſt, An illi ſic electæ reſtituenda ſit dos quam ante profeſſionem dedit Conuentui prædicto Monialium.

1 Ante reſponſionem ad quæſita, præſuppono ex Nau. *lib.1 conſiliorum tit. de ætate, & qualit. ord. conſil.8. primæ impreſſ. & ſecundæ impreſſ. lib.3. tit. de Reg. conſil.47.* & Sanchez *lib.7. de Matrim. diſp.106.* Aduerto inquam primò hermaphroditum in triplici gradu dari poſſe. Primò ſi ſexus virilis in ipſo præualeat pluſquam fœmininus. Secundò ſi è contra, ſexus fœmininus in ipſo præualeat pluſquam maſculinus. Tertiò ſi æquè vterque ſexus par ſit. Secundò ſuppono ex iiſdem Doctoribus cum Sylueſt. *ver. Hermaphroditus*, iudicium de ſexu præualente in hermaphrodito petendum eſſe à Medicis, & à matronis honeſtis: & in horum defectu, à iuramento ipſius hermaphroditi, dicentis iuxta quem ſexum ſentiat maiorem inclinationem, maiores motus ac tentationes ſenſuales.

2 Tertiò ſupponendum eſt maximè ex Nauarr. *citat. conſil.num.* 3 quod hermaphroditus in quo vterque ſexus eſt par, & æquè præualet, non poſſet profiteri aliquam Religionem. Nam iſte talis neque eſt vir ſimpliciter, neque mulier, ad hunc finem: Quemadmodum tabula cuius pars dimidia eſt alba, & pars dimidia nigra, abſolutè nec dicetur alba, neque nigra. Non ergo poteſt hic in quo par eſt ſexus maſculinus, & fœminipus profiteri ordinem virorum, quia ſimpliciter non eſt vir. Neque poteſt profiteri ordinem fœminarum, quia ſimpliciter non eſt mulier. Et periculum eſt, vt ſtante ſexu æqualiter inclinante, poſſit eodem malè vti aliquando & in ordine virorum, & in ordine Monialium. Si verò in hermaphrodito præualeat ſexus maſculinus, poterit profiteri in ordine virorum. Et è contra ſi præualeat ſexus fœmininus poterit profiteri in ordine Monialium. Hoc dicit Nau. *cit. conſil.num.* 1. & Sanchez *citata diſp.n.* 3. His poſitis ad quinque quæſita propoſita ſic reſpondeo.

AD PRIMVM QVÆSITVM.

3 PRofeſſio prædicta, quæ tantum habebat ſexum fœmineum in tempore nouitiatus, & profeſſionis, fuit profeſſio valida omnino, non obſtante eruptione ſubſequenti ſexus maſculini. Hanc nullus citatorum Doctorum ponit, quia fortè neque caſum iſtum viderunt. Ego tamen illam probo tribus argumentis efficacibus à ſimili. Primum ſumitur ex matrimonio carnali: Nam ſi vir, & fœmina nullum habentes impedimentum dirimens matrimonium contrahant, & poſt illud legitimè cõtractum ſuperueniat nouum impedimentum antea non exiſtens, quod tamen eſt dirimens (vt ſi alter illorum fornicetur cũ cõſanguineo cõiugis)

tale

tale impedimentum dirimens ſuperueniens non irritat matrimonium iam factum, vt Doctores communiter: & experientia docent: ergo à ſimili in matrimonio ſpirituali quæ eſt profeſſio, ſi hæc à principio fuit facta validè etiam ſi poſt profeſſionem ſuperueniat impedimentum dirimens aliàs profeſsionem, tale impedimentum illam non annullabit. At iſta de qua caſus loquitur, ante profeſſionem erat tantum fœmina, & proinde apta ad profitendam Regulam Monialium: Ergo impedimentum hermaphroditi ſuperueniẽs profeſsioni, eam non annullabit. Secundò ſi quis verè profeſſus in aliquo ordine ſine impedimento irritante profeſſionem, profiteatur: & poſt profeſſionem legitimam ſuperueniat impedimentum aliàs irritans profeſsionem, vt quia poſt profeſſionem homicidium, vel debita grauia contraxit (quæ ſunt impedimenta irritantia profeſſionem ſaltem iuxta Bullam Sixti V.) quis dicet talia impedimenta ſuperuenientia profeſſioni, irritare profeſſionem prius factam non extante hoc impedimento. Tertiò, quia fœmina quæ diſſimulato habitu fœmineo, facit profeſſionem in Conuentu virorum eſt valida profeſſio, vt tenet Comitolus *primo tomo Reſponſ. Moral. libr.* 2. *quæſtione* 8. citans Antonin. Sylueſtr. Tabien. Armill. Iam verò maior incapacitas eſt fœminæ ad profitendam Religionem virorum habitu diſſimulato, quàm iſtius noſtræ ſolùm fœminæ tempore profeſſionis, ad profitendam Regulam Monialium.

AD SECVNDVM quæſitum.

4 AD ſecundum quæſitum cum diſtinctione reſpondendum eſt. Nam ſi ſexus maſculinus

erumpens prævalebat fœmineo iuxta Medicos, matronas, & ipsius professæ iuramentum, tunc nullo modo manere poterat in Conuentu Monialium propter periculum manifestum illarum; vt colligitur ex citatis Doctoribus. Et colligitur ex mente Concil. Trid. & aliquorum Summorum Pontificum tanto rigore vetantium ingressum virorum in Conuentum Monialium. Iam verò hæc, vel hic in quo sexus erumpens masculinus prævaluit simpliciter dici potest vir, & proinde prohibitus inter Moniales habitare.

5 Si verò in illo prævaleat solùm sexus fœmineus, credo quod non poterit eiici à Conuentu Monialium. Probo ex citatis Doctoribus, qui dicunt, hermaphroditum in quo solùm prævalet sexus fœmineus posse contrahere matrimonium carnale, & vti sexu fœmineo prævalente. Ergo hæc similiter poterat manere cum Monialibus cùm simpliciter dici posset fœmina: neque sit periculum castitatis in se & in aliis Monialibus, cùm in se prævaleat solùm sexus fœmininus & aliàs vouerit clausuram, cum obedientia ad istam Prælatam, quæ est in possessione illius.

6 Si tamen in ista sic profitente facta hermaphrodita post professionem æquè prævaleat vterque sexus: tunc iuxta mentem Sanchez *cit. disp.* 106. *n.* 6. videtur dicendum, istam potuisse etiam manere in Conuentu. Ait enim ibi Sanchez cum Sylu. Tabien. Armilla quod hermaphroditus in quo æqualiter prævalet sexus, poterit contrahere matrimonium secundùm sexum quem elegerit, seu cuius vsum elegerit. Et à fortiori dicturi essent hi Doctores in hoc casu matrimonij spiritualis, seu professionis iam validè emissę, quod in hac existente æquali vtroque sexu, & æqualiter prævalente poterit ipsa professa manere in statu sexus fœminei, imò quod esset obliganda ad sic manendum, & statum fœminei

minei ſexus eligendum, propter clauſuram iam promiſſam, & poſſeſsionem Prælatæ in perſonam illius. Maximè cùm ſtante illa in hoc ſtatu non multum periclitetur caſtitas Monialium aliarum.

7 Ego tamen in hoc ſtatu tutius iudicarem, illam eiiciendam à Conuentu Monialium, vel licentia ſtatim petita à Papa, vel à Nuntio illius. Moueor primò, quia ſic prævalente vtroque ſexu poterit incitari à maſculino aliquando, & periclitabitur caſtitas cæterarum Monialium. Secundò quia ſi Nauarr. ſupra citatus ait, non poſſe profiteri aliquam Religionem hermaphroditum in quo vterque ſexus prævalet æqualiter, à fortiori non eſt aptus vt viuat in aliqua Religione virorum vel mulierem talis hermaphroditus, cùm neque ſit vir abſolutè, nec fœmina abſolutè: imò poſſit vti vtroque ſexu cum periculo claro, vel ſatis probabili virorum, vel mulierum cum quibus vixerit, & pericula peccandi ſint omnino vitanda. Matth. 18. *Si oculus tuus, vel pes tuus ſcandalizat te, erue eum.* Et iuxta illud communiſſimè receptum, *qui amat periculum peribit in illo.* Et occaſiones peccandi ſunt omnino amputandæ: de quo multa dicunt Doctores.

AD TERTIVM QVÆSITVM.

8 AD tertium quæſitum patet reſponſio ex dictis proximè in *reſp.* 2. Nam ſi ſexus maſculinus erumpens prævalet, vel prævalebat fœmineo ſtatim eiici potuit propter periculum, & propter dicta *numero* 4. *præcedenti*: neque opus fuit licentiam habere à Papa maximè inſtante legis Epichea. Si verò ſexus fœmineus prævalebat, eiici non potuit, vt dixi *numero* 5. Denique ſi ſexus vterque par erat, tutius faceret Prouincialis conſulere Papam, vel ſaltem Nuntium

Collectorem, si non esset periculum in mora. Verùm si data illa æqualitate sexus æqualiter prævalentis illam eiiceret sola propria authoritate, ego illum non arguerem temeritatis si id bona fide fecit & ex zelo vitandi periculi, iuxta dicta *num.* 7. Saltem ait Nauarr. *citat. consil. numer.* 5. esse iustam causam vt Papa dispenset cum ista vt exeat propter periculum inde resultans aliis Fratribus, vel Monialibus ad cogitandum de illo hermaphrodito, & appetendum illa quæ ibi cogitatio repræsentat. Quibus verbis clarè dicit necessariam esse dispensationem Papæ vt exeat, intellige si non periculum sit in mora, & sexus æqualiter prævalet, & ego cum Nauarr. consentio.

AD QVARTVM quæsitum.

9 AD quartum quæsitum dico hanc hermaphroditam debitè eiectam à Conuentu Monialium teneri in sæculo seruare tria vota essentialia eo modo quo poterit: Patet hoc clarè ex respons. ad primum quæsitum: Nam eius professio fuit valida, nec per subsequens impedimentum fuit irritata, vt vidimus: sed solùm quo ad clausuram mansit impedita: ergo talis professio semper obligat quoad potest. Probatur exemplo ibi tradito à Comitolo de fœmina quæ dissimulato habitu professa est ordinem virorum, inter quos non potest conuiuere, quia tamen eius professio in substantia valida fuit tenetur extra Conuentum virorum, imò in Conuentu fœminarum seruare prædicta vota: quod in casu præsenti valde inseruit. Secundò probatur exemplo Fratrum expulsorum ab Ordine propter culpas: hi enim viuentes in sæculo debent seruare vota solemnia modo quo poterint, idque ex eo solùm quia

pro

professio illorum valida fuit. Tertiò probatur exemplo Monachorum, qui assumuntur ad Episcopatum, hi enim tenentur similiter seruare vota suæ professionis modo quo poterunt, vt omnes Doctores affirmant. Ergo cùm professio istius hermaphroditæ fuerit valida, adhuc à Conuentu eiecta tenebitur seruare vota modo quo poterit. Vnde non poterit matrimonium contrahere, sed tenetur ad castitatem in vtroque sexu. Neque item moriens poterit condere testamentum, in hoc enim tenetur, & potest seruare votum paupertatis cùm sit verè Religiosa ex supradictis. Ac proinde de bonis ab illa acquisitis in vita extra MONASTERIUM iudicandum erit, meo iudicio, tanquam de bonis Fratrum, vel viuentium extra Conuentum habitu retento de licentia Prælati: vel sicut iudicatur de bonis Fratrum eiectorum ab Ordine, de quo dixi supra *verbo Bona.* vel potius pertinebunt ad Conuentum in quo professa fuit si iste Conuentus eam alat, & sustentet extra Conuentum iuxta dicenda ad quintum quæsitum de dote reddenda eidem. Neque mireris me tam variè loqui in hoc vltimo cuius sint bona ab illa in sæculo acquisita: nam iste casus à nullo Doctore fuit vnquam decisus in terminis cum prædictis circunstantiis, quem ego viderim, dico.

10 Instas, & probas hanc hodie non teneri ad tria vota seruanda modo supradicto. Nam votum, vel iuramentum non obligant, si post votum, status rei promissæ notabiliter mutetur; vt tenet communis Doctorum, de quo vide Sanchez *tom* 1. *Decalog. libro* 3. *capitulo* 18. *per totum*, quod spectat ad iuramentum. Et *libro* 4. *capitulo* 2. *per totum* quod attinet ad votum. Et fundatur in illo dicto communi Aristotelis, & Legistarum, quod actus agentium non extenduntur

vltra intentionem illorum ; vt habetur *l. non omnis ff. si certum petatur*. At post vota solemnia istius profitentis mutatus est notabiliter status rerum ; facta est enim hermaphrodita, de non hermaphrodita : & præterea : si illa aduerteret talem mutationem futuram, omnino non voueret:ergo eius intentio in professione non fuit obligare se ad seruanda tria vota cum tali rerum mutatione,ac proinde vota illius hodie non obligant.

11 Responsio huius dubij longam petebat disputationem ex dictis à Sanchez *citatis duobus locis*:sed quia breuitatem , & summam profiteor , breuiter dico ad hanc instantiam , primò quod si absolutè valeret hoc dictum simpliciter prolatum : *votum non obligat facta mutatione notabili circa statum rei*.Probaret vtique quod neque Religiosus expulsus ab Ordine propter culpas, neque Episcopus assumptus ex Religiosis tenerentur extra Ordinem seruare vota emissa in professione:quia vtriusque status mutatus est notabiliter post vota ab vtroque emissa in professione , & tamen communis Doctorum tenet, non obstante illa notabili mutatione post professionem,tam Fratrem eiectum,quàm factum Episcopum teneri ad seruanda vota in promissione emissa modo possibili.

12 Respondeo igitur : hoc dictum commune Theologorum:*Votum non obligat facta postea rei mutatione notabili*.intelligendum esse de voto antequam impleatur, & positum sit in executione , & quasi sua possessione. Secus si votum iam sit completum,& quasi possessionē acquisiuit : tunc enim obligat eo modo quo obligare potest.Exemplum sit:promisi ire Ierusalem:& ante impletionem voti mutatus est status rerum,quia vel grauiter,& fere ad mortem ægrotaui, vel factus sum Episcopus non valens peregrinari. Tunc si superuenit impedi

pedimentum notabiliter mutans ſtatum rerum non obligat votum durante morbo, vel non obtenta licentia Papæ ab Epiſcopo. At in iſto caſu vota tria ſolemnia iſtius hermaphroditæ iam in profeſſione fuerant completa: & Deus nomine prælatæ acquiſierat poſſeſſionem perſonæ, & votum iam acquiſierat poſſeſſionem: ergo mutabilitas notabilis ſuperueniens non annullat iſta vota. Do exemplum ſimile omnino. Omnes Doctores dicunt quod ſponſalia de futuro (quæ æquiualent voto aliquid faciendi) irritantur, ſi ante matrimonij contractum ſtatus rei notabiliter mutetur: vt ſi ſponſa reddatur leproſa, vel fiat notabiliter deformis. At ſi iſta deformitas, fœditas, vel mutatio notabilis fiat poſt contractum matrimonium, vinculum illius non diſſoluitur, ſed tenetur vir vxori ſuccurrere: & econtra vxor viro non obſtante quacunque notabili mutatione. Quod puto omnimodè accommodari poſſe præſenti caſui qui eſt matrimonium ſpirituale. Quamuis enim iſta hermaphrodita ante profeſſionem haberet votum ſimplex Religionis, ſi in nouitiatu hæc ſexus mutatio fieret; poſſet tunc non profiteri, illo voto non obſtante, quia votum non erat impletum, neque poſitum in executione, & poſſeſſione. At cùm mutatio illa ſexus, licèt tam notabilis, facta ſit voto iam impleto, & in poſſeſſione poſito, illa mutatio non liberat à votorum trium impletione eo modo quo poterunt extra Conuentum ſeruari.

AD VLTIMVM QVÆSITVM.

13 AD vltimum quæſitum difficilis valde eſt reſponſio, neque puto in aliqua lege deciſa, quid

quidnam ſcilicet faciendum ſit de dote iſtius ſic profeſſæ. Nam iſta ſic eiecta non transfertur de vno Ordine ad alium, de qua ſic tranſlata tenet Rodrig. *tom. 3. Addit. ad Sum. cap. 144. concl. 12.* quòd Monialis tranſlata de vno Conuentu ad alium cum licentia Papæ, non defert ſecum dotem, ſed relinquit illam Monaſterio, in quo profeſſa eſt: niſi Papa exprimat in litteris ſuis quod ſecum deferat dotem. Item neque iſta ſic eiecta à Conuentu, relegatur ad alium Conuentum propter culpas, in quo caſu Rodrig. *citat. concl. 12.* dicit (& ſic tenet praxis) quod Conuentus, in quo profeſſa eſt, & retinet dotem, debet præbere alimenta tali Moniali relegatæ, in illo Conuentu vbi agit pœnitentiam, quorum duorum neutrum cernitur in iſto caſu. Cùm igitur noui caſus ſint iudicandi, vel ex ipſa æquitate quæ ſupplet, vel moderatur leges teſte Comitolo *in 1. p. de Contractibus in communi cap. 10. per totum*, vel ſint decidendi ex deciſione caſuum ſimilium, credo ex æquitate, vel Conuentum debere reſtituere iſti ſic eiectę dotem quam dedit, deductis fortè expenſis factis ab ipſa quandiu fuit in illo: vel ſaltem debere Conuentum dare illi alimenta extra Conuentum quandiu vixerit. Si enim teſte Rodrig. *loco citato*, & teſte praxi recepta, Conuentus tenetur dare alimenta Moniali relegatæ in alio Conuentu propter culpas: multo magis tenebitur Conuentus iſtius ſic eiectæ alere illam extra Conuentum, cùm non ſit eiecta propter culpas. Quæ alimenta ſi illi dederit in vita non dubito quin bona acquiſita ab iſta ſic eiecta extra Conuentum, pertineant poſt mortem ipſius ad prædictum Conuentum. Neque Bullæ Sum. Pontificum loquentes de bonis relictis à Fratribus apoſtatis, eiectis, vel viuentibus cum habitu retento, intelligi videntur de bonis relictis à Monialibus mo-

rientibus extra Conuentum, quia lex fere pœnalis est, & proinde restringenda ad sola bona Fratrum, non verò Monialium, & lex non fertur nisi de accidentibus communiter, & frequenter: non verò de rarissimè contingentibus, qualis est iste casus. Cúmque bona istius relicta post mortem non pertineant ad Papam vt suppono, & credo ob proximè dictum, neque ipsa possit testari ob votum paupertatis: neque item consanguinei sint hæredes verè professæ, sequitur quod his bonis nemo æquius potest succedere quàm Conuentus, in quo professa est, si Conuentus illi præbeat alimenta extra viuenti, cùm adhuc eius membrum sit.

ALIA DISPVTATIO DE NOVO *casu cuiusdam professionis.*

PAulo supra *verb. Professio hermaphroditi*, disputaui illum casum sicut credebam me tunc ab aliis accepisse, credens, quod illa persona professa, (de qua ibi) mansit verè hermaphrodita post professionem, manente vtroque sexu. Postea intellexi prædictam personam professam non mansisse verè hermaphroditam cum vtroque sexu, sed solùm mansisse cum sexu verè masculino erumpente vi ponderis assumpti, in loco sexus fœminini. Quæ quæstio est diuersa non modicum, & indiget diuersa doctrina diuersis remediis, ac resolutione. Cúmque prædictus casus possit iterum occurrere futuris temporibus, & vtile fuerit de illo habere lucem, ac resolutionem; de prædicta taliter professa in Conuentu Monialium, sic breuiter dico sequentia, incipiens à clarioribus.

1 Imprimis, illa professio fuit valida facta in Conuentu fœminarum, non obstante impedimento se-

quen

quenti prohibente illum viuere in clauſura Monialium. Hæc eſt clariſſima, & probatur clarè per illas tres rationes, quas proximè *citat. q.* adduximus in primo quæſito ad probandum, quod etiam valeret profeſſio illius, quæ poſt profeſſionem euaſit cum duplici ſexu, & verè hermaphrodita, vide illa, quia pro hoc etiam concludunt euidenter, profeſſionem iſtius eſſe validam.

2 Iſte, de quo loquimur, manens cum ſolo ſexu maſculino eſt omnino ſtatim expellendus à Conuentu Monialium, idque abſque ſpeciali licentia Papæ. Hæc etiam probatur ex dictis in *ead. q. ad 2. quæſitum n.6.* & 7. vbi diximus eſſe eiiciendum à Conuentu Monialium hermaphroditum, in quo ſexus maſculinus prævalet: cùm enim hic magis reputetur vir, quàm mulier, non poterit intrare, nec proinde manere intra clauſuram Monialium propter manifeſtum periculum caſtitatis & continentiæ. Idque diximus eſſe de mente Concil. Trid. Pij V. & Gregor. XIII. tanto rigore curantium de clauſura Monialium. Id quod multo clarius militat in iſto, de quo loquimur manente cum ſolo ſexu maſculino. Nunc addo aliam probationem *ex. cap. definimus* 18. *q.* 2. vbi definitur quòd non poſſint in vno Monaſterio eſſe viri cum fœminis. Sic enim citatum textum explicat Comitol. 1 *tom. Reſp. Moral. lib.* 2. *q.* 8. *num.* 5. tractans ſimilem materiam. Non verò intendit *citatum caput* (vt aliqui malè interpretantur) quod fœmina profitens in Religione virorum non ſit verè profeſſa: & è contra: ſed ſolùm quod viri Religioſi non habitent in eodem Monaſterio cum fœminis Religioſis. Et patet ex *initio citati capitis*, vbi ponitur ſtatim finis Decreti, cùm dicit. *Quia ſcandalum id, & offendiculum multis efficitur.* Quod ſcandalum, & offendicum, in hoc profeſſo eſt manifeſtum. Et non

ſolùm

ſolùm proximè adducta, ſed etiam legis epicheia dictat illum eſſe ſtatim eiiciendum Et hæc quidem duo ita clara ſunt vt vlteriore probatione non indigeant.

3 Tria verò dubia maiora inſurgunt adhuc circa iſtam profeſſionem. Primum eſt, An iſte taliter eiectus, & profeſſus teneatur ad ſeruanda tria vota eſſentialia quæ promiſit: Obedientiam ſcilicet, caſtitatem, & paupertatem? Et in hoc etiam nullum eſt dubium quin teneatur: idque euidenter etiam probatur ex dictis ſuprà in illa ſimili *q.n.9.in reſp.ad 4.quæſitum*: illæ enim omnes rationes æquè militant, & conuincunt in hoc caſu fere ſimili, quas vide à n.9. vſque ad 11.

4 Grauius dubium eſt, an iſte ſic profeſſus in Conuentu Monialium, & eiectus cum ſolo ſexu maſculino ſit obligandus vt intret Religionem virorum, vt integrè obſeruet tria vota eſſentialia quæ promiſit? Et quod non poſſit ad hoc obligari videtur probari primò, quia eiectus ab vno Ordine non tenetur intrare alium Ordinem, ad hoc vt ibi melius vota obſeruet: vt praxis communis docet: & tenet expreſsè Nauarr. *conſilio 64. de Regular.n.1.* ergo hic expulſus ab Ordine Monialium, non tenetur intrare Ordinem virorum, ad hoc vt vota obſeruet. Secundò quia votum, & iuramentum non extenduntur vltra intentionem vouentis, ac iurantis, vt diximus *citata ſupra diſput. ſimili, ad quartum quæſitum num.10.* At iſte, de quo eſt quæſtio in ſua profeſſione nullo modo intendit profiteri Ordinem virorum, ſed Ordinem mulierum: ergo deobligatus viuere in hac, propter impedimentum relatum, deobligatur ab ingreſſu Ordinis virorum, quem non promiſit. Et videtur huius ſententiæ Sanch.8.*de Matr.diſp.9.n.21.* vbi ait quod quando aliquis eiicitur ab vna Religione, quanuis ante ingreſſum illius

illius Religionis habuerit votum ſimplex Religionis: ſic iam eiectus non tenetur procurare iterum intrare Religionem ad complendum illud votum factum ante ingreſſum Religionis. Quod videtur facere ad hanc partem negatiuam. Eiuſdem opinionis videntur eſſe Doctores citati à Comitolo *cit.q.8.n.4.* qui dicunt fœminam ſimulato habitu profitentem in Religione virorum, non eſſe cogendam vt intret Ordinem Monialium: neque econtra, hominem profitentem in Religione fœminarum, cogendum eſſe intrare Ordinem virorum. Hi Doctores ſunt gloſſ. *c. tuarum. de priuilegiis.* Hugo, Bartolus, Brixianus, Oſtienſ. & alij pauci: citat verò Geminianum dicentem, quòd ſi fœmina, verb. gr. ſimulato habitu profeſſa eſt in Ordine virorum, intendens ſolum ſe obligare ad illam Religionem virorum, tunc profeſſio non obligat illam vt intret Religionem fœminarum. Si verò hoc in particulari non intendit, ſed ſolùm intendit profiteri ſtatum vitæ Religioſæ in communi, vel abſtrahendo ab hac particulari, tunc obligandam eſſe intrare Ordinem fœminarum. Per quæ omnia prædicti auctores videntur dicturi in noſtro caſu, (licèt aliquanto diſsimili) iſtum non teneri, nec poſſe obligari ad ingreſſum Religionis virorum, quia hanc nullo modo in ſua profeſsione intendit profiteri, vt conſtat. Vltimò poteſt adduci dictum D. Bernardi *in lib. de Præcepto, & diſpenſatione*, vbi loquens de obedientia impoſita Religioſo, ſic ait: *Nihil præcipiat mihi Prælatus eorum quæ non promiſi: ſubditus per legem obedientiæ non eſt cogendus vltra promiſſum, ſic ille.* At iſte taliter profeſſus non promiſit Ordinem virorum: ergo ad illam intrandam non tenetur, neque poterit obligari. Faciunt pro hoc multa alia, quæ citat Rodrig. *tom.1. qq.Reg.q.44.art.1.titul. ad argumenta*, citans D. Bonau. & D. Thom. dum dicunt

dicunt non posse Prælatum præcipere aliquid subdito quod sit supra regulam, vel supra votum. Et alia quæ ibi refert.

5 His non obstantibus, ego credo, quod iste professus sic eiectus, cum solo sexu masculo nouiter erumpente potest, ac debet cogi intrare Ordinem virorum vt in illo debitè seruet tria vota essentialia, quæ promisit. Hanc opinionem tenendam sentio tum propter multitudinem, & grauitatem Doctorum illi fauentium: tum propter facilem solutionem illorum, quæ sunt adducta in contrarium. Id quod facio, supponendo prius, vt notissimum, quod professio istius fuit valida in Conuentu Monialium, vt supra dixi, & de quo non potest dubitari.

6 Quod ergo iste cogi possit, ac debeat ingredi Monasterium virorum vt tria vota obseruet, dicturi sunt omnino illi Doctores, qui tenent fœminam professam in Ordine virorum mutato habitu, cogendam esse vt intret Ordinem fœminarum: & econtra, virum professum in Ordine Monialium habitu dissimulato, cogendum esse intrare Monasterium virorum. Quorum Doctorum intentum, & ratio principalis est, quia vterque istorum in substantia vouit Religionem trium votorum solemnium, ad quæ seruanda tenetur, si potest: & verè potest intrando distinctum Monasterium ab illo, in quo professus est. Igitur quod fœmina professa Ordinem virorum modo supradicto, & quod vir professus inter Moniales habitu simulato, cogendi sint intrare Monasterium conueniens suo sexui, & ibi viuere, affirmant multi, ac grauissimi Doctores, quos citat Comitolus *citata q.* 8. *n.* 3. Hi sunt in Summa D. Anton. Zabarella, Sylvest. Archidiaconus, Bartolus, Brixiensis, Paludanus, Angel. Tabiena, Armilla, Speculator, Glossa, *cap.* 2, *de Regular.* Et licet non om-

nes hi Doctores clarè dicant, taliter professos cogendos esse intrare Monasterium sui sexus, omnes tamen dicunt id ipsum virtualiter, dum affirmant talem professionem esse validam. Adduci etiam possunt pro hac sententia D. Bonauent. & D. Thom. citati à Rodrig. *citato art.* 1. dum dicunt posse subditum obligari ad faciendum id quod non est expressum in regula: sed tamen virtualiter continetur in regula, vel conducit valde ad seruandam regulam. Et tenet eandem opinionem Comitolus *citat. q.* 8. *nu.* 5. Facit omninò *cap. non solum, & cap. constitutionem. de Regul. in* 6. vbi definitur posse professum in vna Religione non obligari ad illam, in qua professus est: sed manere obligatum ad illam, videlicet ad Religionem in genere.

7 Rationes pro ista opinione sunt euidentes. Nam Ecclesia potest, & de facto obligauit Moniales multas ad seruandam clausuram, à tempore Bonifacij VIII. vt constat *cap.* 1. *de statu Regular. in* 6. quam tamen clausuram illarum regula non imperabat; neque Moniales tunc existentes in sua professione fuerant professæ, vt constat: & tamen potuit Ecclesia illas obligare tunc, (& hodie) ad seruandam clausuram, quam neque regula imperabat, neque illæ vouerant in professione: idque potuit, & fecit Ecclesia, quia clausura conducebat valde ad meliorem trium votorum obseruationem, quod latè explicat, & probat Rodrig. *citat. artic.* 1. Hoc autem multo magis inflitat in isto professo: de quo est quæstio. Nam primò, eius professio valida fuit cum tribus votis solemnibus, vt diximus. Secundò ad illa seruanda tenetur, vt patuit. Tertiò, Ecclesia obligans illum ad intrandum Monasterium virorum, non obligat illum ad rem difficiliorem: imò ad rem faciliorem, quàm antea promisit: nam in sua professione promisit clausuram Monialium,

quod

quod est difficilius:& intrando Monasterium virorum liberatur ab illa clausura Monialium perpetua:& sic assumit statum facilioris clausuræ,ad nutum tantùm Prælati.Secundò principaliter,quia Ecclesia obligans istum ad intrandum Monasterium virorum non obligat illum ad seruandum id quod non promisit: sed solùm obligat ad seruandum id quod promisit, videlicet ad seruanda tria vota essentialia,obedientiam,castitatem, & paupertatem. In his enim tribus tantùm consistit substantia, & perfectio Religionis, seu vitæ Euangelicæ,vt communiter Doctores affirmant explicantes rationem status Religiosi. At in clausura non consistit substantia Religionis, sed est quid illi accessorium. Quod probo duabus rationibus. Prima, quia ante illam Constitutionem Bonifacij VIII. Moniales non seruabant clausuram: & tamen erant perfectæ,& veræ Moniales. Secunda, quia professio solemnis viri, & professio solemnis fœminæ non differunt specie vt patere potest clarè ex definitione professionis tradita à Sanchez 7. *de Matrim. disputat.* 25. vbi illam innuit, dum explicat in quo consistat voti solemnitas: neque enim vna definitio professionis datur de professione viri, & altera de professione fœminæ. Cùm ergo professionis solemnis eadem sit ratio in viro, & in fœmina; & hæc consistat solùm in promissione trium votorum ordinariorum, quæ iste professus promisit, sequitur, quod si Prælatus illum obliget ad intrandum Monasterium virorum, non illum obligat faciendum quod non promisit, sed ad faciendum quod promisit, seruando scilicet tria vota essentialia, quod est principale. Seruare enim hæc in Monasterio virorum, vel mulierum est purè accessorium, nec potest auferre obligationem seruandi illa vota sub obedientia Prælati. Quod potest adhuc probari per illam regulam

Iuris, quæ ait: Accessorium sequi naturam principalis: cùm ergo seruare tria vota, vel in Ordine mulierum, vel virorum, sit accessoriũ, vt diximus &: tria vota principale, sequitur quod illud accessorium istius vel illius Monasterij debet accõmodari ipsi principali, seruando illa tria vota vbicunque sit. Tertiò principaliter probo, quia quando quis solo voto simplici in publico promisit Religionem potest cogi ab Ecclesia vt intret Religionem ex vi solius voti simplicis facti in publico, & obligat Ecclesia vt in Monasterio profiteatur vota solemnia, vt clarè tenet Henriquez *tom.2.lib.11. cap.8. num.9. littera Q.* vbi in glos. citat *cap. licet de voto*, vbi Ecclesia obligat illum qui fecit votum vltramarinum in publico, & citat alios text. & Doctores ad idem intentum: ergo multo magis poterit Ecclesia obligare istum professum vt intret Monasterium, & ibi seruet tria vota quæ publicè emisit, non simplicia, sed solemnia, cùm illa possit commodè obseruare. Denique ex solutione argumentorum constabit magis veritas, & securitas istius opinionis.

8 Ad primum argumentum, concesso antecedente neganda est consequentia: diuersa enim ratio est omnino in eiecto propter culpas ab Ordine, & in isto nostro eiecto sine vlla culpa. Primò quia eiectus ab Ordine propter culpas est nociuus Religioni, & sic non conuenit vt aliam intret, quia illi etiam nocebit: hic autem eiectus sine culpa non est nociuus Religioni alteri, & potest ac debet seruare tria vota in alio Ordine. Secundò, quia eiectus ab Ordine propter culpas est infamis, teste Rodriguez *tom.1. qq. Regul. quæst.30.art. 20. ad finem*, & proinde tanquam criminosus hodie post Bullam Sixti V. de Nouitiorum qualitatibus, in nulla Religione recipi poterit, quia criminosus est: At iste

iſte eiectus, de quo loquimur, non eiectus ob culpas, non eſt infamis, & criminoſus, ſed poteſt recipi in quauis Religione. Tertiò, quia iuxta Nau. *conſil.64.tit. de Regular.§. Et licet*, Prælatus eiiciens Religioſum ab Ordine ob culpas, illum abſoluit à Religione in communi: quod non fecit iſte Prælatus eiiciens iſtum ſine culpis: ſolùm enim videtur illum abſoluiſſe à Religione fœminarum. Ad ſecundum argumentum dicendum eſt, quòd licèt iſte obligetur ad intrandum Monaſterium virorum, eius vota præterita non extenduntur in rigore vltra intentionem illius; ſolùm enim obligatur hodie, ſeu ſolum illum obligant ad id quod verè intẽdit in profeſſione, videlicet ad ſeruãda tria vota ſolemnia ſub obedientia Prẹlati, hoc enim verè intẽdit, quod verò ſeruet illa ſub obedientia Prælati, vel Prælatæ; in Monaſterio virorum, vel mulierum, per accidens eſt, & purè acceſſorium, vt ſupra diximus: nec proinde hoc acceſſorium debet mutare naturam principalis, quæ eſt obſeruatio triũm votorum ſub obedientia Prælati. Ad id quod affertur ex Sanchez, dicendum, illum, qui ante ingreſſum Ordinis habuit votum ſimplex Religionis, poſtea eiectum non teneri intrare aliam Religionem, quia votum illud ſimplex præteritum ceſſauit, & fuit extinctum per votum ſolemnẽ Religionis per quam omnia vota ſimplicia extinguũntur. At in noſtro caſu, tria vota ſolemnia iſtius profeſſi non ſunt extincta, ſed viua, & obligant vt ſeruentur. Ad dicta aliorum Doctorum qui citantur pro opiniõne contraria, non eſt quod in particulari reſpondeamus: illis enim opponimus plures Doctores, qui pro nobis loquuntur, & non minoris authoritatis, & ſunt plures numero, vltra rationes claras pro hac opinione adductas. Illa tantùm diſtinctio Geminiani, poteſt habere aliquod dubium an ſcilicet iſte ſic vouens habuerit

expreſsè ſolam intentionem profitendi Religionem mulierum tantùm cum excluſione Religionis virorum. Si enim expreſsè intendit ſe vouere ſolam Religionem mulierum, excludendo formaliter religionem virorum, tunc fatebor illam non poſſe obligari ad intrandam Religionem virorum: tunc enim clarè locum habet illud proloquium, actus agentium non extenduntur vltra intentionem illorum. Si verò expreſsè non excluſit Religionem virorum, & aliàs tria vota eſſentialia formaliter, & expreſsè intendit, ad hæc ſeruanda obligatur. Et moraliter loquendo nunquam de illo credi poteſt habuiſſe intentionem expreſſam viuendi ſolùm in Conuentu mulierum. Facit quod tradit Sanchez *de Matrim. lib. 2. diſput. 41. numero 33.* vbi prius docet, vel potius citat multos Doctores dicentes, quod quando quis recordatur voti, ſed non recordatur qualitatis voti, & circunſtantiarum ipſius: tunc tenetur ſeruare, id quod tutius eſt. At in hoc caſu, tutius eſt iſtum intrare Monaſterium virorum ad plenè ſeruanda tria vota. Et pro hoc citat *capit. cùm delicti. de donation.* D. Thom. Cartuzian. Turrecrem. Rodriguez, Nauarr. 2. *ibidem* Sanchez dicit alios Doctores melius ſentire dicentes, in tali caſu vouentem ſolùm obligari ad id quod minus eſt, At in noſtro caſu adhuc iſte vouens ſtatum Religioſarum fœminarum, & oblitus intentionis, adhuc, inquam, intrans Monaſterium virorum eligit quod minus eſt: nam minus eſt ſeruare tria vota eſſentialia in Ordine virorum ſine voto clauſuræ, quàm eadem ſeruare in Monaſterio fœminarum cum quarto voto perpetuæ clauſuræ: ac proinde, ſaltem hac ratione, iſte ſic eiectus tenetur intrare Monaſterium virorum quod minus eſt, vt ſeruet tria vota eſſentialia. Ad vltimum D. Bern. dicendum, nihil facere contra nos:

nos:namsi hodie prælatus obliget noſtrum vouentem ad ingreſſum Monaſterij virorum, non cogitur ad id quod non promiſit, neque cogitur vltra promiſſum. Primò quia cogitur ad obſeruanda tria vota ſolemnia, quæ expreſsè promiſit. Secundò, quia etſi non promiſerit expreſſe Monaſterium virorum, promiſit tamen illud virtualiter, quatenus, pro hoc vouente, cum his circunſtantiis valde condecens eſt Monaſterium:& poteſt Eccleſia obligare aliquem ad ſeruandum id quod expreſsè non promiſit, quando id vel virtualiter erat incluſum in votis expreſsè promiſſis,vel valde conducit ad ſeruanda tria vota promiſſa,vt diximus in exemplo clauſuræ Monialium,non expreſsè contenta in aliquarum regula, ſed ſolùm virtualiter:& ſaltem nimis conducente ad obſeruationem trium votorum.Et idem in hoc caſu reperitur,quia huic noſtro vouenti ad ſeruanda tria vota eſſentialia, valde conducit Monaſterium virorum:& iſte ingreſſus fuit virtualiter incluſus in illis tribus votis expreſſis ſolemnibus. Ad dictum D. Bonauen. & D. Thom. patet ſolutio ex ſupradictis, quia vt explicat Rodriguez *artic.*1. *citat.* poteſt Prælatus aliquid præcipere ſubdito ſupra regulam,vel ſupra votum quando taliter præceptum virtualiter ſaltem includitur in ipſa regula, vel voto, vel reducitur ad ipſum votum,vel conducit ad obſeruationem ſecuriorem voti.

DVO ALIA DVBIA DE HOC taliter profitente.

9 ADhuc ſuperſunt duo dubia circa profeſſionem ſupradicti vouentis *hac vltima q.* explicatam primum:cui tradenda ſit dos,quã prius dedit Conuentui Monialium? In hoc dubio primo, inſeruiunt

omnia, quæ ſupra diximus in *ead. quæſt. in alio ſenſu in Reſponſ. ad 5. quæſitum.* Et vltra illa, hîc addo,quod in iſto caſu,iuxta opinionem quam ſequor, dicentium illum teneri intrare Monaſterium virorum, dico clarius eſſe quod dos prædicta,(deductis expenſis dandis Monaſterio Monialium pro tempore quo ibi vixit) reliquum dotis puto dandum Monaſterio virorum quod fuerit ingreſſus , ſi ſit capax dotis , ſaltem per modum eleemoſynæ. Neque enim videtur cum æquitate congruere,vt dos vel reſiduum illius maneat apud Moniales,vt illæ diteſcant cum caſu fortuito,vel quaſi fortuito alterius.Maximè cùm,vt ſupra dixi,quando Monialis relegatur adConuentum alterum Monialium propter culpas , conuentus profeſſionis tenetur alimenta miniſtrare illi Moniali in conuentu , vbi eſt relegata. Hic autem profitens non fuit relegatus, neque eiectus propter culpas ad Conuentum virorum : & ideo habet maius ius ad repetendam dotem,vel partem illius pro ſui ſuſtentatione in Monaſterio virorum.

10 Vltimum dubium, & non modicum eſt:an ſi iſte taliter eiectus à Conuentu fœminarum, intret Monaſterium virorum,poſſit promoueri ad Ordines Sacros. Dubium in terminis non vidi apud aliquem reſolutum. Solùm ſcio hermaphroditum non poſſe promoueri ad Ordines teſte Sylu.*ver.Hermaphroditus*,ſed iſte, de quo loquimur,non eſt hermaphroditus,ſolùm enim habet ſexum maſculinum,vt ſupponimus.Ego pro reſolutione dico, (ſaluo meliori iudicio) quod ſi iſte de quo loquimur,euaſit perfectè maſculus iudicio Medicorum,& peritorum,ita vt ſimpliciter dici poſſit virin tali caſu poterit ad Sacros Ordines promoueri , non obſtante quòd prius fuerit fœmina. Ducor hoc exemplo. Si quis impotens ad coitum per naturam , & proinde inhabilis ad matrimonium, poſtea per artem,vel medi

medicinas, vel per naturam efficiatur potens ad coitum, poterit contrahere matrimonium non obstante impedimento priori, quod iam cessauit, vt omnes fatẽtur in materia matrimonij. Ergo à simili, licet iste, de quo loquimur, qui erat ante professionem fœmina, & proinde inhabilis ad Ordines Sacros, processu temporis operante natura (quæ sicut in prima natiuitate facit masculum, vel fœminam, ita facit postea cursu temporis in aliquibus, vt diximus) si, inquam, postea operante natura, vel Deo, euasit verus masculus, & cessauit impedimentum sexus fœminei, videtur nullum subesse impedimentum quin possit ad Ordines promoueri, cùm sit verè masculus, & cessauerit illud impedimentum fœminei sexus.

Ex dictis colligitur quàm piè, ac prudenter egerit quidam Prouincialis Ordinis Minorum in Hispania paucis ab hinc annis: qui cùm in quodam Conuentu Fratrum reperisset quandam fœminam adolescentem mutato habitu sub nomine Donati seruientem in illo Conuentu Fratrum per quatuor annos, cum nimia simplicitate, deuotione, vigiliis, & oratione, ac pœnitentia, idque semper intra clausuram virorum, re comperta, Prouincialis sciens illam reliquisse domum patris, eo quòd illam volebat matrimonio tradere, & illa recusans, virginitatem Deo offerret: His omnibus compertis, attenta rei nouitate, ac pietate, Prouincialis fecit iliam admitti in Conuentu Monialium in oppido Pontis Vedræ, vbi professa solemniter vocata est, Maria de Sancto Antonio: & viuebat cum magna opinione sanctitatis Anno 1611. Hæc omnia cum aliis circunstantiis valde notabilibus habentur in quarta parte Chron. Franciscanæ *lib.4.cap.40.f.274.*

PROVINCIA, PROuincialis.

Vide ſupra verbo *Prælatus. numero* 4. *& toto illo verbo.*

1 IN ordine Minorum per Bullam Apoſtolicam prohibitum eſt ne prouincia noua erigatur, aut iam erecta extinguatur; vel mutetur abſque ſpeciali licentia ſedis Apoſtolicæ. Sic Nicolaus IV. apud Rodrig. *tom.* 3. *quæſt.* 43. *articul.* 1. Et ſi aliquid in contrarium fiat, ſit irritum & inane. Si verò Minorita per perſonam aliquam extra Ordinem procurat vt diuidatur, vel vniatur aliqua prouincia eſt excommunicatus & priuatus actibus legitimis. Statuta General. Salmantic. ann. 1553.

2 Circa prouinciam incidit quæſtio an Generalis de poteſtate abſoluta poſſit incorporare vnum Fratrem de alia prouincia, in iſta prouincia eiuſdem Ordinis. abſque conſenſu prouinciæ illius cui incorporatur? Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.* 52. *art.* 23. tenet quod talis incorporatio non eſt iuridica, neque conformis iuri, & gloſſæ quam citat. Et noſtra ſtatuta generalia Tolletana requirunt conſenſum prouinciæ admittentis: ibi tamen permittunt Generali, vt id poſſit facere pro graui, & notoria cauſa.

3 Pro officio Prouincialis, vide ſupra *ver. Prælatus*, & *verb. Abbas*, & *verb. Diſpenſare*. Ibi enim continentur multa pertinentia ad illum. Sufficit in communi dicere quod in ſua prouincia in foro conſcientiæ poteſt per ſe ipſum omnia quæ poſſunt Epiſcopi in eodem foro quo ad ſuos ſubditos.

4 Prouincialis in Ordine Minorum poteſt eligi extra

corpus

corpus Capituli. Sic tenet praxis, & Rodrig. *tom.2. quæst.52.art.6.*

5 Si Prouincialis in Ordine Minorum non eligatur intra ſpatium viginti quatuor horarum ab hora in qua fuit inchoata electio, ob diſcordiam eligentium; præſes electionis poteſt nominare Prouincialem, quem voluerit, Clementina *exiit de paradiſo, de verbor. ſignif.* Et idem poſſe fieri in electione Prælatorum inferiorum decernunt ſtatuta generalia Tolletana. *titul. de electione.* Et proinde idem dic de electione Abbatiſſæ.

6 Prouincialis in ſuo Capitulo de conſenſu maioris partis Capituli poteſt declarare an debeant fratres vti aliquo priuilegio Pontificio, vel viuæ vocis oraculo. Et illi declarationi ſtandum eſſe omnino, Leo X. conceſſit *in ſupplemento conceſſione 296.*

Conſulantur Regulæ, ſtatutáve Religionum, de modo eligendi, & de tempore quo durant Prouinciales: ac de cæteris ad illius officium ſpectantibus. Hoc enim non eſt meum recenſere.

An Prouinciales in Ordine Minorum poſſint delegare poteſtatem recipiendi Nouitios, vide ſupra *verb. Prælatus num. 3.*

ADDITIO.

Vide ſupra verb. *Prælatus. num.3.* & verb. *Officia.* & verb. *Annus, &c.* Vbi dicitur quandiu duret officium, &c.

1 PRo Ordine Minorum duo ſe offerunt aduertenda, circa Prouinciales, primum ſit: Quando illi exeunt à Prouincia ad Capitulum generale, vel ad aliud negotium neceſſarium, cui debeant

commendare regimen Prouinciæ, vt ſuo loco gubernet? Duo ſunt ſtatuta generalia hac de re diſponentia. Primum eſt Barcinonenſe Tolleti reformatum *titulo de Commiſſariis Prouinciarum in fine*, vbi dicitur, quod ſi Prouincialis moriatur, vel à Prouincia exierit: vel aliqua alia ratione vacauerit, tunc ſit Commiſſarius prouinciæ ille religioſus cui ex prouinciæ ſtatuto id fuerit decretum: quia tamen multæ prouinciæ nihil particulare in hoc caſu ſtatuerunt, aliud ſtatutum generale Romanum anno 1587. *tit. pro prouinciis Hiſpaniæ* decreuit, quod Prouincialis iturus ad Capitulum generale, vel aliud negotium extra prouinciam, conuocet Diffinitores, quorum ſuffragiis eligatur is cui maior pars ſuffragiorum acceſſerit. Et hoc ſtatutum Romanum vltimum ſeruatur in praxi. Sed tamen vt vides in eo non agitur de Prouinciali mortuo, quis nam, vel quomodo defuncto ſubrogandus ſit.

2 Eſt ergo hac de re particulare ſtatutum generale Salmanticenſe anno 1553. *tit. de Miniſtris Prouincialibus. §. Si muriere.* Vbi ſtatuitur quod Guardianus in cuius Conuentu Prouincialis obierit, conuocet Diffinitores, & patres qui fuerunt Prouinciales, quorum omnium ſuffragiis eligatur Vicarius Prouincialis: Ita tamen vt prædictus Guardianus, vel præſes Conuentus habeant ſuffragium actiuum, & paſſiuum in illa electione. Limitat tamen ſtatutum, quod talis electio non celebretur niſi de conſenſu Miniſtri, vel Commiſſarij generalis. Inſuper declarat quòd ſcripta, & alia ſpectantia ad officium Prouincialis mortui, ſeruet ſecretarius prouinciæ, eadem traditurus futuro vicario Prouinciali. Et hoc ſtatutum ſeruandum eſſe cenſeo: valde enim conſonat cum alio Ordinis circa electionem vicarij Generalis mortuo Generali.

3 Cir

9 Circa id tamen quod limitat dictum ſtatutum, ne talis electio celebretur inconſultis Prælatis Generalibus, credo non prohibere quod prædicti electores electionem ſtatim faciant. Si enim hoc vellet, non ſufficienter lex prouideret incommodis ortis ex defectu Prælati mortui. Nam ſi Prælati Generales longè diſtent, vt ſolent, & illorum conſenſus eſſet expectandus, vt tales electores eligerent vicarium Prouincialem, multi caſus poſſent interea occurrere, quibus ſuccurri non poteſt deficiente Prælato in Prouincia. Addo quod ſtatutum in principio dicit quod eligant: ergo non poteſt credi quod in ſecunda limitatione ſibi contradicat, dicendo quod non eligant. Credo ergo quod ſolùm vult vt prædicta electio non celebretur inconſultis Prælatis generalibus, id eſt, non habeatur rata, ſeu electus vicarius non ſit confirmatus antequam Prælatus Generalis monitus, ratum habeat. Sed credo vicarium ſic electum ſtatim poſſe gubernare. Sic enim faciunt aliquæ Religiones quæ eligunt Prouincialem abſente Generali: qui electus Prouincialis ſtatim officium exercet, expectans tamen confirmationem Generalis. Et ſic etiam fit in electione vicarij Generalis Minorum. Electores enim ſtatim eligunt inconſulto Papa: & electus ſtatim gubernat expectans confirmationem Papæ. At nouiſſimè Congregatio Segouiæ *verb. Commiſſarius Prouinciæ in finè*, id remittit conſuetudini Prouinciarum, & illi ſtandum eſt. Vide *citato verbo fol. 129. in Latinis editionibus.*

4 Taliter electus vicarius Prouincialis mortuo, vel abſente Prouinciali, habet iuriſdictionem ordinariam non delegatam. Probatur, quia habet poteſtatem à lege, ſi eligitur ad formam ſtatutorum citatorum: ac proinde poterit illam delegare. Secus ſi Prouincialis

lis exiens à Prouincia, per se solùm alicui commendaret regimen illius: tunc enim hic solùm haberet iurisdictionem delegatam, quia illam accipit ab homine: vide supra *verb. Prælati potestas.*

3 Quæris adhuc pro Ordine Minorum an talis vicarius Prouincialis possit recipere Nouitios, durante sibi officio? & videtur quod non: Nam regula Minorum expresse dicit solos Prouinciales, & non alios debere Nouitios ad Ordinem recipere. Patet ex illis verbis regulæ *secundo capitul.* vbi patet noster Franciscus loquens de Ministris prouincialibus sic ait. *Quibus solummodo, & non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur.* Sic ibi. Quæ verba satis clara sunt, & per illa videtur, quod solis Ministris prouincialibus id committitur, qui propriè loquendo sint prouinciales, vicarius autem prouincialis, non est prouincialis. Saluo tamen meliori iudicio, credo prædictum vicarium prouincialem posse recipere Nouitios si eligatur secundùm statuta generalia prædicta. Neque obstat regula patris N.Franc. nam ille attendit solùm ad casus ordinarios, viuente scilicet prouinciali, & non exeunte à prouincia. Si enim aduerteret ad casus fortuitos, & contingentes ordinarios, staret legibus, ac doctrinæ doctorum explicantium: Neque enim regula nostra debet contradicere, lumini naturali, & dictis doctorum. Quo posito, probo meum intentum, quod talis Vicarius Prouincialis possit recipere Nouitios. Nam sic electus habet omnem potestatem, quam habeat prouincialis, cui succedit: sed prouincialis poterat recipere Nouitios, vt patet: ergo, & Vicarius prouincialis illi succedens, eos potest recipere. Minor, & consequentia patent. probo maiorem, videlicet, Vicarium istum prouincialem posse illa omnia quæ

pot

poterat prouincialis. Nam ſubrogatus, ſeu ſubſtitutus habet omnem iuriſdictionem, quam habebat is pro quo ſubſtituitur, vel ſubrogatur. Tenet expreſſe Gloſſa *capitis Eccleſia*, 1. *de ſequeſtratione. verbo ſucceſſerunt.* vbi dicit rem ſubrogatam, ſubire omnes conditiones rei cui ſubrogatur, & clarius id tenet Nauarro *in Conſiliis lib.* 3. *titulo de Regularibus conſilio* 76. *num.* 6. Vbi ait ſubrogatum ſapere naturam eius cui ſubrogatur. Et citat *l. cum quia* §. *iniuriarum ff. ſi quia*. & *cap. citatum Eccleſia*, & colligitur clarè ex Regula 46. *de Regul. iuris in* 6. vbi dicitur ſic. Is qui in ius ſuccedit alterius eo iure, quo ille, vti debebit. Et probo exemplo clariſſimo. Nam quando moritur Generalis in Ordine Minorum, Vicarius Generalis electus iuxta formam præſcriptam ab eiſdem ſtatutis Tolletanis Reformatis habet omnem poteſtatem, ſicut habebat Generalis cui ſubſtituitur, vt vidimus noſtris temporibus in Ordine Minorum. Ergo Vicarius prouincialis electus iuxta eadem ſtatuta generalia habebit omnem iuriſdictionem quam habebat prouincialis cui ſubrogatur. At prouincialis poterat recipere Nouitios. ergo, & vicarius prouincialis, qui illi ſubrogatur.

6 Clemens VIII. in Bullario Rodrigu. *fol.* 1209. Motu proprio prohibuit Minoritis prælatis in India Occidentali ne in Prouincialem eligatur aliquis Frater qui non ſit filius Prouinciæ, vel per Prælatos ſuperiores in tali Prouincia fuerint incorporati. Quod ſolùm obligat in partibus illius Indiæ ob cauſas in dicto Motu proprio allegatas. Nam in Hiſpania oppoſitum vidi fieri ob cauſas iuſtas: Imò, & ſcio fieri in Italia, vt aliquando eligatur Prouincialis extraneæ prouinciæ.

ADDITIO AD ADDITIONEM.

SOlent in aliquibus Religionibus, maximè Franciſcana ante finitum triennium, mitti Viſitatores ad viſitandam Prouinciam, & ſyndicandum Prouincialem, de illius culpis inquirendo. Quandiu verò prædictus viſitat Prouinciam totum regimen Prouinciæ ſpectat ad ipſum Viſitatorem, & Prouincialis interim abſque regimine externo ordinario manet in Conuentu à ſe electo. Vidi aliquando dubitari quid poſſit facere, vel non facere prædictus Prouincialis quandiu viſitat Syndicator. Ad tollenda dubia aliquid de hoc dicam ex ſtatutis generalibus Ordinis: & inſimul dicam quomodo, ac de quibus culpis ſit puniendus. Quæ licet in particulari pertineant magis ad Prouinciales, Minorum ſyndicandos: multum tamen proderunt, fortaſſe, pro Prælatis etiam aliorum Ordinum.

1 Notandum eſt igitur duplicem dari iuriſdictionem: altera vocatur iuriſdictio contentioſa, altera dicitur voluntaria. Contentioſa eſt, quæ habet contradictorem, & inter contradictores exercetur, & redditur in inuitos: & dicitur contentioſa quia actor contendit contra reum. Et hæc etiam dicitur neceſſaria, quia reus vocatus in iudicium tenetur reſpondere. Iuriſdictio voluntaria eſt quæ ſolùm exercetur in ſubditos volentes, & non contendentes cum aliquo, neque confertur in inuitos. Exemplum ſit abſolutio Sacramentalis, diſpenſatio voti, irregularitatis, & ſimilia quæ ſine contentione, & citatione iuridica exercentur. Differentia verò eſt, quod Prælatus nequit exercere ſuam iuriſdictionem contentioſam extra ſuum territorium exiſtens, ne faciat iniuriam Prælato alieni

Digitized by Google

ni territorij, citando partes, erigendo Tribunal, &c. At iurisdictio voluntaria potest à Prælato vbique exerceri, quia per hoc non facit iniuriam Prælato alieni territorij, cùm neque partes citet, neque Tribunal erigat, neque sedeat pro Tribunali. Hæc omnia inter alios bene explicat Sanchez citans multos Doctores,& textus, *in lib 3. de Matrim. disput. 19. à num. 7. & seqq.*

2 Noto secundò, Prouincialem Minorum tempore syndicationis in rigore non esse suspensum ab officio ea suspensione quæ est censura Ecclesiastica, cuius violatione incurritur irregularitas: non, inquam, sic est suspensus: cùm adhuc apud se retineat sigillum maius sui officij: neque adhuc sit electus nouus Prouincialis. Ac proinde durante syndicatione poterit aliquam functionem validè exercere ratione sigilli maioris quod retinet. His positis.

3 Dico primò. Minister Prouincialis Minorum durante syndicatione, poterit facere illa omnia quæ statuta Ordinis prohibent ne faciat Visitator quandiu visitat Prouinciam, quæ verò sint hæc statim dico. Hæc probatur euidenter ex legis Epichea, æquitate, & prouidentia: nam si statuta Ordinis prohibent ne Visitator recipiat Nouitios, vel Nouitias, ne instituat Confessores, neque det licentiam ad Ordines, &c. Et hæc cùm sint necessaria Prouinciæ, eo ipso quod interdicuntur Visitatori, conceduntur Prouinciali durante syndicatione: aliàs non esset sufficienter prouisum bono communi Prouinciæ, cùm per tres, vel quatuor menses nemo posset exequi supradicta. Quæ ergo interdicuntur Visitatori ne faciat, & proinde manent concessa Prouinciali vt faciat, habentur in statuto generali Segouiens. *titulo de Visitatoribus Prouinciarum*, sunt: Ne Nouitios recipiat, (& credo quod

neque

neque Nouitias) ne instituant Confessores etiam Fratrum, neque Prædicatores, neque dent licentiam ad Ordines recipiendos, neque se intromittant in distribuendis libris, ac rebus Fratrum morientium, neque mutare, vel dare cellas Monialium, vel dare licentiam ædificandi, vel destruendi aliquod ædificium ipsarum: neque se intromittere in dotibus illarum. Quæ omnia cùm Visitatoridenegentur, videntur proinde concessa Prouinciali siquidem ad bonum regimen Prouinciæ debet aliquis esse qui occurrat illis necessitatibus occurrentibus. Declaro tamen quod in Confessoribus sæcularium instituendis, & Prædicatoris officio concedendo Minister Prouincialis est alligatus alio statuto generali, cuius formam seruare debet.

4 Dico secundò, quòd durante syndicatione posset Prouincialis exercere vt plurimum iurisdictionem voluntariam cum subditis, maximè in spiritualibus verb.grat.poterit absoluere subditum à reseruatis, vel delegare authoritatem vt absoluatur: & à censuris absolui in foro conscientiæ: dispensare in votis, irregularitate, & similibus. Probo primò, quia si statuta generalia declarant quod auctoritas ad absoluendum à reseruatis per vnum Prouincialem concessa alicui Fratri particulari durat in illo quoadusque sit electus alius Prouincialis, etiamsi mortuus iam sit ipse concedens, à fortiori hæc iurisdictio voluntaria in spiritualibus, & pro foro interno, manebit in ipso Prouinciali non obstante syndicatione. Secundò probatur, quia exercitium huius iurisdictionis voluntariæ dispensando, absoluendo, &c. non facit iniuriam Visitatori, neque impedit eius officium visitandi, neque turbat illius officium siue Tribunal, vt patet: ergo hæc omnia facere poterit. Concordat Sanchez

lib.3.

lib.3.de Matrim. disp.8 n.5. dum ait Ordinarium extra Diœcesim posse dispensare, prout ibi vide.

5 Dixi *posse Prouincialem vt plurimum, durante syndicatione exercere iurisdictionem voluntariam*, quia si aliqua spectantia ad iurisdictionem voluntariam impediant, ac turbent officium Visitatoris, hæc non poterit facere. Huiusmodi est transferre vnum Fratrem de vno Conuentu ad alium, vel illi dare licentiam eundi ad aliquem locum remotum ita vt non possit interesse visitationi: hæc, inquam, & similia non poterit facere, tum quia praxis est in contrarium: tum quia per hoc impeditur officium Visitatoris. Poterit tamen ex Conuentu in quo est per breue tempus dare licentiam alicui Fratri vt vadat ad certum negotium, & statim redeat, non impediendo per hoc officium Visitatoris.

6 Dico tertiò. Non potest Prouincialis durante syndicatione exercere iurisdictionem contentiosam in nulla causa. Hæc patet ex supradictis, quia per hoc facit iniuriam Visitatori, & se intromittit in pertinentibus ad eius officium, cui commissæ sunt omnes causæ religiosæ Prouinciæ durante syndicatione. Vnde si durante syndicatione, in Conuentu quo Prouincialis residet, contingat casus de quo indigeat fieri processum, & citare testes, talem processum non potest facere Prouincialis, sed debet remittere Visitatori, vel Guardiano ob causam proximè dictam. Poterit tamen Prouincialis in Capitulo, vel refectorio absoluere apostatam, hoc enim fit sine processu, sine tribunali, neque per hoc fit iniuria Visitatori. Et per hæc puto sufficienter manet explicatum quid dicendum sit de aliis casibus minoribus occurrentibus tempore syndicationis. Cæteri Religiosi diuersorum Ordinum consulant suas Constitutiones, consuetudinésve, & fortè

aliqua ex ſupradictis illis inſeruient. Qui plura voluerit conſulat Sanchez *cit.diſp.*8.*&* 19.

7 Quod attinet ad ſecundum principale, de modo quo inquiri debeat de culpis Prouincialis: dico primò, Viſitator non debet recipere viſitationem de culpis minimis commiſſis à Prouincialibus, vel de illis articulos illi dare. Tenet Rodrig.4. *tom. Sum.ver. Viſitatio, concl.*2. Et melius Giacharis *tract. de ſyndicatu* poſito in fine operum Iulij Clari *num.*43.*&* *ſeqq.* vbi ait Iudices ſyndicatos non teneri, niſi de rebus grauibus, vt de dolo,& barataria, vel ſimilibus. Et *n.*47. aſſignat hanc cauſam dicens. Et contra illos ſcrupuloſa omnis inquiſitio reiicitur: aliàs frangeretur neruus iuſtitiæ, authoritaſque iudicum deprimeretur, & vileſceret: & in officio ſucceſſores lento gradu procederent. ſic ille. Nam ſi de leuibus punirentur, ſucceſſores Prælati videntes rigorem ſyndicationis, deterrerentur etiam aliquando à faciendis rebus licitis. Addit Rodrig. *citat.concl.* Prælatos eſſe etiam homines, & humanos, neque poſſe in omnibus ſcopum attingere. Et tam Rodrig. quàm Giacharius citant multos text. & Doctores, quos vide. Ait tamen Rodriguez *citat. verb. concluſ.*4. in Religionibus ſtrictis, & arctioribus poſſe facilius Prælatos puniri de culpis leuioribus ad arbitrium Superioris: quia ſi hæ culpæ in illis Religionibus diſſimularentur, perfectus rigor illius Ordinis, vel Prouinciæ perderetur.

8 Addit Baiardus Additionator, ſeu commentator Iulij Clari *q.*83. *n.*7. *&* 8. quod Iudices non ſyndicantur de ſententiis malè latis: & citat Grammat. & Bertaz. Ratio eſſe poteſt, quia ſi deſit dolus poterit bona fides iudicem excuſare,& niſi probetur dolo feciſſe, vel probetur ſententiam continere clarum, & intolerabilem errorem non poterit de illa ſententia puniri: homo enim

enim est,qui falli,& errare poterit.Addit Giacharis *cit. tract. num.*116. in syndicatione non esse deferendum testibus qui simul testificantur,& querelantur.Hi enim querelantes suspecti sunt,vt patet. Addit *num.*162.non debere puniri syndicatum iudicem si animo corrigendi aliquid iniuriosum protulit. Et *num.*193. ait in dubio præsumendum esse bene de Prelato iurisdictonem exercente, pro quo citat tres graues Doctores: denique alia dicit *citat.tractat.* quæ poteris videre ad hunc finem.

9 Possunt etiam addi ex Rodrig. *in Addit.ad Summ. tom.3. ver. Dilectos cap.*103. *concl.*5. vbi dicit non posse priuari Prouincialem, vel Guardianum suo officio propter delictum,si constet illud commisisse sine dolo etiamsi illud fecerit cum culpa lata. Vide ibi citatos Doctores, & rationes. Secundò addi potest quod habet idem Rodrig.*cit.ver.Visitatio,in Add.concl.*3. quod scilicet testes producti contra Prælatos, debent esse probatissimi,& omni exceptione maiores: & proinde probationes contra illos debent esse clarissimæ. Probatur,quia cùm ius bene præsumat de Prælatis,& Magistratibus:cùm item iudices in iudicando non possint non lædere multos, & proinde Prælati sint positi tanquam album ad sagittam:ad vincendam illam bonam opinionem habitam de Prælatis à iure, & vitandas suspectas querelas ordinarias contra ipsos, necessarium est, vt & testes,ac probationes contra ipsos sint qualificati testes,& clarissimæ probationes.

10 Addit Rodr. *ibid.concl.*4.non posse alicui Prælato exhiberi articulum vt respondeat de aliqua culpa, si hæc probata solùm est per vnum testem, etiam occultum,& hoc intelligit non debere fieri,si fiat cũ animo illũ puniendi.Poterit tamen talis articulus vno tantùm teste probatus, illi exhiberi vt ille Prælatus se possit

purgare. Denique in hoc negotio ſeruandæ ſunt aliæ regulæ Ordinis iudiciarij, de quo dixi ſufficienter ſupra, *ver. Correctio*, &c. Et diſputant alij recentiores etiam vſque ad tædium, & prolixitatem, ſaltem in materia Religioſorum, qui ſeruatis apicibus, & prolixitate iuris non poſſunt habere quietem, & aliquando neque perfectionem.

Vt tandem ſciatur quot periculis, querelis, & calumniis ſint obiecti Prælati in ſyndicatione: pro colophone, hîc infero verba Ciceronis, qui in oratione pro Flacco, ita eleganter dicit ad intentum. *O conditiones miſeras adminiſtrandarum Prouinciarum! vbi ſeueritas periculoſa: libertas ingrata: ſermo inſidioſus: aſſentatio perniciosa; frons omnium familiaris, multorum animus iratus: iracundiæ occultæ, inſidiæ apertæ, venientes Prætores expectant: præſentibus inſeruiunt: abeuntes deſerunt.* Sic ille, ſatis verè, & ad intentum. Quæ omnia ſyndicator conſiderare debet, vt liberet oppreſſum Prælatum in re ſaltem dubia. Secus in delictis clarè probatis, & grauibus: in his enim ſi diſſimulet, & peccabit grauiter, contra iuſtitiam, & nocebit ſatis communitati, dum delicta manent impunita, & malis laxantur habenæ.

QVARTA FVNERALIS.

Vide ſupra *littera C. ver. Canonica portio*; quia hæc ambo coincidunt.

REDDITVS ANNVALES.

TItulus iſte ſolùm in gratiam Minorum Fratrum poſitus eſt. In quo non quæro an prædicti Fratres poſſint habere redditus annuales in communi: iam enim

enim dixi supra *verbo Legatum*, & infra *verbo Testamentum.* illos, neque peculium posse habere in reditu annuali. Et constat ex declarationibus Nicolai III. & Clem.V. illos non posse habere tales reditus annuales.

Quod ergo quæro est, de quo vidi iam sæpius Minoritas aliquos inquietari. Videlicet, an Guardianus ex horto Conuentus qui est in vsu, & possessione, & cultura Fratrum possit de messe ordeacea intra septa collecta facere triturам, & collectum ordeum seruare pro iumentis Conuentus? Item an ex oliuis, vel vitibus intra Conuentus septa existentibus possit colligere vinum, & oleum pro vsu Fratrum vuas, & baccas premendo? De hoc enim in particulari proposita est quæstio iam Clementi V. *Clement. exiui. de verborum signif.* Quod scilicet Fratres Minores haberent alicubi excessiuos hortos, & vineas magnas de quibus tam de oleribus, quàm de vino multum colligitur ad vendendum. Habetur in *dicta Clement. post medium.*

Quo non obstante ego credo tria illa prædicta posse fieri à Guardiano Conuentus salua obligatione paupertatis, neque in aliquo illorum contraire declarationibus Pontificiis, vel regulæ puritati dummodo prædicta tria fiant, & colligantur ex horto ordinario Conuentus: non de aliquo horto extra Conuentum, quem illi fortè agricolis colendum tradunt.

Probo primò ex declaratione eiusdem Clement.V. *citata Clementina* paulo post citata verba respondentis ad dubium sibi propositum, §. *Licèt verò.* Vbi postquam ait conueniens esse vt Minoritæ habeant hortos & areas competentes ad recreationem sui, atque ad habēda necessaria hortalitia pro se ipsis: subdit. *Habere tamen hortos aliquos vt colãtur, ac olera & alia hortalitia*

vendantur, & pretio distrahantur, nec non & vineas repugnat suæ regulæ, & Ordinis puritati. Sic ibi. In quibus verbis clarè, solùm prohibet haberi hortos, vel vineas vt ex illis collecta pretio vendantur. Ergo si prædicta ex hortis collecta non colligantur vt vendantur, sed vt fratrum victui, seu iumentis Conuentus applicentur, nullo modo Fratribus prohibentur. Secundò extat particularis Concessio Gregor. XIII. in Bullario Rodrig. *fol.* 1103. *col.* 1. *num.* 5. vbi sic conceditur. *Quod cùm aliqui Conuentus nostri, præsertim ex illis qui fuerunt Amadeorum, & Clarenorum, habent vineas intra septa Conuentuum ex quibus colligunt singulis annis vinum, quod non videtur conuenire puritati regulæ & professionis nostræ, possimus illas tenere, & illis vti pro serenitate conscientiæ, &c.* Et *ibid.* §. *si atim sequenti* cõceditur in hunc modum, *Quod Syndicus possit vendere fœnum quod colligitur in pratis nostris, & conuertere pretium in alias res Conuentibus, & Fratribus necessarias.* Ecce clarè conceditur vt possint Minoritæ facere vinum ex hortis, seu vineis quas possident. Neque obstat, vel dubium ingerit, quod ait Greg. Papa in concessione, præsertim de Conuentibus, qui fuerunt Amadeorum: illa enim particula, *Præsertim*, non limitat quod solùm id fiat in illis Conuentibus, qui fuerunt Amadeorum, sed solum vult, quod in illis præcipuè, quod non tollit quin possit fieri in aliis: vt iam diximus supra in simili casu; pro quo vide Sanchez *libr.* 6. *de Matrimon. disput.* 22. *num.* 18. vltra quas concessiones, ego idem probo ex praxi simili. Constat Minoritas ex hortis aliquibus spatiosis colligere fabas siccas, & similia legumina in magna quantitate, quæ seruant pro victu totius anni, & nemo in hoc dubitat: colligunt etiam vuas in quantitate, quas appensas parieti per longum tempus conseruant. Sepas item, allia, & similia, quæ seruant pro victu fere totius anni,

anni, neque in hoc est scrupulus aliquis: cur ergo non poterunt seruare ordeum collectum ex horto, oleum, vel similia pro vsu Fratrum, & necessitate Conuentus, si ista colligunt non vt vendant, & colligunt ex hortis ordinariis per se ipsos cultis.

REGVLA RELIGIONVM.

AZor. *tom.* 1. *libr.* 13. *capit.* 11. *quæstion.* 15. quæstionem mouet, an Regula alicuius Religionis possit per contrarium vsum saltem in parte abrogari. Citat aliquos dicentes non posse, quia Regula continet principaliter tria vota, & his similia: vota autem non possunt abrogari consuetudine. Citat alios tenentes id fieri posse, & probant, quia si consuetudo humana habet vim vt per contrarium vsum leges Pontificias tollat, etiam poterit efficere vt per contrarium vsum pars aliqua regulæ abrogetur. Vis enim Regulæ oritur ex confirmatione Papæ, quæ est lex positiua humana.

Ipse Azor. sic distinguit, vt dicat vota contenta in Regula quæ sunt essentialia, & illa quæ directè pertinent ad votorum explicationem, & conseruationem, non posse abrogari per contrarium vsum. Illa verò in Regula contenta quæ solùm sunt constitutiones, seu leges fundatoris, posse aliquando abrogari per contrarium vsum, sunt enim leges humanæ etiam anthoritate Papæ stabilitæ, quæ proinde possunt abrogari per contrarium vsum sicut leges positiuæ Ecclesiæ, vt dicebat secunda opinio. Hoc vltim scio quod Regula Minorum videtur nunquam posse abrogari: cùm singulis hebdomadis legatur Feria sexta in Communitate, nec possint eius præcepta in desuetudinem abire. Leguntur etiam bis in anno Declarationes pontificum

circa eandem Regulam. Inuigilant etiam Prælati in visitationibus ordinariis primò inquirentes an Regula obseruetur, & semper puniunt, vel emendant transgressores prout limites prudentiæ permittunt.

RELIGIO, ET TRANSITVS AD aliam Religionem.

Vide infra verb. *Votum*, & verb. *Religiosus*.

1 ALiud est Religionem vnam esse perfectiorem: aliud est esse illam strictiorem seu asperiorem. Religionis perfectio sumitur à meliori, ac perfectiori fine contemplatiuæ scilicet vitæ, vel actiuæ per exercitium virtutum perfectiorum. At Religionis strictio, & asperitas sumitur ex asperioribus, & strictioribus actionibus vitæ corporalis, in quibus de ordinario exercetur, vt à maiori ieiunio, silentio, cilicio, &c. Vnde poterit contingere vt vna Religio sit strictior, & asperior altera: sed altera minus stricta, sit nihilominus perfectior, quia habet meliorem ac perfectiorem finem, & exercitium virtutum perfectiorum. Vnde D. Bonauentura *in quæstionibus super Regulam Fratrum Minorum q.* 12. dicit Ordinem Minorum esse perfectiorem aliis omnibus, quia licèt alij sint strictiores non tamen sunt perfectiores; quia vt probat ex 1. ad Timoth. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, &c.* Id est, est minus perfecta quàm alia exercitia spiritualia perfectiorum virtutum. Et perfectio vitæ Christi Domini, non fuit sumpta ex actionibus asperioribus, & maioribus ieiuniis: sed ex meliori fine vitæ scilicet contemplatiuæ, & actiuæ cum exercitio meliorum virtutum. vide *num. seqq.*

2 Quia tamen probare in particulari, quę esset Religio

gio perfectior, foret difficilimum ob tam varios fines tot Religionum, imò foret pene odiosum, ob varias lites, & rationes quibus vnaquæque suam perfectionem ostenderet: idcirco Ecclesia ex maiori asperitate, quæ clarior est, supponitque maiorem perfectionem, probabiliter, & decreuit, ad Ordinem Cartusiensium, cùm sit asperior, & strictior in abstinentia, cilicio, clausura, & similibus, posse transire quoscumque alios Religiosos: idque petita prius licentia à suis prælatis, etiam non obtenta. Id est, tenere prius petere licentium transeundi ad Cartusiam: si verò negetur, illa negatione non obstante possint transire ad illam. Ita habetur expresse in *cap. licet de Regular.* de quo statim. Quando verò D. Bonauent. supra citatus *quæst.* 13. dixit in foro conscientiæ non posse transiri de Ordine Minorum ad aliam Religionem absque licentia Sedis Apostolicæ, id dixit ex vi nostræ Regulæ, quæ 2. *capite* prohibet ne Fratres exeant ab isto Ordine, iuxta mandatum domini papæ. Cùm verò addit D. Bonauen. *absque licentia Sedis Apostolicæ* iam non contradicit iuri canonico quod est factum à Sede Apostolica. D. autem Bonauentura non vidit extrauagantem *viam ambitiosæ*, Martini V. qui post illum fuit, & in illa extrauaganti rem acrius decreuit.

Ac proinde dicendum est etiam in foro interno, & externo posse Minoritam transire ad Cartusiam tanquam strictiorem. Vt patet ex *citato cap. licet*, & *citata extrauag. viam ambitiosæ*: & Rodriguez *tom.* 3. *quæst.* 51. *artic.* 1. Est autem Cartusia, vt diximus, strictior aliis tum ob iam dicta: tum etiam quia licèt aliquæ Religiones abstineant à carnibus tempore sanitatis, nihilominus possunt illas manducare tempore infirmitatis, quales sunt Minimi, & Moniales primæ Regulæ S. Claræ. At Cartusienses, neque

in morbo lethali possunt vllam carnem manducare ex præcepto Regulæ, quæ est suprema abstinentia cum cæteris asperitatibus vitæ illius. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 2. & 14.

3 Posito ergo quod de quauis Religione potest transiri ad Cartusiam tanquam strictiorem petita prius, etiam non obtenta licentia: solùm aduerto dictum D. Thom. 2. 2 *quæst.* 89. *artic.* 8. vbi ait in hunc modum. Transitus de vno Ordine ad alium nisi propter magnam vtilitatem, & necessitatem, non est laudabilis: quia ij Religiosi offendi solent qui deseruntur: tum etiam quia facilius, & commodius proficit quis in Religione in qua assuefactus fuit. Sic ille.

4 Licentia transeundi ad Cartusianos, sufficit quod petatur à Prælato Conuentuali, Guardiano scilicet, Priori, & similibus. Isti enim simpliciter, & verè dicuntur Prælati, vt supra diximus, *verbo Prælatus*, sic tenet Azor. *citat. cap. quæstio.* 7. At Rodriguez *tom.* 3. *quæstion.* 52. *articul.* 3. probabilius tenet quod sit petenda à Prouinciali. Sicut enim hic solus potest recipere ad Ordinem, ita etiam ille solus dare poterit licentiam exeundi ab Ordine. Et citat ad hoc alios. Sed standum erit consuetudini Religionis.

5 Eodem modo potest quiuis Religiosus transire ad alium Ordinem strictiorem suo, etiamsi non sit Cartusia, petita pariter, etiam non obtenta licentia. Habetur eodem *cap. licèt*, quia illic de omni Ordine loquitur. Et idem habetur in aliis locis. Et Rodriguez *tom.* 3. *quæst.* 52. *articul.* 3. Excipiuntur tamen Ordines Mendicantes, qui non possunt transire ad alium non Mendicantem. Sic in extrauagan. *viam ambitiosæ. de Regular.* idque sub excommunicatione lata contra receptos, & recipientes. Alij verò non Mendicantes possunt transire de vno Ordine non Mendicante ad alium

alium non Mendicantem ſtrictiorem, atque etiam ad alium Mendicantem. At Mendicantes ad ſolos Mendicantes ſtrictiores poſſunt tranſire. Azor. *citat. cap. quæſt.* 12. At licèt Cartuſia ſit Ordo non Mendicans, ad illam tamen poſſunt Mendicantes tranſire: excipitur enim in *dicta extrauagan. & dicto cap. licet. de Regular.* Addit verò Rodriguez *citato articul.* 3. ſufficere licentiam petitam, & non obtentam, vt res fiat licitè in foro interno, & externo: quia ſi requireretur obtenta, non ſatis bene prouideret Papa aſpiranti ad maiorem perfectionem: quia Prælati de ordinario non concedunt licentiam hanc libenter, putantes ſuam Religionem detrimentum honoris pati, vel quid ſimile. Huic adde quod neque profeſſi ex Societate Ieſu anno ſecundo abſque ſolemnitate, cùm ſolum habeant vota ſimplicia, non poſſunt tranſire ad alium Ordinem non Mendicantem, vt citati Doctores explicant, excepta Cartuſia. Rodr. *tom.* 3. *q.* 52. *art.* 15.

6 In *dicto cap. licet de Regular.* ponuntur aliquæ conditiones ſeruandæ, vt ſit licitus hic tranſitus petita, & non obtenta licentia. Prima eſt vt non fiat hoc fictè aut leuiter: ſed animo melioris vitæ. Vnde ſi fiat alio reſpectu temporali, non licebit, & erit peccatum. Vt ſi fiat odio, ira, vel vt magis ſuccurrat parentibus, vel quid ſimile. Secunda, ne fiat cum detrimento Ordinis à quo receditur. Vnde ſi volens tranſire ſit fortè Doctor inſignis, vel in aliqua arte peritiſſimus; ac denique perſona valde notabilis, videtur quod non poterit tranſire, eſt enim hoc cum iactura Ordinis relicti. Tertia eſt vt Religio ad quam tranſit ſit ſtrictior, non ſolùm ex Regula, ſed ex conſtitutionibus: quia poteſt contingere vt vna Religio ſit ſtrictior in vno, & laxior in alio, & proinde penſatis omnibus debet abſolutè eſſe ſtrictior. Azor. *citat. cap.* 14. *q.* 3.

7 In

7 In omnibus prædictis casibus circa strictiorem religionem possunt Generales, & Prouinciales dare licentiam subditis transeundi cum prædictis supra limitationibus, idque absque alia licentia Papæ. Est certissima ex dictis. Et Azor. *quæstione* 9. Si verò subditus non petat licentiam à Prælato eundi, ad strictiorem Ordinem, non potest recipi, & professio ibi facta est nulla, quia fit contra ius. Neque sufficit, quod petat postquam strictiorem intrauit, quia ius Canonicum expresse iubet, vt petatur prius. Et si non petierit, potest Prælatus reuocare talem professum.

8 Omnia supradicta intelligi etiam possunt de transitu Monialium, vt scilicet, possint transire ad aliam religionem strictiorem de licentia Prælatorum. Tenet, ac probat Rodriguez *quæstione* 52. *citato tomo* 3. *articul.* 6. *& in Addition. Summæ, capite* 113. *numero* 5. *tomo* 4. Excepto, quod non poterunt exire ratione clausuræ: at obtenta licentia dicit posse. Vnde innuit posse Prouincialem Minorum transferre Monialem secundæ Regulæ Sanctæ Claræ, ad Moniales primæ Regulæ eiusdem Sanctæ Claræ, quia hæ viuunt in Regula, & vita asperiore. Ego rem puto impossibilem. Quia imprimis ius canonicum omnino, & clarè solùm loquitur de religiosis viris, non de Monialibus. Secundò, quia inde multæ perturbationes quotidie orirentur. Tertiò, quia hodie scio S. Dominum nostrum Paulum V. sæpius rogatum noluisse dare licentiam vt Monialis ex Ordine D. Bernardi transiret ad Moniales Sanctæ Claræ primæ Regulæ, vulgo Capucinas. Et præterea ipse Rodriguez ait, non posse id fieri absque licentia Papæ propter clausuram.

9 Pius V. in Bulla quæ incipit, *quæcumque sacrarum de non recipiendis in aliquo Ordine Fratribus alterius Ordinis*, non contradicit hactenus dictis: solùm enim prohibet ne recipiantur Fratres fugitiui alterius Ordinis, qui veniunt extra formam iuris communis. Rodriguez *cit. quæst. art.* 8.

10 Quid si vna Religio habet priuilegium vt nullus Religiosus talis Ordinis, transeat ad alium Ordinem etiam strictiorem nisi petita, & obtenta licentia sui Prælati, vel Capituli Generalis, vt habet Ordo Sancti Benedicti in Hispania per Eugenium IV. & Sancti Hieronym. in Hispan. in suo Compend. *verbo Transitus ad alium Ordinem per totum?* Concessum est enim Benedictinis ne sui Monachi transeant ad alium Ordinem quemcumque, nisi obtenta licentia Papæ, vel Generalis, vel sui Conuentus cum Abbate, vt citat Rodriguez *citata quæstione* 52. *articul.* 10. Et Collector priuilegiorum Sancti Benedicti apud Rodriguez ait neque ad Cartusianos posse Benedictinos transire: aliàs excommunicatur transiens, & prælatus recipiens. Et pari modo audio alias etiam Religiones esse munitas, similibus Bullis Pontificiis. Quæris inquam tunc, an hæ Bullæ particulares derogent iuri communi citato in duobus supra capitibus: an verò his particularibus Bullis standum sit: ac dicendum, quod Fratres talis Ordinis non possunt transire nisi petita, & obtenta licentia?

In hac re Azor. *citato capit.* 14. *quæstione* 4. & Nauarr. *lib.* 3. *Consil. titul. de Regular. consil.* 59. & Sà *in Aphorism. verbo Religio. numero* 37. tenent, quòd illæ prohibitiones Pontificum per Bullas particulares solùm inseruiunt vt transitus non fiat temerè, leuiter, vel cum damno Ordinis omissi: si enim

con

constet nihil horum interuenire, dictæ Bullæ non impediunt (ait Azor.) At Rodriguez cum quo sentio, *citato artic.20.& 22.* credit quod stante tali Bulla particulari non potest Religiosus ad aliumOrdinem transire nisi petita, & obtenta licentia. Nam Pontifices successores bene norunt ius commune, maximè in re tam clara: & tamen illi iuri volunt derogare in his Bullis, vt possunt, & vt sæpe faciunt in multis priuilegiis concedendis derogando clarè iuri communi: & Pontifices in his Bullis particularibus clarissimè loquuntur, vt prius petatur, & obtineatur licentia: ac proinde non oportet nos Iudices esse mentis illorum quando verba clara sunt. Secundò moueor ob Declarationem Cardinalium citatam à Rodriguez *ad finem citati articul.ex lib. Romæ impresso*, per quam declaratum fuit generaliter circa omnes Religiosos quod transitus ad parem, vel strictiorem Ordinem non fiat nisi causa cognita transeuntis de vitæ, ac morum ratione, idque ex approbatione Capituli Generalis. Quod fuit certè conueniens ad amputandam fortè occasionem euagandi.

11 Vltimò dico quod, si illud priuilegium Benedictinorum stat in suo robore, vt stare credo; eodem priuilegio gaudent Minoritæ, & cæteri communicantes cum Benedictinis: ac proinde illorum communicantium Religiosi non possunt transire ad alium Ordinem strictiorem nisi seruatis conditionibus positis supra §. *Vel.numero* 10. petita scilicet & obtenta licentia modo ibi expositò. Et proinde cessabunt multæ aliæ quæstiones de petita, & non obtenta licentia.

Hoc solùm aduerto, peccare mortaliter Prælatum qui absque causa, non dat licentiam subdito petenti eundi ad Ordinem strictiorem, id enim satis exprimi-

tur

tur in *citato cap.licèt.de Regular.* vbi ait prælatos ad illam dandam teneri. Vide *ibi.*

12 Nullus Prelatus dare potest licentiam subdito vt transeat ad Ordinem laxiorem. Est expressa in Tridentin. *sessione.25. de Regular. cap.19.* Et in hoc solus papa dispensat, licèt enim Rodriguez *citata quæst. 52. articul.9.* dicat ex Nauarr. posse prælatum cum causa iusta dare licentiam subdito vt transeat ad Ordinem laxiorem: ego puto non posse, quia Tridentinum absolutè, ac resolutè loquitur, ac prohibet. Et quando causa iusta detur, melius est, & securius vt papa resoluat, quàm prælatus cui prohibetur. Et Rodriguez dictum retractat *Addit.ad Sum.tom.4.cap. 113.num.7.*

13 Quando dubium fuerit an Religio ad quam petitur transitus sit strictior, vel non: tunc non est standum dicto Fratris petentis, neque Prælati negantis, sed alterius viri prudentis arbitrio, ad quem prouocari potest. Azor. *quæst.5.cit.cap.14.*

14 De transitu ad parem Religionem iam supra dixi ex Rodrig. declarasse Cardinales id fieri non posse nisi de licentia Capituli generalis, cui declarationi standum puto. Quod si aliquis dicat dictam declarationem non esse authenticam, vel non habere vim legis in foro externo iuxta supradicta, *verb. Cardinalium declarationes*: tunc poterit Generalis vel prouincialis dare dictam licentiam ob iustam causam, ac legitimam, & hac deficiente non poterunt, vt ait Azor. *quæst.9.* & Rodrig. *art.9.* vbi inter alias causas assignat subuentionem parentum in graui necessitate: & persecutionem grauem passam in Ordine absque causa. Et aliæ similes dari poterunt arbitrio prudentis. Vide etiam pro his causis Rodrig. *tom.4. Addit. Sum.cap. 113. concl.1.*

Hic

Digitized by Google

Hic etiam aduerto, quod (vt puto) Prælati Minoritæ non poterunt dare hanc licentiam ad parem Religionem: quia ex præcepto Regulæ non possunt Fratres Minores exire de ista Religione, vt habetur *cap.* 2. & dixit D. Bonau. *quæst.* 13. *supra citata*. Quod si ad strictiorem possunt transire, illud est quia ius commune ita disponit: quod ius commune est supra Regulam nostram: at ius commune *citatis duobus locis* id non permittit clarè de transitu ad Ordinem parem: sed in hoc submitto me prudentiorum iudicio.

15 Quanuis Ordo Minorum de Obseruantia, & Ordo Capucinorum in Italia sit idem omnino Ordo in substantia cum eadem Regula, non tamen possunt Capucini recipere Fratres Minores de Obseruantia absque licentia in scriptis Ministrorum Prouincialium de Obseruantia; idque sub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad officia Ordinis. Possunt tamen prædicti Capucini recipere discalciatos, siue reformatos Hispaniæ obtenta licentia in scriptis Prælatorum, Capucini item non possunt recipere Fratres Minimos: neque è contra hi Capucinos. Neque item Minimi possunt recipere Fratres Minores. Pro omnibus hîc dictis, vide Capucinum ad Compendium *verb. Recipere.* §. *Pariter hic.* & §. *Item in anno.* & Rodrig. *citat. quæst.* 52. *art.* 21.

16 Si aliquis ex Mendicantibus cum licentia Papæ, transeat ad Ordinem non Mendicantem, in illa non Mendicante non potest obtinere aliquod officium, siue administrationem, etiam vicariatus, vel similem *Clementina vt professores. de Regularibus.*

17 Religiosus apostata, in apostasia non potest transire ad aliam Religionem æqualem absque licentia sui Prælati (consule tamen supradicta) nisi in casu quo diuertit ad prouincias remotissimas in quibus non

sunt

sunt Conuentus sui Ordinis, neque alterius strictioris, neque datur commodum impetrandi aliam licentiam:tunc enim poterit:semper tamen si poterit debet recurrere ad suum Ordinem.Rodriguez *citato cap.*113. *num.*13.

18 Votum factum de non transeundo ad aliam Religionem strictiorem est nullum, & illo non obstante datur transitus,est enim impeditiuum maioris boni.Est certa in materia de voto. An verò Prælatus possit dispensare cum voto subditi sic vouentis,vide supra *ver. Dispensare.n.*11.& infra *verb.Votum n.*3.

BONA TRANSEVNTIVM DE vno Ordine ad alium.

1 QVatuor in locis tractat Rodriguez de bonis transeuntis de vno Ordine ad alium, cuius nam sint. Primò in *tomo* 2.*quæst.*79.*articul.*2. Et secundò, in *tomo* 3. *quæstio.*52. *articul.*27. Tertiò in *Addit. Summ. tom.*4. *cap.*53. *numer. vltim.* & quartò *eod. tom. cap.*113. *num.*17. Et quibus omnibus locis vix aliquid certum colligi poterit ad rem præsentem, variè enim satis loquitur.

2 Ego cum Nau.in *Consil.libr.*3.*tit.de Regular. primæ impressionis, consil.*14. ductus ipsius efficacibus rationibus dicendum puto, quod validè professus in vno Ordine,& licitè translatus ad alium,non potest secum deferre bona immobilia, vel mobilia, quomodocumque quæsita, siue per hæreditatem, siue per industriam, siue per donationem. Ratio Nauarri est, quia quæcumque acquirit Monachus sunt Monasterij, vt patet in iure, ergo quouis modo acquisita in primo Monasterio, illi debentur. Potest firmari exemplo serui, quem cùm prior dominus vendit,non vendit cum illo

illa quæ ſeruus antea eidem priori domino acquiſiuit: in hoc enim pares ſunt Religioſi, ac ſerui, iuxta communem Doctorum opinionem. Secundò probo, quia priuilegium à Papa non conceditur cum damno tertij, & proinde conceſſa facultas eundi ad alium Ordinem non debet intelligi cum damno Prioris Monaſterij, cuius erant iam illa bona.

Vnde tenet *ibi* Nau. nõ poſſe Religioſum ſic tranſlatum deferre ſecum ſua ſcripta ſuo tantùm labore parta: niſi quando eſſent inutilia priori Religioni: ſecus ſi eſſent vtilia. Ac denique non poſſe deferre, niſi illa quæ prælatus primæ Religionis conceſſerit. Et hoc in Summa conceſſit Eugenius IV. Patribus Sanct. Hieronym. in Hiſpan. *in Compend. ipſorum ver. Bona temporalia.* §. 5. Et probatur amplius ex dictis *verb. Bona*, & *verb. Epiſcopus.* Si enim bona Religioſi aſſumpti ad Epiſcopatum, vt ibi diximus, pertinent ad Ordinem ſuum, neque poteſt illa deferre ad Epiſcopatum, etiam neque libros: videtur quod neque Religioſus aſſumptus vel tranſlatus ad alium Ordinem aliquid ſecum deferre poterit.

Vnde ſuſtineri non poteſt quod ait Rodrig. *priori loco Addit. citato*, videlicet quod quando Monachus tranſit de Ordine laxiore ad ſtrictiorem, & in ſtrictiori profitetur, omnia bona acquiſita in primo Monaſterio pertinent ad ſecundum Monaſterium. Gloſſa verò iuris quam ibi pro ſe citat Rodrig. *in cap. ſi quis* 16. *quæſt.* 1. nihil dicit pro illo. De lege verò *Authent. ibi citata* non curo, quia leges canonicæ oppoſitum innuunt, quando dicunt Monachum acquirere Monaſterio: & Doctores Theologi oppoſitum clarè docent; vt vidimus in Nauarro Canoniſta. In aliis tribus locis citatis, parum diſtat Rodrig. à Nau. & quaſi cum illo concordat in ſubſtantia.

Dixi.

Digitized by Google

Dixi, *si translatus sit validè professus in primo Ordine*, quia si eius professio fuit inualida in primo Ordine, omnia bona illius pertinent ad secundum Ordinem: imò de illis poterit facere ad libitum, si absque adiutorio primi Ordinis sunt acquisita. Patet, quia primus Ordo solùm iure professionis validæ, poterat acquirere ius in bonis Nouitij. Cùm ergo hæc vera professio defuerit, deest illi ius circa bona illius. Cumque ad secundum Ordinem transiens sit tunc purè sæcularis, poterit disponere de bonis suis ad libitum. Dixi *si absque industria primæ Religionis acquisiuit*: nam imprimis donata gratis à prima Religione portare non poterit, vt libros, & similia. Neque item illa, quæ computato seruitio eius, & dato fauore, & industria primi Ordinis censebuntur pro rata magis pertinere ad Ordinem. Vt si cum officio publico quod habebat acquisiuit à sæcularibus, vel Religiosis bona particularia mobilia: hæc enim intuitu officij data, censentur Religioni donata; & neque hæc professus nulliter videtur secum deportaturus.

Prædictum etiam intellige de Religioso licitè translato; nam si transeat absque licentia debita, iuxta prædicta, indebitè transit, & nulliter transit, ac proinde tunc clarius constat prædicta bona esse primi Monasterij.

3 Postquam aliquis Religiosus legitimè translatus est ad secundum Ordinem, & professus in illo, omnia tunc ibi quæsita per illum, siue per hæreditatem, siue per donationem, siue industriam sunt secundi Ordinis, & secundi Monasterij, vide Veg. Minim. 2. *par. Sum. c.* 50. *casu* 7. vbi etiam dicit cum communi, quod si Monachus transferatur ad aliud Monasterium eiusdem, vel alterius Ordinis tanquam relegatus ad faciendam pœnitentiam, primum Monasterium tenetur illi dare

alimenta, quod idem diximus supra de Monialibus. At in Conuentibus Minoritarum hæc non obligant: cùm enim ex eleemosynis sustententur, non solent huius modi prouentus, & ratiocinia procurare.

RELIGIOSVS, SEV Regularis.

Vide proximè citato verb. *Religio.* & ver. *Obedientia*, & ver. *Prælatus*, &c. & ver. *Tertiarij. num.* 4.

1 REligiosus seu Regularis propriè loquendo est ille, qui tria vota essentialia promittit in Religione approbata. Quando verò iura, & Bullæ loquuntur absolutè, & propriè de Regularibus, nihil addendo, intelliguntur omnes prædicti, quia tria vota emiserunt in Religione approbata. Et sub hoc nomine intelliguntur etiam Milites Sancti Ioannis Hierosol. sunt enim veri Religiosi, & Regulares, cùm promittant castitatem absolutè non coniugalem. Rodrig. *tom.* 2. *quæst.* 2. *art.* 7.

2 Nauar. *libr.* 3. *Consil. titul. de conuers. coniug. consil.* 1. *num.* 3. *& libr.* 1. *titul. de his quæ vi metúsve caus. consil.* 5. *numer.* 6. affirmat etiam alias Militares Religiones, esse veras Religiones, & ita tenendum est ob rationem proximè datam, & tenet Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 1. *art.* 6. vbi dicit hos Religiosos maximè Sancti Ioan. Hierosolym. comprehendi sub nomine Religiosorum in fauorabilibus: non verò in pœnalibus, seu pœnis ob priuilegium concessum eisdem Militibus Sancti Ioann. ibi citatum.

3 Peccatum Religiosi si fiat contra id ad quod tenetur ex voto, grauius est quàm peccatum sæcularis, ratione circumstantiæ voti, vt constat clarissimè. At si

peccet

peccet Religioſus extra materiam voti, vt plurimum eius peccatum non eſt æquè graue ac peccatum ſæcularis. Tenet Plato *de bono ſtatus Relig. l.3 c.24.§.Sed pertinet*, ex Diu. Chryſ. & D.Th. At Chryſ. ſolùm ait peccatum Religioſi cæteris paribus non eſſe maius peccato ſæcularis. At D.Thom. 1.2.*q.73.art.vlt.* ait cæteris paribus eſſe minus graue. Et D.Baſilius *ibi* citatus idem ait. Ratio eſt, quia vt plurimum peccatum Religioſi non fit ex habitu, ſed caſu, & repentè, & proinde habet minus de voluntario. Præterea vt plurimum peccat cum timore pœnæ, famæ, Prælati, quæ omnia minuunt voluntarium in actu peccati; & hæc omnia, vt plurimum, econtra accidunt in peccato ſæcularium, quorum peccatum, ſeu iniquitas prodit quaſi ex adipe, iuxta Dauid in Pſalmis, ſed de hoc alij.

4 Religioſi peccantes contra Regulam etiam poſſunt excuſari, per bonam fidem credentes in hoc caſu, & rebus vt nunc; cum tali circunſtantia, ſibi hoc licere, quod non eſt clarè contra lumen naturale: vt non recitare modò Officium diuinum, non ieiunare, & ſic de cæteris. Regula enim vt plurimum eſt ius poſitiuum. Poſſunt etiam aliquando in eadem materia per inaduertentiam excuſari, hæc enim etiam aliquando in rebus naturalibus locum habet. Item propter grauem neceſſitatem, ſi ſit lex poſitiua tantùm, & ſic de cæteris ad arbitrium prudentis, ac pij viri: non enim tenentur rigoroſius ſeruare regulam quàm legem Dei in cuius obſeruatione habent locum proximè dicta. Rodr. *tom. 3.q.64.art.2.*

5 Religioſus ex Ordine Mendicantium non poteſt eſſe Vicarius Generalis Epiſcopi, idque præcipuè prohibetur Minoritis. Az. 2.*tom.lib.3.c.43.q.10.* poterit verò ſi fuerit ex Ordine non Mendicanti, *ibid.* Prouiſor verò Epiſcopi, quod eſt officium diſtinctum à Vicario

Generali poterit Mendicans exercere: vt praxis docet, quia prouisor Episcopi non habet lites illas, ac strepitus forenses censurarum,&c. Scio tamen quod Bernar. de Bust. 1. *par. Serm. in ferm.* 7. *Conceptionis fol.* 27. refert quendam Fratrem Nicolaum de Padua Minoritam fuisse Vicarium Generalem Episcopi Tantini in Lombardia.

6 Possunt Religiosi esse testes in causis criminalibus, & ciuilibus, Fratrum sui Monasterij pro, & contra, quando per alios testes res probari non potest excepta causa capitis. *cap. veniens 2. de testibus in fine*: & est communis in praxi. Et idem potest vna Monialis in causa alterius Monialis. Rodrig. *Addit. ad Sum. tom.* 4. *c.* 150. *concl.* 3. Dixi *excepta causa capitis*, quia in hac nunquam Religiosus potest esse testis maximè contra reum ob periculum irregularitatis.

7 Potest sæcularis esse testis contra Religiosum & Clericum, quando desunt testes Religiosi. Notat tamen Rodrig. *Addit. Sum. tom.* 4. *cap.* 150. *concl.* 4. Quod testes sæculares contra Religiosum, de ordinario non facient plenam probationem, sed solùm ad torturam, propter odium vt plurimum suppositum in sæcularibus contra Fratres (odium dico, id est, dissensionem absque peccato) & Clericos. Ego tamen hoc non teneo, supposito enim quod sæculares testes sunt admittendi, & sæculares fuerint timorati, cur duo testes sæculares non valebunt æquè ac duo Religiosi? maximè cùm vt plurimum sint deuoti Religiosorum. Examinati ergo testes sæculares idem facient quod Religiosi: neque puto Rodriguez ab hoc dissentire qui non loquitur absolutè.

8 Religiosi in Indiis possunt esse Parochi, propter Bullas Pontificum id concedentes, maximè Pij V. Gregor. XIII. quid id concesserunt: ita vt possint ibi bapti

baptizare cum oleo benedicto, post quatuor annos: cùm apud nos extra Indos non possit dari baptismus, nisi cum oleo benedicto illius anni. Et hoc intelligo de Indiis Occidentalibus, nam Orientales videant quid possint per suas concessiones particulares. Rodrig. *Additio. ad Summ. tomo 3. cap. 26. numer. 8. & in suo Bullar. fol. 889.*

9 Religiosus degens intra clausstrum non potest citari ob debita coram suo conseruatore. Rodrig. *Addit. tom. 3. cap. 68. num. 3.*

10 Lex quæ priuat aliquem hæreditate si intrauerit Religionem, est iniusta, & non valet. Est enim impeditiua libertatis Ecclesiasticæ, & boni Religionis. Bartol. *l. final. numero 4. Cod. de pactis*, & est communis Iuristarum.

11 Religiosus nobilis amittit nobilitatem politicam, & ciuilem: & poni potest ad torturam ad quam in sæculo poni non poterat. Si verò tradatur Curiæ sæculari puniendus, debet puniri vt nobilis. Rodrig. *Addit. tom. 4. c. 57. num. 2. & 3.*

12 Possunt Religiosi per communicationem priuilegiorum Benedictinorum quando sunt in itinere in die ieiunij mane parum comedere, per modum collationis, & ad noctem prandere. Azor. *tom. 1. cap. 29. §. in Compendio.*

13 Qui reuocauit aliquem ne fieret Religiosus, sine vi, aut dolo, & ob causam iustam, quia scilicet carebat salute, viribus, &c. non peccauit si causa fuit iusta: nec tenetur restituere Religioni. Secus si vi, dolo, aut iniustè fiat: tunc enim peccat mortaliter, sed non tenetur restituere Religioni vt ipse intret Ordinem pro ablato, quia Ordinis ingressus est liber, ac difficilimus. Si enim sit aliàs aptus, & voluntarius, tenetur facere.

14 Religioſus parochus alicuius Eccleſiæ pertinentis ad Epiſcopum, ſi deliquerit in rebus pertinentibus ad officium, poteſt puniri ab ipſo Epiſcopo, non verò à Superiori: in culpis verò extra officium punietur à Superiori. *cap.1.de priuileg. in 6. §.eos.& cap.cum capella. extra de priuilegiis.* Et colligitur ex Tridentino *ſeſſ.24. cap.11.de refor.*

ADDITIO.

Vide ſupra verb.*Obedientia.* & ver.*Prælatus.* & quæ diximus ſupra *hoc eodem verb.*

1 RODrig.in *Sum.1.tom.concluſion.5.*tenet poſſe licitè vnum Religioſum donare alteri Religioſo ſui Conuentus aliquem librum,cuius pretium æſtimetur quinque ducatorum.Vega Minimus *in Sum.ver.Religioſus caſu* 29.in hoc valde dubitat:ſed limitat ad pretium quinque regalium Hiſpanorum. Rodrig. tamen ſtatim excipit Religioſum Minoritam, cui tale licere non poteſt.Et ego cum Rodrig. in hoc conſentio. Pro aliis Religionibus videat vnuſquiſque ſuas conſtitutiones, & antiquas conſuetudines toleratas. Permutare verò libros pro aliis apud ſæculares etiam cum lucro pro Ordine, ait *ibidem* Vega licere Religioſo: ſed bene etiam excipit Rodriguez *tom.2. Summ. capite* 31. *concluſio.3.* hoc non licere Minoritæ abſque expreſſa licentia Prælati, & interueniente Syndico, qui eſt Procurator Papæ ad permutationes faciendas circa res Conuentuum, & Fratrum Minorum.

2 Religioſus,vel Monialis non poſſunt remittere infamiam,ſeu iniuriam ſibi irrogatam iniuſtè,maximè ſi irrogetur à ſæculari.Nam illa infamia redundat in totã

Reli

Religionem : ac proinde ſi remittat, non valet remiſſio : & Prælatus poteſt procedere contra infamatorem, & ſubditus ſic remittendo peccat. Sayro *Clau. Reg. lib.* 11. *cap.*7. *num.*15. Vbi ait tunc Prælatum ſolum poſſe illam remittere ſi videat ſic magis expedire & poterit remittere etiam non remittente ſubdito : nam iniuria illa magis fit Ordini, quàm perſonæ, quemadmodum ab oppoſito quando Religioſus à ſæculari honoratur magis honoratur eo quod Religioſus eſt, quàm ex eo quod talis perſona ſit. Citat etiam Petr. Nauarr. *lib.*2. *de Reſtit. cap.*4. *p.*3. *dub.*7. Ibidem ait non poſſe Prælatum remittere iniuriam notabilem ſibi illatam redundantem in dedecus Ordinis, & ſuum proprium, nec remiſſionem factam valere : ſed poſſe procedere contra infamatorem iudicem illum, ad quem ſpectat procedere. Et habetur *cap. Parochianos. de ſentent. excommunicat.*

3 Religioſos teneri ad vota publica facta ab aliquo populo, in quo viuunt : tenet Sanchez 3. *Decalog. cap.*15. *num.*21. & Vaſq.1.2. *q.*16. *diſp.*167. *n.*33. Vt ſi, ver. grat. populus ob vitandam peſtem, vel ſimilem neceſſitatem vouit tali die ieiunandum, vel ab operibus ſeruilibus ceſſandum : tenentur Religioſi illius populi ad illa duo. Probatur, quia Religioſi ſunt vicini illius populi, & membra illius ac proinde publicum votum cenſetur emitti de conſenſu illius populi. Maximè quia accedit conſenſus Epiſcopi votum illud confirmantis.

4 Is quì habet votum ſimplex Religionis non ſatisfacit voto aſſumendo habitum, & profitendo in Ordine Equitum Sancti Ioannis. Nam etiamſi illi verè ſint Religioſi caſtitatem abſolutam promittentes : tamen is qui vouet Religionem, communiter loquēdo, non intēdit, niſi viuere in clauſura, & in communitate

viuendo quietè, & dimiſſo ſæculi tumultu, quod prædicti Equites non habent. Secus dicendum ſi vouens Religionem illam in particulari proponeret. Ita Corduba *in Sum. q.* 148. Addens quod vouens Religionem abſolutè ſatisfaceret voto intrando Conuentum Clericorum viuentium in Communitate alicuius Ordinis Militaris; ſunt enim viri Religioſi, viuentes in communitate. Tenet idem Sanchez 4. *Decalog. cap.* 16. *num.* 12.

RELIQVIÆ SANCTORVM.

QVoniam præ cæteris Religioſi procurant & vtuntur Reliquiis illas geſtando: & ſæpius circa illas & Sanctorum non canonizatorum venerationem interrogantur, viſum fuit aliqua circa hoc in medium proferre.

1 Dans Reliquias falſas alicui peccat mortaliter, ſi id faciat ſcienter, & eſt peccatum falſarij. Si verò hoc faciat ratione lucri etiam committit ſimoniam. Nauar. *cap.* 17. *in Sum. num.* 169. Rodr. *in Sum. tom.* 1. *cap.* 177. & alij. Et quidem de peccato mortali non eſt dubitandum, cùm ſit falſitas in re grauiſſima. Quod verò ſit peccatum ſimoniæ: multum dubito: nam iſte dans Reliquias falſas, quæ verè non ſunt Reliquiæ, non dat rem ſpiritualem, ſed temporalem pro re temporali, vt patet. Niſi fortè velis dicere quod illius peccatum eſt ſimonia in intentione, ſeu intentionalis, quod non eſt propriè ſimonia, niſi in intentione conſiſtens: quæ tamen pertinet ad peccatum ſimoniæ.

2 Negantes Sanctorum Reliquias eſſe venerandas deducendi ſunt ad Tribunal S. Officij. Eſt enim purus error hæreticorum: pro quo ſufficit legere Concil. Trid.

Digitized by Google

Trid. *seſſ.25.in decreto de Reliquiis, & veneratione Sanctorum.* Vbi idem Concilium, vltra alia prohibet omnino quæſtum ſimoniacum quæſitum ex Reliquiis: cuius hæc ſunt verba: *In Reliquiarum veneratione, omnis turpis quæſtus eliminetur.*

3 Huius rei gratia, quæris an ſit peccatum ſimoniæ, quod fit aliquando etiam apud Regulares, ponere in publico loco reliquias venerandas propter lucrum oblationum inde prouenientium? partem affirmatiuam tenet Abbas *cap. fin. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum in princ. notab* 1. Angelus *verb. Reliquiæ in princ.* & ibi Sylueſt. *q.*1. Azor. *tom.*1: *lib.*9. *cap.*8. *q.*7. Graffis 2.*p.deciſ.lib.*2. *cap.*14.*n.*7. Hoc autem limitant aliqui Doctores dicentes eſſe ſimoniam, quando tales Reliquiæ exponuntur in publico ob quæſtum, ſi talis quæſtus temporalis ſit principale intentum illius oſtenſionis, vel expoſitionis. Secus ſi principale intentum ſit cultus Sanctorum in gloriam Dei, & lucrum temporale ſit minus intentum, Hi Doctores ſunt Armilla *verb. Reliquiæ num.*1. & Tabiena *ibidem.* Nauarr. *Sum. Latina cap.*17.*n.*196. & alij. Ad illum modum quo Clericus vadens ad chorum principaliter propter lucrum temporale, eſt ſimoniacus: ſecus ſi lucrum illud eſt ibi cauſa minus principalis, ſeu conditio ſine qua non. Et hæc limitatio clara, & ſecura eſt. At Sanchez *lib.*2. *Decalog. cap.*43. *num.*22. adhuc rem magis excuſat, etiamſi in iſta Reliquiarum expoſitione, principale intentum ſit lucrum temporale, non eſſe ſimoniam, niſi quando illud lucrum ſperatur vt pretium illius oſtenſionis: tunc enim eſt quædam quaſi venditio: ſi verò tale lucrum non ita ſperetur vt pretium venditionis, ſed tanquam ſuſtentatio congrua ibi laborantis, non erit ſimonia: quia *cap. fin.* [illegible], & Tridentin. *citato loco* quando prohibent

hibent Reliquias venales oſtendere, intelligunt quando quæſtus, ſeu oblationes deducuntur in pretium ſub pacto vt ſi diceretur: propone Reliquias in publico; reddemus tantum: vel quando proponens Reliquias principaliter lucrum prætenderet tanquam pretium oſtenſionis.

4 Non datur in iure aliqua excommunicatio poſita contra furantes Reliquias. Suarez *tom.5. in 3. p. diſput. 22. ſect.2. num.9.* erit tamen peccatum mortale pro qualitate materiæ: immo & ſacrilegium, cùm ſit res ſpiritualis: ſi verò Reliquiæ intra Eccleſiam poſitæ aufferantur, erit maius ſacrilegium, cùm ſit furtum rei ſacræ, de loco ſacro.

5 Quæris, an furari paruulam Reliquiam ſit peccatum mortale: an verò ob paruitatem materiæ ſit tantum veniale, cùm paruitas materiæ excuſet à mortali Nauar. *ſuper Extrauag. de datis pro Iuſt. notab.10. n.20. & lib.5. Conſil. primæ edit. titul. de Simonia conſil.52. num.3.* & Suarez *tom.1. de Relig. lib.4. cap.3. num.5.* tenet vendere Reliquiam etiam paruulam eſſe peccatum mortale ſimoniæ, quia etiam illa paruula materia habet totam rationem venerationis, & in re ſacra, quoad peccatum ſimoniæ non datur paruitas materiæ, quæcunque enim particula ſacra eſt. Ex qua reſolutione videtur dicendum, etiam furtum paruulæ Reliquiæ eſſe peccatum mortale ob rationes proximè dictas, vtrobique enim eſt eadem ratio. Sed fortè dici poteſt probabiliter furtum Reliquiæ paruulæ excuſari à mortali ob paruitatem materiæ: neque eſſe eandem rationem in venditione paruæ Reliquiæ, & in furto paruæ Reliquiæ. Nam vendere paruam Reliquiam ſemper eſt iniuria notabilis facta Reliquiæ, quia valor illius æſtimatur pro re caduca temporali, cùm res ſacra, quantumcumque parua, ſit pretioſior

tioſior omni re temporali, & in hoc caſu eſt intelligendum quod proximè diximus, etiam in parua Reliquia reperiri rationem totius venerationis ac proinde æſtimationis maioris quàm cæteræ res corporales. At in furto non fit iniuria Reliquiæ, ſed habenti Reliquiam. Immò aliquando ex furto Reliquiæ reſultat maior veneratio. Quando ſcilicet aufertur à loco paupere, ignobili, vel à perſona infideli vt decentius collocetur. Erit tamen hæc paruitas materiæ in Reliquia arbitranda in multo minori quantitate quàm in materia parua vini verb. gratia ad arbitrium boni viri, & æſtimationem Reliquiæ.

6 Quando Reliquiæ alicuius Sancti ſunt traditæ perpetuæ ſepulturæ, non poſſunt inde aufferri abſque expreſſa licentia Sum. Pontificis, vel Epiſcopi, vel Synodi niſi fortè immineat graue periculum, vt incendij, hæreticorum irruentium, vel ſimilium: tunc enim ſufficit auctoritas Præſidis Prouinciæ. Habetur *cap. corpora. de conſecrat. diſt.* 1. Si verò nondum ſint traditæ perpetuæ ſepulturæ poſſunt abſque vllius licentia transferri in aliam partem. Sic Gloſſ. *dicti capitis corpora, verb. Principis.* Hugo, & Turrecrem. *ibidem*, Angelus *verb. Reliquiæ numer.* 1, & alij.

7 Purus laicus tangens Reliquias cum reuerentia, illásve tractans vt honeſtè collocet, non peccat etiam venialiter. Ita Sanchez *cit. cap.* 43. *n.* 26. dicens nullibi hoc inueniri prohibitum.

8 Tangere Agnus Dei non licere laicis niſi Subdiaconis, tenet Azor *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 6. *q.* 3. quia, inquit, benedicuntur oleo ſacro, ac benedictione ſolemni per Summ. Pontificem: ſed addit Azor. non fore culpam grauem ſi laicus tangat Agnus Dei abſque

con

contemptu: innuens proinde ſolùm fore culpam venialem. At Sanchez *cit.cap.44.n.17.* ait iam vſum obtinuiſſe vt laici, immo & fœminæ tangant prædictos Agnus Dei. Et probatur quia Sotus *in 4.diſt.13. art.3. q.2.* quem recentiores aliqui ſequuntur, dicit laicos, & fœminas tangentes Corporalia, & Calices abſque contemptu, vt ſummum peccare venialiter tantùm: & Canones id prohibentes intelligi de conſilio tantùm.

9 Committens peccatum fornicationis geſtando ſecum Reliquias, non tenetur in confeſſione exprimere circunſtantiam quod ſic peccauerit geſtans Reliquias. Eſt communis Doctorum: nam id nullo iure præcipitur, non enim per id fit directè aliqua irreuerentia Reliquiis. Et ſi aliqua irreuerentia fit, erit tantùm venialis. Idem de geſtante imaginem Chriſti Domini & ſic peccante inhoneſtè, dicendum erit: ſecus ſi directè faceret iniuriam Reliquiis illas inhoneſtè, & irreuerenter contrectando, tunc enim eſſet mortale peccatum.

10 Reliquiæ Sancti nondum canonizati, nec beatificati, non poſſunt venerari cultu publico, poterunt tamen coli cultu particulari, ſiue ſecreto. Eſt communis Doctorum; vide inter alios Bellarm. *lib.1. de ſanctis cap.10.* & conſtat *ex cap.1. & cap. finali de Reliquiis, & veneratione Sanctorum.* Vide Sylueſt. *verb. Reliquiæ*; & Summiſtas *eodem verbo.* Sed primò dubitatio eſt quiſnam dicendus ſit Sanctus canonizatus? Ego credo imprimis, quod ſi loquamur de Sanctis antiquis, omnes illi, qui continentur in Martyrologio, ſeu Kalendario Rom. Eccleſiæ ad primam in Diuino officio dici conſuetam, omnes illi ſunt Sancti canonizati, etiamſi per ſpecialem Bullam Papæ non fuerint canonizati, nec beatificati. Nam eo ipſo quod

ab

ab Ecclesia in prædicto Martyrologio conscribuntur vt Sancti, dicuntur poni in Canone Ecclesiæ, ac proinde canonizari vt Sancti. Vnde obiter aduerto, pro concionatoribus, & Religiosis circa concione‹ & modum loquendi, quod viri aliàs Sancti, seu perfecti, si sint antiqui, & nobis noti, & non sint in Catalogo, vel Martyrologio prædicto, non sunt Sancti appellandi. Tales sunt inter alios Petrus Damiani, & Theodoretus, qui indebitè aliquando à concionatoribus citantur vt Sancti. Hi enim non continentur in Catalogo, seu Martyrologio Ecclesiæ. Quanuis autem in horum Doctorum libris in titulo ponatur: Diui Theodoreti, vel Diui Petri Damiani: illa dictio, *Diui*, non significat esse canonizatos: sed solùm significat veneration nem particularem illi Doctori exhibendam: quemadmodum gentiles aliquando suum Imperatorem vocabant Diuum. Beda autem licèt ab Ecclesia vt plurimum vocetur tantum Venerabilis: est tamen canonizatus, quia ponitur in Kalendario 27. die Maij. Ex Sanctis verò recentioribus, qui non sunt in Kalendario, illi sunt canonizati, qui per Bullam specialem à Sum. Pontifice tales sunt declarati, vt in particulari B. Didacus ex Ordine nostro, Beatus Hiacinthus ex Ordine Prædicatorum, & similes.

11 Quæris secundò: quis cultus sit dicendus publicus, quis secretus circa Reliquias Sanctorum non canonizatorum, nec beatificatorum, vt ille sit licitus, iste verò prohibitus? Respondeo cultum publicum alicuius Sancti non ex eo dici publicum, quia exhibetur illi publicè coram aliis; sed quia illi exhibetur nomine totius Ecclesiæ, tanquam ab illa institutus. Vnde poterit quis licitè coram aliis venerari Sanctum non canonizatum, illum inuocando, & Sanctum acclamando, id faciens vt particularis persona, non in nomine

mine Ecclesiæ. Talis enim cultus est particularis, & non publicus. Vnde non liceret illum in publicis Littaniis, vel alio officio communi inuocare vt Sanctum, ille enim cultus est publicus, & fit nomine Ecclesiæ.

12 Licitum est etiam pingere, ac tenere imaginem Sancti non canonizati: dummodo non ponatur in Templo cum imaginibus aliorum Sanctorum, vt tradit Bellarmin. *citato loco.* Iam enim posita cum imaginibus aliorum Sanctorum coletur cultu publico. Licebit verò ponere imaginem Sancti non canonizati in Ecclesia, pro ornatu, maximè si ponatur separata ab aliis Sanctorum imaginibus. Sic Sanchez *citato cap.* 43. 44. *Decal. num.* 6. Neque item licebit ponere imaginem Sancti non canonizati in Oratorio secreto domus priuatæ cum lampade: illud enim pertinet ad cultum publicum. Nec licebit illi altare dedicare, vel Templum ædificare, hæc enim sunt propria Sancti canonizati. Neque item licet illi festum publicum instituere, quia spectat ad cultum publicum: licebit verò alicui priuato in eius honorem, vel memoriam tali die abstinere à seruilibus: hoc enim spectat ad cultum priuatum: idemque dicendum de ieiunio publico, seu voto publico facto in communi, quod scilicet non liceant: licebunt tamen fieri in particulari ab aliquo. Hæc omnia ex Bellar. & Sanch. *cit. locis.*

13 Quando Concilium Tridentinum *sess.* 17. *in decreto de Reliq. & venerat. Sanctorum* concedit Episcopo vt possit de consilio Doctorum examinare Reliquias denuo inuentas alicuius Sancti antiqui, easque approbare, & publicè proponere à populo venerandas, intelligendum est si sint Reliquiæ Sancti canonizati, id est, in Ecclesiæ kalendario ascripti: non verò id poterit, si Reliquiæ sint Sancti non canonizati. Nam ibi Concilum non concedit Episcopo vt Sanctum illum

cano

Digitized by Google

canonizet:hoc enim ſolum ſpectat ad Romanum Pontificem: ſed ſolùm illi pertinet examinare Reliquias Sancti approbati iam ab Eccleſia. Si enim Epiſcopus poſſet proponere Reliquias Sancti non canonizati in publico venerandas, eo ipſo cenſeretur Epiſcopus talem Sanctum canonizare: ille enim cultus publicus ex Concilio *ibi*, & praxi Eccleſiæ ſoli Sancto canonizato ſolet exhiberi. Quamuis autem Reliquiæ Sancti denuo inuentæ eſſent Reliquiæ Sancti non contenti in Martyrologio, ſi tamen de illo extaret traditio authentica quod fuerit Sanctus, & ita conſenſu vniuerſali Eccleſiæ crederetur;poſſent Reliquiæ illius ab Epiſcopo approbatæ in publico collocari. Ita Suarez *tom. 1.in 3.p.quæſt.25.art.6. diſp.55.ſect.2.*Et confirmo,quia forſitan hac de cauſa, Eccleſia in fine Kalendæ ad Primam, iubet vt finita lectione Sanctorum illius diei, dicat in fine & alibi aliorum plurimorum Sanctorum, &c. innuens poſſe alios verè Sanctos illa die coli præter ibi contentos. Id tamen erit intelligendum cum prædicta moderatione, ſi videlicet de illorum ſanctitate ſit traditio, & conſenſus Eccleſiæ. Adde id facere poſſe Epiſcopum, niſi Reliquiæ Sancti canonizati ita eſſent permixtæ Reliquiis aliis vt diſcerni non poſſit quæ ſint vnius,& quæ alterius.Vide alia huc ſpectantia apud Azor. *tom.1. libr.9. capit.8. quæſtion.8.* & Vaſquez *de Adorat. imaginum libr.3. diſput.3. cap.8. num.114.*

Si dicas:ſed hęc ſcire quid pertinet ad Religioſos?Reſpondeo:multum illis prodeſt. Nam Tridentinum *cit. Decreto* iubet vt Epiſcopus pro examinandis nouis Reliquiis conuocet Theologos,ac pios viros,& hi ſunt vt plurimum Religioſi:& ego vidi paucis abhinc annis,in hoc caſu vocari ab Epiſcopo Religioſos etiã nõ magni nominis, pro approbandis nouis Reliquiis. Et in libr.

Gregorij Lopez Madera de Reliquiis,& laminis Montis Sancti Granatæ ad finem, habetur teſtimonium Doctorum, & Religioſorum, quos conuocauit tunc ibi Metropolitanus pro iiſdem Reliquiis examinandis, & in publico. collocandis. Inter quos Religioſos vocatos, & manu propria ſubſcribentes fuit vnus Pater Sanches doctiſſimus qui ſcripſit de Matrimonio; & quotidie poterit talis caſus contingere.

14 Adhuc pro Reliquiis aduerto caſum ſæpius obuium. Solent aliqui in Cruce varias capſulas, ſeu foramina iubere fieri miro artificio digeſta, quæ foramina variis Reliquiis implent: & aliquando apponunt aliquas Reliquias Sancti non canonizati. Tunc dico talem Crucem imprimis poſſe abſque ſcrupulo geſtari ad collum, tunc enim talis cultus exhibitus Sancto non canonizato, eſt cultus particularis, non publicus. Secundò dico etiam talem Crucem poſſe poni in Altari publico adorandam, quia Reliquiæ illæ Sancti non canonizati non ponuntur propter ſe, ſed ratione Crucis, & tanquam ornatus illius: & ita illarum non habetur ratio vt pro illis in publico locandis neceſſaria ſit Epiſcopi approbatio. Secus ſi ſolæ propter ſe in Altari collocarentur. Probatur, quia quando vnum eſt propter aliud conſideratur ſolùm id principale propter quod eſt illud aliud. Si verò Reliquiæ ſint approbatæ aliqua Bulla Apoſtolica, vt hodie iam ſolet fieri, tunc non debet Epiſcopus examinare Reliquias,ſed ſolam Bullam recognoſcere.

15 Adhuc de ſacra Reliquia cerei Agnus Dei, qua frequentius Religioſi, ac ſæculares vtuntur, non erit inutile recenſere miras,& multas virtutes quas illi Doctores attribuunt pro variis remediis humanæ fragilitatis. Inter alios hoc recenſet Petrus Thyræus *patre 3.*

de

de Dæmoniacis c.45.num.17. vbi imprimis ponit decem carmina Elegiaca in quibus continentur virtutes Agnus Dei, quia verò tot carmina tædium inferent, nec tam facile intelligentur:mox eaſdem virtutes breuius ſic complectitur,& clarius.

Fulmina pellit:
Crimina mundat.
Dæmonas arcet.
Liberat igni.
Seruat ab vndis.
Mortèque prompta.
Subiugat hoſtes.
Et parientem
Prole ſecundat.
Plurima dignis
Munera confert.
Paruaque tantum
Portio prodeſt,
Maxima quantum.

De mirabili verò effectu Reliquiarum Sanctorum mira dicit idem author *ibidem capit.43. per totum*, maxime *numer.3.* vbi ex Gregor. Nyſſeno ait, olim fideles pro magno pretio habuiſſe etiam puluerem terræ inuentum circa ſepulchra Martyrum.Verba Nyſſeni ſunt.*Si quis puluerem quo conditorium vbi Martyris corpus quieſcit obitum eſt,aufferri permittat,pro munere puluis accipitur,atque tamquam res magni pretij condenda terra colligitur.*Sic ibi.Multa alia ibi citat de tali puluere.

RESERVATI CASVS.

Vide ſupra litt.C.*titul.caſus reſeruati latè.*

RESTITVTIO IN INTEGRVM.

1 IOannes XXII. conceſſit Congregationi Montis Oliueti,vt refertur in Compend. Societatis Ieſu, quod ſi aliqua læſio in bonis,& vſibus Monaſteriorum Ordinis per quamuis perſonam cuiuſcumque ſtatus, gradus,habitus,ſeu conditionis Eccleſiaſticæ,vel ſæcularis facta fuerit,etiam ſi fiat culpa prælatorum Monachorum,ſeu procuratorum,ipſo iure reſcindatur. Neque opus eſſe aliquam in integrum reſtitutionem fieri ſuper eam, à quolibet quomodocunque. Et hoc ius,& priuilegium trahitur ad præterita indeciſa , præſentia, & futura : præterita inquam nondum deciſa. Sic citat Rodt.*tom.3.q.56.art.2.* dicens contra Religioſos in hoc non præſcribi niſi per ſpatium centum annorum,iuxta ſupradicta,*verb.Præſcribere.& verb.Priuilegium.* Et eſt quidem hæc magna conceſſio , per quam poterunt Religioſi recuperare multa malè facta, & malè donata,& alia contingentia circa bona, & ædificia,ſuæ Religionis:& conſideranda ſunt omnia verba conceſſionis. Extenditur enim ad læſionem quamcumque factam in quibuſcumque bonis Conuentus recuperandam:& in quibuſcumque vſibus intra centum annos, vide *num.ſeq.*

2 Vt verò prædicta *n. proximo* melius intelligantur: & ſciatur modus licitus alienandi,Leo X. anno 1526. conceſſit Fratribus Minoribus, Monialibus,ac Tertiariis illorum quod poſſent bona immobilia alienare, & permu

& permutare de consensu duarum partium Conuentuum respectiuè, quorum dicta bona fuerint: ac de consensu maioris partis eorundem etiam vltra triennium locare, non obstantibus vltimis voluntatibus testatorum, dummodo id ad euidentem Conuentuum vtilitatem cedere cognoscant. Insuper locationes in prejudicium domorum, & Monasteriorum ipsorum factas retractare. Sic Paraselus *in suo Compendio f.* 80.

Nota modum quo debent fieri alienationes: primò vt sit cum duabus partibus Conuentus. Secundò vt locationes sint cum maiori parte Conuentus. Tertiò vt cedant in claram & euidentem vtilitatem Conuentus. Et hæc inseruient ad multa remedia, vide etiam supra, *ver. Alienare.*

3 Dato quod contra aliquod Monasterium præscribatur, ignorante Monasterio contra quod præscribitur, tali præscriptipne non obstante potest dictum Monasterium post quatuor annos inceptos à die præscriptionis, seu à die scientiæ præscriptionis petere restitutionem in integrum. Rodrig. *tom.* 3. *q.* 36. *art.* 3.

4 Vide supra *verb. Bona. n.* 3. vbi dicitur quod bona malè acquisita, ignorato domino, vel bona Nouitiorum malè acquisita si item ignoretur dominus, possunt dari Minoritis per modum eleemosynæ.

5 Bona ablata à Religioso, non illi sed Monasterio reddenda sunt: maximè si timetur quod Religiosus illis malè debeat vti. Probatur, quia Monasterium est verus dominus, non verò Religiosus. Si verò probabiliter creditur Religiosum non male vsurum, & rem illam esse sui peculij, sibique à Prelato permissam, eidem reddi poterit. Rabell. *tom.* 1. *de obligationibus iustitia. libr.* 2. *de rest. q.* 2. *sect.* 2.

SACRAMENTORVM ADministratio.

1 APud Indos,vbi Religiosi de licentia papæ sunt Parochi ,possunt administrare omnia Sacramenta suis plebanis , quæ solent , ac possunt Parochi. Sic concesserunt Pius V.& Gregor.XIII.supra citati,& Adrian.VI.concessit,vt ibidem possent parochi Regulares baptizare filios Hispanorum,& alios cum limitationibus in Bulla positis, de quibus ipsi sciunt , & ipsi viderint.vide Bullat. Rodrig.*f.*737.

2 Hoc illis ibi permittitur tantùm in suis parochiis, non verò extra illas. At in suis conuentibus in dictis Indiis occidentalibus possunt baptizare parochianos, & Sacramenta etiam dare peregrinis,ita dicunt seruari ibi in praxi , & in hoc baptismate possunt ibi vti oleo quatuor annorum,vt dictum est supra , *ver. Religiosus. num.*8.

Circa baptismum quomodo possint Religiosi extra Indos baptizare,vel non possint,vide supra *verb.Baptizare*,ibi enim traduntur huc attinentia.

Sacramentum confirmationis solus Episcopus potest ministrare , & ideo de hoc nihil est quod dicamus.

Circa Sacramentum pœnitentiæ , quomodo Regulares possint illud administrare , & quæ priuilegia absoluendi sæculares habeant circa illud,vide supra *ver. Confessor erga sæculares.*

3 Circa Sacramentum Eucharistiæ,primò sciendum, quòd Religiosus,qui ministrat Sacramentum Eucharistiæ alicui sæculari in articulo mortis absque licentia sui parochi,incurrit excommunicationem Papæ reseruatam. *Clementina Religiosi.de priuileg. & Clementina dudum.*

dudum. de sepult. At si Religiosus ministret Eucharistiam,atque extremam vnctionem alicui Religioso alterius Ordinis, non incurrit dictam censuram, quia prædicti textus loquuntur solum de parochiano ob præiudicium Parochi: at Religiosus extraneus non est subditus illius Parochi. Sic Sayrus *lib.3. de censur.c.29. num.28.*At si Parochus det licentiam tali Religioso,vt pro se faciat,neque peccat,neque incurrit,vt omnes fatentur.

4 A prædicta censura,& peccato excusatur primò si infirmus est in periculo mortis,& Parochus abest:tunc enim poterit licitè: RODRIGUEZ *tomo 1. quæstio.6. articul.5.* contra Naua. & Henriquez, *tom.2. libr.8. de Eucharistia cap.55. numer.1.* Secundò excipitur, si Parochus adsit,sed iniustè nolit dare: tunc enim idem est ac si Parochus abesset, & præsumitur tunc Ecclesia in his duobus casibus dare hanc licentiam. Et sic concessit Sixtus IV. in Compend. Minorum. *verb. Communicare* §.6. Addens quod si Parochus sine causa neget extremam Vnctionem, possint Religiosi Minores administrare.

Et nota quod Sacramentum pœnitentiæ possunt Religiosi ministrare cuique sæculari in articulo mortis etiam irrequisito,& inuitoParocho:non verò Eucharistiam:quia cùm sacramentum pœnitentię sit magis necessarium tunc, quàm Eucharistia, supposito quod detur peccatum:dispensat Ecclesia in illo priori,maximè quia potest sæpius pœnitens erubescere confiteri proprio Parocho: quod non potest euenire in receptione Eucharistiæ sacrosanctæ.

5 Possunt Religiosi in die Paschatis ministrare Eucharistiam sæcularibus in suis Conuentibus,si tales sęculares iam satisfecerunt præcepto communionis annualis in illa præcedente. Quadragesima apud suum

Pārochum : & volunt iterum communicarē in die Paſchatis deuotionis gratia apud Religioſos : tunc enim poterunt religioſi illam dare abſque licentia Parochi, & abſque vllo peccato. Sic conceſſum fuit à Paul. III. Patribus Sanct. Hier. vt citat Rodr. 1. *tom. q. 56. art. 3.* cum aliis multis ibi pro hoc citatis, & eſt hodie res indubitata. At ſi prædictus ſæcularis, velit communicare in die Paſchatis, vt ſatisfaciat obligationi illius anni, tunc ei non poteſt dari communio ab aliquo Religioſo. Imò neque intra Quadrageſimam poſſunt dare Euchariſtiam vt pœnitens tunc ſatisfaciat præcepto communicandi : illud enim tempus ſumitur tunc pro die Paſchatis, quia pro illa communione annuali debet Parochianus proprium Parochum recognoſcere.

6 Poſſunt Religioſi in die paſchę dare Euchariſtiam peregrinis in ſuis Conuentibus qui in illo oppido non habent domicilium, ſed tranſeunt, & ſunt in via. Rodrig. *art. 6. cit. quæſt.* & latius Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 23. à num. 17. & 18.* Qui idem affirmat de mercenariis, & illis qui locant operas ſuas ad tempus, neque habent ibi parochiam. Et in Compend. Minorum *ver. Communicare* §. 2. declarat Eugenius IV. quod quando quis in tempore paſchali inuenitur in alienâ Diœceſi, ibi intelligatur adipiſci incolatum pro communione quantocumque paruo tempore ſteterit. Quod poteſt intelligi, vt ibi tunc etiam pro paruo tempore communicet, id eſt, à potente miniſtrare : non enim limitat quod ſit parochus, vel hic aut ille : ſed mens eius eſt quod ſatisfaciat communicando ibi in illo incolatu. Sanchez, inquam, ait poſſe Religioſos in die Paſchæ dare Euchariſtiam peregrinis, mercenariis, & locantibus operas, ad tempus qui non habent ibi proprium Parochum : neque obſtat, inquit Sanchez, dictum commune quod hi peregrini pro communione debent

debent tunc adire Matricem, vel Cathedralem : quia, vt *ibi* ait Sanchez , nullo iure probatur , quod Cathedralis sit communis omnium Diœcesis : neque vllo textu probatur peregrinos ad illam debere confluere , sed ait posse illos tunc in quacumque parochia communicare.

7 Religiosus qui cum licentia certò præsumpta , & moraliter certa Parochi alieni ministrat Eucharistiam in articulo mortis , & in die Paschatis , sciens certò moraliter , quod Parochus amicus id velit , non peccat , neque incurrit censuram.Suar. *tom.*3.*disp.*72.*sect.* 2.§. *hinc*. quia habens talem certitudinem moralem de Parochi voluntate , de sua licentia facere censetur.

8 Extra Pascha , & mortis articulum possunt Religiosi in suis Ecclesiis Eucharistiam , cuicumque non impedito liberè ministrare. Compendium *verb. Communicare* §.4. & 5. In Ecclesiis verò alienis Parochorum id non poterunt , neque confessiones audire , nisi de Parochi licentia ; priuilegium enim illud dicit (*in suis Ecclesiis*) si verò id faciant in Ecclesiis alienis Parochorum absque illorum licentia , faciunt Parochis iniuriam.

9 Seruitoribus , ac domesticis intra Conuentum degentibus , in morte, & Pascha te possunt Religiosi ministrare Eucharistiam , & extremam vnctionem , & confessionem.Compend.*verb.Familiares Fratrum.*§.4. Idem intelligo de famulo coniugato , qui nocte dormit extra Conuentum:huic enim poterunt eadem Sacramenta intra Conuentum ministrari,est enim commensalis continuus. Compend. *cit.ver.*§.10. *ex priuil. Benedictinorum.* Ac de isto si intra Conuentum sit in articulo mortis,cùm semper ferè vixerit intra Conuẽtum,ac de stipendio illius,puto illi dandã esse à Fratribus extremam vnctionẽ:secus si sit extra Conuentũ.Ea

hoc expreſſius de die Paſchæ conceſſit Nicol.V. Conuentui de Goadalupe S.Hieron. in Hiſpan.& Iul.II.vt habetur in dicto Compend. S.Hier. in Hiſpan. *verb. Euchariſtia* §.2.& 6.

10 Tertiariis ſæcularibus viuentibus in domibus particularibus non poſſunt Minoritæ dare Euchariſtiam in Paſchate, neque in morte. Rodrigu. *tom.*1. *quæſt.*56.*art.*10.

11 Extremam vnctionem ſimili modo non poſſunt Regulares miniſtrare ſæculari morienti abſque licentia proprij Parochi ſub pœna excommunicationis, ex *Clementina citata.* Circa hoc tamen ſacramentum occurrunt omnes exceptiones, quæ poſitæ ſunt ſupra circa Sacramentum Euchariſtiæ.Etenim non incurret cenſuram extremam dans vnctionem, primò qui dat abſente Parocho, neque eſt ſpes vt veniat.Secundò ſi ille adſit, & iniuſtè dare nolit. Tertiò, ſi habeo certitudinem moralem quod ipſe Parochus concedit iuxta omnia prædicta in numeris præcedentibus circa Euchariſtiam.

12 Suis famulis intra clauſtra degentibus poſſunt Regulares miniſtrare extremam vnctionem. vide ſupra dicta,& conceſſa *num.*9.

13 Prædictam excommunicationem pro miniſtratione Euchariſtiæ,& extremæ vnctionis indebitè non incurrunt Religioſi, qui bona fide fecerunt, ſiue cum ignorantia. Papa enim ſolùm excommunicat ſcientes, & audentes.Rodriguez *Addit.ad Sum.tomo* 4. *capit.*192.*num.*2.

14 Circa Ordines recipiendos, vel malè receptos, vide ſupra *verb. Ordines ſacri per totum, & verb. Suſpenſio.*

15 Religioſus ordinarius extra Indos matrimonio aſſiſtens tanquam parochus,manet ſuſpenſus ipſo iure

ad

ad arbitrium ordinarij Parochi illius, cui intererat assistere tali matrimonio. Tridentinum *sessione 24. cap. primo de matrimon.* & præterea incurrit excommunicationem reseruatam Papæ, *Clementina 1. de priuilegiis.* Nque enim censura hæc ablata est per Tridentinum, vt tenet Sanchez *lib. 3. de matrimon. disput. 48. num. 8.* Dixi *extra Indos*, quia apud illos ille qui ibi est Parochus ex priuilegio poterit omnia quæ potest Parochus. Ille verò Religiosus, qui apud Indos non fuerit Parochus incurret easdem censuras, si matrimonio indebitè assistat. Circa Religiosos verò Parochos in Indiis quid possint circa matrimonium si plura videre volueris, vide Sanchez *lib. 3. de matrimon. disp. 26. num. 1. & seq.*

De Religioso autem contrahente matrimonium, vide supra *verbo Matrimonium.*

ADDITIO.

DE Sacramentorum administratione erga sæculares concessa vel prohibita Religiosis dixi supra sufficienter. Vnum tantùm postea inueni apud Bullarium Rodrigu. *fol.* 851. vbi continetur concessio Pauli IV. facta Minoribus in hunc modum. Et præmitto, quod Vicarius Generalis Minorum in partibus Italiæ conquestus fuit apud Summ. Pontificem quod Rectores aliquarum Ecclesiarum Italiæ, Brigiens. Mediolan. Bonon. &c. aliquas molestias inferebant Minoritis circa Sacramentorum administrationem erga sæculares, dicentes non posse Minoritas pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta ministrare, nisi sæcularibus illis qui vadunt ad suos Conuentus: non verò extra Conuentus etiamsi sæculares essent ægroti. Papa igitur concedit in hunc modum. *Quod de*

cætero

cætero tam dictorum, quàm aliorum quarumcunque Prouinciarum, aut ciuitatum, aut Diœceſum per totum orbem omnium vtriuſque ſexus fidelium pro tempore dicti Ordinis fratres à ſuis Superioribus, vt moris eſt deputati Confeſſores, confeſſiones etiam infirmorum vbilibet etiam extra domos, & habitacula eorumdem Fratrum audire, eoſque in caſibus, & cenſuris, quibus eis per priuilegia Sedis Apoſtolicæ huiuſmodi hactenus conceſſum eſt poſſe abſoluere, & ipſi hactenus abſoluere conſueuerunt, abſoluere, & pœnitentiam ſalutarem iniungere, ac omni tempore præterquã in die Reſurrectionis Dominicæ Sacramentum Euchariſtiæ, tã illis, quàm quibuſuis perſonis miniſtrare poſſint Apoſtolica authoritate indulgemus. Sic ibi. Eſt, inquam, notabilis iſta conceſſio, clarè enim concedit poſſe Minoritas quouis tempore ægrotis ſæcularibus extra ſuos Conuentus miniſtrare illa duo Sacramenta Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, etiam in articulo mortis per modum viatici, idque inconſultis Parochis, excepto die Paſchatis. Conſtat clarè ex illis duobus verbis conceſſionis: *Etiam infirmorum vbilibet extra domos.* Item ex aliis illis verbis: *Omni tempore præterquam in die Reſurrectionis.* Neque inuenio iſtam conceſſionem eſſe reuocatam. Neque puto Rodr. ipſum illam vidiſſe quando ſcripſit qq. Regulares, nam *in 1. tom. queſt. 56. & q. 60.* & ibi ad quas ſe remittit in margine Bullarij *cit. loco* non facit mentionem iſtius conceſſionis cùm ſit Papæ recentioris ann. ſcilicet 1557.

SCRIPTVRA.

VIde ſupra *ver. Falſarius*, vbi dixi quid ſit falſarius: & *eod. ver.* dixi concernentia ad crimen falſificãtis ſcripturas. Nunc tantùm addo, quòd is, in cuius domo, vel ſcrinio inuenitur ſcriptura falſa Prælati ſui, vel

vel alterius,si non constet illa vsum fuisse non est puniendus vt falsarius,poterit enim multas excusationes afferre,de quibus Nau.*l.*5.*Consil.tit. de Hæreticis consil.* 18.Leges enim non puniunt nisi falsificantem scripturam,& illa vtentem.Sic Franciscus de Padilla *in suo l. de Pœnis omnium criminum* 1.*p.c.*20.*fol.*;1.*p.*2.*in principio* pro se citans Abbatem. Et leges Portugalliæ *l.*5. *tit.*§2. *&* §3. non puniunt nisi qui scripturam salsificauerit, aut illa vsus fuerit. Vnde si non probetur contra Religiosum feciisse scripturam falsam, aut illa fuisse vsum, etiamsi in manu illius inueniatur, non est puniendus vt falsarius, sed parua alia pœna;potest enim dicere se illam inuenisse in via, & seruasse, ne alij vterentur. Erit tamen contra illum violenta præsumptio, & dignus erit grauiori pœna, si in tali scriptura contineatur aliquid, quod ipse vellet sibi concedi à Prælato; ita vt scriptura facta sit in proprium commodum ipsius, qui illam habet. Secus autem erit si scriptura non sit facta in commodum ipsius.

SCRVPVLVS.

1 PRo Fratribus nimis scrupulosis, Leo X. concessit quod secura conscientia possint stare determinationi Guardiani, vel cuiuscumque alterius Prælati in omnibus dubiis conscientiam suam tangentibus Compendium Minor. *verb. Declarare* §.5. Circa hanc concessionem dicendum puto,quod etiam si subditus scrupulosus sit doctus,& literatus,Prælatus verò sit illiteratus,adhuc subditus tunc stare debet declarationi Prælati: nam ibi Papa non distinguit de Prælato docto vel indocto,& quando lex non distinguit,neque nos debemus distinguere.

2 Po

2 Potest, ac debet scrupulosus acquiescere dicto alicuius viri docti, ac pij: imò & dicto sui Confessoris ordinarij, aliàs nunquam fontem scrupulorum exhauriet. Azor. *tom.1.lib.2.cap.20. quæst.6.* Imò addit Nauarr. *lib.5. consil.titul.de pœnit. & remissionibus. consil.17.* peccare saltem venialiter pœnitentem scrupulosum, qui non acquiescit dicto Confessoris docti, & prudentis: nam aliàs faciens acquirit habitum inquietandi se. Neque (ait Nauar.) tenetur alium adire, vt quærat ab illo de statu suæ conscientiæ.

3 Nimis scrupulosus potest non confiteri illa quæ ille non iurauit fuisse mortalia, vel non iurabit in illis consensisse. Tenet expresse Vasquez *1.2.disput. 68.cap.2. prope finem.* Et Sà emendatus *in Aphorismis, verbo Dubium. num.4. & 5.* & alij coincidunt fere cum istis, maximè Azor. *citato loco*, dum ait, quod non confiteatur nisi quod certò sciat fuisse mortale.

4 Nimis scrupulosi in Confessionibus multiplicandis meminerint dicti Caietani *in Summa verb. Scrupulus*: vbi ait velle se vt omnes scrupulosi in hoc sibi fidem darent; vt scilicet cogitent se validè esse confessos, quando clarè non illis occurrit error manifestus, & credant quod tales timores non proueniunt ab aliquo errore, sed à suo morbo, & à sua melancholia.

5 Nimis scrupulosi in diuino officio recitando, recordentur quod ad consecrationem hostiæ sufficit virtualis intentio in virtute præcedentis intentionis qua primò proposuit sacerdos consecrare etiam si id proposuerit die hesterno, vel duobus ante diebus, vt in materia de sacramentis dicunt Theologi: & quod verè consecrat, etiam si quando consecrat sit distractus: ac proinde maiori de causa idem sufficiet ad dicendum

Digitized by Google

dum validè diuinum Officium, quod eſt minus quàm confectio Sacramenti, ſi antequam recitauit, formauit intentionem bene ſoluendi: etiam ſi poſtea dum recitat, ſine data opera diſtrahatur, neque enim actualis attentio eſt in noſtra poteſtate pro hac vita, imò neque poſſibilis de ordinario in omnibus. Et ideo conſulit Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 12. *ad finem*, vt ſcrupuloſus nunquam repetat: ſi enim repetitioni acquieſcat, indies creſcet, & mille in hoc ſcrupulis agitabitur, vt praxis ipſa docet. Idem tenet Suarez, *tomo* 2. *de Religion. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 20. citans D. Thom. Nauar. & alios. Ego addo quod meminerint commune dictum Theologorum dicentium, quod ſi homo hodie propoſuit facere aliquod opus peccaminoſum, & poſt vnum, vel duos dies exiſtens ebrius, vel dormiens dictum opus exequitur, & peccat mortaliter & aliquando incurrit excommunicationem operi annexam ob ſolum propoſitum heſternum, cùm tamen iudicio careret quando fecit. Cùm ergo Deus magis inclinet ad miſericordiam, & ad noſtra opera bona acceptanda, quàm ad mala punienda; ſi tale opus peccaminoſum factum abſque iudicio actuali imputat ad gehennam propter ſolum propoſitum præcedens: magis acceptabit ad bonum, Officium diuinum dictum cum formatione propoſiti antecedentis de bene recitando, licèt cùm recitet, ſit non ebrius, vel dormiens, ſed diſtractus inuoluntariè.

6 Nimis ſcrupuloſus circa conſenſum erga actus internos malos: vel circa aduertentiam circa illos, & circa opera externa mala: habeat ſibi pro regula certa quod Doctores dicunt dum agunt de delectatione moroſa, videlicet, quod ſi aliàs eſt vir timoratus, aſſuetus non conſentire, habens curam ſuæ ſalutis, credat quod non conſenſit, neque de illo confiteatur. Secus erit

erit si homo sit assuetus consentire, neque vt plurimum habet curam animæ: quod cum statu scrupulosi repugnat.

7 Maximè verò circa scrupulosos tentatos de blasphemiis cùm orant, recitant, vel celebrant nota quod hi consulendi sunt, vt occurrentibus sibi illis blasphemiis contra Deum, Deiparam, & Sanctos, non desistant ab oratione, & credant se non cõsentire, hac præcipuè de causa: quia scilicet, non est credendum velle peccare illum, qui actu Deum, vel Sanctos inuocat, neque velle iniuriam facere illum, qui actu laudat. Imò ait Rodrig. *tom. 3. quæst. 66. art. 3.* quod sic tentatus transeat talibus blasphemiis non respondens, sed orationem continuet: quia impossibile est illis obuiare ne veniant, sicut ventus currens qui cohiberi non potest, & diabolus aliquando spretus, & contemptus desistit.

ADDITIO.

Vide supra verb. *Hæresis num. 1. & 2.* & quæ dixi *supra hoc eodem verbo*: & in his Additionibus verb. *Opinio.*

VNum ex remediis efficacibus, quod consulitur scrupulosis est vt vincant illos ducti aliqua ratione probabili, vel consilio pij, ac docti viri. Hoc non obstante solet scrupulosos inquietare ista obiectio mentalis. Si nunc morti proximus esses non auderes cum hoc scrupulo è vita discedere, oportet ergo, vt confitearis, &c. Respond. primò ex Cordub. *in suo quæst. lib. 3. quæst. 5. propos. 4.* multa oportere in eo articulo facere, quæ extra illum facienda non sunt, nam modo, vel hominem iudicio possunt priuare, vel in despe-

rationem inducere. Secundò respond. etiam in articulo mortis consultius facturum scrupulosum spernendo scrupulos habens pro se rationem probabilem, vel Doctorem. Sunt enim remedia applicanda à Doctoribus Ecclesiæ, & proinde sufficientia pro tempore vitæ, & pro tempore mortis. Et recitat etiam Sanchez *libr.* 1. *Decalog. c.* 10. *n.* 82. illud remedium quod aliàs dixi: vt scilicet scrupulosus valde, non confiteatur nisi illud quod iurauerit fuisse peccatum mortale, quod idem tenet Vasq. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disp.* 67. *c.* 2. *ad fin.* & Sà *in Aph. ver. Dubium, n.* 5.

2 Addit Sanchez *citat. capit.* 10. *numer.* 86. quod in nimis scrupuloso circa confessiones factas prudens Confessor debet aduertere circunstantiam pœnitentis, & præparationem, factam ad confessionem, maximè si fuit confessio generalis: & exinde iudicare, an pœnitens rationabiliter inquietetur: an verò illud quod patitur sit purus scrupulus: sæpe enim diabolus vult turbare conscientias, & tædium confessionis ingerere: ac proinde in fauorem nimis scrupulosi debet, attentis circunstantiis, iudicare, illud peccatum, de quo inquietatur, iam fuisse comprehensum in aliqua generalitate confessionis generalis, quanuis dum peccata fatenda numerauit non meminerit illius.

SEPVLTVRA.

Vide supra verbo *Ecclesia, num.* 7.

1 POtest sepeliri in sepultura Ecclesiastica Religiosus, qui mane confessus est, & toto vespere lętus extitit & sequenti mane inuentus est mortuus in cubiculo clauso ostio cum laqueo ad collum appenso,

quasi genu flexus, non pendens. Sic respondit Nauarr. consultus in facti contingentia, *lib.3.Consil.tit.de sepult. consil.6* præsumendum est enim bene de recenter confesso, & absoluto, maximè quando de certo non constat an sibi ipse mortem intulerit. Et per hunc casum bene poterit fieri illatio ad alios saltem minores. Vide infra *num.11.*

2 Possunt Religiosi suos familiares intra claustra morientes in suis Ecclesiis sepelire Compend. *verb. Sepultura.§.2.*

3 Religiosus, vel Clericus, suadens alicui, vouere, iurare, vel promittere quod sepelietur apud suas Ecclesias, vel mutabit sepulturam iam alibi ab ipso electam, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem Bonifacij VIII. Compend. *verbo Sepelire. §.6.* Et si contra actum fuerit electio sepulturæ non valet: neque eligens potest in illa sepeliri, etiam si iurauerit.

Nota primò quod dicitur, *vouere, iurare, promittere.* Si enim Religiosus, vel Clericus simplici animo, & verbis simplicibus solùm petat, vel hortetur vt apud Ecclesiam suam aliquis sepeliatur, non peccat, & non incurrit: ad incursum enim opus est vt sit persuasio, & interueniat votum, promissio, vel iuramentum. Si etiam aliquis non persuasus voueat, iuret, vel promittat se esse sepeliendum in aliquo Conuentu, promissio valet, quia non fuit persuasus. Rodr. *in Add. tom.4.cap. 130.concl.10.*

4 Vouens, vel promittens se sepelire in aliquo Conuentu persuadente tantùm aliquo Religioso, non Prælato, quidquid sit de peccato suadentis, non perditur ius sepeliendi in illo Conuentu, quia opus est vt persuasio fiat à maiori parte Conuentus. Rodr. *vbi proximè concl.5.* Dixi *non Prælato*: quia si Prælatus suadet cum illo

illo effectu, & peccat, & perditur ius ſepulturæ : quia Prælatus repræſentat totum Conuentum. Neque item perditur ius ſepulturæ, ſi aliàs dictus vouens, promittens, aut ſuaſus erat ſepeliendus in illa Eccleſia de iure communi, quia ſcilicet habebat ibi parentes ſepultos, ſed tamen adhuc ſuadens in hoc caſu peccat. Item peccat, & incurrit Religioſus ſuadens ſecuto voto, promiſſo, vel iuramento, etiam ſi poſtea non ſequatur effectus ſepulturæ, quia forte promiſſum retractauit, Rodrig. *cit. c. n.* 7.

5 Si aliquis Minorita ſuadeat alicui cum iuramento vt eligat ſepulturam apud Dominicanos, non facit contra illud mandatum, quia Papa ſolùm prohibet ne ſuadeat ſepulturam apud ſuam propriam Eccleſiam; non loquitur verò de ſuadente ſepulturam in Eccleſia aliena. Secus ſi idem Minorita id perſuadeat ad inſtantiam Fratris Dominicani, hoc enim iam fit directè in fraudem illius legis. Rodr. *concl.* 6.

6 Secundùm ius commune filius etiam ſub poteſtate patris, & ſeruus ſub poteſtate domini, poſſunt eligere ſepulturã, ſi filius ſit maior 14. annis. Sylu. *ver. Sepultura n.* 6. Secus ſi conſuetudo patriæ præſcripta aliud obſeruet: tunc enim ſtandum eſt. Filius verò minor 14. annis, ſepeliri debet in ſepulchro parẽtum, vel ab illis electo.

7 Mulier coniugata, vidua non eligens ſepulturam ſepelienda eſt cum viro ſuo: ſi verò bis fuit nupta ſepelienda eſt cum viro vltimo: cum hoc enim habuit vltimum domicilium. Sylu. *cit. verbo n.* 8. *verſ. quintum.* Vir autem ſepulturam non eligens ad hoc non tenetur, ſed apud maiores ſuos debet ſepeliri.

8 Eligentes ſepeliri in aliquo habitu Religioſorum debent deferri ad tumulum patenter, nullo operimento poſito ſupra habitum Religionis. Sixtus *in Monum. Ordinis conceſſ.* 149. 1. *impreſſ.*

9 Apud Minores non potest dare habitum, ad sepeliendum aliquem sæcularem, nisi Guardianus, & cæteri Prælati superiores, vel ille quibus ab illis fuerit commissum. Compend. *ver. Sepultura* §. 14. vnde prædictum habitum dare non potest subditus, neque confessor Monialium, neque quiuis alius nisi id sibi à Prælato concedatur.

10 Notatur pro simoniaca lex Synodalis si daretur, in qua diceretur ne aperiatur sepultura aliqua si non dentur tres argentei Regales pro fabrica Ecclesiæ. Rodriguez *tom. 3, quæst. 58. art. 2.* vbi excusat à simonia dare capellas, vel sepulturam pro eleemosyna pecuniaria, si illud accipiatur solum via eleemosynæ, quando Ecclesia est pauper, & recipitur eo modo quo recipitur pitantia Missæ.

11 Si Religiosus moriatur proprietarius, priuatur Ecclesiastica sepultura. *c. super quodam. de stat. Monach.* Notat tamen Rodriguez *tom. 3. quæstion. 56. articul. 1.* quod si Religiosus dummodo non sit Minorita, inueniatur mortuus cum bursa denariorum, non statim priuandus est sepultura Ecclesiastica, quia iura non priuant officio altaris talem Monachum viuentem cum peculio, nisi quando prius monitus noluit dimittere: ergo sic mortuum, non priuabunt sepultura Ecclesiastica. Adde quòd talis mortuus poterat se purgare, quod scilicet denarij essent sui amici, consanguinei, vel sibi depositi, vel concrediti, vt alteri deferret loco eleemosynæ, vel restitutionis. At dicit *ibi in fine articuli* quod in hoc Minorita non excusabitur ob strictiorem Regulæ prohibitionem erga pecuniam recipiendam. At si etiam in Minorita circumstantiæ satis probabiles occurrerent, vt crederetur pecuniam non esse suam, sed amici, consanguinei, vel creditam ad erogandam, vel restituendam: credo non esse priuandum sepultura: tunc

tunc enim non peccauit in rigore, quia pecunia non erat ſua.

Addo etiam quod dato caſu quod Minorita mortuus inueniretur cum pecunia ſua, & tamen factum erat omnino occultum, credo non eſſe priuandum ſepultura: nam ſi viuens cum illa ſic occulta, non poterat puniri publicè, neque infamari, etiam mortuus cum illa omnino occulta non poterit diffamari cum priuatione publica ſepulturæ, maximè quia non poteſt ſe purgare.

12 Cadauera ſuſpenſorum vel occiſorum per miniſtros iuſtitiæ, non poſſunt ſepeliri in loco ſacro abſque licentia Iudicis ſed non peccant mortaliter conſanguinei illa deponentes, vel ſuffurantes & ſepelientes ob vitandam propriam infamiam. Rodr. *Addit. Sum. tom.* 4. *cap.* 131. *num.* 2.

13 Qui ſepeliunt in loco ſacro interdictos, excommunicatos maiori excommunicatione, & publicos vſuratios, incurrunt excommunicationem, iuxta *Clementinam* 1. *de ſepulturis*, & Doctores communiter.

14 Greg. XIII. apud Marzillam *in ſuo lib. Declarationum Cardinal. lib.* 1. *c.* 10. declarauit quod corpora volentium ſepeliri in Monaſterio Monialium debent ſepeliri in Eccleſia exteriori, & non intra clauſtra. Vnde innuit quod abſque licentia Papę non poteſt eligi ſepultura intra clauſuram Monialium: vel quod id non poſſit fieri abſque licentia eius qui poſſit dare.

ADDITIO.

1 VIde ſupra *verb. Habitus.* Adde quod poſſunt Minoritæ in ſuis Eccleſiis exhumare cadauera ibi ſepulta, & ad alium locum eiuſdem Eccle-

siæ transferre,de licentia tamen illorum quorum interest habetur in Compendio Mendicantium §.17. Vide tamen quòd requiritur licentia consanguinei,vel illius cui funeris cura demandata est.

2 Clemens VIII. in Bullario Rodriguez *f.*1205. *Bulla secunda* sub pœna excommunicationis reseruatæ Sedi Apostolicæ prohibet parochis Indiæ Occidentalis,ne maiorem eleemosynam petant pro illis qui apud Minoritas sepeliuntur, quàm pro illis qui in parochialibus Ecclesiis eligunt sepulturam. Et puto hanc concessionem communicari omnibus Conuentibus Ordinis contra omnes Parochos.Tum quia fauor sit totius Religionis, tum quia est declaratio iuris Canonici,imò naturalis quo Parochi, & Clerici tenentur non petere aliquid vltra ius parochiale : quod ipsi tenentur de iustitia facere.

SIMONIA.

Si possit Prælatus Regularis absoluere subditum simoniacum in Ordine sacro, vide supra verbo *Prælatus.numer.29.*

4 SImonia est in Religiosis,& aliis hoc pactum : da mihi suffragium ad tale, & ego illud tibi dabo ad tale.Fit enim clara permutatio in re spirituali,quod est suffragium ad beneficium,vel dignitatem Ecclesiasticam. Tenet Nauarr. *in Sum. c.*23. *n.*100. & Rodrig. *tom.*3.*quæst.*63. *art.*4. Ibi tamen excusat à simonia si in hoc non fiat pactum, & conuentio clara:sed solùm detur demonstratio spei futuræ:Vt si dicatur,da tu suffragium,& de tuo honore curabitur sicut congruum fuerit vel quid simile:& si tunc amore amicitiæ datur tale promissum ; absque animo se colligandi per contractum:

ctum:tunc enim non videbitur interuenire pactum. Secus si dicatur clarè: si dederis pro me suffragium, ego etiam dabo: aliàs non dabo. Hic enim clarè interuenit pactum, & contractus simoniacus.

2 Simonia est aliquid dare vel recipere pro informando Prælato de qualitatibus prætendentis, vel procurantis officium, vel beneficium. Rodr. *tom.* 4. *Addit. Sum. c.* 133. *n.* 20.

3 Dare aliquid, vel recipere principaliter pro recipiendo aliquo ad Religionem, est simonia: datur enim res corporalis pro re spirituali, qualis est status Religiosus. Et quidem nullum habet dubium, maximè quando recipiendus est inhabilis, & non idoneus: vel aliàs pro tunc non erat recipiendus, nisi pretium illud daretur: tunc enim clarius constat pretium illud fuisse receptum de principali intentione vt Nouitius reciperetur.

4 Abbatissæ petentes dotem, pro Nouitia Moniali recipienda excusantur à simonia primò ob praxim, & bonam fidem. Secundò, quia non recipiunt pro pretio rei spiritualis, sed pro sustentatione corporali Nouitiæ: quemadmodum cum vxore recipitur dos ad sustentanda onera matrimonij. Tertiò, quia in Compend. *verb. Moniales.* §. *vltimo* Clemens VII. concessit, vel dixit quod Moniales nullam incurrunt simoniam ex pactionibus quas faciunt in receptione intrantium Ordinem, super dotibus recipiendis pro congruenti, & sufficienti sustentatione illarum.

Rodriguez tamen circa hoc aduertit *Addit. ad Sum. cap.* 133. *num.* 21. *tom.* 4. quod Innoc. VIII. hoc ipsum concessit cum duabus limitationibus: prima est, quod quando recipiunt Nouitiam non petant aliquid præcise pro ingressu Ordinis, sed pro sustentatione. Secunda est dummodò non recipiant inhabiles ad

Ordinem principaliter ſperantes ſucceſſionem hæreditatis per profeſſionem illius. Et quidem prima conditio clara eſt ex dictis. Secunda verò de receptione inhabilis, rarò eueniet, quia rarò fœmina cenſebitur inhabilis ad Monaſterium, niſi fortè ob infirmitatem grauem & continuam, vel ob ſcandalum notabile de illius receptione, vel quid ſimile. Addit Rodr. *cit. c. n.* 22. quod ſi Monaſterium eſt diues, & habet commodam ſuſtentationem pro intrantibus, non committi ſimoniam in petenda dote ſi ſolùm petat pro ſuſtentatione: poterit tamen eſſe peccatū auaritię, probátque ex Soto.

5 Aſſecutus officium, vel beneficium Eccleſiaſticum, per ſimoniam, eſt excommunicatus & priuatus ipſo iure tali beneficio, vel officio, per conſtitutionem Pauli II. & Pij V. citatas à Capucino in Compend. *ver. Simonia*, vbi ait manere priuatos etiam in foro conſcientiæ abſque alia declaratione. Et addit quod per beneficium etiam intelligitur Prioratus, Guardianatus & ſimiles. Sed circa id quod ait manere priuatum talem Monachum abſque vlla declaratione vide ſupra *ver. Leges. num.* 6.

6 Si ſimonia hæc in obtinendo beneficio, vel officio fuit commiſſa inſcio ipſo obtinente, & poſſidente beneficium, vel officium, quia ſcilicet inſcio illo data eſt pecunia, vel quid ſimile collatori ab amico, conſanguineo, &c. tunc taliter ignorans neque peccauit, neque cenſuras incurrit. Tenetur tamen vbi primùm ſciuit interueniſſe pactum ſimoniacum, renunciare officium, vel beneficium, quia per ius canonicum, & Bullas Pontificias eſt inhabilis ad illud etiam ſi ignorans recepit, & poſtea ſciuit: tenet expreſſe Nau. *libr. 5. Conſil. tit. de ſimonia. conſil.* 65. In modo tamen renunciandi, vide ſupra *cit. num.* 6. *ver. Leges.* & *ver. Officia Ordinis. num.* 7.

7 Si

Digitized by Google

7 Si quis nondum obtinens officium, vel beneficium sciuit antea, simoniam ab alio commissam, circa officium sibi dandum non potest acceptare, & tenetur illud renuntiare, tunc enim multo magis est inhabilis, & ferè cooperatur simoniæ alterius. Clarè deducitur ex proximè dictis. Si verò ipse procurans officium, vel beneficium commisit simoniam, antequam illud acceptet tenetur omnino renunciare, non enim potest acceptare cùm sit excommunicatus, & inhabilis: si verò iam acceptauit tenetur renuntiare. Sed adhuc vide *dicto verb. Leges. & verbo Officia Ordinis in modo renunciandi, locis proximè citatis.*

8 Est præterea simoniacus per ius canonicum & citatas Bullas Pontificias, excommunicatus, suspensus, & inhabilis ad officia, & priuatus obtentis. *Extrauagante 2. de Simonia,* & Capucinus *cit. l. §. Et primò notandum.*

SOLICITARE FOEMINAS IN *Sacramento pœnitentiæ.*

COgit necessitas temporum, humanitatis fragilitas, & sanctissimum Ecclesiæ decretum per summam agere de titulo proposito. Nam Sanctiss. D. Paul. V. propria Bulla mandauit Inquisitori Generali huius regni, vt procederet contra Confessores solicitantes fœminas in confessione, sicut contra suspectos in fide: & praxis vidit hoc iam obseruatum. Prodierunt statim multæ expositiones virorum sapientium tum prælo traditæ, tum manu scriptæ. Et quia res grauissima est, volui tantisper meam opinionem scribere, cum submissione sancto tribunali Inquisitionis: Sed tamen prius necesse est audire tenorem Bullæ, & mandatum D. D. Inquisitorum pro executione eiusdem Bullæ.

Bulla

Bulla Sanctiſſim. D. Pauli V. contra confeſſores ſolicitantes fœminas in confeſsione.

Paulus Papa V.

DIlecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut nuper accepimus non ſine animi noſtri moleſtia, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, at eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſiue eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſsionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperunt iniquitatem, vt Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confeſsiones abutantur: Nec illi, & qui id inſtituit Domino noſtro Ieſu Chriſto iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſsiones alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, graniorum peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in Diuinæ Maieſtatis offenſam, & animarum perniciem, ac Chriſti fidelium non modicum damnum. Nos in animo inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè ſenſerint Sacramentis ab ipſo Deo inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant. Fraternitati tuæ de cuius eximia charitate, virtute atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus quatenus per te, vel per alium ſeu alios, à te deputandum, ſeu deputandos, contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum regnorum, ac illarum ciuitatum, Diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſeculares, quàm quorumuis etiam exemptorum, Sedi Apoſtolicæ immediatæ ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis,

Digitized by Google

ordinis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm super fide Catholica, & quidquid de ea sentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta excessuum suorum qualitatem prout iuris fuerit, punias: eos etiam, si & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis quibuscunque tenoribus, & formis, ac quibuscunque clausulis, & de actis etiam Motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Dat. Rom. apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die 16. Septemb. 1608. Pontificat. nostri Anno 4.

PVBLICATIO ET MANdatum D. D. Inquisitorum.

PRo executione prædictæ Bullæ D. D. Inquisitores Eboræ particulare mandatum seu edictum publicarunt, pro obligandis fidelibus, vt denuntiarent sancto Tribunali culpatos in tali delicto; quia verò tenor illius edicti, multum iuuat pro dicendis, libuit hîc adscribere non integrum, breuitatis gratia, sed substantialia verba nobis inseruitura.

Manda

Digitized by Google

Mandamus authoritate Apostolica sub pœna excommunicationis maioris ipso facto incurrenda singulis personis, &c. vt intra dies triginta scientibus quoscumque Sacerdotes, seculares, vel regulares Religiosos, cuiuscunque Ordinis, &c. solicitasse in actu confessionis, prouocasse, vel procurasse aliquas mulieres ad actus turpes, & inhonestos denuntient intra prædictum tempus huic sanctæ Inquisitionis Tribunali, &c. Dat. Eboræ ann. 1609. die 21. Iul.

SEQVITVR EXPOSITIO.

ANtequam expositionem aggrediar summariã pro grauitate talis delicti, pondero verba, seu rationem Sanctiss. D. Papæ: dolentis quod tales confessores, cùm deberent aliàs fœminas pœnitentes Deo reconciliare, illas onerant mole grauiorum peccatorum: Et rectè quidem sanctissimus Papa. Deberent enim Confessores pœnitentes prouocare ad lacrymas, idcirco enim Sacramentum confessionis dicitur Sacramentum pœnitentiæ, quæ pœnitentia consistit in lacrymis ac dolore, ad quę duo Confessor prudens debet prouocare pœnitentem: hi prouocant ad infernum. Inhærens autem verbis Papæ, de mole peccatorum, credo ipsis confessoribus posse applicari illud Christi Domini dolentis Matth. 8. *Væ homini illi per quem scandalum venit: expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Si enim Christus Dominus de quouis scandalo actiuo id protulit, multo magis dicendum erit de tali Confessore in Sacramento confessionis dante tale scandalum actiuum, diabolicum, & sacrilegum, idque pusillis fœminis, & cum præiudicio aliorum scientium tale delictum, qui exinde poterunt talis, ac tam necessarij Sacramenti tædium concipere.

1 Primò igitur dico tales Confessores esse suspectos de fide: sic enim expressè declarat Papa, dicens se nequire in animum inducere, quod tales rectè sentiant de fide. Cùm ergo suspectus in fide sit deferendus ad Tribunal sancti Officij, sic etiam deferendi erunt tales Confessores, seruatis conditionibus infra dicendis.

2 Illa verba Bullæ, *Alliciendo & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando*: clarè innuunt non solùm puniri tales Confessores si effectu secuto prouocauerint fœminas, seu effectu secuto illæ manserint persuasæ ad actus turpes, sed etiam si illæ repugnauerint, dummodo talis Confessor attentauerit persuadere. Vbi vides legislatorem pari pœna punire affectum, seu conatum solum ad opus, etiam effectu non secuto. Quanuis enim communior Iuristarum opinio apud Iul. Clarum *quæst. 92. Practic. crimin.* teneat affectum, seu conatum ad crimen non puniri eadem pœna effectu non secuto: id debet intelligi, nisi lex expressè decernat ob criminis atrocitatem. Et hîc Papa ita exprimit, vt patet ex verbis citatis.

3 Dicetur Confessor solicitare, vel attentare id facere, si verbis id faciat, directè, vel indirectè, dummodo sint sufficientia ad prouocationem. Idem dicendum erit si absque verbis facto prouocet, vt si fœminam osculetur, manus eius libidinosè tangendo, vel aliam corporis partem cùm sit manifesta prouocatio, patet ex verbis generalis Bullæ, quæ solùm prohibent prouocationem, & solicitationem non distinguendo de mediis quibus fiat prouocatio. At opera prædicta, & similia magis prouocant, & solicitant quàm verba, vt patet experientia, & ex communi omnium acceptione.

4 Habebit tamen hîc locum ad excusandum, paruitas

tas materiæ, ſicut habet in omni alia materia. Vnde ſi confeſſor dicat fœminæ verba leuia, vel aliud ſignum, vel opus leue faciat indicatiuum amoris laſciui, quæ verba ad iudicium prudentis viri nec ſint peccatum mortale, nec ſufficientia ad perſuadendum: credo quod talis confeſſor non ſit accuſandus. Eſt enim communis opinio materiam leuem, & paruam excuſare in omnibus delictis ſaltem à pœna Eccleſiaſtica, vt ſupra diximus in ſimili *verb. Excommunicatio circa percuſſionem clerici interius malam mortaliter, & exterius tantum venialem ob paruitatem operis.* Vide ſupra *ver. Excommunic. num.* 1.

5 Virtute huius Bullæ non erit denunciandus confeſſor, qui intra Sacramentum confeſſionis ſolicitauerit viros ad peccatum nefandum. Quanuis enim iſtud peccatum grauius ſit, quàm ſolicitare mulieres ad actum turpem ordinarium, lex tamen iſta pœnalis eſt, & ſolùm loquitur de fœminarum ſolicitatione, & iuxta communem Doctorum opinionem non eſt extendenda ad ſimiles caſus etiam atrociores, vt inter alios tenet Caſtr. *lib.* 1. *de lege pœnali cap.* 2. citans Abbat. & Rodrig. *tom.* 1. *quæſtion. quæſt.* 47. *art.* 1. *ad finem.* Dixi, *virtute iſtius Bullæ.* Nam virtute alterius Bullæ Pontificiæ qua Inquiſitores inquirunt etiam de crimine nefando tenebitur pœnitens denuntiare, ſi confeſſor intra hoc Sacramentum committat aliquid pertinens ad tale delictum conſumatum quod obliget ad denunciandum: at fateor oppoſitum iſtius dicti eſſe probabile, & tales deferendos eſſe ad Inquiſitores virtute huius Bullæ, tenet Lopez 1. *p. Inſtruct. cap.* 35. & Salzedo *in Pract. Crimin. capit.* 82. *ſecundæ impreſſionis.*

6 Non eſt obligatio denunciandi de confeſſore, qui ante Sacramentum, vel poſt illud perfectum, fœminam

nam ſolicitat. Hæc colligitur clarè ex verbis Bullæ. ibi : *In actu audiendi confeſsiones* ; Item ex aliis verbis paulo poſt additis ibi, *Dum earum audiunt confeſsiones.* Quo nihil clarius dici potuit ad intentum vt non obliget Papa illos denunciari niſi tale crimen commiſerint intra ipſum Sacramentum iam inchoatum, & nondum finitum : confirmo idem ex verbis edicti D. D. Inquiſitorum ſupra poſitis, vbi ſolùm iubent denunciare de confeſſoribus ſolicitantibus in Sacramento confeſſionis. Dictio enim illa, *in*, clarè ſignificat intra ſacramentum, non extra. Et probatur, quia lex iſta pœnalis eſt, vt patet, conſtat verò per regulam iuris *in 6. Regula 15.* quod odia reſtringi, fauores conuenit ampliari. Item *ibidem Reg. 49.* In pœnis benignior eſt interpretatio facienda. At non eſt benigna, ſed dura interpretatio, pœnam impoſitam crimini facto in Sacramento, extendere ad crimen factum prope Sacramentum, ſeu ante ipſum, vel poſt ipſum Sacramentum. Addo exemplum in alio ſacrilegio : nam habere copulam carnalem in Eccleſia eſt ſacrilegium, & polluit illam. At ſi fiat extra Eccleſiam ſed prope illam nemo dicet quod ſit ſacrilegium, vel quod polluat illam, etiam ſi fiat prope illam in diſtantia vnius cubiti, dummodo fiat extra illam. Ergo à ſimili, hoc ſacrilegium in ſolicitatione fœminarum, ſi fiat paulo ante Sacramentum incæptum, non comprehenditur in iſta lege: Imò neque in rigore erit ſacrilegium; nondum enim propriè, & in rigore fit iniuria Sacramento, cùm nondum exiſtat. Nemo enim antequam exiſtat in rerum natura propriè poteſt iniuriam pati. Et per hæc facilè ſoluentur allata ab aliquibus ſine fundamento Bullam extendentibus ad Confeſſores tale crimen committentes ante incæptum, vel poſt finitum Sacramentum.

7 Confessor hoc delictum committens intra Sacramentum, qui tamen illud commisit ante publicationem istius Bullæ, id est, ante annum 1609. non debuit tunc, nec debet hodie denunciari, sed solùm est denunciandus qui commisit post publicationem Bullæ: probatur, quia nulla lex ciuilis, vel Ecclesiastica obligat nisi post sui publicationem, neque extenditur ad punienda delicta facta de præterito, sed ad facienda de futuro: habetur expresse in vtroque nisi fortè lex ipsa claris verbis exprimat se etiam punire præterita, sic habet expresse *cap. cognoscentes. de Const.* ibi in illis verbis: *Quoties nouum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, vt dispendiis præterita non commendet.* Et ibidem Gloss. *verb. futuris.* idem expressius habetur *eod. tit. cap. vltim.* Vbi Papa Greg. IX. explicans quandam constitutionem à se paulo ante editam, sic ait: *Declaramus, non ad præterita sed ad futura tantùm extendi; cùm leges, & constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi, nisi nominatim in eis de præteritis caueatur.* sic ibi, quo nihil clarius dici potuit. Citat etiam ad hoc Azor. 1. *tom. lib. 5. capit. 16. quæstion. 13. Cæsar. ff. de publicanis. & l. leges. Cod. de legib.* Vbi ponit Azor. casum rarum ad hoc intentum decisum in priori lege citata.

8 Scio multa contra hoc dictum ab aliquibus obiici, quæ omitto breuitatis gratia: maximè quia iam trãsacti sunt anni vndecim à publicatione Bullę, in quo tam longo spatio non est credibile casibus ante publicationem Bullæ occurrentibus, non fuisse iam datum remedium. Et non vacat vacare quæstionibus nonnecessariis. Vnam tantùm propono instantiam contra præcedens dictum. Nam Sum. Pontifex hîc declarat suspectum esse in fide Confessorem taliter solicitantem. Sed suspectus in fide semper est deferẽdus Inquisito

sitoribus etiam si à tempore antiquissimo crimen commiserit ratione cuius sic est suspectus, vt patet, neque ad hoc indigent Inquisitores noua commissione, sed possunt punire suspectum de fide peccantem, à tempore præterito longissimo. Ergo si iste Confessor solicitans est suspectus de fide illis crimen etiam commissum ante publicationem istius Bullæ est deferendum ad tribunal fidei. Ad hanc instantiam respondeo proponendo aliam quæstionem. Si hoc crimen ante publicationem istius Bullæ tanquam suspectum de fide pertinebat ad tribunal fidei, quid opus fuit petere à Summo Pontifice, vel ipsum Motu proprio facere specialem concessionem & commissionem Inquisitoribus, vt de illo inquirerent, atque illud punirent, quod antea non faciebant, sed soli Episcopi? Quæ specialis, & noua concessio extensa ad Inquisitores videtur supponere crimen antea non pertinuisse ad illos, vel ob non vsum, vel quid simile quod Papa intellexit. Ergo cùm antea de illo Inquisitores in particulari non inquirerent, signum est quod noua illis concessa potestas sit solùm pro futuris, non verò de præteritis, quia lex præterita non exprimit, & clarè supponit antea Inquisitores de isto delicto non solere inquirere. Et quemadmodum priuilegium potest amitti in parte per non vsum, quia scilicet nunquam fuit illa pars priuilegij posita in praxi. Si etiam, quanuis sit priuilegium amplum Inquisitorum puniendi omnia delicta contra fidem: potuit tamen pars ista illius priuilegij inquirendi de his confessoribus perdi per non vsum, quia nunquam de tali crimine inquisierant. Et sic fuit necessaria noua concessio, seu extensio ista facta per D. Papam, quæ cùm sit noua, & quoad hoc concedat nouam potestatem nihil loquens de præteritis, restat, vt solùm de futuro intelligatur.

9 Si fœmina ſolicitet Confeſſorem in Sacramento ad actus turpes, & inhoneſtos: non tenetur Confeſſor de illa denunciare coram Inquiſitoribus. Neque obſtat, quod quemadmodum Cõfeſſor ſolicitans eſt ſuſpectus de fide ob notabilem irreuerentiam Sacramenti, ita fœmina ſolicitans intra illud ob eandem cauſam videtur ſuſpecta de fide, & proinde denuncianda. Non, inquam, obſtat: primò, quia lex eſt pœnalis, & ſolùm loquitur de Confeſſore, non verò de fœmina; lex verò pœnalis non eſt extendenda ad ſimiles caſus, vt ſupra diximus. Secundò, quia non eſt eadem ratio in fœmina abutente Sacramento, atque in Confeſſore; nam Confeſſor maiorẽ irreuerentiã infert Sacramẽto, quàm fœmina: eſt enim Confeſſor Miniſter ex officio cũ charactere, ac iuriſdictione, & obligatur iure diuino illud miniſtrare exiſtens in gratia: quæ omnia non requiruntur ex parte fœminæ recipientis Sacramentum. Adde quod poſſet fœmina accuſare Confeſſorem de facto ſecreto ſacramentali, quod foret magnum Sacramenti aliàs præiudicium.

10 Si fœmina prius ſolicitauit Confeſſorem, & ipſe tentatione victus conſenſit, & intra Sacramentum turpes actus exercuit, vel intra Sacramentum conſentiens, & poſtea peccauit: non tenetur fœmina reſipiſcens illũ denunciare. Probatur clarè ex verbis Bullæ: *Allicere, vel prouocare*: quæ ſupponunt preces, & poſtulationem prærequiſitas. Confeſſor verò prius ſolicitatus non rogat, non prouocat, neque ſolicitat.

11 Immorantur aliqui hoc loco in mouenda quæſtione, vtrum per hanc Bullam adimatur poteſtas Epiſcopis, ne per ſe ſolos poſſint de hoc crimine inquirere abſque Inquiſitoribus, illudque punire. Alij dicunt adimi, alij negant: meum non eſt hoc diſputare, ipſi viderint quibus intereſt: Ego non video in Bulla verba aliqua

aliqua quibus Papa hoc illis interdicat, quod illis ex ordinario antiquitus competebat. Alij insuper cruciantur in explicandis illis verbis Bullæ. *Quomodolibet diffamatos*: quibus Papa concedit vt diffamatos de hoc crimine aliqualiter, possint punire, & inquirunt qualis infamia præcedens necessaria sit, vt possit crimen ab Inquisitoribus puniri. Ab hac etiam disputatione abstineo, quia meum non est docere, vel consulere quid D.D. Inquisitores facturi sint. Solùm disputo de eo quod conuenit facere Religiosis, ac pœnitentibus, cæterisque confessoribus.

12 Ex dictis *num.6.* oritur vel potius resoluitur præsens dubium. Adiuit fœmina Confessorem: vel iste illam vocauit in loco vbi solent confessiones audiri, sed fœmina non habuit animum confitendi, neque Confessor intendit ministrare Sacramentum: sed propter circunstantes signo Crucis præmisso simularunt actum Sacramenti, & Confessor in fine simulauit exterius verba absolutionis. Et in medio horum duorum Confessor solicitauit fœminam: quæris an teneatur fœmina denunciare de Confessore? Ex prædictis *numer.6.* credo non teneri, etenim non solicitauit in Sacramento, seu intra Sacramentum. Imò cùm ibi nullum interuenerit Sacramentum, nulla iniuria facta fuit Sacramento, ac proinde nullum sacrilegium interuenit.

13 Maior dubitatio est. Quidam Confessor re vera carens iurisdictione ad ritè absoluendum, vel quia erat excommunicatus publicè denũtiatus, vel notorius clerici percussor, vel alia via carens iurisdictione, audiuit confessionẽ fœminæ; & intra illam solicitauit eandem: vtrũ incurrat hanc pœnã, & fœmina sciens innaliditatẽ Sacramẽti teneatur illum deferre ad sanctum tribunal? Ista quæstio pẽdet ex alia discussa in materia de legibus

an pœna impoſita à lege alicui actui, incurratur ab illo qui fecit illum actum, ſed fuit actus nullus, v. g. imponit lex Canonica pœnam rebaptizanti : rebaptizauit quis hominem iam verè baptizatum , ac proinde ſecundus baptiſmus ab iſto factus fuit nullus : vel etiam baptizauit exterius hominem iam baptizatum ſed ſine intentione baptizandi , & proinde iſte ſecundus actus fuit nullus: quæritur, an iſte ſecundus rebaptizans nulliter, incurrat pœnas rebaptizantis ; Reſpondet Suarez (cui aſſentio) *tom. de Legibus lib. 5. cap. 34. num. 9. & 10.* non incurrere: probat ibi latè, omitto probationes breuitatis gratia. Cuius ibi deciſio facit optimè ad propoſitum dubium. Et ita dicendum prædictum Confeſſorem carentem iuriſdictione, ſiue faciat bona fide circa carentiam iuriſdictionis, ſiue mala fide, cùm faciat, vel prætendat facere actum nullum , in abſoluendo , non incurrere pœnam iſtius Bullæ. Et quidem ſi faciat mala fide ſciens ſe carere iuriſdictione, & tamen audiat confeſſionem fœminę, res eſt clara, & exempla Suar. id probant in rebaptizante mala fide. Si verò hic audiens confeſsiones, & ſolicitans careat iuriſdictione, & credens bona fide ſe illam habere , ſed mala fide intendat ſolicitationem, tunc tota dubitatio eſt. Puto caſum reſolui poſſe per alium communiter deciſum v g. Intendebam percutere Petrum laicum tantùm : ſed ille erat Petrus clericus inuincibiliter ignoratus. Non incurri cenſuram percuſſoris clerici, quia de hoc habui bonam fidem: ſed peccaui mortaliter ex occiſione proximi ſęcularis. Sic videtur poſſe reſponderi in iſto malo Confeſſore ſolicitante , qui habuit quidem bonam fidem iuriſdictionis : ſed malam in ſoliçitatione : ſed ſemper recurrendum eſt ad ibi dicta ex Suar. quod iſte Confeſſor faciens bona fide circa iuriſdictionē exercet actū nullum, qui in lege non punitur iuxta ibi dicta. Omitto

alia

alia quia casus rarus est, & nunquam fœmina has circumstantias iurisdictionis solet, vel potest aduertere.

14 Ex proximè dictis facilè resoluitur aliud dubium, quod hic ab aliquibus proponitur: an videlicet si laicus, vel clericus non Confessor occultè ponant se in loco confessionibus deputato, & fictè audiant confessionem fœminæ, illamque ibi solicitent, incurrant in pœnam huius Bullæ? Dicendum est enim iuxta prædicta, non incurrere, quia prætendunt facere actum nullum, idque scienter. Et Bulla loquens de audienda confessione sacramentali, loqui videtur iuxta communem acceptionem de confessione vera, valida, & ordinaria.

15 Si fœmina intra confessionem solicitata consensit, vt ibi, vel extra Sacramentum actus turpes, & inhonestos exerceret, non tenetur denunciare de Confessore. Probatur ex dicto communi Doctorum, quod socius criminis, vel complex non tenetur denunciare de socio delinquente cum periculo suæ infamiæ, non enim tenetur prodere se. At ista fœmina denuntians de tali Confessore exponit periculo suam famam, poterit enim Confessor in tribunali fateri se tales, ac tales actus inhonestos cum illa habuisse, illa non repugnante: quod foret fœminam prodere se. Ita in quodam casu hæresis consuluit Nauarr. fere in simili de socio non obligato ad se prodendum *libr. 5. consiliorum tit. de hæretic. consil.* 8. maximè *num.* 3. Quamuis *ibidem* oppositum sentiat de homine ibi consulente non valente tempore præterito denuntiare sine suo periculo, sed postea potente. At prius dictum, videlicet non obligare præceptum denunciationis cum periculo propriæ famæ, est communis doctrina, & probatur ex regula superius tradita *ver. præceptum*: quod scilicet lex naturalis præponderat legi positiuæ: at conseruare propriam famam pertinet ad legem naturalem: denunciare verò

pertinet ad legem positiuam humanam: & ideo socius delicti non tenetur se prodere cum magno suo periculo denunciando de alio. Sayro *Clau.Reg.lib.12.cap.14. num.32.& num.26.*

DE MODO QVO FIERI DEbet denuntiatio Confessoris solicitantis.

16 IVbent D. D. Inquisitores in prædicto edicto, vt denunciatio istius delicti fiat intra dies triginta, à cognitione delicti. Si verò intra illos non fiat, incurretur posita excommunicatio ipso facto. Imprimis vide pro ista & similibus denunciationibus faciendis quæ diximus supra *in his Addit.ver. Correctio fratrum. tit.de denunciatione:* ibi enim dicta, hic etiam suo modo inseruiunt.

17 Cùm istud præceptum ab Inquisitoribus impositum sit Ecclesiasticum, & conforme legi diuinæ, partitur easdem modificationes, quas Doctores tradunt seruandas in edictis Ecclesiasticis pro visitatione, ac denunciatione latis, vno, vel altero exceptis, circa durationem temporis, vt mox dicemus. Ita Sayro loquens etiam expressè *de edictis Inquisitorum libr.12.Clau Regiæ cap.14. num.22.* Vbi prius proponit de edictis Episcoporum, & Inquisitorum pro visitatione latis, seu publicatis, & dicta in sequentibus applicat ad edicta amborum. Ego verò antequam vlterius procedam, noto hanc differentiam inter edictum Episcopi latum pro visitatione, seu denũciatione, & edictum Inquisitorum pro eodem fine: Nam edictum Episcopi pro visitatione, finita visitatione illius loci in quo ponitur, non ligat amplius; vel saltem paulo post moraliter finitur, quia illorum visitatio est transiens, temporanea, seu ad tempus

pus: Ad edictum Inquiſitorum pro denunciatione facienda obligat ſemper, & tota vita, quia ſemper illud tribunal viitat: vt inter alios tenet Henriquez *tom.1. lib.13.de excom.cap.*18.§.4. *Littera M.in Gloſſ.* Vnde fœmina obligata de hoc delicto denunciare quæ poſt 30. dies non denunciauit, etiam ſi abſoluatur ab iſta excommunicatione,non deobligatur,ſed tenetur ſemper ad faciendam denuntiationem.

18 Hinc ſequitur proportione habita valere in hoc caſu excuſationes illas quæ excuſant à denunciando in aliis edictis aliorum Epiſcoporum, & Prælatorum regularium. Eſt enim eadem ratio in omnibus, cùm ſint leges Eccleſiaſticæ conformandæ legi naturali, ac diuinæ poſitiuæ, imò & Eccleſiaſticæ poſitiuæ. Quoniam verò in generali iam dixi de cauſis deobligantibus à denuntiatione horum dubiorum ſupra,*citat.ver. Correctio, & titulo Denuntiatis*, ibi dicta ex doctiſſimo Nauarro hîc repeto. Ibi ergo ex Nauar.*in Sum.Latina num.*46.*cap.*25.dixi ſex eſſe cauſas ob quas omnes,vel ſingulas illarum poteſt quis deobligari à denuntiatione facienda: prima eſt quando peccatum eſt emendatum.Si enim fœmina certò ſciat,per ſuam admonitionem Confeſſorem eſſe pœnitentem, & moraliter intelligat illius pœnitentiam de præterito, eſſe veram, non tenebitur denunciare;quia finis denuntiationis eſt emendatio proximi;cùm verò fœmina intelligat moraliter iſtum Confeſſorem ex ſua admonitione eſſe emendatum, ceſſabit obligatio denuntiationis, quia ceſſauit finis illius qui erat emendatio proximi. Secus erit ſi fœmina dubitet,ſi Confeſſor non verè pœniteat, quia tunc tenebitur denunciare.

19 Secunda conditio ibi deobligans à denuntiatione poſita à Nau. erat defectus probationis, id eſt,ſi denuntiator non poterat probare.Et in hoc caſu fœminæ

ſolicitatæ,dico hoc non valere:cùm ſit crimen commune,id eſt,contra communitatem,& ſi fœmina non poſſit probare cum alio teſte, hoc crimen ſolitum fieri in occulto, neque potens habere teſtes, non expectat vt habeam teſtem cum quo probare poſſim, ſed denunciandum eſt,ſi non ſit ſpes emendæ præcedente correctione fraterna cum termino ordinario, vt mox dicemus. Aliàs cauſas excuſantes à denuntiatione ibi vide, quæ non faciunt adeo ad hoc intentum.

20 Solùm immoror, vel aduerto in modo faciendæ huius correctionis fraternæ à fœmina:& quid illi facere conueniat. In quo dubio ſatis reſpondeo quod dixi ſupra *verb. Correctio fraterna numer.* 1. Vbi dixi ex D. Thom. 2.2. *quæſtion.* 35. *articul.* 7. & Nauarr. *in Summ. Latina cap.* 24. *numer.* 14. & tenent Corduba *in annotation. ſuper Sotum de tegendo ſecreto fol.* 40. & alij, videlicet quod in crimine hæreſis etiam habet locum correctio fraterna ſi ſit ſpes moraliter certa emendæ. Secus ſi ex circunſtantiis perſonæ maculatæ originis, malæ conuerſationis, & conſuetudinis moraliter non ſperatur emenda. At hoc crimen ſolicitationis fœminæ ad actus turpes,cùm non ſit formaliter hæreſis,à fortiori patietur eandem legem; vt ſi ſit ſpes emendæ attenta circunſtantia Sacerdotis non infecti macula natiuitatis, aliàs non inhoneſti: non aſſueti ſimilibus, ſed tentationem tranſeuntem paſſi: credo quod fœmina illius ſuaſioni diſſentiens, illumque corrigens, & reſipiſcentem moraliter credens, deobligatur ab iſta denuntiatione. Si verò fœmina has conditiones in Confeſſore non inueniat, vt pote quia maculatæ generationis ſit: vel quia inhoneſtus: vel quia malis moribus imbutus, vel quia ex ſua monitione, & correctione paruum doloris ſignum, vel nullum oſtendit, vel, quia etiam oſtenderit, illa rationabiliter fictitium

tium credit: tunc tenetur denuntiare, quia his præcedentibus correctio nihil proficit:& crimen est contra communitatem,Ecclesiæ scilicet,cùm sit pertinens ad fidem.

Consulerem verò ego fœminas in hoc casu, vel Confessores,vt illis consulant,quod antequam denuntiationem faciant, consulant viros doctos,& pios, qui iudicent de obligatione denunciationis: ideo namque D.D.Inquisitores illis assignāt 30.dies,vt possint viros doctos consulere in re tam graui, qualis est Sacerdotum punitio. Si verò attentis circunstantiis proximè dictis, & præmissa correctione fraterna, non sit spes certa moraliter emendæ,tenetur fœmina denunciare, vt dixi,etiamsi crimen secretum sit. Nam est crimen contra bonū commune,& quando non est spes emendæ non obligat correctio fraterna. Qua de causa non approbo quod multi recentiores in hoc particulari hic faciunt inquirentes,quæ diffamatio sufficiat in hoc casu vt fœmina,vel alius denunciet.Nam si sit Confessor emendatus certò moraliter, non est obligatio denunciandi, quia cessauit finis denunciationis, vt diximus ex Nauar. qui finis est emendatio proximi.Si verò non sit emendatus, neque sit spes emendæ ex correctione fraterna facta vel facienda, est denunciandus quantumcunque crimen sit secretum;quia est crimen suspectum de hæresi, & proinde contra communitatem. Et ita fit in crimine hæresis, quod etiam secretissimum defertur ad Inquisitores, quia est contra communitatem, & de ordinario in illo non est spes emendæ maximè in personis suspectis maculatæ generationis,& prauæ consuetudinis.

Iam verò supra dixi, quod quando hîc Bulla ponit verba illa: *Quomodolibet diffamatos.* non attendit ad obligationem fœminæ,vel aliorum denunciantium,id

enim remitteret Papa ad leges alias Canonicas, & expositiones Doctorum; neque hic Papa verbum aliquod ponit circa obligationem denunciantium. Sed proximè citata verba pertinent ad Inquisitores, vt puniant quomodolibet diffamatos, vt clarè patet ex tenore Bullæ. Et proinde ipsi Inquisitores videant quos, & quomodo diffamatos possint punire. Ego enim hoc non intendo decernere, neque consulere possum. Solùm aduerto Papam in illis verbis nihil tradere circa obligationem denunciandi, id enim solùm faciunt Inquisitores suo particulari edicto: & tam Papa, quàm illi modum, & leges denunciandi de crimine relinquunt legibus Canonicis, & Doctoribus piis explicantibus obligationem denunciationis.

21 Si fœmina solicitata sit nobilis, vel Monialis vel alia non potens adire Inquisitores absque infamia, satisfaciet denunciando per epistolam missam ad Inquisitores tradendo epistolam familiari alicui sancti Officij, vel stet consilio sui boni confessoris. Hæc enim faciens, facit quantum in se est. Aduerto tamen quod, (sicut credo) in singulis oppidis paruulis vbi non residet Tribunal Inquisitorum Vicarij pedanei ex illorum commissione delegata solent excipere huiusmodi denunciationes pertinentes ad illud Tribunal circa personas non valentes illud adire.

22 Iubent Inquisitores vt denuncient de crimine isto illi etiam qui sciuerint. Quibus verbis innuunt non solam fœminam solicitatam teneri denunciare: sed etiam illos qui de delicto sciunt. De his autem delictum scientibus, currit eadem doctrina quæ supra dicta est de fœmina *toto n.* 2. Quando enim fœmina excusabitur à denunciando iuxta ibi dicta, excusabuntur scientes: & è contra quando illa tenebitur, tenebuntur

tur scientes. Cum hac declaratione quod aliquando fœmina obligata non poterit ire personaliter & alij scientes, & valentes adire Tribunal sanctum obligantur, seruando prius dicta *proximo dicto n.*2.& illa quæ dicunt Doctores in materia correctionis, ac denunciationis fraternæ: quæ hîc non possum transcribere. Solùm admoneo, quod si aliquis audiuit à fœmina, quæ est malæ famæ, & inhonesta, vel linguæ maleuolæ, quid simile, vt meritò non sit illi adhibenda fides, & illa dicat se fuisse solicitatam à Confessore; is qui audiuit non tenetur denunciare, quia non audiuit à persona fide digna. Ita Nau. in simili, vel communi casu *c.*25.*n.*46.*in Su. Latina*, & alij communiter. Secus si fœmina quæ queritur se solicitatam sit honesta, & bonæ famæ, tunc enim audientes tenentur denunciare.

23 Sacerdos solicitans intra Sacramentum pœnitentiæ non incurrit istam censuram positam ab Inquisitoribus, neque committit aliquod peccatum reseruatum à Papa, vel Inquisitoribus. Patet clarè ex tenore Bullæ, & ex tenore edicti Inquisitorum: nullibi enim ponitur censura neque reseruatio contra confessorem, sed sola excommunicatio contra fœminam non denunciantem, & contra scientem qui non denunciat. Confessor verò solicitans relinquitur puniendus postea pro qualitate delicti, & probationum. Dixi *ex virtute istius Bullæ, vel edicti*, quia si in aliqua Diœcesi hoc delictum fuerit reseruatum sicut potest reseruari, stabitur legi illius Diœcesis. Neque item Confessor solicitans incurrit excommunicationem latam contra hæreticos in Bulla Cœnæ, eo quod sic solicitans sit suspectus in fide. Nam suspectus in fide non est hæreticus propriè, & formaliter. Bulla verò Cœnæ solùm excommunicat hæreticos veros, & propriè dictos, illorúmque fautores, receptatores, &c.

24 Vlti

24 Vltimò quæris. Quisnam possit absoluere fœminam solicitatam si omisit denunciare potens id commode facere intra tempus in edicto assignatum? Dico primò, quòd si illa adhuc est in proposito non denunciandi, non potest absolui, neque per Iubileum, neque per Bullam Cruciatæ, quia est in proposito peccandi non obediendo Ecclesiæ. Si verò illa post triginta dies incurrens censuram, iam denunciauit, vel excommunicata venit ad confessionem cum proposito firmo statim denunciandi. Dico secundò, hanc excommunicationem Inquisitorum esse latam ab homine, vt patet: non enim est lata à lege. Et constat, quod ab excommunicatione lata ab homine, non potest absoluere vllus inferior: sed solùm ille homo, seu iudex qui illam posuit, vel Superior illius. Vt inter alios tenet Reginald. *tom.* 1. *lib.* 9. *num.* 25. & 30. Vnde sequitur quod illam non possunt absoluere Confessores ordinarij, quia sunt inferiores Inquisitoribus. Imò videtur quod neque possit Episcopus, quatenus talis est, quia Episcopus non est Superior Inquisitoribus, neque hanc censuram posuit. Dixi *quatenus Episcopus est*: quia cùm sit etiam Inquisitor ordinarius videtur quod poterit: maximè cùm aliqui dicant per hanc Bullam non esse adeptam potestatem Episcopis vt possint hodie per se solos punire hoc crimen sicut antea faciebant. Ipsi tamen Episcopi videant quid possint, iam enim supra dixi me illorum causam non agere. Et saltem poterunt ex Concil. Trid. in hac causa secreta. Tota dubitatio est an Religiosi per sua priuilegia concessa à Papa vt possint absoluere sæculares in suis Conuentibus ab omni censura Sedi Apostolicæ reseruata, sicut habent Patres Societatis Iesu in suo Compendio, *verb. Absolutio*, §. 1. per Paulum III. An, inquam, virtute istius priuilegij possint absoluere ab ista excom

communicatione contenta in edicto Inquisitorum cùm non sit excommunicatio Bullæ Cœnæ, quæ sola prædictis Patribus denegatur in illa Concessione. Ego credo quod possunt. Ducor primò ex verbis Concessionis prædictæ, quæ refert Rodrigu. *tom.*1. *qq.Reg. q.*61. *art.*1. desumptis, vt ait ex lib. Authentico, vbi inter alia dicitur vt possint absoluere: *Etiam Sedi Apostolicæ reseruatis.* Noto coniunctiuam dictionem, *etiam*, quæ innuit non solùm posse absoluere à reseruatis Papæ, sed etiam à reseruatis cuicunque inferiori Papæ, etiam poterunt absoluere ab ista illorum excommunicatione, etiamsi poneretur illis reseruata: maximè cùm illi eam non ponant reseruatam, vt patet ex verbis Edicti. Secundò probo ex *regula* 53. *in Reg. Iuris in* 6. vbi sic dicitur: cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus. At plus est absoluere à censuris reseruatis Papæ, quàm absoluere à reseruatis Inquisitoribus, cùm fauores sint ampliandi. Tertiò probo ex dictis à Rodr. *cit.q.art.*6. vbi ait, posse Religiosos per sua priuilegia absoluere excommunicatos nominatim declaratos satisfacta parte: & excommunicatos ab homine, item satisfacta parte: at prædicta fœmina excommunicata prius ab homine iam satisfecit parti suo modo, quia iam denunciauit vel parat se ad denunciandum; ergo potest absolui per prædictũ Religiosum virtute sui priuilegij. Quartò probo ex Reg. *cit. n.*23. vbi ait excommunicationem ab homine posse absoluere hominem, qui excommunicauit, vel Superiorẽ illius, vel illum qui fuit ad id delegatus legitimè. At Regulares habentes priuilegium absoluendi à cẽsuris reseruatis Papæ habent iurisdictionẽ absoluẽdi ab illis cẽsuris reseruatis, quæ potest Papa absoluere: & Papa potest absoluere ab ista cẽsura lata per Inquisitores: ergo illã poterunt etiã absoluere Regulares habentes.

tes iurisdictionem delegatam à Papa illis concessam in generali, exceptis illis quæ continentur in Bulla Cœnæ. Facit vltimò quod tradit Sanchez 2. *Decalog. capit.*10. *numer.*26. dicens, illum qui legit libros prohibitos in Catalogo, si libri non sunt hæretici alicuius: vel si sint authoris hæretici, non tamen continent hæresim, vel non tractant de Religione, taliter legentem non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ reseruatam Papæ: sed incurrere excommunicationem positam in Catalogo, quæ non est reseruata, pro quo citat Graffis, Sayro, Azor & Vgolin. Nota verbum vltimum, Quod excommunicatio Catalogi contra legentes libros prohibitos iuxta proximè dictas moderationes, non est reseruata. Et tamen hæc excommunicatio Catalogi pertinet etiam ad Inquisitores. Quæ omnia dico sub illorum censura,& correctione.

Et hæc sunt potiora dubia quæ possunt occurrere confessariis circa prædictam Bullam. Omitto alia facilia quæ ex prædictis facile poterunt enodari.

STATVTVM.

Vide supra verbo *Lex.*

1 REligiones possunt condere statuta obligantia ad mortale, & ad pœnam, quemadmodum Episcopi possunt in Synodo: & qui de hoc dubitaret, tanquam suspectus de fide puniendus videtur. *cap. cùm accessissent, extra de constit.*

2 Quanuis vt plurimum lex,& statutum, sint idem: hîc tamen loquimur de statuto propriè dicto inter Religiosos communiter accepto, quod scilicet fit in Capitulo Generali, vel Prouinciali concurrente, & suffra-

Digitized by Google

ſuffragante maiori parte Capituli; & conſenſu Prælati: alias non erit ſtatutum propriè, ſecundùm Innocentium, *cap. nouit. de his quæ ſunt à Prælatis*: ſed erit mandatum, ſi fiat à Prælato ſolo, vel à Prælato cum paucis de Capitulo. Eſt communis.

3 Illud mandatum quod Prælatus ſolus, vel ipſe cum paucis, Diffinitoribus ſcilicet, iubet in Capitulo, obligat quidem plus, minuſve, pro forma verborum qua iubetur, ſed cùm non ſit ſtatutum factum à maiori parte Capituli, non eſt perpetuum, ſaltem in Ordine Minorum, ſed tanquam mandatum finitur morte mandantis, vel illo amoto ab officio. Statutum verò eſt de ſe perpetuum, ſicut ipſa communitas perpetua eſt. Rodriguez tenet expreſſe *tom. 1. quæſtion. 10. art. 1.* vbi ait ſtatutum factum à Capitulo, ſede vacante valere, etiam ſuccedente Epiſcopo, niſi talis ſuccedens reuocauerit. Si verò in aliis Religionibus eſt in conſuetudine vt mandatum factum à ſolo Prælato cum Diffinitoribus in Capitulo ſit etiam perpetuum, ac duret illis amotis ab officio, tali conſuetudini ſtandum eſt. Sanchez *lib. 8. de Matrimon. diſputatio: 28. numero 47.* ait, præcepta Superiorum ad aliquid faciendum vel non faciendum, ſi non emanant per modum conſtitutionis à potente illam facere, ſed ſunt mandata ab homine ſemper expirant morte mandantis, etiam re non integra: ſicut expirat excommunicatio ab homine morte excommunicantis. Vide Cordubam *ſuper Regul. D. Franciſci, caſ. 10. quæſtione 3. puncto 1.*

4 Duratio ſtatuti Prouincialis cùm ſit vera lex, idem dic de ſtatuto generali, ſequetur naturam legis canonicæ, vel ciuilis, quo ad receptionem ſcilicet, interpretationem, abrogationem per contrarium vſum. &c. Non enim magis obligat ſtatutum Religioſos, quàm

quàm lex canonica omnes fideles. Vnde cùm iuxta Doctores communiter, lex non recepta ab initio non liget, & per contrarium vſum certo tempore abrogetur, de quo ſupra (*verb. Lex.*) hæc omnia militant etiam in ſtatuto Regulari Generali, vel Prouinciali.

5 Hoſpites alterius Prouinciæ tenentur ad ſtatuta illius Prouinciæ in qua morantur, tam in foro interno, quàm externo, quo ad culpam, & quo ad pœnam. Et contrafacientes poterunt ibidem puniri. Suarez *tom. de Legib. lib. 3. cap. 33.* & Sayrus *lib. 1. de cenſur. cap. 7. num. 9.* cum multis ibi citatis, & patet exemplo de armis prohibitis in lege ſæculari, & lege ieiunij Prouincialis, quas leges tenentur etiam exteri obſeruare in illa Prouincia in qua morantur.

6 Quo ad legis, ſeu ſtatuti non acceptationem in principio, noto quod eſt communis DD. opinio, eam legem non ligare in conſcientia, etiam ſi in principio culpabiliter, non fuit recepta ab aliquibus: ſed tamen iam hodie Prælati ſciunt, ſed tacent: etiam ſi non ſciant de omnibus Prouinciis: eſt enim impoſſibile moraliter vt ſciant de omnibus Prouinciis. Suarez *lib. 4. de legib. cap. 16. num. 9. & 10.* contra præceptum verò iuris naturalis nunquam præualet non vſus ſiue contrarius vſus, quia lex naturalis nunquam abrogatur.

7 Si verò lex non ſeruatur à populo, quia habet ignorantiam illius non dicitur abrogari lex per illam ignorantiam, ſed data ſcientia obligantur omnes ad illam, ac ſi tunc inciperet. Suarez *citato loco*, ſed Nauar. *lib. 1. Conſil. tit. de conſtitut. conſil. 1. quæſt. 6.* tenet quod etiam lex ignorata per contrarium vſum abrogatur tempore ſufficienti, etiam ſi ſit lex Papæ: & probat, quia melior eſt conditio non ſeruantis per ignorantiam quàm non ſeruantis ſcienter à principio:

&

Digitized by Google

& tamen lex abrogatur non ſeruata à ſcientibus illam à principio per tempus ſufficiens: ergo etiam abrogabitur per contrarium vſum illorum, qui nno ſciunt. Sic ille.

8 Priuilegia à quocumque obtenta contra Regulam, & ſtatuta Religionis, aut eius conſuetudines irrita ſunt. Vnde Ordo Minorum de Obſeruantia reiecit priuilegium obtentum per quendam Commiſſarium Romanum, eo quod tale priuilegium repugnaret puritati Regulæ noſtræ. Rodriguez *tomo* 1. *quæſt.* 10. *artic.* 5.

9 Statutum Regulare factum contra ius commune, eſt nullum: quia inferior non poteſt derogare legi Superioris. Vnde non valet ſtatutum ſi fiat, vt ſit nulla profeſſio illius, qui vulgò dicitur Chriſtianus nouus tantùm, ſi aliàs non deſcendit ab hæreticis combuſtis: ſi tale ſtatutum de ſolis Chriſtianis nouis non ſit expreſsè approbatum à Papa. Nauar. *in terminis lib.* 3. *Conſil. titul. de Regular. conſil.* 5. & Rodriguez *tomo* 1. *quæſtion.* 68. *articul.* 2. ait non valere ſtatutum factum quo iubetur ne in viſitationibus denuntiet Prælato is qui non fuerit presbyter. Ius enim canonicum non repellit à Religionis habitu illos qui tantùm fuerint Chriſtiani noui, neque illorum profeſſiones annullat. Neque item ius canonicum repellit à denunciatione Subdiaconos, Diaconos, & alios Religioſos quouis ſacro Ordine carentes.

10 Prælatus ſuperior tenetur ſeruare ſtatuta ſuæ Religionis, & ad illa tenetur, quo ad vim directiuam, non verò quo ad coactiuam: id eſt, ſi non ſeruet, peccabit, quia non ſequitur dictamen rationis dirigentis in qua fundatur ſtatutum: & hæc eſt vis directiua ad quam tenetur. At ſi non ſeruet non cogetur ſubire pœnam poſitam à lege, quia Prælatus nõ poteſt

se punire, & hæc est vis coactiua legis, id est, pœna ipsius. Est communis Doctorum in materia de Legibus.

11 Statuta Religiosorum facta authoritate Papæ, & ab illo confirmata, possunt reuocari in alio Capitulo Generali sequenti, etiam si non interueniat specialis licentia Papæ. Tenet expresse Rodriguez *tomo* 1. *quæstione* 68. *articulo* 5. dicens hoc, non esse dispensare in lege Papæ: quia ibi confirmatio Papæ circa præcedens statutum fuit quid accessorium, & non principale. Et ad hoc citat *capitul. cum accessissent. de constitution.* vbi Capitulum Cathedralis receſſit per se à quodam statuto per Papam confirmato. Et hîc confirmatio Papæ habet solum vim fauoris, non verò legis Papalis: vt tenet Mirand. *tomo secundo quæstione vigesimanona, articulo octauo.* Et citat præterea Rodriguez quandam legem, & Decium. At secus dicendum erit, si Papa alicui Capitulo Generali præciperet, vt nomine Papæ tale, vel tale statutum ordinaretur, vt fecit Sixtus Quintus, in nostro Capitulo Generali Romano, suo tempore celebrato, circa electiones faciendas per schedulas secretas, & in similibus: tunc enim nullum Capitulum Generale illud poterit immutare: & quod etiam Abbatissæ forent triennales, vt ibidem mandauit. Vnde colliges statutum Prouinciale, factum in vna Prouincia, præsente, & confirmante Generali, posse postea immutari, non obstante Generalis assistentia, & confirmatione, si fiat aliud Capitulum Prouinciale in eadem Prouincia,

Sixtus IV. concessit Fratribus Minoribus tunc præsentibus & futuris, quod non possint ligari aliqua censura Ecclesiastica, nec vllo vinculo peccati mortalis

propter

propter ſtatuta, vel conſuetudines, vel declarationes dicti Ordinis(præter Regulam) à quocumque Prælato editas,etiam autoritate Apoſtolica confirmatas:niſi illa ſtatuta,conſuetudines,& cætera,ex diuina lege,& præcepto Rom.Eccleſiæ inducerent ad mortale. Et cenſuras,& pœnas aliter latas reuocauit,& annullauit:& voluit quod ſolùm haberent vicem pœnæ comminatoriæ,&c. pro vt habetur in Compend. Mendicant.*verb. Statuta Ordinis.*§.1.

Circa hanc conceſſionem (quam timeo malè hodie exponi) noto primò ibi Collectorem priuilegiorum dicere, quod ibi Sixtus IV. non reuocauit cenſuras Apoſtolicas poſitas à Summis Pontificibus contra Minoritas in Bullis, & declarationibus Pontificiis editis, vſque ad tempus Sixti IV. ſed ſolùm reuocaſſe & annullaſſe ſtatuta, & cenſuras poſitas à Prælatis Minorum. At Corduba *in ſuis Addition. ad Compend.cit.*§.1. quem ſequitur Rodrig. *tom.*1.*quæſt. Reg.quæſt.*11.*art.*8. & Miranda *tom.*2. *Manual. quæſt.*29. *art.*10. *concluſ.*1. dicunt Sixtum IV. in illa conceſſione conceſſiſſe,quod non ligarentur Minoritæ ad peccatum mortale per ſtatuta,conſuetudines,& declarationes factas ab Ordine;neque per cenſuras illius Ordinis: ſed neque etiam ligarentur per cenſuras,vel declarationes factas à Papa ante Sixtum IV. editas in particulari pro Fratribus ipſius Ordinis. Dixi, *factas in particulari pro Fratribus iſtius Ordinis*: quia dicunt hi tres autores, quod hoc non obſtante, ligabuntur Minoritæ cenſuris, & præceptis factis à Sum. Pontificibus antecedentibus Sixtum IV. quando tales cenſuræ fuerint factæ, vel editæ contra omnes fideles Catholicos, vel contra omnes Religioſos in communi: ab his enim non liberabuntur Minoritæ, ſed ſolùm ab editis per Papas ante Sixtum IV. contra ipſos Minoritas in particulari, cauſam

ſam huius rei aſſignat clarius Rodriguez *citato art.* ex Corduba.

2 Notant citati tres Doctores, & concordat Collector *citato loco*, quod cenſuræ, & declarationes Papales factæ à Sum Pontificibus poſt Sixtum IV. ligabunt Minoritas ad mortale: quia Papa anteceſſor non poteſt ligare manus ſui ſucceſſoris. Et proinde conſtitutiones, & declarationes Pontificiæ factæ poſt Sixtum IV. in particulari pro Minoritis omnino illos ligant ad mortale. Et ſub cenſuris, quales ſunt de non ſubornando, de electionibus ſic, vel ſic faciendis, & ſimilibus multis in particulari editis circa Minoritas poſt Sixtum IV.

Tota dubitatio eſt de cenſuris latis à Prælatis Minorum poſt Sixtum IV. & de ſtatutis Minorum factis in Capitulo Generali, vel Prouinciali, & declarationibus prælatorum Minorum factis poſt ipſum Sixtum IV. an ſcilicet hæc omnia obligent hodie Minoritas ita vt peccent mortaliter & incurrant cenſuras contra illa ſtatuta faciendo? Videtur enim quod non incurrant aliquid horum: quanuis enim Papa anteceſſor non poſſit ligare manus Papæ ſucceſſoris vt citati quatuor Doctores dicunt; poteſt tamen Papa anteceſſor ligare manus Prælatorum Ordinis futurorum cùm ſint inferiores Papæ: cúmque Sixtus IV. in illa conceſſione locutus ſit de Prælatis, & Fratribus qui pro tempore fuerint, videtur quod futurorum Prælatorum Minoritarum ſtatuta, vel cenſuras noluerit hodie obligare ad mortale in conſcientia.

Sit prima concluſio. In Ordine Minorum (idem dic de aliis Religioſis qui vellent communicare citato priuilegio Sixti IV.) quandocumque ſtatutum aliquod, Generale, vel Prouinciale, prohibet, vel iubet aliquid per obedientiam, obligat ad mortale abſque dubio poſt Sixtum

Sixtum IV. quod probatur clarè, quia Sixtus IV. non loquitur citata Bulla de ſtatutis in poſterum faciendis, ſed de iam factis, vt patet ex illo verbo (*editis*) & declaratur quia tale ſtatutum continet obligationem voti obedientiæ. Et Sixtus IV. ibi non diſpenſauit in voto obedientiæ: neque decuit vt diſpenſaret in illo, aliàs corrueret totum regimen Religionis: imò credo neque potuiſſe Papam in hoc voto diſpenſare, etiam ſi vellet: implicat enim contradictionem, aliquem eſſe Religioſum, & non teneri ad obedientiam. Vnde colligo puniendum eſſe, vt ſcandaloſum, & temerarium Religioſum dicentem non obligare ad mortale ſtatutum Ordinis præcipiens aliquid ſub obedientia.

Secunda concluſio. Statuta, vel præcepta lata à Prælatis Prouincialibus Minoribus ſub cenſura, obligant ad mortale, & cenſura ligat contrafacientes poſt illam conceſſionem Sixti IV. Hæc eſt æquè vera atque præcedens, & probatur, quia Prælati Religionum ſunt verè Prælati, habentes iuriſdictionem externam, vt poſſint verè excommunicare ſuos ſubditos, vt probaui ſupra *verb. Abbas ex iure*; & Doctoribus communiter. Et conſtat ex praxi communi Eccleſiæ, & Religionum. Vnde noſtra ſtatuta Generalia Tolletana *titulo de pœna excommunicat.* dicunt puniendum eſſe veluti erroneum, & perturbatorem ordinis illum Religioſum qui dixerit non poſſe Prælatos Ordinis (etiam Guardianum) ſuos ſubditos excommunicare. Neque verò Sixt. IV. debuit hanc iuriſdictionem excommunicandi ab homine, vel per ſtatuta, adimere Prælatis Minorũ, vergeret enim in damnum boni regiminis, quod aliquando conſtare nequit abſque fulminatione cenſurarũ: & quando id Sixt. IV. intẽderet iam eius priuilegium, ſeu lex præceptiua quoad hoc ceſſaret per cõtrarium vſum per tã

longos annos post Sixtum ; per quos annos Prælati in Ordine concedunt statuta cum censuris, & absoluunt contrafacientes. Constat verò ex supradictis quod priuilegium potest abrogari per contrarium vsum : & quod Prælati Religionum possunt explicare priuilegium Papæ:& illius vsum restringere, vel interdicere. Constat item quod lex Papæ(quando illa Sixti IV.concessio esset lex pura, & non priuilegium) constat, inquam, apud Iuristas communiter quod lex Papæ per contrarium vsum potest abrogari intra 40. annos, imò intra 10. annos, de quo latè Suarez *tom. de Legib. lib. 4.cap. 16. à num. 11.* citans multos,& dicens esse communem.

Tertia concluſ.In Ordine Minorum statuta generalia non obligant ad mortale, nisi aliàs interueniat ibi alia obligatio legis naturalis, vel diuinæ positiuæ, vel Ecclesiasticæ,vel si talia statuta sint posita sub censura, vel obedientia.Hæc est expressa in statutis nostris Tolletanis, *titulo de constitutionibus*, sub iisdem verbis : & hæc declarat duas præcedentes conclusiones;& est Regula Capituli Generalis cui Minoritæ stare debent: idem dic de statutis Prouincialibus. Circa quod statutum generale noto duo:primum est : quod statuta non continentia obedientiam, nec censuram,non obligant ad mortale, imò neque ad veniale. Nam ibi absolutè dicitur,quod non obligant ad culpam : & cùm lex non distinguat de culpa mortali nec veniali, neque nos debemus distinguere.Secundũ,quod quando aliquod statutum Generale vel Prouinciale prohibet aliquid Prælatis sub pœna suspensionis ab officio duorum mensium, tàlis transgressio est peccatum mortale:est enim statutum cum censura suspensionis. Vnde Guardianus scindens arborem absque licentia ob quam est suspensus,peccat mortaliter.

ADDI

ADDITIO.

Vide ſupra verb. *Lex*, hæc enim duo affinitatem habent. Maximè vide ibi *num.* 14.

IN particulari verò pro Ordine Minorum recurrit admonitio facienda circa illud quod dixi ſupra *eodem verbo Statutum à numer.* 11. latè, poſſe videlicet hodie Prælatos, & Capitula generalia Minorum condere ſtatuta obligantia ad peccatum mortale, & fulminare in illis vel extra illa cenſuras validas non obſtante conceſſione quadam Sixti IV. ibi adducta, & à nobis explicata. Ibi enim *concluſione* 3. pro vltima reſolutione dixi ſtatuta Fratrum Minorum condita poſt illam conceſſionem Sixti IV. ſi contineant obedientiam, vel cenſuram, obligare ad peccatum mortale: & illorum cenſuras ligare contrafacientes. Poſtea gauiſus ſum inuenire declarationem Pij V. circa eandem materiam dicentis, declarantis, vel decernentis idem omnino quod ibi dixi. Habetur declaratio in Bullario Rodriguez *fol.* 982. *col.* 1. *num.* 28. vbi refertur illum circa Minoritas ſic decreuiſſe: *Item conceſſit, quòd per quæcumque ſtatuta etiam Apoſtolica, non obligarentur Fratres ad aliquas cenſuras, ſeu pœnas Eccleſiaſticas, vel ad peccatum mortale, ſed tantum ad pœnas, ſeu pœnitentias per Prælatos iniungendas: non obſtantibus quibuſcumque Apoſtolicis, ſeu regulæ declarationibus: dummodo non ſit contemptus, vel mandatum non ſit impoſitum ſub pœna excommunicationis, vel in virtute ſanctæ obedientiæ.* Sic ibi. Nota vltima, in quibus Papa expreſſe decernit in tribus caſibus ſtatuta Minorum obligare ad mortale ſi primò ſit contemptus præcepti: nam contemptus grauis, ac deliberatus præcepti, etiam de re

leui,eſt mortale ratione contemptus. Secundò ait Papa peccari ibi mortaliter ſi ſtatutum habeat annexam excommunicationem. Tertiò ſi in illo particulari aliquid in virtute ſanctæ obedientiæ. Quo nihil clarius ad intentum poteſt deſiderari. Et hoc eſt quod in *ead.3. concluſione* dixeram. Quapropter contra oppoſitum dicentes,quaſi contra temerarios in fide puto procedendum.

STIGMATA P. N. Franciſci.

1 IN Compend.*ver.Stigmata P. Franciſci* continentur primò quinque Bullę diuerſorum Pontificum commendantium dignitatem, & veritatem horum ſacrorum ſtigmatum.

2 *Ibidem* etiam §.6. continetur Bulla Alexandri IV. qua prohibet ſub excõmunicatione Papæ reſeruata,ne in Regno Caſtellæ , & Legionis aliquis audeat radere ſtigmata ab imagine P.Franciſci. Et ſub eadem cenſura prohibet ne quis prædicet prædictum Patrem caruiſſe illis veris ſtigmatibus.Et eos qui oppoſitum prędicauerint priuat officiis prædicandi , legendi, & confeſſiones audiendi.

3 *Ibidem etiam* §.7.generaliter excommunicantur ab eodem Papa omnes detractores,contemptores,& irriſores horum ſtigmatum,& hanc cenſuram reſeruat ſedi Apoſtolicæ.

4 *Ibidem à numer.9. & ſequentibus* continentur tres Bullæ Sixti I V. prohibentis ſub excommunicatione ne aliquis depingat aliquam imaginem alicuius Sancti,maximè B. Catharinæ Senenſis, cum his ſtigmatibus. Et in prima Bulla probat Papa D. Catharinam illis caruiſſe, quia ſi , inquit , illa talia ſtigmata haberet

pro

proculdubio Pius II. qui illam retulit in catalogum Sanctorum id sciuisset per examen suæ vitæ factum ante canonizationem, & si ita esset omnino rem tantam non fileret in Bulla canonizationis: in qua tamen Pius nihil omnino ea de re dixit. Quæ est ratio in moralibus pene euidens.

5 S. D. Paulus V. promulgauit licentiam generalem omnibus Clericis Regularibus, & sæcularibus, vt possint recitare Diuinum officium de stigmatibus Patris nostri Francisci, quod incidit die 17. Septembris.

6 Is qui impressit hæc stigmata B. Patri non fuit Angelus, sed ipsemet Christus D. Sic Piza *in lib. conformit. lib. 3. fruct. 31. fol. 304. colu. 2. in medio*, referens apparitionem Patris Francisci factam cuidam deuoto Religioso, quem hac de re edocuit ipse Pater. Consonat quod dicitur in hymno eiusdem festi in Breuiario Minorum, cùm dicit de Patre recipiente stigmata. Ad quem venit Rex è cœlo, amictu Seraphico, &c. Stigmata Pat. nost. sunt canonizata ab Ecclesia. Nam habent ab illa diem festum assignatum: & tot testimonia Pontificum publica: Canonizatio verò, non solùm cadit supra Sanctos, sed etiam supra mysteria, vel supra festorum assignationem: in qua assignatione festorum Papa non potest errare. Est autem canonizatio testimonium publicum datum ab Ecclesia, de sanctitate, festo, vel mysterio, vt latè & bene probat D. Frater Aegidius *lib. 1. de Concep. Deipara. fol. 9. & lib. 3. fol. 307.* citans Suarez *n. 1.*

ADDITIO.

1 DOminus P. Paulus V. concessit Fratribus Minoribus de Obseruãtia vt singulis mẽsibus semel

quouis menſe recitarent Officium de Stigmatibus P. N. Franciſci prima die cuiuſque menſis non impedita aliquo feſto nouem lectionum: excepto tempore Quadrageſimæ, & Aduentus Domini: & hoc Officium diceretur ab Obſeruantibus Minoritis ſicut approbatum, & conceſſum prius fuerat pro Fratribus Minoribus Conuentualibus. Circa quod noto ſequentia.

2 Primò, circa id quod dicit poſſe id officium recitari prima die menſis non impedita, non excludere, quin, ſi fuerit impedita prima dies poſſint idem Officium dicere ſecunda die, ſexta, vel decima, vel vigeſima, & ſic de cæteris vſque ad finem talis menſis. Hoc enim conceſſio ſonat, aliàs paruam gratiam concederet Papa, ſi impedita prima die menſis alio feſto, amplius non liceret intra illum menſem, illud Officium recitare. Nam quinque, vel ſex menſes in prima die afferunt feſta nouem lectionum. Secundò, Papa excipit tres menſes Aduentus, & Quadrageſimæ. Tertiò, multæ dies Dominicæ incidunt in primam diem menſis. Si ergo impedito primo die menſis in anno aliquo feſto nouem lectionum non liceret amplius tale Officium recitare, parum fauorabile eſſet priuilegium: maximè cùm vltra prædicta, multi dies infra octauæ, vel ipſæ octauæ incidant aliquando prima die menſis. Adde quod Officium defunctorum obligans in choro prima die menſis non impediti, reſeruatur ad quemcunque diem eiuſdem menſis etiam vltimum non impeditum.

Poſtea idem D. Paulus V. conceſſit vt omnes alij præter Minoritas poſſent dicere Officium Stigmatum P. N. Franciſci in ſuo proprio die ſemel in anno, verb. grat. 17. Septembris. Habetur conceſſio in Breuiariis nouis Antuerpiæ anno 1616. apud Moretos in offic. Minorum die 17. Septemb.

SVBOR

SVBORNATIO.

1 SVbornatio est suasio, qua suadetur aliquid verum, vel falsum, in bonum vel malum finem. Sic definit Cardinal. apud Rodriguez *tom.2. quæstione 56.artic.1.* Hæc autem est duplex: alia est subornatio bona, qua suadetur bonum, & verum in bonum finem: id est, suadentur veræ, ac bonæ qualitates eligendi ad bonum finem Reipublicæ. Subornatio mala est, per quam suadentur falsæ partes hominis indigni,vt eligatur in damnum Reipublic. Et hæc subornatio mala potest fieri voce, donis, minis, precibus, & similibus.

2 Quando iura, maximè Bullæ Pij V. & Gregor. XIII.erga Minoritas, prohibent cum rigore subornationes ante electionem, & excommunicant subornatores,non prohibent, neque excommunicant bonam subornationem qua scilicet suadetur,& procuratur vt eligatur dignior: vel æquè dignus: nam hoc interest Reipublicæ. Et finis Papæ iste est, vt per subornationem,non eligatur indignus vel minus dignus. Solùm ergo prohibet subornationem malam,qua scilicet suadetur,vt eligatur minus dignus, vel indignus. Nau *l.5. Consil.titul.deconstitut.consil.7.fol.639. num.7.* & Rodr. *tom.2.quæst.56.art.1.*

3 Non est subornare conferre adinuicem quis sit dignior vt eligatur, & rationes ad inuicem pro vtriusque meritis adducere. Statuta Generalia Tolletana *verb. Subornatio.* Et inde videtur colligi, quòd si aliquis solùm petierit ab alio vt det suffragium pro tali indigno, vel minus digno, si, inquam, hoc petierit simpliciter, non suadendo, neque minis, neque donis, neque precibus importunis, neque persuadendo falsas

falsas illius qualitates, sed solùm leuiter petendo : talis peccabit mortaliter, quia agit pro indigno, vel minus digno, non tamen videtur incurrere pœnas impositas subornantibus, quia non suasit: dictum est enim quod subornare, est suadere: aliud verò est suadere, aliud simpliciter petere. Et plus dicit suadere quàm petere.

4 Subornatores malè in Ordine Minorum, sunt excommunicati, & priuati voce actiua, & passiua. Et quidem excommunicationem incurrunt ipso facto absque vlla declaratione. Quod verò attinet ad priuationem vocis actiuæ & passiuæ, Rodriguez *citato art.* 1. cum Soto, Cordub. tenet probabilius non incurri ipso iure saltem in foro externo: nisi quando diffamatus iam est ipse subornator, & in iudicio negat. At Suarez *de Legibus, lib.* 5. *cap.* 9. in simili materia tenet oppositum, & dat rationes quas vide *ibi.*

5 Prædictas pœnas incurrit subornator, etiam si non sequatur effectus ex parte subornati, id est, etiam si subornatus, vel pro quo subornatur, non eligatur. Rodriguez *Addit. ad Sum. tom.* 4. *cap.* 141. citans, ac sequens Suarez, & retractat ibi quod tenuerat in contrarium *in* 2. *tomo Quæstionum Regularium*; videlicet quod non secuto effectu subornationis, non incurrebantur pœnæ: hoc, inquam, retractat.

SVSPENSIO.

Vide supra verb. *Sacramenta, num.* 14. & verb. *Ordines sacri. num.* 13. *&* 14. *per totum.* & toto ipso verb. *Ordines.*

1 SVspensio illa est posita in corpore iuris, & dicitur à iure: alia ab homine, id est, quæ à particulari

ticulari Iudice imponitur, ob crimen particulare. Rursus alia est suspensio ab officio: alia à beneficio: alia à sacris Ordinibus: alia ab Ordine suscipiendo tantùm, non à suscepto: & sic de aliis quæ omnino videnda sunt in verbis sententiæ, debet enim Iudex exprimere à quo, vel à quibus suspendat: & verbis illius standum est cum restrictione, quia est lex valde pœnalis.

2 Suspensio ab officio non est priuatio officij, sed solùm priuat vsu ipsius per certum tempus, in sententia designatum. Durante verò tempore suspensionis, peccat mortaliter suspensus, si se ingerat officio sibi prohibito. Contrariatur enim per hoc censuræ directè id prohibenti, & est in materia grauissima. Est communis Doctorum: non tamen manet irregularis ob solam executionem officij, sed arbitrio puniendus est. Suarez *tom. de censur. disp. 26. sect. 2. num. 30.* Si verò suspensus exerceat actum Ordinis manet irregularis, erit autem actus Ordinis exerciti validus excepta absolutione sacramentali: hæc enim non valebit data à suspenso. Suarez *tom. de censur. disput. 26. num. 30.* Et hîc etiam aduerte proximè notatum quod scilicet videantur verba sententiæ à quibus suspendat, an solum ab officio, an etiam à beneficio, & cæteris officiis Ecclesiasticis.

3 In iure communi fulminantur tredecim suspensiones contra Religiosos, de quibus in Summa etiam resumit Rodrig. *tom. 3. quæst. 65. artic. 2.* Et ego adhuc breuius sic summo,

Prima, contra recipientes Ordines sacros absque reuerendis suorum Prælatorum.

Secunda contra Prælatos alienantes bona suorum Conuentuum absque debita solemnitate. De quo supra *verb. Alienare, ver. Procurator, & ver. Syndicus.*

Tertia

Tertia contra Prælatum ſubiicientem laicis bona immobilia Eccleſiæ, vel iura illius, abſque licentia Papæ.

Quarta contra Prælatum in Ordine Minorum, & Prædicatorum admittentem Nouitium ad profeſſionem, non finito probationis anno: & talis Prælatus ſolùm ſuſpenditur à receptione aliorum Nouitiorum. Sayrus *lib.4. de cenſur.cap.13.n.13.*

Quinta contra Religioſos vſurpantes ſibi decimas Parochiæ, abſque priuilegio, & hi ſuſpenduntur ab officio,& beneficio.

Sexta contra Prædicatores non facientes conſcientiam de decimis,iis quorum confeſſiones audiunt.

Septima contra Abbates, & Priores, ſi ſotulares non corrigiatos, & altos, vel non Capucia non ſciſa portauerint, per præſumptionem: ſicut habet *ibi* Rodriguez, ſed de hoc videant ipſi Ordines qui habent Abbates,& Priores.

Octaua contra Religioſos, qui ex adminiſtratione Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis, vel Matrimonij ſolemnis, aut quacumque abſolutione indebita, aliquid acquiſierint, niſi reſtituant intra menſem poſtquam fuerint requiſiti.

Nona contra Fratres Prædicatores qui promoti ad Epiſcopatum, non renunciant,ſeu reddunt Ordini libros, & alia quæ habebant tempore promotionis. Et ſuſpenduntur ab Officio Pontificali.

Decima contra Fratres Prædicatores perturbantes in Officio ſanctæ Inquiſitionis Fratres Minores, & è contra.

Vndecima contra Prælatum, qui intra menſem non ſatisfacit damnum datum per ſuum ſubditum detrahentem Prælatis Eccleſiæ poſtquam fuerit requiſitus. Vide ſupra *verb. Epiſcopus num.8.*

Duo

Digitized by Google

Duodecima contra Prælatum, qui non ſatisfacit damnum datum, per ſubditum impedientem ne teſtator relinquat legatum ſuæ matrici.

Decima tertia contra Prælatos, qui intra Monaſteria admittunt fœminas. Hæc *ibi* Rodriguez, vbi citat loca in quibus prædictæ cenſuræ fulminantur: quæ vide *ibi*. Ego ſolùm aduerto, aliquas ex ibi citatis parum eſſe in vſu, vel ſaltem parum frequentes. Et dico multas alias ſuſpenſiones contineri in multis aliis Bullis particularibus, quas moraliter loquendo impoſſibile eſt recenſere. Videant illi quorum intereſt, vel obſeruare, vel recenſere. Ego enim id non profiteor.

4 Si Prælatus ſit ſuſpenſus, vel excommunicatus per aliquam legem, non debet euitari, & ab officio ceſſare donec declaretur per Iudicem competentem, maximè ſi crimen occultum eſt. *Extrauagans ad euitanda. de ſententia excommunication.* Neque iſta declaratio poteſt fieri abſque citatione culpati, ſiue ſit Prælatus, ſiue ſubditus: vel ſi citatus contumax non compareat. Facta verò interim à Prælato ſupradicto valent in ſuis officiis. Rodriguez cum Nauarro, & aliis quos *citat tom.3. quæſtio.65. artic.7.*

5 Suſpenſus tantùm à diuinis poteſt audire Miſſam: communicare Euchariſtiam; & recipere Sacramentum pœnitentiæ: nam ſuſpenſus à diuinis, ab his non arcetur, vt colligitur *ex capit. ſi quis Epiſcopus 11. quæſtione 1.* & tenet Rodriguez *citata quæſtione 65. artic.8.* Solùm enim prohibet ſuſpenſio à diuinis, executionem officij, audire verò Miſſam, & cætera proximè dicta, non pertinent ad officium. Quod attinet ad poteſtatem abſoluendi ſubditos à ſuſpenſione, præter dicta *citato verb. Ordines ſacri. numer.14.*

vide

Digitized by Google

vide etiam *verb. Dispensare*, & *verb. Prælatus ad absoluendum.*

6 Apostata si ordinatur Ordine sacro in apostasia, manet suspensus ipso iure: tum quia ordinatus est in excommunicatione; tum quia pro tunc inhabilis: & proinde duabus indiget absolutionibus, si durabat apostasia quando fuit ordinatus. Suar. *tom. de censur. disput. 31. sectio. 6. num. 1.*

7 Ordinatus per saltum manet ipso iure suspensus, tum ab Ordine iam recepto, tum etiam à recipiendo. Nauarr. *in Summ. cap. 27. num. 142.* & Suarez *de censur. disp. 31. sect. 1.*

8 Recipiens Ordinem sacrum ante ætatem, si prius fecit diligentiam moralem ad se certificandum, & tamen deceptus, recepit Ordines non manet suspensus, quia fecit bona fide: supra *verbo Ordines sacri. num. 13.* & Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 41. n. 38.* quia ius solùm suspendit præsumentes.

9 Suspensio poni debet in scriptis, aliàs non obligat, & ponens illam peccat mortaliter. Rodr. *tom. 4. Addit. cap. 143. num. 11.* vbi ait quod si Prælatus dicat verbo tenus alicui Religioso, ne ministret Sacramenta, vel tale, aut tale Sacramentum, talis prohibitio non est suspensio, neque censura, & proinde contrafaciens peccabit mortaliter, sed non erit irregularis.

Quod verò hæc suspensio in scripto authentico ponenda sit, habetur *cap. 1. de sententia excommunicat. in 6.* Et præterea in eodem scripto debet contineri causa ob quam fertur suspensio, & idem dic de excommunicatione. Suarez *tom. de censur. disput. 3. sect. 13. à num. 2. & sequentibus.* Et Prælatus ponens censuram suspensionis, excommunicationis, vel aliam absque scripto manet suspensus: & si durauerit in illa

suspen

ſuſpenſione per menſem, & officia diuina fuerit executus manet irregularis. Suarez *loco citato, num.* 8. Addit tamen ibi quod ſi feratur ſuſpenſio, vel excommunicatio abſque ſcripto, quidquid ſit de peccato, & pœna ſic ponentis, cenſura poſita eſt valida. Vide tamen quæ diximus ſupra *verb. Excommunicare n.* 1. huc enim ſpectant: ſed Doctores ſtrictius loquuntur de ſuſpenſione, & in illa non admittunt excuſationem, ſi feratur abſque ſcripto.

10 Suſpenſus ab Ordine inferiori, ſuſpenditur etiam ab Ordine ſuperiori. Si tamen exequatur Ordinem ſuperiorem non manet irregularis, ſicut manet exequens Ordinem inferiorem à quo expreſsè fuit ſuſpenſus. Sayrus *libr.* 4. *de cenſur. capit.* 3. *numer.* 2. & 10.

11 Quando ſuſpenſio ponitur indeterminatè, abſque limitatione temporis, durat ad beneplacitum ſuſpendentis: at quando fertur vſque ad tempus certum, v.g. duos menſes, tranſacto dicto termino finitur ſuſpenſio: neque tunc eſt neceſſaria noua abſolutio ſuperioris vt exequatur ſuum officium. Suarez *tom. de cenſur. diſput.* 26. *ſect.* 1. *numer.* 14. & *ſequent.* Et idem dicit quando ſuſpenſio lata eſt ſub aliqua conditione, vt ſi ſuſpendatur donec ſatisfaciat, vel quid ſimile: tunc enim expleta conditione ex parte ſuſpenſi, ceſſat ſuſpenſio abſque vlla abſolutione Iudicis: hæc enim tunc eſt mens legis, vel Iudicis. Hoc intellige de ſuſpenſione, quæ non eſt lata ob contumaciam, hæc enim indiget abſolutione: ſecus de illa quæ lata eſt in pœnam pro tempore limitato.

12 Suſpenſionis tempus quo ad durationem debet eſſe completum, & numeratum ab hora qua publicatur ſententia, ſi eſt ab homine: ſi verò eſt ſuſpenſio à iure debet cõputari tempus ab hora commiſſi delicti, vſque

ad horam proportionalem in qua finitur menſis, vel annus præfixus in ſententia, vel in iure. Suarez *tom. de cenſur. diſputatio.29. ſectio.1. numer.4. & ſequentibus.*

13 Vt abſoluatur ſuſpenſio,vel tollatur, quando per abſolutionem Prælati tollenda eſt, debent interuenire verba ſignificantia illum effectum tollendi illam cenſuram. Ordinaria ſunt: *Abſoluo te ab iſta ſuſpenſione*: ſed non requiruntur hæc verba determinata, ſufficiunt alia quæcumque per quæ mens Iudicis intelligatur eſſe illam tollere. Eſt communis Doctorum, & poteſt colligi ex traditis circa formam Sacramentorum:& melius circa tollendam excommunicationem.

14 Quando in iure ponitur depoſitio ab officio, & intelligitur priuatio ab officio, quod eſt pluſquam ſuſpenſio. Abbas *ad capit. inſinuatum, de ſimonia, & cap. querelam, de iure iurando*, & Doctores communiter.

15 Ille qui ordinatur non ſeruatis interſtitiis, ita vt inter ſubdiaconatum, & cæteros ſuperiores Ordines, deficiat annus, incurrit ſuſpenſionem: non verò incurret ſi deſit annus inter Ordines minores:Concilium enim ſolùm loquitur de Ordinibus maioribus, & de minoribus inter ſubdiaconatum, remittitur ad vſum Prouinciæ. Suarez *de cenſur. diſputatione. 31. ſectione. 1. numero 43.* Neque item incurret ſi pro anno requiſito interſtitij diſpenſet Epiſcopus ex cauſa.

16 Propter ſodomiam ſi eſt publica, vel publicata per ſententiam, incurritur ſuſpenſio. Nam Pius V. in ſua Conſtitutione contra hoc crimen iubet in illo culpatos ſiue ſint Clerici ſæculares, ſiue Regulares, carere omni officio, beneficio, & dignitate Eccleſiaſtica,

stica, quæ verba pluſquam ſuſpenſionem indicant, imò priuationem. Vnde iam ſupra diximus non poſſe Prælatos cum huiuſmodi diſpenſare, propter notabile ſcandalum ex iſto vitio ortum. Imo notat Suarez *diſp. 31. ſectio. 5, numero 2.* hoc verum eſſe, ſiue delinquens notatus ſit publica infamia, ſiue non: requiritur tamen vt ſit vitium conſummatum. Vnde non ſufficient ad hoc tactus impudici contra naturam. An verò ad has pœnas incurrendas, ſufficiat ſemel tantùm hoc vitium commiſiſſe, an verò requiratur exercitium multorum actuum, dictum eſt ſupra *ver. Pœna. num. 7.* Suarez verò *numero proximè citato* requirit exercitium multorum actuum. Putat tamen *ibid.* & bene has pœnas non obligare reum in foro conſcientiæ quando crimen eſt occultum.

Alia pertinentia ad ſuſpenſionem, quia non adeo concernunt Regulares, omitto: videantur apud Summiſtas *verb. Suſpenſio*, & alios.

SYNDICVS MINORVM.

1 HÆc materia, ſolùm, vel præcipuè pertinet ad Minoritas. Eſt ergo Syndicus Minorum quidam Procurator Sedis Apoſtolicæ ipſius nomine conſtitutus. Alij verò Conuentus aliorum Religioſorum, habent ſuos Syndicos ſeu procuratores factos, ſeu creatos à Conuentibus modo ſupradicto in *verbo Procurator*, qui non habent tantam authoritatem ſicut habet Syndicus Minorum. Rodriguez *tom. 3. quæſtion. 59. art. 2.*

2 Hic Syndicus Minorum nominari debet à Prouinciali: & non poteſt eligi, ſeu nominari à Guardiano, niſi Prouincialis hoc illi ſpecialiter committat; vt poteſt. *Ibidem* Rodrig. *art. 1.*

3 Habet facultatem procurandi in omnibus cauſis, & locis Minorum ad Rom. Eccleſiam ſpectantibus, & Fratrum vſui conceſſis: & pro immunitatibus, libertatibus, iuribus, & priuilegiis Fratrum, & Conuentuum: poteſt etiam alienare bona Fratrum, permutare, &c. de quibus Compend. Minor. *verb. Procurator*, §. 3, vnde videas Procuratores aliorum Ordinum non habere tam amplam facultatem. Si tamen in aliquibus bonis donatis Minoribus ipſi dantes ſibi reſeruarunt dominium, & ſolum vſum Fratribus conceſſerunt, in his bonis non poteſt Syndicus aliquid immutare, quia directè non pertinent ad ſedem Apoſtolicam, ſed ad dominum dominium reſeruantem. Collector priuileg. *in cit. loco Compendij*.

4 Idem Collector Compendij *cit. verb. Procurator*. §. *Sciendum, & ſequentibus* facit ſequentem notationem: quod ſcilicet Conuentus Minorum non habens Syndicum ponit ſe in periculo frangendi Regulam. Vix enim inuenietur Conuentus quantumcunque reformatus, qui Syndico non indigeat; homines enim ſunt qui ibi viuunt, & ſæpius opus habent ad pecuniam recurrere, quod facere non poſſunt niſi per Syndicum qui eſt Procurator aſſignatus à Papa pro Regulæ obſeruatione: & ſine illo pecuniæ contrectatio Minoritæ omnino prohibita eſt.

5 Clemens VII. in Compend. *cit. ver. Procurator*. §. 13, conceſſit, vt Syndicus Minorum in cauſis ciuilibus, vel criminalibus ipſum tangentibus non teneatur reſpondere niſi coram Iudice conſeruatore ipſorum Fratrum. Quod ſaltem puto debere intelligi de cauſis prædictis ipſum tangentibus ratione officij, quæ ſunt cauſæ Ordinis: in his enim clariſſimum eſt coram ſolo Conſeruatore Ordinis debere conueniri. Secus de cauſis Syndicum tangentibus quatenus talis perſona eſt.

At

At Rodriguez *tom. 3. quæstione 39. articul. 4.* contendit, hoc intelligi etiam de causis Syndici quatenus talis persona est, & homo Reipublic. & de causis suis propriis. Et ponit exemplum in familiaribus sancti Officij. Et quidem mens Papæ *citato loco Compendij*, hæc esse videtur. Nam cùm ibi dicat, pro causis criminalibus Syndicum debere conueniri coram Conseruatore, clarissimè supponitur loqui de causis criminalibus ipsius Syndici: nam res notissima est quod Minoritæ pro causis criminalibus non citantur coram Conseruatore, sed coram suo Prælato. Et proinde ibi loquitur expressè de causis Syndici, vt persona est. Solùm video posse allegari hoc non esse in vsu: at non multum erat si hoc priuilegium à Regibus illi conseruaretur, si quidem est Procurator Papæ. Si alicubi verò consuetudo hæc vigeat, retinenda omninò est. Et fortè contra hoc priuilegium non datur præscriptio non vsus, quia à Clemente VII. vsque ad præsentem diem non decurrerunt anni centum: & præterea multi post illum Pontifices confirmarunt nostra priuilegia ex certa scientia, & de plenitudine potestatis: ita vt tale priuilegium diuersis ex capitibus perdi non potuerit. Et si hoc priuilegium robur obtineret multi se offerrent ad officium Syndici ditiores, ac nobiliores, qui magis Conuentibus proficerent, & pro illis magis pugnarent.

5 Dubium est apud solos Minoritas, an pecunia data pro necessitatibus Fratrum, quandiu non consumitur, & est in manu Syndici, sit sedis Apostolicæ, seu Papæ: an verò illius dominium maneat pro tunc apud dantem? Rodriguez *tom. 3. quæstion. 39. art. 4. §. Ex quibus sequitur*, resolutè tenet manere sub potestate Papæ, & ideo quia pecunia iam est Papæ non potest deponi

niſi in manu Syndici, quia eſt procurator Papæ. Et ita determinatum eſſe per Martinum V. & Paulum IV. Vide ibi tenorem Bullæ Pauli IV. quam citat. Et hæc ratio me conuincit ad tenendum cum illo, quidquid alij dicant manere dominium apud dantem. Si enim dans in rigore maneret dominus poſſet illa reponi extra Syndicum: quod totus Ordo proclamat, ſeu contra clamat.

6 Poſſunt Syndici Minorum dare licentiam Religioſo imprimenti libros, vt de lucro impreſſionis aliquid dent parentibus pauperibus, vel perſonis benemeritis de Religione: talis enim Syndicus cùm ſit Procurator Papæ, habet poteſtatem alienandi etiam in vtilitatem Ordinis: dare verò tunc illis perſonis, redundat ſaltem indirectè in vtilitatem Ordinis. Rodrig. *Addit. ad Sum. tom. 3. q. 158. n. 10.*

7 Poteſt Syndicus Minorum petere in iudicio bona acquiſita per Fratres Apoſtatas, vt expendantur in neceſſitatibus Fratrum. Conceſſit Leo X. Minoribus, citat Rodriguez *Addit. ad Summ. tom. 3. cap. 21. numer. 7. & ibidem numer. 8.* ait non teneri Syndicum ſoluere debita quæ fecit Apoſtata in Apoſtaſia, ſi non affert vnde ſoluantur: nam illa fecit abſque licentia Prælati.

De priuilegiis erga Syndicum tempore interdicti, vide ſupra *verbo Interdictum, titulo de illis quæ poſſunt Regulares tempore Interdicti.* Indulgentias verò illis conceſſas ratione officij, vide Compend. *verb. Procurator.* §. 12. gaudet enim Indulgentiis conceſſis ipſis Fratribus, cum moderatione iam dicta per reuocationem Pauli V. domini noſtri. Affert verò Rodriguez *tomo 2. quæſtione 38. articulo 1.* priuilegium Regum Caſtellæ in fauorem Syndici, quod ſaltem in Portugallia non video eſſe in vſu. De aliis verò pertinenti-

bus

bus ad Syndicum, videant Minoritæ Declarationes Pontificum, & ſua ſtatuta generalia, quæ proſequi non eſt meum intentum.

ADDITIO.

SYndicus in Ordine Minorum, eſt Procurator Papæ, qui nomine ipſius Papæ omnia bona Minoritarum mobilia, & immobilia poteſt diſpenſare vendendo, commutando, alienando, &c. Qui voluerit videre iuriſdictionem ſyndici commiſſam illi authoritate Apoſtolica, legat Bullarium Rodr. *f.* 92. Bullam Matrini IV. Vbi continetur poteſtas & iuriſdictio illius forma autem, ac tenor verborum quo Prouincialis debet illum nominare, & conſtituere, habetur in Enchiridione Minoritarum ad finem, ibi vide: omitto enim hîc tranſcribere formam tum Bullæ, tum Enchiridionis, breuitatis gratia: vt veniam ad maiora, & magis communia.

TERTIARII.

Vide ſupra verbo *Habitus, num.* 5. & verbo *Interdictum. num.* 10.

1 TErtiarij Ordinis Minorum viuentes in communitate ſunt veri Religioſi, & gaudent omnibus priuilegiis, exemptionibus, gratiis, & immunitatibus, conceſſis Ordini Minorum, per Bullam Pij V. & Greg. XIII. apud Cartilum *lib.* 1. *de Tertiariis c.* 11. & hoc intelligitur etiam de exemptione à poteſtate Iudicum ſæcularium; & Eccleſiaſticorum. Idem intellige de Tertiariis Sancti P. Dominici, & viuentibus in Congregatione. Compend. *ver.* Tertiarij §. 9. 10. & 14.

2 Hæc priuilegia, & immunitates non habent Tertiarij particulares, viuentes in domibus ſuis extra communitatem; licèt enim *in capit.* 11. *Regulæ Tertiariorum iſtorum*, id illis conceſſerit Nicolaus IV. poſtea Pius V. & Gregor. XIII. hoc reuocarunt quo ad viuentes extra communitatem propter bonum pacis communis, maximè circa exceptionem, vel exemptionem à tributis. Capucinus *verb. Tertiarij. §. ſecundò notandum.*

3 Dicti Tertiarij in ſuis domibus extra communitatem viuentes, gaudent omnibus Indulgentiis conceſſis Fratribus Minoribus, (intellige hodie conceſſis à Domino Paulo V. iuxta prædicta) Compendium, *verbo Tertiarij. §.* 11. cum Notatione ibi Collectoris. & Rodriguez *tom. 3. quæſtion. 73. articul. 2.* & Carrilus *citato capite.* Vbi etiam aduertit, quod prædicti Tertiarij extra communitatem viuentes, gaudent priuilegio *Canonis ſi quis ſuadente*, dummodo portent habitum iuxta decretum in Regula ipſorum: idque probat ex Rodriguez. In quo non diſſentio ab illis. Si enim ſupra *verbo Manus violenta numero 7.* diximus ex Vega, Commendatores Militares, Chriſti, Sancti Iacobi, & cæteros gaudere illo priuilegio, cùm hi duo contrahant matrimonium, & aliquando non veſtiantur honeſtius, quàm iſti Tertiarij: etiam de his Tertiariis dicere poſſumus, quod gaudeant illo priuilegio, tanquam perſonæ Deo dicatæ. Solùm timeo, hoc non eſſe receptum in vſu. Habitus autem, ſeu modus veſtium horum Tertiariorum habetur in Regula illorum *cap. 3.* vbi in ſumma dicitur, quòd veſtis illorum ſit vilis, in pretio, & in colore: neque omnino ſit alba, neque omnino nigra, niſi per Viſitatores de conſilio Prouincialium fuerit diſpenſatum. Item, quod veſtes non habeant ſciſſuras, vulgo, *Golpeados*,

ſed

ſed ſint honeſtæ. Circa veſtem fœminarum eadem fere ibidem dicuntur, quæ vide. Vnde non dubito quin hi prædicti, ſi habitum ibi præſcriptum portent, gaudeant dicto priuilegio Canonis propter cauſam proximè dictam.

4 Hi Tertiarij viuentes extra communitatem non ſunt verè ac proprie Religioſi, quia non promittunt tria illa vota eſſentialia. Eſt tamen Ordo illorum ſic viuentium extra communitatem verus Ordo ab Eccleſia approbatus. Ordo autem quo ad hoc latius patet, quàm Religio. Eſt enim Religio quid ſtrictius ratione trium votorum: & verbum *Religio* à religando dictum, id ſonat. Quod non ſonat Ordo: ſed verbum *Ordo* ſonat directionem, & ordinationem aliquam quam iſti Tertiarij habent ex Regula. Carrilus *lib. 3. Tertiariorum. cap. 5.*

5 Hi Tertiarii viuentes extra Congregationem, licèt promittant, modo voti, ſeruare mandata Dei, ex vi huius voti, quando violant aliquod præceptum Decalogi, non peccant particulari circumſtantia voti in confeſſione declaranda, ita vt ſit duplex peccatum. Illud enim votum, non eſt votum propriè, vel votum ſpeciale: ſed eſt votum analogicè non inducens particularem obligationem peccati, etiam venialis. Explicatur hoc iuxta illud quod multi Patres dixerunt, nos in baptiſmo promittere, & vouere ſeruaturos nos eſſe mandata Dei. Tale enim votum in Baptiſmo non eſt votum propriè, ſeu ſpeciale, neque inducit obligationem aliquam peccati ratione voti, etiam venialis: ſed ſolùm habet vim directiuam. Ita reſponſum fuit Conimbricæ, anno 1608. per ſex Doctores lectores, inter quos fuit vnus Pater Suarez, quorum dicta vide apud Carrillum *citato lib. 3. ad finem.* Addit tamen Suarez *ibi citatus* quod peccatum

verb

verb.grat. furti factum à professo Tertiario, habebit cæteris paribus maiorem grauitatem intra eandem speciem: non quod sit diuersum specie ratione voti. Et quando tales professores vouent, intendunt se obligare eo modo quo Sum. Pontifices explicarunt illam regulam, videlicet quod non teneantur ratione Regulæ ad vllum peccatum.

6 Prælati Minorum suprà hos Tertiarios viuentes extra communitatem non habent vim coactiuam, habent solùm vim directiuam: per quam solùm possunt illos docere, ac dirigere, non punire. Ac proinde si tales Tertiarij Prælatis Minorum non paruerint quo ad hanc viam directiuam, non peccabunt venialiter. Rodrig. *tom. 3. quæst. 69. art. 1.*

7 Tertiariæ seu Beatæ viuentes in domo particulari profitentes Regulam Nicol. IV. si promittant in particulari castitatem, licèt non maneant verè Religiosæ, quia non promittunt tria vota, nihilominus gaudent priuilegiis & immunitatibus illius Ordinis Tertij, cuius Regulam sunt professæ, & sunt exemptæ à iurisdictione Ordinariorum. Compend. *verbo Tertiarij.* §. 20. Et Leo X. in Concil. Lateranensi. Et sic declarauit Romæ Congregat. Cardinalium circa illas: quam declarationem ponit in terminis Cartillus *citat. lib. 3. cap. 5.* Neque mirum quia alij Tertiarij viuentes extra communitatem, non promittunt castitatem: sed solùm vouent mandata Dei, modo supra expositio. At istæ Tertiariæ vouent in particulari castitatem, non coniugalem, sed absolutè, & manent cum habitu Ordinis, & sub obedientia Prælatorum, & hoc est verum etiam si non voueant obedientiam, & paupertatem, sed solam castitatem.

8 Illi qui vulgo dicuntur Donati, si viuunt intra Conuentum Tertiariorum profitentes illorum Regulam,

lam, eamque seruantes, gaudent eisdem priuilegiis, & gratiis quibus gaudent Fratres illius Conuentus. Aduertit tamen Cartillus *citato cap.* 5. quod vt iste Donatus gaudeat priuilegiis illorum Fratrum, debet præterea interuenire pactum scriptum inter illum, & Conuentum, per quod Conuentus obliget se ad illum semper alendum: & similiter Donatus obliget se ad seruiendum tota vita in illo, vel alio Conuentu assignato. Et hoc posito debet stare correctioni Prælati: & tunc nec poterit exire, neque expelli ratione pacti.

9 Moniales Tertij Ordinis quæ in Hispania subduntur Ordinariis, non gaudent priuilegiis concessis Fratribus Minoribus: sed solum gaudent illæ quæ subduntur regimini Minorum. Rodr. *tom.* 3. *quæst.* 73. *artic.* 1. Excipit tamen ibi Conuentum S. Vrsulæ Salmanticæ, & super hoc ait se feciſſe diligentiam. Excipe si fortè illæ subditæ ordinarij particulare priuilegium communicationis impetrarunt.

10 Potest Generalis, & Prouincialis Minorum, & illorum Vicarij priuare habitu suos Tertiarios extra Congregationem viuentes, si id qualitas excessus postulauerit. Compend. *ver.* Tertiarij. §. 8.

11 Tertiarij Minorum viuentes in Congregatione subduntur Generali Minorum per Bullam Pij V. apud Capucinum *verb.* Tertiarij. *fol.* 394. vbi ponit alia contenta in eadem Bulla circa iurisdictionem Generalis erga illos.

ADDITIO.

DIxi supra hoc *eodem verb. num.* 11. Pium V. Tertiarios viuentes in Congregatione feciſſe subditos Generali Minorum de Obseruantia, *loco ibi citato* apud

apud Capucinum. Et quia illa Bulla ibi citata, & relata ad longum in Bullar. Rodrig. *fol.* 970. iubet vt totus Ordo Tertiariorum sit subiectus generali Obseruantiæ: & quæuis Prouincia Tertiariorum esset subdita Prouincialibus Obseruantiæ, illius territorii respectiuè, cuius oppositum hodie videmus: aduerto quod postea in Bullario Rodrig. *fol.* 1197. *col.* 1. *in principio* tempore Clementis VIII. Cardinalis tunc protector declarauit, quod prædicti Tertiarii non obedirent Prouincialibus Obseruantiæ, sed suo proprio Prouinciali in Portugalia, ac Ministro, & Commissario Generalibus Ordinis Obseruantiæ.

2 Post supra dicta contigit casus subsequens in quodam Episcopatu valde remoto. Duo Sacerdotes in eremo iuxta vnam ciuitatem cæperunt cum habitu Tertiariorum, qui non viuunt in communitate suo bono exemplo aliquos ad se allicere, quibus ipsi habitum Tertiariorum Ordinariorum concedebant. Creuit multitudo sufficiens vt viuerent in communitate, & promiserunt obedientiam Episcopo illius Diœcesis in forma Religiosorum Tertii Ordinis viuentium in congregatione: hoc vno excepto, quod non portant habitum cum Capucio sicut alii. Tertiarij Ordinarii viuentes in congregatione: sed portant habitum, quo ad formam similem sæcularibus: in colore verò subcineritio, ac Religioso.

Quæsitum fuit an tales Tertiarii viuentes in ista sic congregatione licitè possent se subdere Episcopo Diœcesis: An verò tenerentur promittere obedientiam Generali Minorum Obseruantiæ? Et quia informatio casus non plenè fuit proposita: cum distinctione sic respondi ad casum, qui potest alibi contingere.

3 Si isti Tertiarii viuentes in congregatione emittunt tria vota essentialia, non possunt, nec poterunt se

se subdere Episcopo:& subiectio facta fuit nulla:probatur expresè ex Bulla Pii V. in Bullar. Rodrig. *fol.* 671. vbi Papa omnes Tertiarios viuentes in congregatione facit subditos Generali, seu Prælatis Minorum (loquor semper de Tertiariis Patris N.Francisci) Et præterea omnibus, ac singulis prædictis Tertiariis præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, vt obediant prædictis Prælatis Minorum. Quod idem præceperat Sixtus IIII. cuius verba citat Rodrig. *tom.*3. *qq.q.*72. *art.*1.*concl.*3. constat idem ex Papa Leon.X. qui fecit Regulam Tertiariorum viuentium in congregatione (habetur in Compendio Capucini *ad finem Compendii fol.*43.)in cuius Regulæ *cap.*5. præcipit Papa hoc modo; *Obedient per omnia Prouincialibus Ministris Ordinis Minorum.* Et in fine prædictæ Bullæ Pius V. facit Commissarios ad illam exequendam personas in dignitate constitutas, vt contra omnes rebelles procedant, &c. Quo posito non possunt prædicti Tertiarii in congregatione viuentes dare obedientiam alteri, qui non sit Prælatus generalis Minorum. Et hoc verum habet etiamsi sint Moniales Tertiariæ viuentes in congregatione. Nam Bulla prædicta Pii V. etiam Moniales Tertiarias exprimit, ac subdit eisdem Prælatis Franciscanis.

4 Secundò dico, si isti Tertiarii viuentes in congregatione non vouent tria vota substantialia,illorum congregatio est omnino destruenda,neque possunt ita permanere, iuxta aliam Bullam eiusdem Pii V. supra relatam *ver.Monaster.* & habetur in Bull.Rodr.*f.*944. per quá præcipit sub grauibus censuris vtMonasteriũ, in quo aliqui viuunt in congregatione, si non emittũt tria vota essentialia penitus extinguatur,nisi elegerint aliquam regulam approbatam ab Ecclesia, per quam voueant tria vota essentialia:hæc autẽ Bulla Pii V.solũ

loqui

loquitur de Monaſteriis virorum: non verò de congregationibus fœminarum, vt clarè conſtat ex verbis, & fine ipſius Bullæ: quare poſſunt fœminæ viuere in congregatione abſque tribus votis, vel cum ſolo vno, vel duobus.

Neque obſtat quod ſupra dictum eſt, hos Tertiarios, de quibus eſt quæſtio non portare habitum cum caputio ad modum cæterorum Religioſorum, & Tertiariorum viuentium in congregatione in Hiſpania. Non, inquam, obſtat, quia Leo X. in ſua citata Regula pro illis viuentibus in congregatione, non taxauit certam formam habitus: ſed ſolum *cap. 6. illius Regulæ*. de illorum veſtitu ſic diſponit: *Depoſitis cæteris vanis huius ſæculi ornamentis nullum ornamentum corporale portare debent, niſi ſolum humile, & neceſſarium ornamentum corporis ſui.* Ecce quomodo Papa viuentibus Tertiariis in congregatione non aſſignat habitum in forma certa, videlicet cum caputio, vt P.N. Franciſcus in ſua Regula expreſſit pro Minoribus: ſed ſolum papa commendauit vt veſtitus eſſet humilis in colore præcipuè, &c. Cùm ergo Tertiarij viuentes in congregatione poſſint abſque caputio, & mantello ordinario eſſe verè Religioſi, ſi emittant tria vota eſſentialia: ſequitur de Conuentu, de quo eſt quæſtio illum non poſſe ſubdi Epiſcopo, ſi emittunt tria vota eſſentialia: per primam Bullam Pij V. Si verò non emittunt tria vota eſſentialia, prædictum Conuentum eſſe extinguendum ſecundùm Bullam Pij V.

5 Si verò dicant taliter viuentes in congregatione, ſe nolle profiteri aliquam Regulam Tertiariorum Sancti Franciſci P.N. ſed aliam præter illas, de quibus Rodrig. *citat. q. 72, art. 1.* Dico quod ſi illa regula noua ab ipſis electa ſit approbata ab Eccleſia poterunt id facere iuxta prædictam ſecundam Bullam Pii V.

Dum

Dummodo obedientiam præſtent illi Prælato, quem Regula aſſignauerit. Si verò Regula noua quam elegerint, non ſit ex approbatis ab Eccleſia, ſed denuo introducta, non poſſunt dare obedientiam Epiſcopo, neque ille poteſt illos in tali Regula defendere,& gubernare: eſt enim res certa in iure Canonico, quod Epiſcopus non poteſt nouam Religionem inſtituere, vel viuendi Regulam nouam Religioſis aſſignare:hoc enim ſolum ſpectat ad Romanum Pontificem. Habetur expreſſe *in c.vlt. de Religioſis domibus* vbi Papa Innoc.III.directè intendit obuiare diuerſitatiReligionũ.

TESTAMENTVM.

1 COnſtat ex iure, & ſtatu paupertatis non poſſe Religioſum facere teſtamentum validum, cùm nihil habeat,& nihil poſſit donare.Si tamen Religioſus morti proximus ſimpliciter petat à Prælato, vt tale, vel tale ſui vſus concedat alicui Fratri, non facit teſtamentum, neque peccat etiam Minorita: in hoc enim non donat, ſed petit, & ſuam voluntatem petendo ſignificat. Rodrig. cum Natuar. *tom.3. quæſt.69.art.2.*

2 Non poteſt Monachus poſt profeſſionem reuocare teſtamentum factum ante illam: poteſt tamen poſt profeſſionem declarare verba dubia ſui teſtamenti, dicendo, hoc, vel illud prætendi dum conderem;& illi fides danda eſt. Eo modo quo datur fides teſti poſt latum teſtimonium, ſi poſtea vult declarare illud. Tenet Rodr.*cit.quæſt.art.3.* Neque enim ſic declarans aliquid donat,vel diſtribuit.

3 Monachus factus Epiſcopus poteſt facere teſtamentum de bonis acquiſitis abſque intuitu Eccleſiæ. Rodrig.*art.4.*

4 Non

4 Non potest Religiosus esse executor testamenti, vulgo *Testamenteiro*, nisi prius petita, & obtenta licentia à suo Superiore conuentuali. (Excipe Minoritam, qui neque cum tali licentia potest) prælatus enim conuentualis prædicto, non Minoritæ dare potest licentiam, neque est necessaria licentia prouincialis, intellige dummodo id Regulæ suæ, vel statutis non repugnet, Rodrig. *tom.3. quæst.70. art.1.* Si verò Religiosus acceptet cum dicta licentia, tenetur reddere rationem coram Ordinario, vel coram alio Iudice petente rationem administrationis. Licèt enim aliàs sit exemptus, per illam tamen acceptationem cum licentia prælati renuntiatum est illi exemptioni, & quo ad hanc partem se subiecerunt ambo Iudici potenti procurare executionem testamenti. Rodr. *cit. loco.*

5 Minorita non potest esse executor testamenti etiam de licentia sui prouincialis: est enim hoc illi interdictum ratione sui status strictioris. *Clementina exiui de Paradiso. §. Verum etiam. de verb. signific.* possunt tamen testatores in suis testamentis facere Minoritam consultorem, seu consiliarium executoris sui testamenti, dicendo: Fullanus executor mei testamenti nihil faciat nisi de consilio, vel cum consilio, vel cum consensu Fratris Fullani Minoritæ. Est communis Doctorum, maximè Rodrig. *cit. quæst.70. art.2.* Et circa hanc clausulam testamenti si ponatur, de consilio scilicet, cum consilio, vel de consensu, &c. quid possit, aut quid debeat tunc executor facere consulto Minorita, vide supra *verb. Priuilegium num. 11.* Et notat Rodrig. *Additio ad Sum. tom.4. cap.147. num.7.* quod non potest talis Minorita mandare in executione testamenti, vt fiat tale, vel tale: sed solùm consulere: habet enim solum officium consiliarij, non verò mandatarij. Vbi etiam optimè aduertit, quod

quod si testator vltra vnum Minoritam executorem sui testamenti, relinquat etiam alios sæculares eiusdem testamenti executores, qui possint citari, & rationem reddere testamenti coram Iudice, tunc poterit Minorita esse executor testamenti cum illis sæcularibus: quia poterunt sæculares conueniri coram Iudice, irrequisito Minorita.

6 Potest validè testator aliquis in suo testamento non nominare executorem illius: sed committere alicui Minoritæ, vt ipse eligat executorem testamenti. Et tunc electus ab illo erit validus executor. Neque in hoc peccat Minorita, quia per hoc non est executor testamenti. Rodriguez *citato art.* 2. citans Bartolum, & Couar. Et patet, quia talis Minorita tunc, neque contrectat pecunias per istam electionem, neque manet executor testamenti: sed dat alteri quod ipse habere non potest, quod fit in aliquibus casibus aliquando.

7 Religiosus potest esse testis validus in testamento alterius, de licentia sui Prælati, hoc enim non est contra paupertatem. Rodr. *tom. 3. quæst. 71. art. 2.*

8 Testamentum in quo soli Fratres Minores instituuntur hæredes, est nullum ipso iure; sunt enim illi incapaces hæreditatis. *Clementina exiui de Paradiso. §. quia ergo, de verbor. signific.* Valebit tamen si testator dicat, quod pars legata Minoritis vendatur ad illorum sustentationem. Tenet Rodriguez ex Bartolo *Addit. ad Sum. tom. 4. cap. 146. num. 4.* Addítque quod in Regno Castellæ valet testamentum etiam si non instituatur hæres nominatus: quod non valet in Portugallia, neque de iure communi ciuili.

Supra *verb. Legatum, numero 9.* dixi posse Fratrem Minoritam suadere suo consanguineo, vel amico, vt sibi studenti relinquat in testamento legatum pro libris emendis, quibus actu indiget. Quod intellexi, &

volo intelligi de legato non annuo, & perpetuo: ſed pro vna vice tranſeunte. Sicut enim hic Monachus Minorita abſque illo teſtamento, & legato, poteſt iuxta Regulam petere illam pecuniam ab amico pro neceſſitate præſente librorum: ita poterit petere eandem pecuniam pro eiſdem libris quibus indiget in præſenti, cum licentia Prælati vt ſibi donentur per teſtamentum, & legatum per modum tranſeuntis, & vna vice.

Nunc petis: an poſſit Minorita procurare, vt amicus, vel conſanguineus ſibi relinquat in teſtamento legatum annuum, & perpetuum, pro ſuis neceſſitatibus futuris, vel ſaltem an illud legatum ita relictum poſſit acceptare, & ſit validum? Rodriguez *tom.2. Quæſtion. quæſtione 125.articul.6.* loquens de hoc caſu licèt dicat poſſe Minoritam illud acceptare cum conditionibus ibi poſitis; tamen nec dicit tale legatum poſſe procurari: neque loquitur de legato annuali, & perpetuo, vt patebit illum attentè legenti. Ipſe tamen Rodriguez *tom.3. Addition. ad Summ. fol.269.* loquens in terminis de Minorita ſtudente, innuit poſſe illum procurare, vt amicus, vel conſanguineus ſibi in teſtamento relinquat legatum pro libris, annuum, & perpetuum: hoc enim colligitur ex ibi traditis, cùm innuat librorum neceſſitatem ſemper durare, & huic non poſſe Prælatos Ordinis Minorum prouidere, imò nec ſolere id facere. Cùm tamen librorum neceſſitas ſemper ſit viua, & immineat Minoritæ ſtudenti, prædicanti, vel Theologiam legenti ex præcepto obedientiæ. Et ſic audiui tenere aliquos Doctores recentiores in libris impreſſis.

Ego oppoſitum omnino cenſeo, videlicet Minoritam particularem, nec pro ſtudio poſſe procurare vt ſibi relinquatur ex teſtamento legatum pecuniarium annuum,

annuum, & perpetuum: & quod taliter relictum non est validum, nec potest acceptare. Hoc probo (vt credo) efficaciter. Nam Clemens V. doctissimus in iure canonico, explicans Regulam Minorum *capit. exiui de Paradiso, libr. 5. Clemen. post medium.* ait duo: primum est, annuos redditus reputari inter bona immobilia etiam à iure ciuili, vt habetur *Cod. de sacrosan. Eccles. l. iubemus*, & alia citata per Gloss. *dicta Clementin. exiui. verb. cumque annui.* Secundum est, quod cum Minoritæ sint incapaces per regulam possidendi immobilia, etiam sunt incapaces possidendi annuos redditus. Et videtur loqui de ordine in communi, vel de Conuentu in communi. Si autem neque Conuentus in communi Fratrum Minorum potest habere annuos redditus iuxta declarationem tanti Pontificis, multo minus particularis Minorita poterit habere annuum legatum perpetuum in sua vita. Secundò, quia iuxta declarationes aliorum Pontificum, & statuta Generalia Minorum, Minorita non potest recipere, vel procurare pecuniam, nisi pro necessitate præsenti, vel imminenti. Non autem videtur necessitas librorum in Minorita studente, vel prædicante esse necessitas præsens, vel imminens per totam vitam, cùm multi in Ordine Minorum, vel omnes legant Theologiam, ac legerint cum libris ordinariis, vel ab Ordine datis, vel ab amicis procuratis vrgente necessitate præsenti: & sic doctissimi Doctores Minoritæ olim absque istis legatis perpetuis studuerunt, prædicarunt, Theologiam legerunt, quando pauciores libri in Ordine reperiebantur. Et hoc maximè locum habet, quando statuta Generalia Minorum dicunt non licere Fratribus, habere libros superfluos. Si autem neque Fratri Minoritæ pro libris hoc licitum est, multo minus hoc ei licebit pro aliis necessitatibus

vitæ ſubleuandis legatum annuum procurare. Huius opinionis eſt omnino Capucinus in Compend. *verbo Legatum 2. part. fol.* 194. §. *Si verò aliquid annuum, & ſequenti.* vbi conſtanter tenet etiam cum Bartolo, legatum annuum pecuniarium, non poſſe capi, nec procurari à Fratribus. Hoc ipſum eſt etiam de mente Azorij, qui 1. *tomo. libr.* 12. *capit.* 23. *quæſtion.* 15. dicit non valere legatum annuum relictum Conuentui Minorum pro ſacriſtia, vt ibi probat: ſi autem nec hoc legatum annuum pro ſacriſtia ille ibi admittit, vt probat: minus concedet valere legatum annuum pro Minorita in particulari. Ego tamen ſupra *verbo Legatum. numer.* 3. cum Nauarr. & Rodriguez admiſi tale legatum annuum pro ſola ſacriſtia Minorum licitum eſſe, quia currit ibi alia ratio quæ non datur in Fratre Minorita particulari. Vltimò facit in hac materia argumentum adductum à Clemente V. *citat. Clemen. exiui.* vbi poſtquam dixit non licere Minoritis annuos redditus, prohibet etiam ne Minoritæ aſſiſtant in Curiis Regiis pro negotiis temporalibus procurandis. Et ad hoc ponit hæc verba: (cùm non ſolùm quod malum eſſe dignoſcitur, ſed & omne, quod ſpeciem habet mali, ſit à viris perfectis ſpecialiter euitandum) ſic ille. Quod applicans ad noſtrum intentum dico, quod ſi dicatur licere Minoritæ particulari procurare pro ſtudio, vel aliis neceſſitatibus hoc legatum perpetuum, & annuum: hoc imprimis non ſolùm habet ſpeciem mali, ſed videtur eſſe omnino malum, iuxta prius dictum Clementis V. de bonis immobilibus circa Minoritas: qualia bona immobilia ibi dicit eſſe annuos redditus. Secundò hoc legatum annuum in Minorita, non ſolùm habet ſpeciem mali, ſed eſt etiam proxima, & clara occaſio mali: nam Minorita tale legatum annuum poſſidens habet

bet occasionem vt illa pecunia malè vtatur,& ad vsus illicitos conuertat malè informando Prælatum, &c. Tertiò habet speciem mali, vel occasionem mali, quia porta aperietur vt breui tempore singuli Minoritæ habeant hæc legata annua, & perpetua: nullus enim tam pauper, & inops est, qui non habeat parentes, consanguineos, vel amicos, qui rogati sibi relinquant similia legata annua,& perpetua pro necessitatibus futuris,fictis,& apparentibus,& hoc in præiudicium animæ ,& Regulæ ipsorum: & cum scandalo bonorum Religiosorum,imò & sæcularium.

ADDITIO.

REpeto iterum quod supra dixi *ver. Legatum,num. vltimo*. non posse scilicet Fratrem Minorum capere legatum annuum relictum sibi testamento pro suis particularibus necessitatibus. Denuo confirmo cum Azorio 1. *tom. capit.* 23. *quæstion.* 14. vbi loquens de quocunque Religioso Mendicante, ait: quod si aliquis testamento relinquat bona sua stabilia alicui sæculari, ea lege vt ex illis singulis annis det certum quid Religioso Mendicanti pro suis necessitatibus, talis Religiosus non potest illud acceptare. Esset enim habere proprium, & annuum redditum. Et potest ex vi testamenti illam pitantiam, vel peculium petere coram iudice, quod repugnat statui hominis Mendicantis. Si verò hoc dicit de quouis Religioso Mendicante, à fortiore dicendum est de maiore Mendicante Fratre Minore. Neque obstat instantia quam Azor. *ibidem* tacitè ponit. Videlicet, quod talis Religiosus Mendicans si nauiget, vel iter longum conficiat, poterit in tali nauigatione, vel itinere recipere sustentationem sibi piè oblatam à socio sæculari eiusdem

itineris ſocio, vt patet. Et videtur eadem ratio militare in accipienda iſta ſuſtentatione ad tempus, vel in recipienda illa alia perpetua ad vitam. Non, inquam, obſtat inſtantia, quia eſt valde diuerſa ratio. Nam in illa ſuſtentatione itineris ad tempus, Religioſus acceptans non habet ius ad petendum, neque ſæcularis ibi donans donat ex iuſtitia, ſed ex pura liberalitate: & ſic Religioſus non habet ius ad illam. At quando ſibi relinquitur ex teſtamento, & Religioſus acceptat, eſt ferè acceptare ius ad exigendum ex iuſtitia, quod eſt habere dominium in annuo reddítu Religioſo Mendicanti interdicto quod magis prohibetur Minoritæ.

Neque obſtat etiam quod hodie id practicatur in aliquibus Religionibus Mendicantibus: & paſſim practicatur quoad Moniales. Ad quod reſpondeo, ſi id practicatur in aliis Ordinibus, non curo: ipſi viderint quid poſſint ſecundùm ſuam Regulam, vel Pontificias conceſſiones: ſcio ſaltem quod in Ordine Minorum, neque practicatur, neque eſt compatibile cum Regula illorum Pontificum, declarationibus, & ſtatutis Religionis. Quod verò attinet ad Moniales ſcio id fieri: ſed dico primò illas non eſſe ex aliquo Ordine Mendicantium, vt patet. Scio ſecundò, in mea Religione iam vidiſſe decretum Prælatorum, vt Moniales particulares habentes peculium, vel particularem annuum redditum conferrent, vel collocarent in manu Prælatæ, quæ teneretur illarum ſpeciales neceſſitates ſubleuare, ac proinde non currit eadem ratio in Minorita maiori Mendicante, vt magis paupertati adſtricto.

Digitized by Google

TESTIS.

Vide ſupra verbo *Correctio Fratrum, titulo Teſtis.* & proximè verbo *Teſtamentum.num.7.*& verb.*Religioſus num.6.*& infra verbo *Tortura.*

1 TEſtes conteſtes ſunt illi qui concordant, in facto,loco,& tempore. Vt ſi duo teſtes iurent ſe vidiſſe Petrum blaſphemantem tali blaſphemia particulari,vel talibus verbis: prima die Martii,hora ſexta, in tali loco. Hi ſunt conteſtes, quia in omnibus conteſtantur, id eſt, concordant. Teſtes ſingulares ſunt, qui diſcordant in aliquo, vel in aliquibus illorum. Vt ſi vnus dicat ſe vidiſſe illud illa die, ſed in alio loco:vel alia die: vel dicat, vidiſſe quidem illud, ſed variat, & in die, & in loco, vel in hora: vel ſi vnus teſtificetur de vna blaſphemia, & alius de alia; licèt aliàs concordent in loco, & tempore. Et eſt communis Doctorum.

2 Singularitas teſtium eſt triplex: Obſtatiua,Cumulatiua, Diuerſificatiua. Penha *Direct. inquiſit. 3. parte Commentar.*121.Obſtatiua eſt,quando ex dictis teſtium naſcitur contrarietas, quia ſcilicet vnus negat,& alter affirmat. Cumulatiua eſt, quando dictum vnius iuuat dictum alterius,vt ſi vnus dicat ſe vidiſſe,alius dicat ſe audiſſe. Et hæc ſingularitas ſemiplenam tantùm facit probationem:prima verò præcedens nihil facit.Diuerſificatiua eſt, quando naſcitur diuerſitas rei in ſubſtantia. Vt ſi vnus dicat ſe vidiſſe Petrum in vno loco, & tempore peccantem; alius verò dicat ſe vidiſſe illum alio loco,& tempore peccantem:& tunc dictum vnius non infringit dictum alterius, ſed corroborat, non tamen eſt conteſtis.

3 Si testes concordent in substantia, seu facto principali, per eadem verba formalia, vel æquiualentia, & in loco, & in tempore, licèt aliàs discordent in aliquibus verbis, vel circunstantiis, non desinunt esse conteſtes, imò illa discordia accidentalis, aliquando magis firmat testimonium: testificantur enim modo humano. Sot. *libr.5. de Iustit. quæstione 7. artic.2. ad 1.*

4 Quando testis paulo post iustificationem redit vt corrigat suum dictum, credendum est illi: maximè si constet, quod postea non est allocutus reum, vel accusantem: & in hoc multum Iudicis prudentiæ standum est, & qualitati ipsius testis. Est communis, & Bartol. *in l.eos.col.11.vers.Item oppono.ff.de falsis testibus.*

5 Religiosi etiam si aliàs sint exempti, & aliqui habeant priuilegium, vt non possint cogi ad testificandum, vt habet congregatio Sanctæ Iustinæ ab Eugenio IV. (citat Rodriguez *tom.3. quæst.71. art.1.*) Hoc tamen intelligitur, quando aliàs dantur alii testes, qui possint testificari: si enim alii desint possunt cogi ad testificandum in causis ciuilibus, & in criminalibus leuibus, vbi non timetur pœna capitis, vel mutilationis. Colligitur ex *c.cum super. & c.delictorum. de testibus cogendis.* Et lumen naturale hoc dictat de iuuando proximo in graui necessitate. Et tenet Rodr. *Addit. ad Sum. tom.4.c.151.n.1.*

6 Quod Religiosus possit esse testis coram Iudice sæculari, cum sola licentia sui Prælati localis. Vide supra, *verb. Abbas, n.9.*

7 Testis vocatus à Iudice vt testificetur, si non vadit, tenetur restituere parti læsæ bonum illi ablatum, si ex defectu sui testimonii incurrit. D.Thom.2.2.q.62.art.7. Secus si non fuit vocatus, tunc enim non tenetur se offerre, nec proinde restituere.

8 Nemo

Digitized by Google

8 Nemo ſecundùm leges poteſt cogi ad teſtificandum ſuper illis, quæ non poteſt exprimere abſque ſua propria infamia, vt pote, quia fuit ſocius criminis, vel quia teſtificatur contra patrem, matremque, ex quo ſibi reſultat grauis infamia. *c. quis aliquando. §. non tibi dico, de Pœnitent. diſtinctione* 1. Vnde ſi ſocius criminis cogatur ad teſtificandum, & non poteſt coram Iudice explicare crimen rei delati, abſque eo quod ſe ipſum infamet, poteſt reſpondere ſe neſcire, apud ſe intelligens ſe neſcire ad dicendum, vel neſcire taliter vt cogatur dicere: ſi verò poteſt abſque ſua infamia dicere, tenetur dicere. Rodriguez *tomo* 4. *Addition. cap.* 151. *num.* 7.

9 Qui ſcit aliquid in ſecreto, maximè quando fuit illi commiſſum ab aliquo in ſecreto, & is promiſit ſecretum ſeruare, de ordinario non poteſt illud teſtificari in iudicio. Eſt communis Doctorum. Excipe ſi ex ſuo ſilentio reſultabit damnum alicui tertio, vel communitati: tunc enim tenetur primò admonere illum qui commiſit ſecretum ſi per illum ſtat, vt vitetur damnum tertii, vt tenetur: quod ſi nolit, tenetur iurare verum, & reuelare ſecretum, non obſtante ſecreto commiſſo, & promiſſo, vel voto, vel iuramento; talia enim promiſſa, tunc non obligant cum præiudicio tertii. Et hîc tenet locum dictum illud, quod ſecretum non debet eſſe pallium iniquitatis. Rodriguez *citato capite numer.* 8. vbi notat quod ſi hic ſciens ſecretum ſcit Iudicem interrogantem non ſeruare formam iuris, non tenetur reſpondere. Vide ſupra *verb. Correctio Fratrum, tit. Denuntiatio.*

10 Teſtes plures quàm duo, etiam ſi ſint minus idonei, cum aliis coniecturis concurrentibus plenè probant. Penha *in Director. Inquiſit. Comm.* 113. §. *ſit ſecun-*

dum axioma. vbi addit quod vnus teſtis dignus cum alio teſte indigno probant, ſi ſint alia indicia.

ADDITIO.

VIde ſupra *verb. Correctio Fratrum ſub titulo de Teſtibus* vbi poſita ſunt aliqua ad hoc pertinentia.

TORTVRA.

1 VIde ſupra *verb. Correctio Fratrum. numero* 49. vbi dicitur quod in crimine grauiſſimo torquere poteſt Prælatus Fratrem per ſæcularem, abſque incurſu alicuius cenſuræ. Hoc autem crimen ſaltem erit illud pro quo leges ciuiles pœnam capitis imponunt. Quamuis Rodriguez *Additio. ad Summ. cap.* 155. ſuadeat ne hoc fiat, quia non decet pietatem, & ſecretum Matris Religionis vt torqueatur Monachus, per tortorem malefactorum. Et ego idem dicerem quando poterit excuſari. At talis caſus poterit contingere atrox ſcilicet, ſcandaloſus, & cognitus in populo, vt anteponenda ſit iuſtitia, & ſatisfactio populi, in puniendo Monacho qui fecit delictum ſicut malefactor publicus populi. Vide, & ſupra *verbo Religioſus, numero* 11. vbi dicitur poſſe torqueri Monachum nobilem qui aliàs in ſæculo torqueri non poterat.

2 Tortura non eſt danda Monacho, quando pœna imponenda pro delicto eſt æqualis, vel minor ipſa tortura; iniuſtum enim eſt vt in dubio ſi fecit, iam grauior, vel æqualis pœna detur ac foret pœna delicti. Aldrete ex Auguſtino *lib.* 1. *de Religio. diſciplin. capit.* 7. *num.* 8.

3 Tor

3 Tortura dari non potest nisi prius iuridicè sit vnus testis cum aliquo indicio contra reum : vel ita vehementia indicia vt æquipolleant, magis quàm semiplenæ probationi, & sit valde probabile reum commisisse delictum:ita vt faciant contra reum vehementes præsumptiones, & superent mediam probationem.Nam licèt sæcularis Iudex cum sola semiplena probatione torqueat, congruum est, quod circa Religiosos maior speretur aliquantulum quàm semiplena. Quanuis opinio Iuristarum sit communis, & in aliqua Religione statuto generali approbata, vt sola semiplena probatio sufficiat ad torturam. Quæ verò sit semiplena probatio,vide supra *verbo Correctio Fratrum à numero 32.& sequentibus.*

4 Quando delictum probari potest alia via, nullo modo est adhibenda tortura. Nam hæc, iuxta communem sententiam, est vltimum remedium in defectum testium.

5 Paulus III. solùm Romæ, & intra illam, iussit obseruari, vt reus non sit in tormento vltra vnam horam. In Constitutione 58.quæ incipit, *Ad onus*. Et sic prudentia, pietas Christiana, & conscientia debent arbitrari tempus, & qualitatem torturæ, & ponderare cum libra iustitiæ.

6 Si reus confessus fuit crimen in tortura, tunc Prælatus transacto vno die integro cum Notario, ac duobus testibus tenetur iterum reum audire extra locum vbi fuit tortus: & rogare an ratificet confessionem iam factam: quam si ratificet, datur plena probatio. Si verò non ratificet, nihil valet præcedens confessio facta in tormento. Est communis in praxi.

7 Si reus antea, extra iudicium crimen confessus est, idque constet per duos testes, & vocatus coram

Iudice

Iudice negat præcedentem confessionem, tunc potest torqueri. Si verò in tortura fateatur, tunc non est necessaria ratificatio extra tormentum. Mascard. *tom.* 1. *de probat. conclusione* 550. *numero* 3. cum multis citatis. Excipe tamen, si quando extra iudicium confessus fuit suum delictum, statim ibi reuocauit suam confessionem, quia tunc non sufficiet confessio facta in tortura, absque ratificatione secunda extra illam.

8 Si verò reus negauerit post torturam, poterit iterum torqueri de iure. At inter Religiosos hoc non erit laudabile, vt tenet Rodriguez *tomo* 2. *quæstione* 19. *articul.* 9. Sunt enim Prælati Patres, & Religio Mater, nec proinde decet, vt plurimum, repetitas torturas admittere. Item si reus negauerit in tortura per ius commune purgatus manet, ac liber. Cum quo tamen stat, quod saltem in Regno Lusitaniæ, pro qualitate criminis, & indiciorum, vel semiplenæ probationis punitur aliquando aliqua pœna exilij, vel simili, quia scilicet negatio illa non plenè purgauit probationem contrariam.

9 In Ordine Minorum per statuta Generalia Tolletana. §. *Si reus cap.* 6. *de correct.* negans in tortura manet liber, quia tortura purgauit: additur tamen per parenthesim (si reus fuit sufficienter tortus) vnde innuit quod si reus non fuit sufficienter tortus, poterit adhuc alio supplicio puniri, priuationis vocis actiuæ, & similium: idque relinquitur Prælati arbitrio, qui debet considerare qualitatem personæ, criminis, ac torturæ, vires rei. Et iuxta hæc poterit quiescere, vel augere, si videlicet his attentis iudicet reum non fuisse tortum sufficienter; videant ibi Minoritæ suam legem, & alij suas constitutiones.

10 Non

10 Non videtur sufficiens probatio ad torturam si vnus moribundus dicat: Fullanus me percussit, vel occidit: nam illud dictum non est iuratum: neque decet ab illo tunc iuramentum sumere, præterea cùm sit pars læsa eius dictum est infirmum in iure. Neque item sufficit ad torquẽdum inimicum illius qui mortuus est, si ille mortuus reperitur mortuus ex veneno; illa enim suspicio quod inimicus clarus defuncti propinauerit, est leuis, & remota: potuit enim dare venenum inimicus occultus; vel ipse moriens posset volens sed ignarus sumere aliquid venenosum, &c. & proinde sic claro inimico nulla ex hoc tantùm potest inferri molestia. Rodriguez *Addit. Sum. tom. 4. verb. Tortura. num. 5. & 6.*

11 Tenetur Iudex ante torturam dare copiam reo semiplenæ probationis, factæ contra illum, vt si forte se purget torturam euadat. Et ad hoc tenetur Prælatus etiam si reus non petat: maximè si reus est idiota: tenetur enim Iudex hoc manifestare reo per sententiam: hæc enim est interlocutoria, à qua si non appelletur infertur grauamen postea irreparabile, pro quo vide supra *verb. Appellare, num. 6.* vide etiam Rodrig. vbi proximè *num. 11. & 12.*

12 Leges ciuiles excipiunt aliquos vt torqueri non possint: de quo Legistæ suis locis. Et statuta Tolletana Minorum fortè coincidunt, dum dicunt *citato loco* non esse torquendos Religiosos grauis authoritatis. Quod verbum latè extendi potest. Variis enim de causis Religiosus potest esse notabiliter grauis: vt ob litteras, artem notabilem, prælaturam, & similes. Et si vis id agnoscere ex contentis in iure: iuxta illud, non possunt torqueri Doctor alicuius scientiæ: persona constituta in dignitate Ecclesiastica: (qualis est etiam Guardianus ex supradictis) senes decrepiti, &c.

Omit

Omitto aliquos ex iure communi. Vide Rodriguez *citato loco Addit. numer.* 10. & ſupra *verb. Religioſus. num.* 11.

TRANSLATIO AD *alium Ordinem.*

Vide ſupra verb. *Religio à numer.* 1. *& ſequentibus fusè.*

TRIBVTVM, VECTIGAL, *Gabella, &c.*

1 CONſtat primò Clericos, & proinde Religioſos, eſſe exemptos à ſolution ecuiuſcumque tributi, vel oneris ſæcularis, quomodolibet nuncupati, & impoſiti à Principe, vel ſuperiori ſæculari, communitate, & cæteris ſæcularibus. Et hoc conſtat per multas leges Canonicas, & Bullas, maximè *capit. Clericis, de immunitat. in* 6. de quo latè Rodriguez *tom.* 2. *quæſtione* 65. & Comitolus *lib.* 1. *Reſponſ. Moral. quæſt.* 95. citans multa. Nam & Pharao Rex tyrannus exemit à tributis Sacerdotes idolorum, vt patet clarè *Geneſ.* 47.

2 Quod adeo verum eſt vt etiam ſi Clerici ſponte velint ſoluere ſimilia tributa non poſſint id facere per viam tributi, vt bene Comitolus probat: quia ſcilicet non poſſunt renunciare priuilegio communi Eccleſiæ. Et officiales ſæculares recipientes aliquid à Clericis etiam ſic ſponte dantibus per viam tributi, manent excommunicati, vt ille *ibidem* probat.

3 In particulari extat valde notanda Bulla Pij V. rigoroſa ſatis, & neſcio ſi bene obſeruata, cuius tenorem tranſcribit Capucinus *ad finem ſui Compendij fol.* 3.

per

per quam Pius V. rigorosè præcipit ne similia tributa exigantur à Clericis sæcularibus, vel Regularibus, specificando: Exactiones, Datias, Gabellas, Pedagia, Vectigalia, Collectas, Impositiones, vel quæcumque alia onera soluendi aliquid quibuscumque nominibus nuncupata. Quo nil clarius dici potuit, & adhuc specificat modo sequenti.

Primò, ne teneantur Clerici, vel Religiosi, vectigal quodcumque pro transportatione mercium suarum, maximè pertinentium ad illorum sustentationem soluere.

Secundò, dicit non teneri soluere aliquod tributum quod solet solui in transitu de vno Regno ad aliud Regnum: quod viderint itinerantes quomodo obseruetur: ipsi enim dicent quid viderint.

Tertiò, exprimit ne teneantur Clerici, vel Religiosi, soluere quotam illam quadrantis, positam super libram carnis, vel vini, vulgo (*Real de Aguoa*) & alia quæ ibi exprimuntur. Quæ omnia libuit referre, vt videant Magistratus si hæc ita fiunt. Neque enim in hoc contra priuilegium commune Ecclesiæ possunt præscribere, maximè à tam paruo tempore Pij V. & Ecclesia semper reclamante. Vt non possim non mirari quæ vidi, & video in oppositum: & excepto si illi habent priuilegium in contrarium, per quod derogetur, & annulletur, prædicta Bulla Pij. Quam derogationem ego ignoro, & oportebat ostendere. Addit verò Capucinus *citat. loc.* prædictam Bullam Pij V. non esse derogatam per Greg. XIII. sed in suo robore permanere. Adde quod in Bulla Cœnæ Domini, quotannis promulgata, hoc ipsum prohibetur censura 18. apud Suarez *tom. de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 99.

Denique pœnæ impositæ à Pio V. sunt hæ. Sancta obedientia: indignatio nostra: excommunicatio ipso facto:

facto: & pœna duorum millium ducatorum, ſoluendorum à contrafacientibus: & tandem monet Prælatos Eccleſiæ, vt ſub eiſdem pœnis, & aliis ad ſuum arbitrium, contradictores compeſcant.

3 Verùm cùm Papa ſit Dominus ſupremus in iſta parte & poſſit pro cauſa pia applicare redditus Eccleſiaſticos ſolet aliquando Regibus, & Principibus pro bello contra infideles concedere ſubſidium, ſeu licentiam vt Clerici, & Religioſi de ſuis bonis dent aliquam partem, ſiue ſubſidium pro illo bono communi Eccleſiæ, ſicut conceſſit Gregor. XIII. Philippo II. Regi Hiſpaniæ: & credo quod idem conceſſum eſt Regi Sebaſtiano in Portugallia pro expeditione Affricana. Et tunc non ſolum poſſunt, ſed tenentur Religioſi ſoluere quotam aſſignatam, iuxta verba Bullæ. Quæ verò bona Regularium tunc ſint obligata ad ſoluendam illam quotam, vel ſubſidium tractat Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.* 74. quod quia non eſt in vſu, omitto: magis enim ſpectat ad Clericos quàm ad Religioſos.

Adde quod aliqui Religioſi habent priuilegium ne ſoluant illud ſubſidium ſicut conceſſit Eugenius IV. Fratribus B. Mariæ de Guadalupe: ſicut habetur in illorum Compend. *verb. Subſidium.* §. 2. Et idem conceſſum fuit Militibus Sancti Ioannis, ſicut refert Rodrigu. *tom.* 2. *quæſt.* 66. *articul.* 1. At in *tom.* 3. *quæſt.* 74. *articul.* 15. ait prædictos per aliam Bullam Pij V. fuiſſe obligatos ad ſubſidium dictum, *del eſcuſado.*

4 Clerici, vt Religioſi vendentes, aut ementes aliquid non debent Alcauallam, vulgo (*Siſſa*) colligitur ſatis ex ſupradictis, & Bulla Pij V. eſt enim illa Alcaualla tributum, & ſatis quotidianum. Imò aduertit Rodriguez *citata quæſt.* 74. *art.* 7. iniuſtam fore legem

legem ciuilem quæ rei Eccleſiæ, ſiue Monaſterij venditæ imponeret quintum ſoluendum Fiſco Regali, quia ibi imponitur nouum onus in damnum Eccleſiæ.

5 Supradicta de exemptione Religioſorum, & Clericorum à tributis, intelliguntur dummodo ipſi non negotientur per mercaturam, vendentes, & ementes, aut permutantes, per negotiationem: ſi enim hoc faciant tenentur ſoluere tributum,& Alcauallam,& cætera illi negotiationi annexa. Rodrig. cum communi, *art.*8. Et ratio eſt,quia negotiatio eſt Clericis prohibita,& quando hanc exercent, non eximuntur illorum bona à tributis laicorum: ſolùm enim illis conceditur priuilegium pro ſua ſuſtentatione abſque negotiatione mercaturæ,vt patet ex *cap. final.de vit. & honeſt. Cleric.*

6 Tunc Clericus, vel Religioſus dicetur mercaturam exercere,quando emit rem vendendam,in ſua integra forma manentem lucri faciendi gratia.Vt ſi emat triticum vendendum in eadem forma ſine melioratione aliqua facta ab ipſo Clerico: ſed ſolùm ſeruatione diutina. Si verò rem emat Clericus vt in illa aliquid operetur,& ſua induſtria mutatam,& melioratam vendat vt equum,vel mulam nouam,vt iam educatam vẽdat, tunc non exercetur mercatura propriè, quia non venditur res in integra forma antiqua. Et præterea in iſtis rebus ſic melioratis, prętenderunt etiam aliquem vſum illarum:in illis verò venditis in integra forma,& reſeruatis abſque melioratione,prætenditur ſolus quæſtus, qui eſt finis totalis mercaturæ. Addit Rodriguez *quæſtion. cit.art.*8. ſe conſuluiſſe non eſſe negotiatorem Clericum,qui in loco in quo eſt,emit merces aliquas, & illas dat Fratribus ſuis vt cum illis negotientur,quia tunc ille non vendit illas in propria forma. Ait tamen mercaturam facere Clericum, qui vuas mercatur, &

per famulos vinum conficit, vt postea vendat. Et per hoc resolues similes casus: & tunc Clericus, vel Religiosus debet tributum suæ negotiationi annexum.

Ibid m ait Rodriguez non debere Gabellam Monasterium quod emit oues, & vaccas prægnantes, & postea vendit filios: non enim vendit quod emit, sed quod natum est, & fructum rei emptæ. Ait tamen illam debere si emat fundum plenum arboribus cum fructibus iam maturis, & pendentibus, si vendat hos fructus.

7 Si Nouitij bona intra Nouitiatum vendantur non sunt exempta à tributis, Nouitius enim quo ad hoc, non gaudet hoc priuilegio circa sua bona. Rodriguez *articul.* 9. An verò Iudex sæcularis tunc possit petere tributum: an verò recurrendum sit ad Nuncium, alij tenent primum. Rodriguez *artic.* 10. tenet secundum.

8 Tertiarij viuentes in Congregatione, sunt exempti à tributis, sicut cæteri Religiosi, sunt enim verè personæ Ecclesiasticæ, ac veri Religiosi. Non verò eximuntur Tertiarij viuentes in propriis domibus, iuxta supradictum *verbo* Tertiarij. *numer.* 2. Neque eximuntur Tertiariæ etiam promittentes castitatem, quia per hoc solùm votum non manent Religiosæ, licèt hæ sint exemptæ à potestate Ordinarij, vt supra diximus *eadem verbo* Tertiarij.

ADDITIO.

DIxi supra *hoc ipso verbo* Tributum *numer.* 3. Religiosos per Bullam Pii V. ibi latè relatam non posse cogi ad soluendum tributum positum populo in vino, carne, & similibus, idque concessisse tum viris Regularibus, tum Monialibus. Quod autem illa Bulla

Bulla non obstante possint Rectores vrbium ponere tributum prædictum non Religiosis in particulari, sed in rebus populi communibus indifferenter vt qui emerit tale, vel tale soluat etiamsi sint Religiosi: Primò docet praxis publica, & tolerata. Secundò, quia cùm illud tributum redundet,& insumnatur in bono communi totius populi, & communes illi sumptus etiam proficiant Religiosis illius populi, qui sunt membra illius, æquum est, vt iidem contribuant pro sumptibus in suum fauorem factis, iuxta *regulam* 55. *de Regul. Iuris in* 6. qui sentit onus, sentire debet & commodum:& à contrario sensu arguendo;qui sentit commodum,sentire debet & onus. Tertiò probatur ex *lege ad portus, Cod de operibus publicis*: & *ex l. ad institutiones, Cod.de Sacros.Eccles.* & sic tenet expresse gloss. *cap.non minus.de immunit. Eccles.ver. releuandas.* dicens quod pro operibus boni communis contribuere debent Ecclesiastici. Ex Theologis verò videtur fauere huic opinioni Henriquez *tom.*2. *Summ. libr.*10. *cap.*15. §.5. *gloss. littera I.* vbi citat Vvald. & ait quod in Hispania ad redimendum oppidum quodRex vendere volebat, & vicini oppidani volebant soluere pretium oppidi, decretum fuit in Concilio Regio potuisse, ac debuisse Clericos oppidi soluere suam partem pro rata eo quod erat bonum commune populi Et ait Henriq.quod istę leges ciuiles non sunt correctæ per Ecclesiam:imò per illas leges Ecclesiæ, sic intelligi debere. Idem videtur sentire Viualdus *in Candelabro* 4. *impressionis Venetæ anno* 611. *in Explicatione Bullæ Cœnæ casu* 18. *numer.*3. vbi sine distinctione dicit, quod ad pontes, aquæ ductus,muros, & cætera tangentia bonum commune tenentur soluere Ecclesiastici: & citat Sotum, & Nauarr. quanuis Sotus *loco citato ab authore*, 3. *de Iustit. quæstion.*4. *art.*5. tale non dicit. Nauarr. autem

ab illo citatus, non loquitur absolutè, sed cum distinctione, quando scilicet illud bonum commune tangit Clericos immediatè: non verò quando illos tangit solùm mediatè, de quo infra. Nauarr. verò id dicit *in Sum. Latina. cap.27. numer.115. in fine.* Cum prædictis videtur concordare Lopez *in 2. part. Instructorij capit.40.§.Sed adhuc, & seq.* quamuis *ibidem* re vera id non dicat, sed cum Nauarr. concordet. Tenent *ibidem* alij multi:sed citati tres sufficiant quæstionis ventilandæ gratia,

2 Ego imprimis communitates id facientes non arguo, neque peccare credo, maximè quia possum credere illas munitas esse concessione aliqua Pontificia ad id faciendum, maximè cùm non exprimant, sed id imponere directè Religiosis,sed in gratiam Religiosorum si possint se defendere ab illo tributo soluendo pro rebus sibi necessariis emendis:aduerto sequentia.

3 Aduerto primò Bullam Cœnę in clausula 18.quando prohibet ne Principes sæculares, vel Rectores imponant tributa personis Ecclesiasticis,innouare omnia iura,seu Canones Ecclesiæ hoc ipsum à tempore antiquo prohibentes, siue sint Canones facti in Conciliis generalibus,vt Lateran.& aliis.Canones verò præcipui de hoc disponentes inter alios sunt *cap.non minus,& c. aduersus,de immunit. Ecclesiæ, & cap.quamquam.de censibus in 6.*

4 *Citata verò c. non minus,* decernit Papa vt quando Episcopus cum Clero viderit, populum non sufficere ad succurrendum bono necessitatis publicę,tunc poterit Episcopus Clericos obligare ad contribuendum pro talibus expensis publicis. Hæc sunt verba Textus: *Vbi Laicorum non suppetunt facultates.* Vnde si populi facultates sufficiant,non poterit Episcopus cogere Clericos ad soluendum. Deinde *cit.c.aduersus,* videns Papa non esse

esse securum concedere Episcopis executionem illius tributi imponendi Ecclesiasticis, decreuit vt stante supra dicta necessitate,& non sufficiente pecunia populi, Episcopus id non posset præcipere inconsulto Summo Pontifice. Hæc sunt verba Textus: *Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanus Pontifex consulatur.* Quos omnes Canones,sicut dixi,innouat semper Bulla Cœnæ.

5 Pro solutione aduerto: Duobus modis expensas boni publici spectare posse ad Ecclesiasticos:primo in generali, quatenus sunt ordinaria membra talis populi,huiusmodi sunt refectio murorum, pontis,aquæ ductuspublici,in quibus Ecclesiastici nihil habent particulare,nisi tanquam partes ordinariæ illius populi. Secundo modo possunt illæ expensæ, & bonum publicum tangere Ecclesiasticos, quia illic habent bonum etiam particulare,verbi gratia, sternitur via publica in oppido constrata lapidibus.Sternenda est via ante portam Clerici item,grassatur ignis publicus per campum vbi Ecclesia, vel Clericus habent peculiares possessiones:pro vitando illo igne,vel fluuio inundante agrum, dicetur expensa ibi facienda specialiter tangere Clericum. Ista distinctio est sumpta ex Nauarr. & Lopez *supra citatis.* & ex Molina, & aliis *infra citandis.*

6 Vltimò aduerto propositum casum posse intelligi, vel de Clericis in communi,vel solùm de religiosis,& Monialibus in particulari, pro quibus Pius V. citatam Bullam concessit.

7 Hoc posito dico primò Bullam Cœnæ *clausula* 18. cùm prohibet imponi tributa personis Ecclesiasticis,loqui in generali,sine distinctione,quocunque modo imponantur tributa. Sic enim ait: *Qui per se vel per alios, directè, vel indirectè predicta facere, exequi, &*

procurare non verentur. Deinde citata capita Iuris Canonici ſunt ſatis clara, & expreſſa. Et notanda ſunt in particulari verba Bullæ Cœnæ: *Directè, vel indirectè.* Dicet enim aliquis: Rectores iſtius populi ponunt hoc tributum in genere, non exprimentes vt ſoluat Clericus, ſeu Religioſus: ac proinde non imponunt tributum perſonis Eccleſiaſticis. Reſpondeo quod non imponunt tributum perſonis Eccleſiaſticis directè, cùm illas non exprimant: ſed tamen videntur imponere indirectè: cùm obligent omnes ementes ſoluere: nec Eccleſiaſticæ perſonæ oppidi pro quotidianis emendis poſſint illa quærere extra populum, cum tanto diſpendio: & proinde videtur neceſſarium vt fiat declaratio à Rectoribus populi quod Eccleſiaſtici ſint exempti à tali tributo. Neque obſtat quod lex talis tributi non exprimit vt ſoluant Eccleſiaſtici: nam publicani, & venditores illud expreſſe exigunt à perſonis Eccleſiaſticis, quæ proinde non poſſunt negare: eſſet enim illis difficilius, vel litem mouere, vel ex aliis populis illa victualia aſportare. Rectores verò populi ſciunt, & conſentiunt ab Eccleſiaſticis poſtulari. Et ſunt præterea valde notanda verba prædictæ clauſulæ in Bulla Cœnæ, vbi præter impoſitionem tributi, etiam de receptione illius ſic dicunt: *Sic impoſita etiam ab ſponte dantibus recipiunt.* Circa quæ verba Suarez *tom. de Cenſur. diſputatio. 21. ſect. 2. numer. 99.* dicit intelligi de illis qui petunt tributa à Clericis tamquam debita: cuius Doctoris hæc ſunt verba. *Quia ſine alia ſpeciali vi, aut coactione præter exactionem, ſiue impoſitionem dantur. Hæc autem ſufficiens vis eſt, & coactio.* Sic ille. Probatur idem ex *c. quamquam. de cenſibus in 6.* Vbi præcipitur quod talia tributa ab Eccleſiaſticis nemo exigat, vel extorqueat. Et eandem explicationem tradit Suarez *citato loco*, & Sayro *tom. de cenſur. lib. 3. cap. 22. n. 1.*

&

& Viuald. *loc.citat.n.*12. quod ſcilicet ſolùm petere illa tributa ab Eccleſiaſticis, ſit vis, & violentia. Et confirmatur, quia eo ipſo quod publicani petunt ab Eccleſiaſticis tale tributum ex vi legis debitum inferunt illis vim ipſius legis.

8 Dico ſecundò iuxta præmiſſa ſupra à nobis, quod neque pro fontibus, pontibus, muris, & ſimilibus bonis communibus poſſunt prædicta tributa imponi Eccleſiaſticis, niſi concurrentibus duabus circunſtantiis, vel conditionibus. Prima eſt illa quam ſupra diximus *ex cap. non minus, & ex cap. aduerſus*, quando ſcilicet populi pecunia non ſufficit, & concurrente Epiſcopo, imò, & Summo Pontifice conſulto. Secunda eſt, vt ſicut diximus in præmiſſis, Eccleſiaſticos non poſſe cogi ad hæc tributa ſoluenda expendenda in bono communi, quando illud bonum commune tangit Eccleſiaſticos ſolùm in genere, vt ſunt pons, fons, muri, &c. Sed oportet vt illos tangat in particulari, vt conſtructione viæ ante ſuam portam, obuiatio ignis, vel fluuij comminantium contra agrum vbi ſunt bona particularia Eccleſiæ, vel Clericorum, vel Religioſorum. Sic in terminis tenet Molina *tom.2. de Iuſt. tract.2. de tributis diſp.672. concluſ.1.* citans Panormit. & Sylu. Hæc eſt etiam ſententia Lopez ſupra citati, & Nauar. ſi bene conſiderentur. Ratio Molinæ eſt: quia ſi quoties bonum commune tangit Eccleſiaſticos ſolùm ex æquo, id eſt, tantùm in genere, & in communi, tenerentur ſoluere tributa pro bono illo communi: nunquam Eccleſiaſtici deobligarentur à ſoluendo vllo tributo, nam omne tributum imponitur pro bono communi omnes in genere, & communiter tangente: vnde fruſtratoria eſſet lex Eccleſiæ eximens Eccleſiaſticos à ſoluendis tributis. Oportet ergo pro Eccleſiaſticis obligandis, vt illud bonum commune tangat illos in particulari modo

iam expoſito. Et hæc ratio apud me videtur conuincere. Et præter Molin. Nauarr. Lopez eſt huius ſententiæ Viuald. *loco citat.* Rodriguez *Addit. ad Summ. tom.4. capit.166. concluſ.17.* & in Summ. *verbo Tributum capit.73. concluſ.12.* Petr. Ledeſm. *in Sum. Tract. 7. de Iuſtit. diſtributiua concluſ.20.* ponens diſtinctionem ſupra dictam de bono tangente Eccleſiaſticos in communi vel in particulari. Tenet & Reginald. *libr.9. ſuæ Summ. numer.376. & ſequentibus,* & Pat. Fr. Antonius de Soſa *in Bulla Cœnæ capit.19. diſputat.91. & 93.* Qui omnes citant alios adhuc textus, per quos omnino videntur correctæ illæ duæ leges ciuiles in principio adductæ. Citat alia pro nobis Henriq. ſupra *citato loco in Gloſſ. Littera M.* Et tandem ſufficiat nobis vnus Nauarr. qui præter iam citatum locum, etiam in *ead. Summ. Latina cap.17. num.202.* tanquam teſtis oculatus, poſtquam ibi dixit, peccare illos, & incurrere cenſuras, qui petunt ſimilia tributa ab Eccleſiaſticis, ſpecificans in vino, & carne; imprimis conqueritur quod ab ipſo clerico, itinerante petitum eſt ſæpius in variis regnis tale tributum. Secundò dicit, vidiſſe ſe in anno Iubilei magni tempore Gregor. XIII. multos gubernatores Vrbium Italiæ Romam intrantes, & multos publicanos cum illis petentes abſolutionem à Summ. Pontifice pro cenſuris incurſis ob impoſitionem, vel exactionem ſimilium tributorum à perſonis Eccleſiaſticis. Vide tantum virum teſtem oculatum, & lege locum ipſius. Addo præterea pro Colophone, Azor. 2. *part. Sum. Moralis libr.8. cap.11. col.1032.* §. *in dubium vertitur.* Vbi mouens idem dubium de tributo poſito in carne, & vino emendis pro bono communi Reipublicæ poſtquam dicit non poſſe exigi ab Eccleſiaſticis: ponit hæc verba. *Item receptum eſt vſu in multis locis vt Eccleſiaſtici talem gabellam non ſoluant,*

vel

Digitized by Google

vel si soluant intra annum, vinum, vel carnes, emendo, ad exitum anni Princeps, vel Respublica damnum resarciat pecuniaria compensatione. Sic ille. Et puto quod in præsenti materia, à Doctoribus grauibus, & recentioribus quales sunt supra citati, nihil potest amplius, vel clarius expectari.

9 Obiicis *in cap. peruenit. de immunitat. Ecclesiæ* dicere Gregor. Papam, nullum excusari à murorum vigiliis, sed omnes ad hoc generaliter compellantur: quatenus cunctis vigilantibus melius valeat ciuitatis custodia procurari. Cùm ergo ibi Papa de Ecclesiæ immunitate loquatur, & non excipiat Ecclesiasticos ab illa communi necessitate, sequitur posse eosdem obligari pro illo bono communi tangente Ecclesiasticos solùm in genere, vt soluant necessaria pro solo bono communi illos tangente in communi, neque esse necessarium, vt illos tangat in particulari. Respondeo primò. Ibi Papam non exprimere Ecclesiasticos. Secũdò quod solùm loquitur de cogendo ad vigilandum, non ad tributa soluendum. Tertiò dico, quod secũdùm omnes Doctores lex posterior corrigens priorem seruanda est quando ambæ seruari non possunt, quia Papa posterior potest abrogare legé prioris, vt quotidie fit, & fecit nuper Greg. XIV. & Clemés VIII. circa Motus proprios Sixti V. circa abortũ, & circa Nouitios. At post Greg. Papã loquẽtẽ ibi in generali, decreti sunt Canones in *eod. tit. de immun. Eccl-sia* iubẽtes in particulari, ne clerici obligentur ad soluenda tributa pro bono publico nisi interuenientibus illis cõditionibus supra memoratis, & proinde standũ est legi posteriori, quando prima, seu prior lex contrariatur posteriori. Conditi sunt præterea post *citat. cap. peruenit*, alij multi Canones per quos videtur corrigi *citatum cap. peruenit*, vel saltem declaratur. Faciunt tradita à Nauar. *lib. 5. conf.*

titul.de pœnis consil.37.num.1. Et ibi citata in margine: Facit, & quod traditur à Suarez *tom.de Legibus lib.6. cap.27.num.3.* Vbi dicit legem posteriorem aliquando abrogare priorem etiam si prioris legis non faciat mentionem, pro quo citat ibi *cap.1.de Constit.in 6.& Gloss. ibi verb. Reuocare. & l.sed, & posterioris ff.de Legibus.* Cui dicto, accedit ratio quia voluntas posterior suppositâ potestate, vincit, & reuocat priorem contrariam.

10 Quidquid tandem sit de prædictis allegatis ex iure Canonico, ac Doctoribus Theologis, quæro, an Papa Pius V potuerit concedere Religiosis, & Monialibus exemptionem ab illo speciali tributo posito in vini, & carnis emptione, non obstante iure Canonico communi, si quod daretur in contrarium (quod tamen non datur, vt supponoi) & credo quod omnes dicent potuisse:etenim Papa est supra ius commune. Secundò, quia videmus multos Sum. Pontifices concessisse multa priuilegia Religiosis contraria communi, etiam cum præiudicio tertij qualis inter alias est concessio facta Religiosis aliquibus de soluendis decimis,quod vergit in præiudicium Ecclesiarum, seu Episcoporum. Cùm ergo Pius V. in citato Motu proprio concedat Religiosis, & Monialibus, clarè, & expressè exemptionem à tali tributo vini,& carnis: & loquatur de omnibus Religiosis, & Monialibus per totum Orbem diffusis, & Princeps præsumatur habere ius commune in pectore (vt dicunt Iuristæ) sequitur, quod prædicta concessio non est derogata, imò quod derogaret iuri communi contrario, si daretur. Hunc Motum proprium Pij V. transcribit Capucinus Sorbo *in fine sui Compendij.fol.3.* Vbi ponit Papa multas pœnas contra venientibus illi decreto. Addit *ibi* Capucinus hoc priuilegium non fuisse derogatum

gatum à Gregor. XIII. pro quo citat ibi Capucinus *fol.*8. Authorem Catechesis Neapolitanæ. Addo quod prædictum priuilegium fuit concessum ex Motu proprio vt Papa exprimit, quod difficilius reuocatur. Et ego non vidi Bullam posterioris Pontificis reuocantem prædictum Motum proprium. Addo contra prædictum priuilegium non posse allegari præscriptionem, hæc enim contra bona Religiosorum non currit nisi per centum annos, vt dixi supra *verb. Præscriptio.* priuilegia verò Religiosorum computantur inter præcipua bona illorum.

11 Neque obstat, si dicas. Hoc tributum non imponi Ecclesiasticis, cùm lex eos non exprimat. Nam sufficit quod publicani, seu venditores illud exigant ab Ecclesiasticis ementibus, quod supra ex Suarez, & aliis diximus esse vim factam Ecclesiasticis. Neque obstant adducta in principio *num.*1. pro parte opposita. Nam primum exemplum de praxi, & consuetudine, non potest habere locum saltem contra Motum proprium Pij V. contra quem non dari præscriptionem paulo ante diximus. Adde circa praxim quod supra diximus dixisse ac vidisse Nau. in Italia, & Azor. in Hispania: Adde quod Pius V. in Motu proprio citato reuocat consuetudines quascunque, imò Apostolicas ordinationes in oppositum etiam si latæ sint, ac editæ in Conciliis generalibus. Ad secundum, desumptum ex Reg. Iuris, quod qui sentit commodum sentire debet & onus, dico id verum esse, nisi princeps, vel habens potestatem concedat alicui, vt non obstante quod aliquis sentiens commodum publicum, liberetur ab onere alicuius solutionis. Probatur hæc solutio ex praxi principum etiam sæcularium, qui multis viris nobilibus concedunt priuilegia vt non soluant ad pontes, fontes, & similia opera publica de quibus tales viri

nobiles

nobiles etiam commodum recipiunt: quod à fortiori poteſt Papa concedere nobilibus Eccleſiæ, quales etiam ſunt Religioſi. Adde quod prædicta Regula iuris multas patitur exceptiones, vt *ibidem* Gloſſ. exponit. De duabus verò legibus ciuilibus *ibidem citatis* non eſt curandum, quia princeps ſæcularis non poteſt condere legem præiudicantem libertati Eccleſiaſticæ, & prædictæ leges correctæ ſunt per ius Canonicum, vt aliqui Doctores affirmant, maximè Gloſſ. *in cap. generaliter. verb. Nouarum, & verb. Collationibus* 16. *quæſt.* 1. & alii Doctores *ibidem.* Et alij Doctores citati ab Henriq. *loc. ſupra citat. lib.* 10. *cap.* 15. §. 5. *Littera M. in gloſſ.* vbi multos citat Doctores iuris. Et quod magis eſt, duæ citatæ leges ſunt correctæ ab ipſo iure ciuili in *l. placet. de Sacroſ. Eccleſ. in Codice & l.* 2. *Cod. de Epiſcop. & cleric. & Authentic. nulla communitas Cod. de Epiſcop. & Cleric.* per quas Eccleſiaſtici eximuntur ab omni genere tributorum.

Hæc omnia dixi in gratiam Religioſorum habentiũ prædictum priuilegium Pij V. non condemnans, vt dixi, Reſpublicas oppoſitum facientes, quia forſitan conceſſionem Pontificiam habebunt ſupradictis derogantem, quam tamen non vidi, ſed cuperem videre. Et proinde Doctoribus me ſubmitto, & neminem condemno.

TRIDENTINVM
Concilium.

CVm Concil. Tridentinum tantæ ſit veneratiõis: & tam multa ſit de Regularibus locutum; totque illorum priuilegia derogauerit, ideoque ſit toties à nobis citatum in ſupradictis, ſatis vtile duxi breuiter, & per ſummam hîc recitare loca in quibus aliquid loqui

Digitized by Google

loquitur ſpectans ad perſonas Religioſas vt ſciant illæ, quid poſſint, & quid non poſſint per priuilegia ſua derogata.

Seſſ. IV.

PRæſcribitur modus ſeruandus in impreſſione librorum per Religioſos, de quo nos ſupra titulo libri.

Seſſ. V.

Cap. 1. de Reform. iubetur vt in Conuentibus Religioſorum vbi commodè fieri poteſt, ſint Lectores digniores ſacræ ſcripturæ aſſignati à Capitulo Generali, ſeu Prouinciali.

Ibidem cap. 2. quod Prædicatores ad prædicandum in ſuis Eccleſiis petant benedictionem Epiſcopi: & ad prædicandum extra ſuos Conuentus petant licentiam. Nos ſupra *verb. Prædicatores.* Et idem iubet *ſeſſ. 24. cap. 4.*

Eod. cap. 2. dat licentiam Epiſcopis puniendi Prædicatores, prædicantes errores, & ſcandala: de quo etiam ſupra *verb. Prædicatores*, & in hoc reuocat expreſsè priuilegia.

Ibidem etiam iubet vt Epiſcopi non ſinant prædicare Regulares extra clauſtra viuentes, & extra obedientiam, niſi noti ſint Epiſcopis, & probati moribus. Et hîc etiam reuocat priuilegia.

Seſſ. VI.

Cap. 3. de Reform. Regularis degens extra Monaſterium; etiam prætextu priuilegij ſui non obſtante,

stante, potest puniri ab Ordinario, si extra claustrum delinquit. Et reuocatur priuilegium.

Sess. XIV.

Cap.2. de Reform. iubetur quod nullus ordinetur quouis Ordine etiam Minori, absque expresso consensu, & litteris dimissoriis sui Prælati, aliàs manet suspensus ab executione Ordinis suscepti ad arbitrium Prælati.

Ibidem sess.14. cap.11. quod Religiosus de vno Ordine translatus ad alium, non possit vagari etiam cum licentia superioris admittentis, sed suscipiatur ad professionem; ita vt perpetuò maneat sub obedientia,& viuat intra clausuram.

Sess. XXII.

In decreto de obseruand. & euitand.in celebr.Miss.

1 PRohibet illeberales, & importunas exactiones, & pacta pro celebrandis Missis nouis: & licèt in hoc non exprimat Regulares, generaliter tamen loquitur,& proinde etiam de illis.

2 *Ibidem*: ne permittantur celebrare ignoti Sacerdotes extranei absque testimonio claro sui sacerdotij. Etiam generaliter loquitur, & Regulares comprehendit. Vide supra *verb. Missa.*

3 Ne Episcopi permittant etiam Regulares dicere Missam vbique, & in domibus priuatis, & oratoriis non ordinatis ab Episcopo, de quo vide supra *verb. Altare numero* 1. Et licet quo ad hanc celebrationem priuatam dicat ibi Concilium quod possint Episcopi illam

illam prohibere non obstantibus priuilegiis, &c. *Ibi* tamen Concilium non reuocat priuilegia, sed concedit quod possint reuocare ipsi Episcopi. Si tamen non reuocent, vide dicta *citato loco.*

4 Prohibet ne Sacerdotes celebrent nisi debitis horis: & ad hoc etiam committit Episcopis, vt possint reuocare priuilegia. Vide supra *verb. Missa num.* 3. *& sequentibus.*

5 Prohibet Missarum non consuetum morem in modo candelarum, & aliis quæ sonant superstitionem. De quo supra *verb. Missa num.* 8. *& seq.*

6 Prohibet *eadem sess. cap.* 4. *de Reformat.* ne vocem habeat in Capitulo is qui non fuerit Subdiaconus. De quo vide supra *verb. Electio num.* 16.

Sess. XXIII.

Cap. 10. *de Reformation.* quod Abbates non possint extra suos Conuentus, conferre primam tonsuram, vel minores Ordines iis qui non subditi sui Regulares. Et in hoc reuocat priuilegia. Vide supra *verb. Abbas num.* 2.

Cap. 11. quod Ordines minores non conferantur nisi scientibus saltem linguam Latinam, & seruatis interstitiis, & inter hos, & subdiaconatum interfit annus, non exprimit Regulares: sed loquitur generaliter. Vide *ver. Suspensio num.* 14. & non reuocat priuilegia, neque consuetudinem.

Cap. 12. assignat ætatem in qua etiam Regulares debent suscipere subdiaconatum & cæteros Ordines. Et ad hoc reuocat penitus omnia priuilegia Mendicantium, & Regularium. Vide *verb. Ordines sacri numer.* 13. & præterea *ibi* iubet quod Regulares examinentur.

Cap.

*Cap.*13. quod duo Ordines ſacri eodem die neque Regularibus conferantur. Reuocat omnino priuilegia.

*Cap.*15. quod non poſſit Regularis audire confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum abſque examine Epiſcopi. Reuocat priuilegia, & conſuetudines.

*Cap.*17. quod miniſteria Altaris non exerceantur, niſi per conſtitutos in illis Ordinibus. Vnde carens Ordine ſubdiaconatus non poteſt in Altari cantare Epiſtolam. De hoc non ponit reuocationem : neque ad hoc datur priuilegium : imò ſi carens iſto Ordine exerceat tale officium cum ſolemnitate, incurrit pœnas de quibus Doctores agentes de Sacramento Ordinis.

*Eadem ſeſſion. cap.*13. *&* 14. alia decernit de promouendis ad Ordines ſacros quæ ſufficienter ſunt explicata, *verbo Ordines ſacri. & verbo Suſpenſio.* Maximè nota, quod ibi dicit *capit.*14. poſſe Epiſcopum diſpenſare cum promoto per ſaltum, ſi non miniſtrauerit. Innuítque non poſſe ſi miniſtrauerit. Quid verò poſſit in hoc Prælatus cum ſuo Regulari promoto, per ſaltum, ſi res fuerit omnino occulta iudicare poteris ex dictis ſupra *ver. Ordines ſacri. num.*14.

Seſſ. XXIV.

*CAp.*2. *de Reformation.* iubentur aliqui exempti accedere ad Concilia Prouincialia Epiſcopalia, ſaltem ij qui obligantur ratione parochialium, aut aliarum Eccleſiarum annexarum.

*Cap.*8. quod Regulares poſſunt eſſe examinatores, recepto prius iuramento : & quod nihil ab examinatis accipiant, aliàs labem ſimoniæ non euadent, &c.

Seſſion.

Digitized by Google

Seſſ. XXIV. de Reformat.

Capit. 1. *de Reformatio.* iubentur Fratres, & Moniales aptare vitam ad ſuam Regulam, & ſtatuta in veſtitu, cibo, & cæteris. Et admonentur Prælati omnino de cura, ac viſitatione, ſuper his facienda.

Capit. 4. datur licentia Generalibus vt in Capitulo Generali poſſint reducere magnum Miſſarum numerum, pro quibus ſunt tenues eleemoſynæ, ad minorem numerum cum conditionibus ibi appoſitis: de quo vide ſupra *verb. Miſſa. num.* 1.

Seſſ. XXV. de Regular.

IN *hac ſeſſione tota* agitur de Religioſis fusè per *capita* 22. Et aduerto ante omnia, quod omnia contenta in *illis* 22. *Capitulis* circa Regulares omnes vtriuſque ſexus præcipit obſeruari, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, quorumcumque Religioſorum. Omnia enim in contrarium reuocat ibi, *cap. vltimo, ſeu* 22. Et proinde non eſt neceſſe in ſingulis ſequentibus ponere reuocationem, ponam verò ſola præcipua.

Cap. 2. prohibentur Religioſi in particulari habere peculium: & prohibentur Prælati illud illis concedere. De hoc vide ſupra *verb. Peculium. n.* 1. *&* 2. & Monachus habens peculium indebitè priuatur voce actiua & paſſiua per biennium.

Cap. 3. conceditur omnibus Religioſis & Monialibus cuiuſque Ordinis, exceptis Capucinis, & Minoribus obſeruantibus, vt habere poſſint bona immobilia, ac redditus, non obſtante Regula ipſorū. Secūdò ne in

Conuentibus recipiantur plures Fratres, vel Monia-les, quam possint sustentari commodè, ex redditibus propriis,& eleemosynis consuetis. Tertiò, ne erigantur in posterum noua Monasteria absque licentia Episcopi illius Diœcesis.

*Cap.*4. prohibetur ne Religiosus aliquis addicat se seruitio vel obsequio alicuius Episcopi,vel cuiuscumque alterius personæ sæcularis, vel Ecclesiasticæ extra Ordinem, nisi cum speciali licentia Prælati,quocumque prætextu se addicat. Secundò, ne Religiosus exeat à suo Conuentu,etiam prætextu adeundi Prælati,in scriptis obtenta,Aliter facientes,possint puniri ab Episcopis, tanquam desertores sui instituti. Tertiò,vt Regularis missus ad vniuersitates causa studij habitet intra Conuentum: alioquin ab ordinariis contra illos procedatur.

*Cap.*5.agitur per totum de clausura Monialium,de quo nos supra *ver.Clausura Monialium.* Et præcipitur sub excommunicatione vt Principes, & Magistratus requisiti,dent auxilium ad prædictam clausuram conseruandam:& sub eadem pœna,ne aliquis ingrediatur dictam clausuram, absque licentia obtenta in scriptis modo ibi prædicto.

*Cap.*6.præcipitur vt electiones quorumcumque superiorum Regularium fiant per vota secreta, ita vt nomina eligentium nunquam publicentur. Secundò, ne possint vota, seu suffragia absentium suppleri per alios præsentes. Aliàs factum irritatur. Et priuantur officio, & inhabilitantur ad futura, qui se secus eligi permiserint.

*Capit.*7. ponuntur conditiones Abbatissæ eligendæ, vt sit 40. annorum ætatis, 8. professiouis, & quod laudabiliter vixerit in Ordine. Si verò talis ibi desit, poterit eligi habens 30. annos ætatis, & quin-

que

Digitized by Google

que professionis. Secundò, quod superior præsidens electioni, nō intret clausuram, sed ad crates vota singularum audiat.

Capit. 10. Moniales confiteantur, & communicent saltem singulis mensibus. Et superiores bis aut ter in anno offerant illis Confessorem alium extra suum Ordinarium. Secundò, prohibet ne Moniales habeant sacrosanctam Eucharistiam intra chorum: quod iuxta Rodriguez, & praxim, intelligitur, si ita sit intra chorum, vt pro illa portanda, ac renouanda, aperienda sit clausura. Secus si sit supra chorum, id est, intra parietem chori, vt Moniales non accedant, sed aspiciant: Et de foris, per coleam, seu scallam, possit deduci à Sacerdote, ac renouari sine ingressu clausuræ, toties quoties.

Capitul. 11. Regulares qui habent curam Ecclesiarum sæcularium, sint subditi Episcopi in visitatione, & correctione quo ad curam, & administrationem Sacramentorum. Neque Prælati Regulares possint ibi assignare aliquem nisi de consensu, & examine Episcopi. Excipit loca in quibus Generales, vel capita Ordinum habent sedem principalem: vel in quibus Abbates, & superiores exercent iurisdictionem Episcopalem, & temporalem in parochos.

Capit. 12. præcipit, vt Regulares in suis Ecclesiis, publicent, & obseruent, censuras positas per sedem Apostolicam, & interdictam: & hæc etiam posita per ordinarium publicent, & seruent. Et obseruent etiam dies festos præceptos ab Ordinariis. De quo supra, *verbo Interdictum*, & *verbo Festi dies*.

Capit. 13. præcipit vt Episcopi componant controuersias, ac discordias omnes inter præcedentias Regularium pro actibus publicis: & quod Regulares

vocati ad proceſsiones, teneantur accedere. Vide ſupra *verbo Proceſſiones*.

Capit. 14. decernitur vt Regularis viuens intra clauſtrum, & extra illud ſcandalosè delinquens, puniatur à Prælato inſtante Epiſcopo intra tempus aſsignatum ab Epiſcopo. De quo vide amplius *verbo Epiſcopus.num.*8.

Capit. 15. decernitur ne fiat profeſsio viri aut fœminæ, ſi non habeant 16. annos ætatis completos: & annum vnum integrum Nouitiatus: aliàs facta irritatur. De quo multa ſupra *verbo Nouitius*, & *verbo Profeſſio.*

Capit. 16. iubetur ne Nouitius anno Nouitiatus faciat donationes, niſi intra duos menſes proximos ante profeſſionem: & cum conditionibus ibi poſitis: aliàs ſint irritæ. De quo ſupra *verbo Nouitij donationes.* Secundò, ibi præcipitur, vt Nouitius anno probationis finito, ſtatim admittatur ad probationem, vel eijciatur. Excipit morem Patrum Societatis Ieſu, qui finito biennio emittunt tria vota ſolùm ſimplicia: & profeſſionem ſolemnem emittunt multo poſt ad arbitrium ſui Generalis, quam cõſuetudinem illis permittit. Vide ſupra, *verbo Profeſsio numer.* 1. Tertiò, ibi præcipit ne Nouitij, aut parentes, vel conſanguinei dent aliquid Monaſterio, præter victum, aut veſtitum. Vide *verbo Monaſterium.num.*11.

Cap. 17. Nouitiæ Moniales, antequam profeſsionem emittant, ſunt examinandæ ab Ordinario de libertate, vel per ſuum Vicarium an liberè profiteantur. Et Abbatiſſa tenetur ante profeſsionẽ, per vnum menſem monere de hoc Epiſcopum: quod ſi non moneat, ſuſpenditur ad arbitrium Epiſcopi. Vide ſupra, *verbo Nouitia.numer.*3.

Cap. 18. excommunicantur cogentes aliquam fœminam

minam inuitam intrare Religionem,vel habitum ſuſcipere,præter quam quod in caſibus à iure expreſſis, vel auxilium, fauorem, & aſſiſtentiam dantes. Et è contra excommunicantur etiam prohibentes aliquam fœminam intrare volentem aliquam Religionem, de quo vide ſupra,*verb. Moniales.n.*6.7.8.*&* 9.Sed ab his legibus excipit ibi fœminas quæ conuertitiæ,aut pœnitentes appellantur,in quibus conſtitutiones illarum ſeruentur.

*Cap.*19. præcipitur primò vt Regularis, qui prætenderit allegare ſe non eſſe verè profeſſum, ob metum, vel defectum ætatis, id faciat in quinquennio cum cæteris ibi conditionibus:de quo vide latè ſupra *verb. Profeſſionis reclamatio. à num.*44. *& ſequentibus.* Secundò, ibi præcipitur ne poſſit aliquis tranſire ad laxiorem Religionem:nec illi detur licentia portandi habitum ſuæ Religionis occultè. Vide *verbo Religio. num.*12.

*Cap.*20. *&* 21. aliqua ponuntur de Abbatibus, & Abbatiis,quæ quia non ſunt communia Regularibus, & vt ibi dicitur *c.*21.difficile habent remedium,omitto:videat ibi qui volet,& cui intereſt.

Hæc ſunt præcipua quæ in Tridentino iniunguntur Regularibus,& in quibus illorum priuilegia reuocantur. Cætera,ſi quæ ſunt,minora ſunt, & ex poſitis in hoc tractatu intelligentur. Caſus verò in quibus Tridentinum ſubiicit Regulares Epiſcopis ſunt: in *ſeſſ.*5. *capit.*2. *de Reformat. ſeſſion.*6. *capit.*3. *de Reformat. ſeſſion.*7. *capit.*7. *&* 14. *de Reformat. à verſic. Addendo.* & infra. *ſeſſion* 23. *capit.*16. §. *Nullus ſeſſi.*24. *cap.*1.*de Reform. Matrimoni*],*verſ.Quod ſi quis & c.*2.*de Reform.& c.*4.*verſ.Nullus. ſeſſ.*25.*c.*4.*verſ. Qui verò.& cap.*11.*&* 13.*de præcedentiis.& cap.*14.*&* 16.præter alia quæ in hoc tractatu inuenies.

ADDITIO.

Vide infra verb. *Viuæ vocis oraculum num. 3.*

QVæstio ab aliquibus disputatur, vtrum Sum. Pontifices qui post Concil. Tridentinum promulgarunt aliquos Motus proprios vel aliqua priuilegia concesserunt Religiosis, vel aliis, in quorum fine ponunt multas reuocationes, dicendo non obstantibus quibuscunque, &c. censeantur derogare Concil. Tridentini decretis. Et videtur quod sic. Nam Papa est supra Concilium, vt est certissimum apud Doctores in materia de fide: & præterea tanquam Princeps præsumitur habere totum ius in pectore: ergo si concedit aliquid repugnans Concilio Tridentino censetur illud velle reuocare. Et eadem quæstio esse potest quando Papa concedit aliquid contra quodcumque aliud ius commune contentum in Conciliis generalibus, vel in corpore iuris Canonici. Et confirmatur, quia si verba illa posita in fine Bullarum, *non obstantibus quibuscunque.* non operarentur hunc effectum reuocandi decreta Conciliorum, & Canonum, frustra ponerentur à Papa, si contra talem nouam concessionem daretur aliud antiquum decretum Canonis, vel Concilij. Huius opinionis esse videtur Rodriguez *tom. 3. qq. Regul. quæst. 46. art. 1. §. secunda conclusio.* Vbi agens de quodam priuilegio circa quartam funeralem concesso Fratribus prædicatoribus per quod videtur reuocari *Clementina dudum. de Sepult.* quæ facta fuit in Concilio Viennensi, subdit Rodriguez. Quod in omni materia si per verba derogatoria prolata, licèt generaliter, ab eo qui potest, appareat eius voluntas, quod generaliter omnibus derogare voluit illi statutis: pro quo ci-

ta.

tat in margine *cap.nonnulli.de reſcript.& c.ex parte,de Capel.*& Inn.& Archidiaconum,& hac ratione motus cenſet ibi Ioannem XXII.per priuilegium ſubſequens derogaſſe *dictæ Clementinæ*.licèt illius mentionem,non fecerit: quia,inquit, papa Ioannes illius Clementinæ notitiam habebat, & ſic ex certa ſcientia illi derogauit.Sic Rodriguez. Et quidem opinio iſta valde probabilis eſt propter rationes ſupra adductas, quæ ſunt etiam poſitæ à Rodriguez.Et vix videtur poſſe illis reſponderi.

2 Sed video ipſum Rodriguez *eod.tom.3.q.37.art.4. poſt medium §.circa quam*, fusè tenere cum multis Iuriſtis quos citat vtriuſque Iuris,ac Theologis,quod,vt conceſſiones Pontificiæ poſteriores reuocent, aliquod decretum Concilij generalis, eſt neceſſarium, vt fiat expreſſa mentio illius Concilii derogati.Citat Archidiac. Baldum,Paul. de Caſtr.Iacobat.Couar.Meneſes, Gutierres,Anaſtaſ. & alios,& dicit eſſe communem, adeo, vt totus mundus eam ſeruet, ſicut ibi refert ex Felino. Rationem aſſignat communem, nam decreta facta in Concilio generali maturius examinantur, & maiori examine proferuntur à tot, ac tantis viris piis ibi concurrentibus ac proinde difficilius Sum. Pontifices diſpenſant in decretis Concilii generalis. Cùm ergo Concilium Trident. his vltimis temporibus durauerit in fieri per annos 27.vt patet ex Bulla Paul.III. Concilium inchoantis, ex Bulla Pii IV. illud confirmantis: cùm præterea conſtet tot, ac tantos viros in omni ſcientia neceſſaria claros ibidem interfuiſſe,credendum eſt nolle Sum.Pontifices decreta talis Concilii tanto tempore,ac tanta maturitate examinata, derogare, niſi id exprimant, moti aliqua particulari neceſſitate. Cuius ſignum eſſe poteſt, quod recentiores Sum.Pontifices confirmantes priuilegia Ordinum:di-

cunt vt plurimum; *Dummodo Concilij Tridentini decretis non contradicant*: Tenet hoc ipsum Rodriguez *eod. tom. 3. quæst. 17. articul. 2. §. Nec contra.* Et citat *ibi cap. post translationem. de renunciat.* Idem tenet, Sanchez *libr. 3. de Matrimon. disput. 26. numer.* Vbi citat Felin. Seluam, Parisium, Nauar. Couar. Cordubam, Menochium, Molinam, Viuald. & alios multos. Ac proinde dicit, quod vt posteriores Pontifices derogent decretis Concilij generalis, maximè si Concilium sit modernum, necessarium est vt ponatur hæc clausula: *Non obstante aliqua lege, aut constitutione in Concilio generali edita.* Quam clausulam posuit Pius V. in Motu proprio quo eximit Religiosos à solutione tributi positi in emptione carnis, & vini, sicut dixi *verbo precedente Tributum in solutione ad primum.* Et citat Sanchez duo capit. iuris quæ ibi vide: Ratio verò quam affert est prius tradita à Rodriguez *citata quæst. 37. articulo 4.*

3 Ecce vides duas opiniones primam pauciſſimis Doctoribus firmatam, sed validis rationibus roboratam. Secundam multitudine doctorum munitam, sed vnica tantùm ratione, seu coniectura debili fulcitam, vt fere hîc locum habere possit dictum Nau. *in Sum. Latina c. 7. n. 4.* Vbi ait discedendum esse à communi opinione, quando pro parte opposita datur ratio, vel rationes, quibus vix potest respõderi. Hoc posito elige quod volueris. Hoc tantùm dico, quod tenentes opinionem secundam tot Doctorum, respondere poterunt ad obiecta pro prima, iuxta illam regulam Iuris in 6. Quod in concessione generali non veniunt illa, quæ si concedens rogaretur in speciali, denegaret. At si Papa concedens aliquid contra Concilium, rogaretur, Papa non exprimente, maximè contra Tridentinum credibile est quod Papa denegaret.

4 Hoc

4 Hoc ſolum aduerto prædictos Doctores Rodrig. & Sanchez cum illis quos citant, id ſolùm aſſerere de decretis poſitis in Concilio generali, ob rationem poſitam *n.*2. Nihil verò dicunt quando conceſſio Papæ poſterioris contradicit alicui Canoni alicuius Papæ poſito in corpore iuris, quod condidit extra Concilium Generale: vel de aliqua Bulla Pontificia quæ non eſt poſita in corpore iuris. De his enim duobus videntur dicturi, quod reuocatio generalis ordinaria derogabit cuiuis illorum maximè ob dicta in *n.*1. Et admiſſa priori opinione licebit deducere multas concluſiones in multis caſibus occurrentibus circa valorem priuilegiorum. Quod etiam licebit facere ſtando in opinione 2. ſiue cõmuni, quæ quia quotidiana ſunt recenſeri non poſſunt: ſufficiet ad ſupradicta recurrere.

5 An verò priuilegia Regularium, quæ contrariantur Concilio Tridentino ſint reuocata per ipſum Cõcilium, & per poſteriores Pontifices dixi ſupra *ver. Priuil. n.* 64. Vbi credidi eſſe reuocata: licèt pauci id negẽt: Eodem etiã *ver. n.* 71. & 72. dixi an priuilegia Regulariũ reuocentur per Bullã Cruciatę, vel per Bullam Cœnę.

6 Pro regula adhuc generali, in hac materia dicendum eſt non poſſe Regulam generalem aſſignari, niſi hanc. Cùm reuocatio priuilegij, vel Concilij pendeat à mente & voluntate reuocantis, potentis reuocare: Et mens cuiuſque ex verbis externis, quibus illam indicat, colligi debeat: ſequitur quod quando Papa reuocat ſtandum eſt verbis ibi prolatis, quibus ſuam voluntatem exprimit, vt Rodriguez dixit *primo loco ſupra citato.* Nam Regula fixa in iure, non eſt alia melior illa, ad quam Doctores in hac materia paſſim recurrunt, videlicet: In conceſſione generali non veniunt illa, quæ concedens conceſſurus non eſſet, ſi in particulari rogaretur.

VE

VELVM MONIALIVM.

1 MVltiplex est velum Monialium, quorum notitia inseruit ad intelligenda multa iura antiqua. Primum est velum professionis, quod scilicet imponitur in die professionis. Secundum est velum consecrationis. Et hoc datur, quando Monialis consecratur ab Episcopo in virginem: & hoc datur solum fœminæ in anno 25. suæ ætatis *cap. placuit* 20. *quæst.* 1. Tertium velum erat ordinationis, quo tradebatur certis fœminis potestas, seu Monialibus, legendi homilias,& inchoandi Antiphonas in choro,de quo D.Antoni. *3 par.tit.*20.*cap.*2.§.2. Et hoc officium etiam olim dicebatur Diaconissa. De quo Baron. *tom.*1. *Annal.anno* 34.*cap.*255. *& sequentibus.* Sed hoc velum, & officium iam non est in vsu: hodie enim omnes Moniales, imò Nouitiæ legunt homilias, & inchoant Antiphonas. Quartum velum erat prælationis: quod nihil aliud erat quàm Monialem eligi, & confirmari in Abbatissam. Et videtur de hoc loqui *caput iuuenculas* 20. *quæstione* 1. de quo multa supra *verbo Abbatissa vidua.* Quintum velum erat continentiæ, quod tradebatur viduis. De quibus omnibus Sylvest. *verb. Consecratio virginum*, & multi alij.

2 De velo consecrationis, multi multa dicunt: id est, de velo virginitatis: multi enim affirmant peccare mortaliter Monialem, quæ si virgo non est, etiam si peccatum illius sit occultum, permittit se consecrari in virginem. Alij alias faciunt explicationes particulares de modo virginitatis, quæ, quia raræ sunt, ad rem non videntur facere. Ego credo, quod si Monialis viuat in Conuentu, vbi est consuetud o

tudo, quod omnes consecrentur in tali ætate, & illa non possit recusare consecrationem absque notabili infamia suæ castitatis, & certum est non posse moraliter: si illa virgo non sit, & eius peccatum est occultum potest absque peccato recipere velum virginitatis cum aliis: non enim tenetur se infamare, & tali infamia, qualis hæc est in fœmina nobili. Probo clarè dicto supra, *verbo Officia Ordinis*, videlicet, quod quando Religiosus in occulto est excommunicatus, & inhabilis, & eligitur ad prælaturam, cui renuncians, non acceptatur, neque auditur, neque potest suum impedimentum absque notabili infamia detegere; poterit acceptare cum protestatione ibi facta; &c. Ius enim naturale honoris ibi prævalet positiuo. Quod videtur posse applicari in casu præsenti, fama enim honestatis in fœmina nobili, magis ponderare videtur, quàm quæuis in viro. Et præterea acceptare velum virginitatis cum tali impedimento, non videtur tam graue, quàm acceptare prælaturam, seu curam animarum in homine excommunicato, & inhabili de iure. Est aliud exemplum fortissimum de homine existente in peccato mortali, qui necesse habet communicare ob timorem infamiæ notabilis, vel celebrare: & tamen caret confessore: hîc enim potest communicare, vel celebrare, vt euadat notabilem infamiam si habeat contritionem: ergo si hic contritus potest recipere corpus Christi ob vitandam infamiam; videtur quod possit Monialis confessa, & communicata ob vitandam infamiam recipere velum virginitatis, si aliter vitare non potest infamiam. Tenet etiam Rodrig. *tom. 3. Addit. cap. 90. num. 4.*

VENE

VENEFICIA, INCANtationes, sortilegia.

INter casus designatos à Clemente VIII. vt possent reseruari, primus erat iste contentus in titulo. Et quia fortè in aliquibus Religionibus fuit acceptatus, & reseruatus, non faciam præter intentum istius explicationem hîc breuiter inferere per Summam: nam exacta illius explicatio librum non paruum postularet.

1 Igitur hæc tria, veneficia, incantatio, sortilegium fere non differunt specie, sed solùm ex parte materiæ, seu modi quo fiunt, & concordant hæc tria in formali malitia quæ est fieri instigante, vel paciscente diabolo. Est igitur hæc distinctio: veneficium est applicare res naturales inefficaces ad talem effectum non vtendo aliquibus verbis, neque cæremoniis. Incantatio est dicere verba inutilia, vel inofficiosa ad talem effectum, non apponendo res naturales, sed sola verba. Sortilegium est quando mittuntur sortes, vel quid æquiualens fit ad cognoscendum secretum præteritum, vel futurum ita vt semper in his tribus concurrat diabolus. Colliguntur hæc omnia ex *capite igitur 26. quæst. 3. & 4.* quæ desumpta sunt ex D. Augustin. Et ex *ibidem* dictis intelligitur etiam distinctio accidentalis, seu ex parte materiæ inter alios, qui pacto diaboli alicuius dicuntur diuini, quia scilicet profitebantur se plenos diuinitate ad diuinandum. Alij dicebantur Arioli, quia, vt secreta panderent circuibant aream seu altare dicendo certas orationes. Alij dicuntur Haruspices, à verbo hora: quia scilicet obseruabant certam horam, vt panderent secretum, seu diuina. Alij dicebantur Augures ab aue, quia

quia ſcilicet ex volatu auium in hanc, vel contrariam partem portendebant bonum, vel malum ſucceſſum. Alij denique vocabantur aliis nominibus ſumptis ex materia in qua exercebantur: ſed in omnibus prædictis ſemper diabolus mouebat pacto expreſſo, vel virtuali. Et proinde hæc nomina ſæpius confunduntur, vt Ariolus, vel Haruſpex & cæteri dicuntur venefici. Et iſti dicuntur diuini, &c. quia licet in materia, ac modo differant, ſubſtantia malitiæ, & author illius diabolus in omnibus illis interuenit. Et omnes hos malos artifices comprehendit Papa in iſto primo caſu, veneficia, incantationes, ſortilegia. Ad hæc autem omnia vitia ſe habet tanquam genus ſuperſtitio, quæ eſt in ſubſtantia eſt inuocatio dæmonis. Et eſt magnum peccatum oppoſitum virtuti Religionis, quæ inter virtutes morales eſt prima, teſte D. Thom. 2.2. *quæſt.* 81. *art.* 2.

DE VENEFICIIS IN PARTICVLARI.

2 DIcitur veneficus qui aliquando vtitur rebus venenoſis: dicitur & maleficus, ex malis quæ infert aliquando rebus viuentibus: cùm igitur hæc prima ſpecies verſetur in applicandis rebus naturalibus alicui effectui, reſpectu cuius producendi non habent efficaciam naturalem: pro regula generali tenendum eſt ex D. Thom. 2.2. *quæſt.* 96. *artic.* 2. *ad* 3. Si res aliqua adhibeatur ad aliquem effectum, ad quem producendum non habet virtutem naturalem aliquam, eſt veneficium, vt plurimum, quia ſi tunc ſequatur effectus non eſt virtute cauſæ naturalis, vt patet, ſed diaboli adhibentis rem illam, vt ſignum pacti initi cum perſona illa expreſsè, vel tacitè. Eſt tamen aduertendum ex Victoria *de arte Magica qu.* 3.

num.

*num.*7. & aliis non ſemper effectus, qui nobis videntur mirabiles prodire à diabolo: nam poſſunt prodire à cauſa naturali nobis incognita, maximè per magiam naturalem, quæ cognitis ſecretis virtutibus rerum naturalium, illáſque miſcendo producit effectus naturales quidem, ſed vulgo incognitos, quia ignorantur communiter rerum illarum particulares virtutes, quod latè perſequitur Delrio *lib.*1.*Magic.diſqui. capit.*2.*&* 3. & ſæpe particulares homines, etiam mali, per ſtudium, vel praxim aſſecuti illarum virtutem naturaliter, ac licitè producunt illos effectus, qui aliis videntur mirabiles, cùm tamen non ſint tales, neque à dæmone profecti.

3 Vt verò iſti effectus ſic mirabiles cognoſcantur an ſint à dæmone, an à cauſa naturali ſufficiente, accipe ſequentia documenta. Primum ſi ad illum effectum adhibeantur certi ritus, & circunſtantiæ inutiles de ſe, ſed adhibeantur tanquam neceſſarij, vt, ſi fieri debeat opus in tali hora, vel reſpiciendo ad ſolem, vel cœlum: vel certo die, vel certo numero crucium, vel orationum; vel certa corporis poſitura; vel dicendo verba incognita, & inuſitata: vel ponendo characteres ignotos, & ſic dé cæteris. In omnibus iſtis credendum eſt adeſſe pactum diaboli: quia illæ circunſtantiæ iuſſæ apponi, vt neceſſariæ, ſunt inutiles ad illum effectum, vt patet: & proinde clarum ſignum eſt apponi à diabolo, vt ſignum pacti initi. Ita Valentia 2.2. *diſput.*6.*quæſt.*13.*puncto* 2. & alij communiter. Secundum documentum. Ex modo operationis, poteſt colligi ſi effectus producatur à cauſa naturali: vt ſi ſquis cauſam habuiſſet in loco ita diſtanti à re patiente, vt ſecundùm veram Philoſophiam per cauſam naturalem ſit impoſſibile in loco tam remoto operari. Quale fuit illud quod ſcriptum dicitur in annalibus Oppidi

pidi Scalabitani in Portugallia, de quadam fœmina, quæ edocta à venefica, in eodem oppido domi ſuæ pungebat pugione imaginem ſui mariti exiſtentis in India Orientali, & illa punctio Scalibi facta torquebat mirabiliter maritum in India exiſtentem ita vt pene maneret exanimis. Tertium eſt ex conditione, ſiue magnitudine effectus ſperati in ſe, vt ſi loquatur ſtatua, vel moueatur quid inanime, vel ſi comminatio fiat de re impoſſibili naturaliter, vel de re abſurda. Tales enim effectus in ſe ita magni ſunt vt naturaliter effici non poſſint, niſi à malo vel bono ſpiritu. Quale etiam erit ſiſtere curſum fluuij, incendere amorem inhoneſtum in aliquo cum amore ferè inſano, & ſic de aliis, quæ vir prudens ac pius ſtatim aſſequetur.

4 Si verò rebus omnibus penſatis, dubium ſit an effectus iſte poſſit produci ab aliqua cauſa naturali latente, in tali dubio non eſt aſcribendus effectus diabolo: cùm ignotæ nobis ſint, vt diximus, multæ virtutes rerum naturalium, à quarum aliquo poterit effectus ille produci. De quo multa dicit Auguſtin. 14. *de Ciuit. cap.* 24. & alij. Tunc verò multum valebit conſiderare vitam, ac mores operantis vel docentis, & circunſtantias vanas ſi quas adhibeat: An verò in tali dubio poſſit attribui notabilis ille effectus virtuti diuinæ, vel non; Gerſon. 2. *part. tract. de abſolut. Sacrament. Alphab.* 33. *littera L.* tradit hanc Regulam; *Nunquam attribuenda eſt aliqua virtus ſupernaturalis talibus rebus quibuſcunque niſi hoc trahi poſſit ex ſcriptura ſacra vel reuelatione diuina, & oppoſitum credere habet ſpeciem ſuperſtitionis.* Sic ille. Cùm ergo non conſtiterit aliquid ex ſupra dictis, ſuſpectus erit effectus, maximè ſi concurrat vana circunſtantia, & mala vita authoris.

5 Ex

5 Ex his infert Suarez *tom. de Religion. lib. de superstit. cap. 1 nu. 26. & 27.* non esse absoluendos vtentes remediis externis ad morbos quæ euidens est non posse esse causas naturales sanitatis, quamuis publicè tolerentur: quia non datur ibi probabilis ratio quod ibi assistat virtus supernaturalis: hoc enim solum proprium est in verbis formarum Sacramentorum: neque credendum est talem virtutem reuelasse Deum alicui sancto.

6 De saliuatoribus videlicet qui saliua, vel tactu curant morsum canis rabidi. Sanchez *2. Decal. à num.* 45. multa dicit: 1. ait ab aliquibus Doctoribus illos excusari, cùm possit illius saliua habere in tali subiecto virtutem naturalem, vel possint habere gratiam gratis datam etiam si aliàs sint flagitiosi. At ipse Sanchez *ibidem* illos vt plurimum suspectos esse dicit, maximè quando in illis reperiuntur sequentia ab illis dicta. Primum solent dicere se indigere nimio vini potu ad excedendam hanc virtutem. Secundum est, quòd solent panem à se morsum porrigere morsis à cane rabido: quæ duo licèt aliqui damnent, ipse tamen Sanchez aliquo modo excusat, quia per calorem vini, vel saliuæ impressa in pane poterit illa virtus naturalis, vel excitari, vel communicari. Tertiò aliquando dicunt se non posse sanare morsum in præsentia alterius saliuatoris maiori vi pollentis: Et hoc tanquam verè suspectum ibi reprobat Sanchez. Sicut etiam reprobat quartum quod dicunt vnum saliuatorem cognoscere alium saliuatorem, quamuis illum nunquam viderit. Falsum est etiam quod dicunt, illam virtutem inesse cuiuis filio septimo per viam masculinam, ac denique quod possint ignem intrare absque damno. Quibus de causis, maximè si concurrant aliqua verba inutilia, vel

vana

vana circunſtantia habendi ſunt hi omnes tanquam ſuſpecti.

7 Suſpectę ſunt etiam,ac damnandę imagines Aſtrologicæ, vel characteres geſtati ad effectus extraordinarios aſſequendos:nam hæc,& ſimilia, (quas vocant nominas abſque Reliquiis ſanctorum) non poſſunt alterare corpora, vt ſanitatem naturaliter inducant. Vide Sayro *Iau. Leg.lib.4.c.6.n.4.*

8 De enpſalmis verò multi,multa dicunt: & aliqui affirmant eſſe licitum illis vti. Multa congerit denuo Emanuel Valle *ſectione 1.c.1. & ſeqq.* & maximè *ſect. 1 c.6.n.2.* ait communem Doctorum ſententiam illos reprobare. Mihi placet breuis ac reſoluta doctrina de enpſalmis tradita a Sanchez *cit.c.40.n.49.*per ſequentes propoſitiones. Prima: eſſe licitos ſi fiant ſolis orationibus licitis, & adiurationibus licitis abſque aliqua vana circunſtantia: vt ſi fiant de precando paſſionem Chriſti,vel quid ſimile, vt medicinæ naturales applicatæ ſortiantur effectum.Pium eſt enim Chriſtum D. vel ſanctos inuocare,vt medicinę naturales ſortiantur effectum,vt docet Nau.*in Sum.cap.11.n.36.* Secunda propoſitio, ſi alia verba adhibent nullam applicantes medicinam naturalem efficacem ad illum morbum curandum, ſed credunt illis ſolis verbis, vel crucibus curandum,eſt curatio vana,& ſuperſtitioſa,ac proinde ſuſpecta.Nam talia verba,vel ſigna non habent virtutem naturalem ad illum effectum,vt patet:Nec virtus ſupernaturalis oſtenditur ex Sacr. ſcriptura vel reuelatione,vt ſupra diximus ex Gerſone. Tertia eſt;quod vt plurimum tales enpſalmi ſeu carminationes maximè à fœminis(Vulgo *benzedeiras*)eſſe ſuſpectas, quia vt plurimum vana miſcent, & proinde non eſſe permittendas:maximè ſi Eccleſiaſticus iudex eas interdixit. Et addit vt plurimum his non vti niſi perſonas

viles,& vitæ non probatæ,& ignotæ:& quando essent vitæ probatæ,periculum est vt aliæ personæ vitæ malæ illis vtantur.

9 Ex his regulis generalibus elici potest quid dicendum sit circa alia veneficia quando adhibetur res seu media, in quibus miscetur aliqua vana circunstantia, seu verba inefficacia ad talem effectum,de quibus latè inuenies apud supra citatos Doctores.Nobis satis sit summatim perstringere,ex qua orta dubia resoluẽtur,

DE INCANTATIONE SOLO verbo facta.

10 INcantatiò, vt diximus, est quando fit solo verbo: vel fit præcipuè verbis, etiam si res aliqua parua adhibeatur,vt cùm adhibentur certæ preces,aut verba ad aliquem effectum obtinendum.Et in hoc inseruit etiam regula generalis supra posita ex Gersone,& aliis:videlicet,quod si in citatis verbis etiam sacris, adhibetur aliqua vana, & inutilis circunstantia tanquam necessaria, vt quod proferantur tali die,hora,cum tali situ corporis, vocis;tali charta,tali figura, tali charactere, hæc omnia sunt suspecta, & proinde damnata. Idem dicendum,si adhibeantur nomina incognita, & significationis incognitæ, vt Angelorum non cognitorũ,vel characteres ignoti,quia tunc præsumitur talia inuenta à dæmone,ne deprehẽdatur. Vidi ego meis oculis quandam personã religiosam,aliàs simplicem,& timoratam, à quouis alio edoctam,quæ quãdo aliquis ægrotus erat in graui morbo periculoso, accedebat ad illum,& secretò ad aurẽ dicebat ægroto quædam nomina ignota Angelorum incognitorum significationis ignotæ,& tunc ex prolatione illorũ nominum dicebat ægrotum certò morituru̇m,vel non moritu

Digitized by Google

riturum. Idem dicendum est si effectus secutus ex verbis sacris prolatis sit effectus vanus in se, & inutilis, vt si ex illorum prolatione moueatur annulus, vel cribrum vel quid simile quod est inutile ad animam, & proinde peccatum verba sacra ad id applicare, neque item verba prophana. Neque item licitum est talia per iocum proferre. Idem dicendum est quando in talibus verbis miscentur aliqua incerta, falsa vel apocrypha, vt quod Christus Dominus habuerit febrim, vel similia: quia dæmon pater mendacij ista inuenit & illis gaudet.

11 Quæris an sit peccatum prædicta verba ab incantatore applicata ad vanum finem vt mouendum annulum, proferre aliquando pro bono fine absque peccato. Caiet. *in Sum. ver. Incantatio*, dicit se id fecisse hoc bono fine: vidit quendam prolatione verborum sacrorum fecisse moueri annulum supra filum: ipse Caietanus protestans prius se non prætendere malum finem, sed solum detegi mendacium, neque illa dicere vt applicata à diabolo, sed illa verba ad Deum Authorem dirigere; protulit verba, & annulus stetit immotus. Credit tamen Sanchez *cit. c.* 40. *n.* 25. quod proferre illa verba ad illum effectum vanum experiendum, semel tantùm ex leuitate, & curiositate, non esse peccatum mortale. Quod ego non credo, neque consulo, cùm sit materia grauis facere aliquid ex tam præsumpto pacto diaboli. Addit bene ibi Sanchez, neque esse licitum proferre illa verba cum hac protestatione præmissa: scilicet, si iste effectus est à dæmone non intendo consequi finem, neque hoc amplius faciam. Est enim grauis, vel clara præsumptio quod sit ibi superstitio, & proinde, re, & facto vtitur iam superstitione.

12 Gestare nomina ad collum, in quibus continentur sola verba diuina, vel imago Christi Domini, vel

ſignum Crucis, & ſic Sancta alia ſimilia, eſt licitum, dummodo ibi non miſceatur aliqua vana circunſtantia ex relatis *num.* 10. vel non miſceantur aliqua verba barbara, vel quid ſimile. Sayro *Clau. Reg. lib.* 4 *cap.* 6 *n.* 6. & cæteri communiter. Geſtare verò ad collum certas ligaturas, quas neque vſus Eccleſiæ, neque Medici commendant, ſuſpectum eſt, & prohibitum: conſtat ex *c.* 1. 26. *q.* 5. vbi puniuntur anathemate portantes philacteria ſimilia.

13 Addit Sayro *cit. l. n.* 7. eſſe ſuperſtitioſum, & illicitum aperire venam ſanguinis in hominibus in die certa alicuius Sancti, vel colligere herbas in die Sancti Ioannis, vel alterius Sancti, nam illa circunſtantia vana eſt, neque ad effectum naturalem extraneum habet efficaciam. Idem tenet Nau. *in Sum. Latina c.* 11. *n.* 36. Ait tamen Sanchez *cit. c. n.* 33. non fore peccatum ſi in colligendis herbis, vel cuſtodiendis animalibus, vel illis à morbo curandis dicantur aliqua verba Diuina, dummodo non ponatur ſpes certa in illis, neque miſceatur aliqua vana circunſtantia, & probat ex D. Auguſt. & D. Thom. Addit verò vanas, & omnino illicitas eſſe publicas ſupplicationes, in quibus imago alicuius Sancti in flumen iniicitur, aut prope illud ponitur donec pluat: eſt enim hoc facere iniuriam, & ſupplicatio contra mentem, ac modum Eccleſiæ. Vide ſupradictos Doctores citatos plura dicentes, & Caietanum *in Sum. verb. Incantatio.* Nobis hæc ſufficiant ad cognoſcendum quando Religioſus committat hunc caſum reſeruatum Incantationis.

DE SORTILEGIIS.

14 HÆc eſt tertia particula illius caſus reſeruati, in qua aliquando poteſt etiam intercedere pactum,

Digitized by Google

pactum diaboli,pro quo præmitto tria esse genera sortium. Primum dicitur sortes diuisoriæ : quæ scilicet mittuntur vt sciant sortientes quid cuique tribuendum sit in electionibus,& controuersiis aliis. D. Tho. 2.2.q.95.*art*.8. Aliæ sunt consultoriæ,quæ fiunt vt inquiratur Diuina voluntas quid in aliquo negotio faciendum sit. Aliæ sortes dicuntur diuinatoriæ,quibus quis vtitur ad occulta cognoscenda. Vt si sic,vel aliter carthæ , vel taxilli cadant ; consideretur prosper vel malus effectus:vel cùm diuersa nomina mittuntur in vrnam,vt cuius nomen prius extractum sit culpæ reus in tali delicto iudicetur. Vel si liber aperiatur,& læta primò legantur , sit omen bonum , secus si legantur tristia.

15 His positis,certum est apud omnes has sortes diuisorias licitas esse in contractu humano : vt cùm dubitatur, quis portionem istam totam ; vel portionem maiorem sit accepturus, & pactum sit inter partes, licitum est id sorte iacta terminare : tunc enim partes concordant, & nulli fit iniuria. Est communis, & recepta in praxi.

16 Sunt etiam licitæ sortes in electionibus ad officia sæcularia. Est etiam communis. Sayro *Clau. Reg. lib.* 4. *cap.*5. *num.*20. *&* 21. & alij. Nam *cap. fin. in fine de Sortileg.* prohibens sortes loquitur de electionibus Ecclesiasticis,vt communiter exponitur,quod nos statim dicemus. Vnde tempore pestis vel belli licitum est sortes mittere,vt super quem ceciderit, maneat in custodia loci peste infecti,vel bello subiecti,quia partibus conuenientibus nulli fit iniuria. Est etiam licitum id quod practicatur in bello,vt quando sunt multi rei ad mortem,& non conuenit omnes perire,mittantur sortes vt pauci pereant. Quod intellige si non constet certò de persona,quæ fecit delictũ,si enim de illa

constet erit illicitum, & iniustum est mittere sortes. Delrius *lib.4.Disq.Magic.c.4.q.1.* qui ibidem ait idem licere tempore tempestatis cùm quis iaciendus esset in mare,& omnes alij consentirent.

17 Possunt verò vitiari, seu reddi illicitæ hæ sortes diuisoriæ ex circunstantiis extrinsecis. Primò ratione malæ intentionis,vt siquis ab astrorum influxu sortem fœlicem expectaret. Secundò,si expectetur sors fœlix à fortuna. Tertiò si expectetur dæmonis auxilium in manu extrahentis sortem,vel sortes mittantur illo inuocato,vel præmonente:in his enim omnibus apparet clarè iniquitas. Quartò, erunt illicitæ si circa officia sæcularia mittantur sortes inter dignos, & indignos, tunc enim erit clara iniustitia distributiua, & contra bonum Reip.regimen cùm detur occasio eligendi indignum. Nau.*in Sum.cap.*11. *num.*39. & alij. Quintò, erunt illicitæ si mittantur sortes inter partes,quæ non habent æquale ius ad rem,peccaretur enim contra iustitiam commutatiuã. Sextò,possunt vitiari si pro sortibus his in rebus sæcularibus vtantur sortientes libris Euangeliorum,vel rebus sacris,quia tunc fit illis irreuerentia. Vide inter alios Suarez *tom.1. de Religione lib.2.c.12.n.16.*

18 Non licent sortes in electionibus Ecclesiasticis: id enim interdicitur clarè *cap. fin. in fine de Sortilegiis.* Idque ibi interdicitur generaliter tam circa beneficia,quàm circa officia, & ministeria Ecclesiastica, & est communis omnium Doctorum.Nec ipsi compromissarij,quibus electores committunt vices eligendi, possunt eligi per sortes,est enim electio Ecclesiastica, & reprobatur *eod.cap.fin.citato.* Hinc deduco non posse Diffinitores in Religionibus eligi per sortes, quia sunt compromissarij Neque item nouitium posse eligi per sortes, quia ista electio non discernit merita,& poterit

poterit eligi nouitius indignus. Eligere verò nouitium per fabas nigras & albas, non est eligere per sortes, quia cùm nigram eligo, deliberatè reprobo ob demerita; & sic e contra per albam. Si verò intra eandem vrnam miscerentur fabæ albæ, & nigræ, & quis clausis oculis manu extraheret quamuis obuiam, non valeret suffragium, pro, nec contra: quia fuit suffragium datum per sortes, & sine deliberatione, vt ego iam in facti contingentia consului, & feci retractare electionem, siue approbationem nouitii, & aliam de nouo fieri. Et sic censuerunt viri doctissimi.

19 Si ex oppositoribus duo digniores, vel æquè digni eligantur ad vnum officium, vel beneficium, non possunt postea mitti sortes quis illorum præferri debeat. Sic enim dicitur *cit. c. fin. de Sortilegis*, vel saltem ex illo colligitur cùm loquatur indistinctè & in generali: at ex his duobus vnum præferre, est eligere. Et ita colligitur ex gloss. recepta, *c. penult. ver. Tenentur. de rescript. in 6.* & tradit Suarez *cit. c. 12. n. 7.* & alij. Quæris quid de electionibus practicatis in Collegiis aliquarum Vniuersitatum, vel aliis Communitatibus, in quibus eliguntur duo, vel tres ad vnum officium & postea sortes mittuntur inter illos? Respondet Sanchez *tit. c. 40. 2. Decalog. n. 75.* vel talem electionem non esse ad officium Ecclesiasticum, vel necesse esse vt aliqua concessione Pontificia ad id faciendum muniatur. An verò electio Ecclesiastica per sortes sit de iure naturali prohibita, vel solo Ecclesiastico; vel, an sit irrita ipso iure, vel solùm irritanda non est adeo necessarium hic apponere, qui voluerit legat Sanchez *cit. cap. 40. à num. 81. vsque ad 84.*

20 Sortes consultoriæ rarò sunt licitæ: quia Deus non vult suam voluntatem sortibus indagari, sed precibus, & Doctorum piorum consilio, & ideo prohi-

bentur, *c. Sortes* 26. *q.*5. Poterunt verò esse licitæ quatuor conditionibus concurrentibus. Prima est necessitas grauis spiritualis, vel corporalis ad vitandum aliquod magnum damnum. Secunda, vt debita reuerentia ad Deum mittantur sortes. Tertia est, ne diuina oracula, vel Sanctorum reliquiæ conuertantur ad lucrum temporale: secus si ad damnum vitandum. Quarta est, vt non sit circa materiam prohibitam, vt circa electiones Ecclesiasticas. Aduertit tamen Sanchez *cit. c. n.*87. non esse licitum has sortes mittere consultorias petẽdo, vel sperando, a Deo signum aliquod externum suę voluntatis, nisi ad id sentiretur magna impulsio Diuina, sine hac enim esset tentare Deum. Secus esset si tale signum non expectaretur, sed sola directio Diuinæ prouidentię cũ fiducia Diuinæ misericordiæ cum tali animo vt sortientes parati sint ad qualemcunque sortis euentum. Huius occasione moneo sapius Sanctos aliquid fecisse quod videretur pertinere ad sortes, id tamen credendum est fecisse non tentando Deum, sed diuino eius impulsu ductos; exemplum sit illud serui Abrahæ 24. *Genes.* qui veniens ad puteum, precatus est Dominum, vt puella veniens ad puteum cui ille diceret verba illa ibi posita, & illa sic, & sic respondere, illa esset futura electa vxor Isaac. Quam petitionem quasi fundatam in sortibus excusat à superstitione, & peccato Pereira in Gen. ad citata verba Genes. *disp.*5. *n.*56. Tale fuit factum P. N. Francisci in principio nostræ Religionis, quando coram prioribus paucis discipulis iussit Sacerdotem finita Missa aperire Missale in duabus, vel tribus partibus, vt ex Textu primo obiecto diuinitus eliceret primordia, & fundamenta totius Ordinis. Tale denique fuit illud quod fecit Anconæ: nauigaturus in Ægyptum, & multis Fratribus eum comitari volentibus repugnãte nauta nauigij eodemque

Patre

Patre nolente aliquem fratrem contristari, aduocato puero, illi dixit, vt designaret illos Fratres, quos Deus deligebat vt N. Patrem comitarentur in nauigatione: quod fecit de facto puer, dicens, iste, & iste vadant ex voluntate Dei: in his, inquam, omnibus, & similibus credendum est prædictos, & alios Sanctos id fecisse ex Diuino impulsu.

21 Sortes diuinatoriæ sunt omnino superstitiosæ & prohibitæ: hæ sunt,quæ mittuntur ad cognoscendum secretum occultum, vel præteritum, vel futurum, vt supra diximus. Ratio est, quia prædictæ sortes vanæ sunt, & inutiles ad cognoscendum tale occultum externum, soli Deo cognitum, vel Angelis bonis, vel malis: & ideo illicitum est tale secretum mediis naturalibus inquirere;præsumitur enim id via dæmonis indagari.Et hæ sortes diuinatoriæ sunt potissimæ,quas Clemens VIII.*in 3.part.huius casus reseruati* prætendit prohibere.

22 Est autem valdè notandum, quod tradit Suarez *cit.cap.*12. *num.*29. quod in his sortibus diuinatoriis potest concurrere sola speculatio, vel sola notitia speculatiua, verb.grat. quis fecit furtum: ibi sistendo. Et tunc est solum peccatum superstitionis, & suspecti pacti, vel expressi cum diabolo. Secundo modo potest fieri talis diuinatio, vel inquisitio modo practico, id est, vt puniatur delinquens occultus, & tunc si fiat, vltra superstitionem, incurritur peccatum iniustitiæ cum obligatione restituendi famam, & damnum iniustè illatum.

23 Quia verò *n.*21. proximè posito præcipuas sortes à Clem.VIII. prohibitas diximus esse diuinatorias:quæris an aliæ diuinationes factæ per alia media, quæ non sunt sortes, comprehendantur etiam in hoc verbo *Sortilegia.* Credo, quòd sic. Ducor ex eo quod

tradit Franciſcus Longus Capucinus *ſuo lib. de Caſibus reſeruatis Clem. VIII. fol. 107. in explicatione huius primi caſus, num. 4.* vbi ex Iaſone citante alios, dicit debere fieri extenſionem iſtam iuris pœnalis vbi agitur de ſalute animæ, & de peccato vitando. Et ibi dicit prædictus author Capucinus in hoc caſu Clementis VIII. comprehendi omnes ſpecies, quæ ſunt eiuſdem generis. At in diuinatione facta ſine ſortibus cernitur eadem ratio, & pactum diaboli: ergo mens eſt Pontificis iſtam etiam diuinationem comprehendere, cùm fiat per media æquiualentia ſortibus. Addo plures diuinationes hodie fieri abſque ſortibus expreſſis, quàm cum expreſſione ſortium, ac proinde oportuit tali vitio penitus obuiare. Et poſito hoc fundamento incipit prædictus Capucinus Longus *citato loco num. 5.* explicare diuinationem in communi abſque ſortibus, tanquam in hoc caſu comprehenſam. Qua de re, quia timeo prolixitatem, fuſius vide ſupra citatos Doctores, maximè Sanchez *cit. lib. 2. Decalog. toto cap. 38.* quod valde diffuſum eſt. Mihi ſufficit tangere Summam quam ille ponit circa modos diuinationis.

24 Ait ergo ibi, dupliciter dæmonem inuocari poſſe vt reuelet futura. Primò expreſsè, cùm ſcilicet per locutionem vel ſignum externum pacti iam initi inuocatur vt occultum reuelet. Et hoc ait poſſe à dæmone reuelari nouem modis. Primus eſt præſtigium, quando ſcilicet diabolus variis apparitionibus, & aſpectibus ſe præſentat oculis corporeis, illos præſtringens, & illudens, & occulta docens. Secundus eſt per ſomnia, cùm inſtructio dæmonis per ſomnia ſperatur. Tertius dicitur necromantia, cùm adhibitis ſanguine, & certis carminibus, videntur mortui reſurgere, & docere. Quartus eſt per pythones, cùm diabolus

bolus docet per homines arreptitios. Quintus cùm docet per ſigna apparentia in rebus terreſtribus, vt in ligno, metallo, & aliis. Sextus cùm docet per ſigna in aqua, quæ dicitur hydromantia. Septimus cùm docet per ſigna in aëre apparentia. Octauus cùm per ſigna in igne. Nonus cùm docet occulta per exta, ſeu viſcera animalium mortuorum vt faciebat Iulianus Apoſtaſta, & alij. Qui nouem modi diſcendi occulta a dæmone ſortiuntur varia nomina, vt *ibidem* tradit Sanchez, ſed diſtinguuntur ſolùm materialiter ex parte materiæ in aqua apparet diabolus docturus occultum. Et omnes illi nouem modi conueniunt in vno genere diuinationis communis expreſſæ, qui dicitur Necromantia.

25 Diuinatio verò cum pacto tacito dæmonis, ſeu inuocatione tacita illius, multiplex eſt, multaſque habet ſpecies diſtinctas etiam ex parte modorum, vel mediorum, quibus homines diuinationem occultorum aſſequi prætendunt; has ſpecies, & illarum nomina ponit D. Thom. 2.2.*q.* 65. *art.* 3. & Sanchez *citat. cap.* 37. ibi vide. Subſtantia illarum eſt, veile ſcire occulta ex motu ſyderum: ex vocibus animalium, & hominum ſternutatione. Tertiò ex auium volatu, vel motu animalium. Quartò ex vocibus hominum præter intentionem dictis, quod dicitur *Omen*. Quintò ex ſomnis. Sextò ex ſignis totius corporis humani. Vltimò cùm vel ex fronte, vel manibus hominis volunt diuinare. Mitto alias quæ ſunt minus frequentes.

26 In his faciendis cùm pactum diaboli non ſit expreſſum, ſed tacitum, poterit excuſare a mortali bona fides & ignorantia, quæ non ſit affectata, nec nimis craſſa. Non enim in his clara multum eſt eius malitia. Ita Caiet. 2.2.*q.* 95. *art.* 2. Sayro *Clau. Reg. l.* 4. *c.* 5. *n.* 16.

Addit

Addit *ibidem* Sayro, & Sanchez *cit. cap. n.* 20. & 21. citans multos, facere contenta *præcedenti n.* 25. per iocum, vel non habendo illis fidem tanquam certis esse solum peccatum veniale, vt plurimum. Sed tamen aduerto cum Delrio *ibi citato* semper esse rem periculosam & proinde vitandam, cùm sit fere impossibile illis vti, non illis credendo. Et communiter his vtentes solent malè perire. Peccatum verò erit mortale si quis suas actiones dirigat ex norma harum considerationum. Probatur quia, qui sic dirigit actiones iam credit illis diuinatricibus cogitationibus.

27 Circa diuinationem sumptam ex consideratione partium corporis humani, quæ physiognomia dicitur, solùm aduerto illam esse licitam cum hac limitatione: si scilicet solum probabiliter coniiciat affectus hominis, ingenium, corporis temperiem, & similia ex corporis dispositione, habitudine membrorum illorumque proportione: quia ex his possunt illa probabiliter cognosci: & ex his Greg. Nazianz. cùm esset condiscipulus Iuliani Apostatæ coniecit probabiliter malum animum Iuliani futurum ex praua proportione membrorum iuuenis Iuliani, vt refert ipse Gregor. *oratione 2. in Iulianum in medio fol. 592. col. 2. editionis Antuerpiæ.* Dixi *probabiliter*, quia id coniicere, & certò affirmare de futura vita erit illicitum. Et hinc sequitur non posse physiognomum de facto iudicare de isto quod sit actu talis, sed quod sit pronus ad tale. Illa enim corporis signa non demonstrant factum, sed pronitatem ad illud.

28 Idem dicendum est de chiromantia quæ considerat solùm lineas manus, ex talibus enim lineis licitum est probabiliter coniectare pronitatem, & inclinationem alicuius absque certitudine, sicut licet id coniectare probabiliter ex fronte hominis, cum limitationibus

nibus dictis *n.præcedente*. Tenet Nauar. *in Sum.cap.11. num.31*. Symanças *de Cathol. Instit.tit.21.n.18*. Lopez *1.p.instructorij cap.41*. & alij Vnde manum ostendere Ægyptiacæ per iocum, & causa ridendi, non erit mortale, vt dicat bonam, vel malam fortunam: erit tamen mortale si interueniant hæ duæ conditiones. Prima, si ostendat manum paratus credere firmiter dictis Ægyptiacæ, secus si ridendi gratia. Secunda est, si persona manum ostendens sit persona notabilis, & circunstantes ex illius facto credant firmiter dicto Ægyptiacæ, tunc enim erit peccatum mortale ratione scandali.

29 Denique diuinare per astra nunquam est licitum, sed semper peccatum, quæ diuinatio dicitur Astrologia, seu iudiciaria, per quam intenditur sciri de furto secreto de futuro casu contingenti, & sic de cæteris: & hæc vltra quam quod sit comprehensa cum aliis in hoc casu Clem. VIII. ob rationem iam dictam, prohibita est expresse cum aliis diuinandi modis à Sixto V. Bulla particulari quam transcribit Penha *in fine Directorij fol.142*. in qua ponit multas pœnas his diuinatoribus, & contra legentes vel tenentes illorum libros. De aliis modis diuinandi, vt per somnia, per duellum, per astra, & similia, qui voluerit fusiorem explicationem videat Sanchez *citato capite* 38. & Sayrum.

30 Adhuc pro explicatione huius casus reseruati de veneficiis resumens, quæ olim latius dixi explicans hunc casum in libello paruo. Dico primò hunc casum incurrere Religiosum, qui facit veneficium, vel vtitur illo facto ab aliis. Hic enim directè facit, vel vtitur veneficio. At si iuberet facere illud, & illo non vteretur, vel si consilium daret, vel permitteret fieri, & sic de cæteris, nõ incurreret casum, quia solum facientes,

&

& vtentes comprehendit. Probo quia lex prohibens aliquid, & puniens facientem, non punit mandantem, vel consulentem, & similes, nisi exprimat, vt tenet Sylvest. *Excommunicatio 2 latæ n.q.4. dist.3.* Caiet. *in Sum.eod.verbo.* Nauarr. *in Sum.cap.27.n.41.*

31 Quærere solum à venefico de aliqua re occulta, non dicendo vt recurrat ad diabolum, vel veneficium; erit peccatum mortale, vt constat, quia via illicita vult scire veritatem. Sed credo quòd non erit casus reseruatus, quia solum rogando non facit, neque vtitur veneficio: sed vtitur scientia venefici, quam suppono illum iam habere ex præterito veneficio. At si dicat venefico, vt consulat diabolum, vel recurrat ad veneficium, erit casus reseruatus, quia iam vtitur veneficio. Addo quòd si fecit Religiosus veneficium, sed non applicauit, neque vsus est illo, erit casus reseruatus, quia iam fecit veneficium completum cum pacto dæmonis tacito, vel expresso. Et iam non potest dici solus conatus ad opus, sed verum, & completum opus veneficij.

32 Solet hìc quæri, an liceat rogare veneficum, vel illum obligare vt tollat veneficium ab eo factum. Alij absolutè negant; alij absolute affirmant. Melius distinguit Sanchez *lib.7. de Matrim. disp.96. n.10.* in hunc modum. Si scio veneficum non ablaturum veneficium, nisi recurrendo ad diabolum, vel ad aliud nouum veneficium, tunc non possum id ab illo petere, quia ero causa illius peccati. Si verò iam factum veneficium potest tolli absque recursu illo duplici, tollendo scilicet res illas à loco vbi posuit, ad quarum præsentiam durabat veneficium, tunc non est peccatum id ab illo requirere, quia potest illas destruere nullum committendo peccatum. Et ait Sanchez posse tunc id ab illo peti, etiamsi sit timor vel suspicio quod

quod ille ablaturus illa impedimenta faciet nouum veneficium: tunc enim mea petitio non est causa illius, cùm ille possit auferre antiquum non faciendo nouum, vt suppono. Et quando ego peto à te rem quam tu potes facere bene: non dico tibi vt facias male.

VICARIVS.

AN Monachus possit esse Vicarius Generalis Episcopi, vide supra *ver. Religiosus n.* 5.

De Vicario ordinario Conuentus Regularis, vide supra *verb. Guardianus num.* 3.

ADDITIO.

QVam potestatem habeat Vicarius Prouincialis in Ordine Minorum, & quomodo sit eligendus pro absentia, & morte Prouincialis, vide supra *verb. Prouincialis.*

VICARIVS IN CAPITE.

SOlent in aliquibus Religionibus aliqui Conuentus Minores habere Prælatum illius, qui non vocatur Prior, Rector, seu Guardianus, vt cæteri illius Prouinciæ, sed vocatur Vicarius, eo quod Conuentus sit paruus, & habet aliquando tres, vel quatuor tantùm Fratres: maximè quando Conuentus incipit ædificari. Isti in Ordine Minorum vocantur Vicarij in capite ad distinctionem Vicarii Conuentus, qui est Vicarius Guardiani. Isti Vicarii in capite aliquando apud Minores viuunt apud Moniales, & sunt Confessores illarum, aliquando habent hi Conuentus tres,

vel

vel quatuor ſubditos,quorum ſit Prælatus, & dicitur Vicarius in capite habens votum in Capitulo, quod non habent cæteri Confeſſores Monialium, qui non ſunt Vicarij in capite.

Hoc loco, cùm hæc ſcriberem quæſitum fuit, an iſti Confeſſores Monialium Vicarij in capite poſſint benedicere corporalia, & cætera paramenta altaris pro Eccleſia Monialium apud quas viuunt.Et videtur quod non, quia antiqua ſtatuta generalia Minorum, maximè Florentiæ, anno 1493. declarantia qui ſint Prælati in Ordine Minorum, ponunt tantùm, Generalem, Prouincialem, Cuſtodem, Guardianum & non faciunt mentionem Vicarij in capite: vnde videtur quod non ſint verè Prælati, nec proinde poſſint prædicta benedicere. Secundò quia vt tradit Suarez *tom.de Leg. lib.*8. *cap.*28. *num.*11. cum multis ibi citatis, pro regula certa habendum eſt, quod priuilegium non debet extendi ad alias perſonas propter ſimilitudinem rationis repertæ in ipſis:ergo hoc priuilegium conceſſum Prælatis Conuentuum ad benedicendum prædicta, non debet extendi ad Vicarios in capite prædictos eo quod habeant ſimilem rationem Prælatorum cùm Prælatis Conuentuum.

Credo tamen, ſaluo meliori iudicio, illos poſſe prædicta benedicere pro Eccleſia illa ſuarum Monialium quarum ſunt Confeſſores. Probo primò ex illa principali conceſſione facta congregationi ſanctæ Iuſtinæ ab Innoc.VIII. apud Capucin. in Compendio *verb. Benedicere fol.*135. in qua poſtquam concedit Priori, & Vicario conuentus, vt prædicta poſſint benedicere:ſubdit: *Et cuilibet habenti principale regimen cuiuſcunque Monaſterij.* Sic ibi. Quæ verba valde generalia ſunt, & applicari poſſunt ſine violentia cuiuis Prælato cuiuſuis Monaſterij. At conſtat primò quod

hi

Vicarij in ca. ſunt veri Prælati, ſic enim praxis religionis obſeruat, maximè de illis vicariis in capite,qui præſunt paruo Cõuentui, neque ſunt Confeſſores monialiũ,cõſtat ſecũdò quod illi parui Cõuentus etiã triũ tantùm Fratrum vulgari nomine vocantur Monaſteriũ:nam etiam ſæculares,quãdo vadunt ad hos paruos Cõuentus,dicunt:eamus in Monaſterium.Et cõfirmatur,quia Monaſteria ſunt Collegia, vt probat Rodrig.*ex quadam Rubrica in tom.3.qq.Reg.quæſt. 7. art. 2.* At Collegium faciunt tres tantùm,teſte Sà *in Aphor. ver.Collegiũ.* Si ergo Vicarij in capite nõ Confeſſores Monaliũ, poſsũt illa benedicere,vt praxis obſeruat:etiã poterunt illa benedicere Vicarij,in capite Cõfeſſores Monialium,qui ſunt veri Prælati ſuorum Capellanorum. Neque adhoc opus eſt vt ſint Prælati ipſarũ Monialium, nã etiã Guardiani non ſunt Prælati Monialiũ,& tamen benedicunt prædicta pro Eccleſiis illarũ.Secundò principaliter,quia fauores ſunt ampliandi,& illa cõceſſio eſt fauor conceſſus Prælatis Ordinũ,& proinde videtur extẽdẽdus ad prędictos Vicarios,maximè cũ nõ fiat in præiudicium tertij.

3 Probo ex Suarez *eod.tom.de Legib.l.8.cap.11.nu.* 4.vbi ait quod in dubio, an talis perſona comprehendatur in priuilegio, ſi ex aliquo capite conſtet iſtã perſonam habere connexionẽ cum aliis, poſſe fieri ampliationẽ priuilegij ad illam. At Vicarium in capite diximus non ſolùm habere connexionẽ cũ dictis Prælatis, vt patet ex cõceſſione citata Innocẽtij VIII. ſed diximus eſſe verè Prælatũ Monaſterij.Facit etiã quod tradit idẽ Suarez *cit.lib.8.ca.* 28.*n.*14.vbi ait nõ eſſe licitum deriuare priuilegiũ vnius, vt applicetur alteri propter rationẽ ſimilẽ: vt v.g.priuilegiũ patris nõ licet deriuare ad filium,

vel priuilegiũ vnius Doctoris deriuare ad aliũ, attamen licitũ eſt interpretari vnum priuilegium, vt plura comprehendat quàm in ſuperficie verborum apparet. Et per hoc manet ſoluta obiectio poſita in principio ex eodẽ Suarez, quando, vel quomodo ſit illicitum extendere priuilegium ad alias perſonas propter ſimilitudinẽ rationis. Nos verò in hac materia non deriuamus hoc priuilegium benedicẽdi prædicta ad Vicarios non cõprehenſos, ſed ex ipſis verbis priuilegij interpretamur, Vicarios iſtos cõprehendi, quos non videtur cõprehendere ſuperficies litteræ: imò diximus ferè clarè cõprehendere. Facit *ca. 2. de Transl. Epiſcop. verſ. ſicut Epiſcopus*, & gloſſ. *ibidem & ca. dudum*, 2. *de Elect.* & gloſſ. *ibid. verſ. idẽ de perſonalibus*, vbi dicitur, quod vbi eſt eadem ratio ſimilitudinis, eſt etiã eadẽ ratio iudicij. Neque obſtat quod poſitum eſt in principio de ſtatuto generali, in quo non numerantur Vicarij in capite. Nam etiam ibi non numeratur Commiſſarius Generalis, qui eſt verè Prælatus. Nec numerantur Vicarij Prouinciales, qui tunc erant veri Prælati: argumentum enim à partium enumeratione non eſt efficax, quia aliquando enumerantur ſolùm præcipua. Adde quod hodie ex praxi communi recepta in Ordine Minorũ prædicti Vicarij in capite ſunt veri Prælati, ſicut etiam ſunt in aliis Religionibus illi Vicarij paruorum Conuentuum, qui non ſortiuntur nomen Prioris, Rectoris, & tamen benedicunt prædicta per illam, vel ſimiles conceſſiones.

VIVAE VOCIS ORACVLA.

1 SOlent aliquando Sum. Pontifices aliqua priuilegia concedere non in ſcripto, ſed ore tenus:

Digitized by Google

nus:& iſta dicuntur viuæ vocis oracula: quorum multa habentur in Bullario Rodr. maximè in vita Leonis X. qui 77. viuæ vocis oracula conceſſit, omnia ferè Minoritis. Et quando ſic conceduntur iſta indulta ferè ſemper ibidem ponitur teſtimonium perſonæ impetrantis, quæ vt plurimum eſt perſona conſtituta in dignitate Eccleſiaſtica.

2 Huiuſmodi priuilegia ſic conceſſa poſita in libro Authentico tantam vim habent ac ſi ſcripta Bulla concederentur. Conceſſit hoc ſpecialiter idē Leo X. in Bullar. Rodr. *f.* 720. *col.* 1. *n.* 4. Vbi Laurentius Cardinalis Sanctorum 4. Coronatorum petiit,& obtinuit, vt omnia conceſſa Minoribus vſque ad illud tempus,ſiue ſcripto,ſiue voce, eſſent rata,& denuò cōfirmata in foro cōſciētiæ:& quod conceſſa viuæ vocis oracula nō eſſent minoris valoris,quàm ſi per Bullā, aut Breue concederentur.

3 Imò tantā vim habet conceſſio facta viuæ vocis oraculo ab aliquo Papa, quod ſi Papa ſubſequens reuocet priuilegia conceſſa Religioſis, vel aliis perſonis,& nō exprimat ſe reuocare etiā conceſſa viuæ vocis oraculo,iſta non reuocat,nec cenſendus eſt reuocare. Ita in terminis tenet Henr. *tom.* 1. *l.* 6. *de Pœn. c.* 6. *n.* 6. circa illam conceſsionem Pij V. factam Minoritis relatam à Speculo coniug. Clau. & Rodr. *ibi citat.* vt poſſint Minoritæ pro foro conſcientiæ tantùm vti priuilegiis antiquis non obſtāte derogatione Concilij Trid. Dicit ibi Henr. *in gloſſ. litt. R*, iſtam conceſsionem factam à Pio V. viuę vocis oraculo, non eſſe reuocatā poſtea à Gregor. XIII. quando reuocauit conceſsiones Pij V. quia Gregor. XIII. reuocauit tātū priuilegia ſcripta, nō verò viuæ vocis oracula. Addit ibi quod illa Bulla derogatoria Gregorij nō fuit promulgata, vt etiā

refert Nauar. *in Sum. Lat. anni* 1584. *cap.* 27. *in fine.*

VNCTIO EXTREMA.

VIde supra *verbo Sacramenta, numero* 11. *&* 12. Ex quibus constat quando hoc Sacramentum dari non possit, vel possit sæcularibus. Potest autem dari famulis intra Conuentum: vide etiam *verbo Familiares.*

VOTVM SIMPLEX RELIGIONIS.

Non tracto materiam voti, sed solùm illa principalia quæ Nouitios, & professos attingunt, nec possunt excusari.

1 IN professione Nouitij omnia vota, antea facta, vel in sæculo, vel in Nouitiatu expirant: ita vt amplius non obligent, si ipse Nouitius sileat, & consentiat. Est communis Doctor. cum D. Thom. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 2. *ad* 1. & aliorum. Probat D. Thom. quia moritur priori vitæ, & non tenetur ad acta in priori vita. Secundò, quia quodlibet votum sæculi continetur in tribus votis Religionis, sicut particulare in vniuersali: & sicut minus perfectum in suo perfectiori. Expirant etiam iuramenta: Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 14. *num.* 2.

Dixi, si *Nouitius sileat, & consentiat*: quia dubiũ est, an si Nouitius habet votũ aliquod simplex tẽpore professionis, & Prælatus roget, an velit sibi auferri vota simplicia quæ habet: & Nouitius non cõsentiat, dicẽs se nolle: Dubium, inquã est, an tale votũ simplex Nouitij expiret? Et quidẽ si ille tantùm taceat, nihil dicens, omnino expirat, quia tacẽs consentit.

sẽtit. Si verò dicat se nolle, tunc Sanc. cum Silueſt. *l. 9. de Matr. diſp. 39. n. 45.* innuit talia vota non ceſſare, nec expirare per profeſſionem, quia Nouitius ſic reſpondẽs non conſentit, ſed cõtinuat ſua vota, imò ratificat. Comitolus verò *l. 2. Reſponſ. Moral. q.* 12. oppoſitũ videtur innuere, cùm ait ex Caietano, Sot. & aliis vota hæc expirare in profeſſione ipſo facto, quæ verba, ipſo iure, ſeu ipſo facto, non vidẽtur admittere conſenſum profitentis. Et *ibi.* Comitolus paulo ſupra, nõ admittit diſtinctionẽ Ricardi, quæ erat ſimilis dicto Sylueſt. & Sanchez. Imò addit *ibi* Comitolus, ex Diuo Thoma ad hæc vota *Nouitij irritanda*, non requiri ibi authoritatẽ Superioris irritantis, quando admittit ad profeſſionẽ: Si verò Prælati authoritas non requiritur, quia irritãtur ipſo iure, videtur, quod neque Nouitij diſsẽſus impediet ius profeſſionis annullantis vota. Imò, & Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 9 *num.* 21. videtur hoc idẽ ſentire, dum ait: quod ſi eiectus ab Ordine, dũ erat in ſęculo, vouerat religionẽ, poſtea eiectus nõ tenetur intrare Religionẽ, vt ſatisfaciat voto priori, quia, inquit, omnia vota ſimplicia extinguuntur per profeſſionem: conſtat verò quod profitens ille, quando fecit profeſſionem noluit ſibi auferri votum illud ſimplex Religionis, quod fecit in ſæculo: at tamen fortè Comitolus, & Sanchez non diſſentiunt, quia Comitolus non loquitur de Nouitio clarè diſſentiente: Sanchez verò loquitur de illo, clarè diſſentiente, & votum ſimplex ratificante, Votum autem pendet à voluntate vouentis.

2 Votum ſimplex Religionis, poteſt multis modis fieri, videlicet in verbis, & in intentione. Primò, in communi, dicẽdo: *Promitto me fore Monachum.* Secundò, ſi dicat: *Promitto intrare Religionem.* Tertiò,

Facio votum Religionis,vel quid ſimile,verbis ſimilibus.Et in his omnibus votis, & modis vouendi, ſaltē conſtat, teneri vouentem intrare Religionē, & habitum ſuſcipere.An verò teneatur intrās perſeuerare,& profiteri, ita vt ſi exeat peccet mortaliter contra votū, quæſtio eſt dubia. Et in hoc inprimis conſtat apud omnes , quod ſi is qui vouit recordatur intentionis quā habuit tēpore voti,illi intentioni ſtandum eſt, vt ſi habuit intentionē ibi manendi,& profitendi,ſicut faciunt alij intrantes: vel non exiturum,& ſimilia.Tunc enim non ſatisfacit voto,ſi non profiteatur, vel faciat quod in ſe eſt ad illud,nec poteſt voluntariè exire.Si verò ſolùm clarè intendit intrare Ordinem,& experiri an ſibi conueniret ſtatus,ad hoc ſolùm tenetur,& nō peccat exeundo. Probatur ex illa Regula , tradita *in l.non omnis ff.de reb.cred. & c.ad audiendam de Decimis*, cùm dicitur:Actus agentium non extenduntur vltra intentionem eorum. Et proinde iſte vouens Religionē,vel fieri Monachum,&c.non obligabitur niſi ad id quod intendit quando vouit.

Quid ſi promittēs iſte non recordatur intētionis quam habuit tēpore voti,ſed verborum in forma? Reſp.Quod hoc votum:*promitto me intrare religionem*,ſolùm obligat ad intrādum,non ad manendū. Hæc verò promiſsio:*promitto me fore Monachum*,in modo communi loquendi videtur ſonare quod ſe obliget ad intrandū,& profitendum , hoc enim eſt fore,vel fieri Monachū.Et quod in dubio, credendum ſit hanc fuiſſe intentionem manendi, tenet Suarez *l.4.de Voto c.8.n.7.*cum Rodr.& Naua.quos citat,& hoc ait Nau.*in Sum.Latina.ca.12.nu.47.* & hanc puto veriorem,ac ſecuriorem opinionē,quia verba illa in communi modo loquendi ſignificant

Digitized by Google

cant intentionem profitendi:& credendũ eſt,quod quando homines loquuntur,intendunt id quod communiter verba ſonant.Scio quod Sà *in Aphor. verb.votum n.* 13.& Sanchez *l.* 1. *de Matrimonio diſ.* 34.*n.*17.dicunt multos Doctores ſentire,quod idem valent hæc duo : *promitto intrare* Religionem, vel *promitto me fore Monachum*,& Sanchez ad hoc etiã inclinat:at ego cum Nauarr. & Rodrig. & Suarez teneo,quod ſi non conſtat de intentione:teneri ad perſeuerandum eum qui vouit ſe fore monachum. Nau.*l.*3.*Conſil.tit.de* Voto,& *vot.redemp.conſil.*22.de illo qui ſic vouit:*Promitto Deo mori in* Religione.ſolùm ait quod in rigore fecit votum religionis.Ego dico hæc verba illum cogere,vt non ſolùm intret, ſed perſeueret , & teneri ex ſe ad perſeuerantiam, & excluſum ab vna teneri adire aliam.

Hoc autem benè notat Sanchez , quod qui ſolùm promiſit intrare Religionem, non ſatisfacit ſi ingrediatur tantùm animo ficto ſtatim exeundi: ſed debet intrare animo expereundi , ita vt ſi poſſit,perſeueret:aliàs non ſatisfaciet voto.

3 Votum pœnale Religionis,vel caſtitatis, poteſt diſpenſari per Iubileum,vel per Epiſcopũ,vel Bullam Cruciatæ , & per eadẽ poteſt commutari,ſi in illis committatur diſpẽſatio.Si enim non cõmittitur,ſed ſola cõmutatio,hæc ſola fiet. Vt ſi quis vouit:ſi ampliùs luſero,iurauero,&c.voueo me intraturum Religionẽ.Hoc,inquã,votum, per prędicta poteſt commutari & ab Epiſcopo diſpenſari:abſolutè enim eſt votum perpetuum.Henr.*tom.*1.*l.* 7. *c.* 30. *num.* 6. cum multis quos citat,& eſt communis opinio. Eadem ratio eſt , de voto quo promittitur continentia,vſque ad certum tempus tantùm , vel aſſumendi habitum Beatarum , vel non

nubendi, vel de recipiendis Ordinibus sacris. At Confessores Regulares, in hoc voto pœnali Religionis non possunt dispensare cum sæcularibus, virtute Bullæ Pauli III. concessæ Patribus Societatis Iesu, de qua supra, *verbo Confessor*, quia per illam non conceditur posse dispensare: sed solùm conceditur posse commutare.

4 Si aliquis vouit intrare Religionem strictiorem, potest illo voto non obstante, per priuilegiũ mox citãdum recipi in Ordine laxiori absque peccato. Ita concessit Eugen. IV. Benedictinis, in Compend. Min. *verbo Dispensatio*, §. 28. & refert Capucinus *Addit. ad Compendium verb. Nouitius*, 2. *par. f.* 253. & *f.* 402. concessumque fuit etiam Patribus sancti Hier. sed vtrobique dicitur, quod sic receptus in Ordine laxiori, si exeat in anno Nouitiatus, non gaudet illa dispẽsatione, & tenetur voto antiquo, hoc autem priuilegio sic recipiendi gaudent omnes Ordines cõmunicantes cum prædictis duobus.

5 Qui post sponsalia validè contracta cum aliqua fœmina, fecit votum castitatis, aut Religionis, talia vota non dirimunt sponsalia, sed ad sponsalia tenetur, Sanch. *l. de Matr. dis.* 46. *n.* 7. 8. *&* 9. Idem est à fortiori si virginem defloravit inuitam. Si verò sponsalia per aliquod ius postea validè annullentur, tenetur ad vota præcedentia. Dico si virginem defloravit, etiã ratione sponsaliorum cum illa cõfidentia, & spe matrimonij: vt Sanch. *eod. l. dis.* 44. Si verò defloravit absque sponsalibus, fraude, promissione, & absque importunis precibus, & postea vouit Religionem, ad hanc tenetur intrandam, siue vouerit antea, vel post copulam. Est cõmunis DD.

6 Si quis vouit Religionem, & postea impetrauit dispensationẽ vt nubat, idque propter vehementes

carnis

carnis tentationes,quas allegauit, non poteſt manere in ſæculo non nubens: fuit enim illa diſpenſatio non abſoluta,ſed partialis,& quaſi conditionalis.Sanchez *de Matrim.lib.*8.*diſp.*31.*num.*7.

7 Vouens intrare Religionem, ſeu fieri Religioſum in communi, non ſatisfacit ſi ab vno Ordine exeat,vel ab vno Prælato non acceptetur:ſed opus eſt vt adeat omnes Religiones, quæ ſunt in ſua Prouincia, & facere diligentiam moralem, vt in aliqua recipiatur ad arbitrium prudentis viri, vel diſpenſationem Papæ obtineat. Comitolus *libr.* 2. *Reſp.quæſt.*17. dicens ſic reſponſum fuiſſe Romæ à Congregat.Cardinalium.

8 Vouens ſe fore Religioſum in vno tantùm Monaſterio,intuitu ſolo illius excludẽdo alia,ad illud tantùm tenetur.Suarez *l.*4.*de Voto ca.*7.*nu.* 5. ex D. Thom.& Caiet.Si verò vouens prẽcipuè intendit Religionem illius Monaſterij,& ſecundariò intendit illud Monaſterium, non ſatisfacit petẽdo illud tãtùm Monaſterium.Si verò recordatur ſe vouiſſe Religionem,& non recordatur qualẽ vouerit,poterit intrare quam maluerit. Eſt cõmunis,& clara. Si verò promiſit vnã tantùm Religionẽ,& ab vno Prælato ipſius reiicitur,nõ tenetur quærere Prẽlatũ aliũ illius Religionis, maximè ſi prius reiiciens fuit Generalis.Et hoc dico pro Ordine in quo ſolº Prouincialis,vel Generalis recipiũt NOVITIOS,vt in Ordine MINORUM.In aliis enim ſi Conuentus recipiunt,non ſufficit:ſed debẽt adiri quinque,vel ſex Cõuentus,vt innuit Suarez *cit.li.ca.*8.*& n.*8.& clarius Rodr.*tom.*4.*Addit.fol.* 330. vbi ait quod nemo cogendus eſt adire omnes Prælatos,& omnes Cõuentus: & quod non eſt credendũ aliquẽ per votũ Religionis in communi,voluiſſe ſe obligare adire

regna externa ad quærendas omnes Religiones:& quod hic repulsus à quinque, vel sex Monasteriis, vel Prælatis habentibus authoritatem recipiendi ad habitum,satisfacit huic voto in communi.

9 Votum Religionis,vel aliud simile factum occurrente periculo morbi,naufragij, vel calore iracundiæ, vel similis passionis, valet,nisi constaret defuisse tunc vsum rationis,quæ enim deliberatio sufficit ad tradendũ se diabolo, sufficit ad tradendum se Deo. At constat, quod dictum,vel factum malum cum prædictis circumstantiis,est sufficiens ad peccatum:ergo & ad votũ.Sylu.*verb. Metus* §. 8. *& verb. Votum* §.12.& Nau.*l.3.Consil.titul.de voto cõsil.7.*& alij multi.Cognoscet urverò si in vouẽdo adfuit plena deliberatio:primò si cessãte perturbatione,vouens pœnitet quod vouerit: sed hoc signũ non putat Suarez esse certũ omnino, *tom.2.de Religione l. 1. c.*10.*n.* 11. Dicit tamen esse aliqualem coniecturam.Et *ibidem n.*13.dicit id pendere à prudentis arbitrio: ponitque pro signo certiori, si videlicet in vouendo non fuit breuitas temporis: & concurrit aliqua collatio seu discursus, de re promissa cũ actu opposito sine vllo signo perturbati discursus:tunc enim datur signum plenæ deliberationis, secus si oppositum accidat iuxta prædicta.

10 Vota Religionis facta ab impubere ante 14. annũ possunt irritare parentes,& tutores intra idẽ tẽpus, vt est cõmunis opinio. Sed quid si puer ante ann.14.transiit illũ annũ,& tacuit:neque tamen votũ prius ratificauit: an possit pater,vel tutor illud irritare anno 17.Negat Comitolus *l.2.Resp.*cũ multis ibi citatis. *quæst.* 7. At affirmat Nau.Caiet. Sylu.Sà *in Aph. ver.Voti irritatio, n.*5.cũ Valentia, Lopez,& Beia *ibi cit.*& hæc pars videtur cõmunior

11 Si

Digitized by Google

11 Si pater, vel mater voueant se facturos esse filium suum Religiosum, tenetur illum inducere, & ad illud iuuare: at filius non obligatur hoc voto parentum, est enim personale, & valde difficile, proindeque voluntariè omnino emittendum à propria persona. Sà *verb. Votum num.* 10. & Suarez *tom.2.de Relig.lib.4.de Voto cap.9.num.4.* vnde D. Bonauentura voto matris oblatus Religioni, non obligabatur esse Minorita ex vi illius voti.

12 Si quis vouit Religionem, si Deus illum liberaret à tali peccato per annum, v. g. vel per 4. menses, & iste postea ne Religionem intraret, eo animo ne intraret, commisit peccatum illud, tenetur intrare: quia intentio ex sua parte quando vouit, fuit se ex sua parte conaturum ad vitandum peccatum, & proinde postea illo animo peccans facit in fraudem voti. Suarez *citato l. cap. 17.n.14.* dicens esse communem. Si verò fecit votum intrandi Religionem, si conualuerit ex morbo, non tenetur ex hoc voto vitare omnes cibos nociuos: sed solùm tenetur non sumere cibos nociuos cum fraude, seu cum animo relabendi in morbum ne Monachus fiat. Suarez *citat.c.num.19.*

13 Votum factum de Religione cum animo se nõ obligandi, non obligat: vel si fiat absque animo interno vouendi: quia obligatio non inducitur nisi per votum verum: tale autem votum non fuit verum, sed fictum. Est tamen illa promissio peccatũ propter irreuerentiã Deo factã. *Argumento c. quacumque arte.22.quæstion.5.* Intellige non obligare in foro cõscientiæ, in foro enim externo Ecclesia coget ad votũ, quia præsumitur vero animo vouisse. Si verò promittat animo vero vouendi, & se obligãdi, cum proposito tamen non seruãdi, votum tenet.

tenet.Eſt communis Doctorum:ſed tamen peccauit contra votum.

14 Vouens tradere ſe, & ſua bona Religioni, ſi iuſtè excuſatur ne ſe tradat Religioni,non tenetur tradere bona ſua Religioni, neque eius hæredes: promiſſio enim bonorum fuit mediante ſe, & acceſſoria,& perſonæ traditio fuit principale;& bonorum traditio acceſſoria. Deſtructo verò principali, deſtruitur acceſſorium, quod ſequitur naturam principalis *per regulam iuris in 6.*

15 Votum de non intrando Religionem non valet,quia eſt impeditiuum maioris boni.Et licèt taliter vouens poſſit non intrare, id tamen con fiet ex obligatione voti,quæ nulla eſt: ſed ex ratione materiæ,quia ſcilicet ipſum intrare ex ſe non obligat.Si verò quis voueat ſe non intraturum Ordinem donec ſuccurrat parentibus egentibus, vel ſub alia iuſta conditione, quia id ſine voto facere tenetur,& eſt bonum debitum,obligatur voto.

1 Vouens Religionem tantùm,non obligatur ad caſtitatem ex vi illius voti tantùm,ante ingreſſum, & profeſſionem:etiã ſi ante ingreſſum incipiat eſſe in mora intrandi:Caietanus 2.2.*quæſt.*147.*art.*3. & cõmunis.Votum enim Religionis ſolùm ſe extendit ad ingreſſum illius,& materia caſtitatis pro tũc eſt diuerſa.Si quis eſt certus de voto, dubitat verò de voti qualitate:v.g.vouit ſe ad nullam fœminam acceſſurum,ſed dubitat,an ſolùm ad illicitam: ſecundò,vouerit ne caſtitatem,an nõ ducturum vxorem.Tertiò,vouit caſtitatem & Religionem,dubitat tamen an vouerit caſtitatẽ dependenter à Religione,vel ſeorſim.Quartò dubitat ſi vouit hãc tãtùm Religionẽ,an Religionẽ in communi.His dubiis ſtantibus dicunt aliqui teneri vouentem ad id quod

quod tutius eſt:at probabilius Sanch. *l.2.de Matr. diſp.*41.cum ibi citatis *n.*33. ait ſolum teneri ad id quod minus eſt,idque probat efficaciter, in fauorem libertatis & fragilitatis humanæ citãs multa.

Quid ſi promiſit ſimul Religionem,& caſtitatẽ, & poſtea dubitat, an promiſerit ſimul caſtitatẽ cũ Religione;an verò promiſerit caſtitatẽ, poſtea ſeparatim à Religione pro tẽpore ingreſſus Religionis,Nauar.*l.3.Conſil.titul.de voto,conſil.*4. ait , quod ſi habet magnã probabilitatẽ & coniecturas,quod caſtitatẽ abſolutè ex tũc vouere intẽderit, ex tunc ad illã tenetur ante ingreſſum Religionis. Si verò habet coniecturas quod ſolùm vouit caſtitatẽ pro tẽpore Religionis,ad illam ſolum ex voto tenetur pro illo tẽpore.Si verò dubius omnino ſit,ex tunc debet ſeruare caſtitatẽ:quia iudicandum eſt in fauorẽ voti,& votum caſtitatis poteſt ex tunc ſeruari,neque depẽder à voto Religionis.Et fauet *Reg. Iuris in* 6.in obſcuris minimum eſt ſequendum.

17 Si pro voto implendo non eſt præfixus terminus impletio illius obligat ad arbitrium viri prudentis, & occaſionis oblatæ , vt ſcilicet modò ſtatim recipiat. Eſt communis. Si verò vouens dilataret ingreſſum,v.g.litteras, quas neſcit addiſceret,& facilius recipiatur in Ordine, illíque melius inſeruiat,vel ob alium meliorem finem in laudem Dei , non peccabit mortaliter , maximè ſi virum doctum conſulat.Suarez *libr. 5. de Voto capit. 6.numer.9.*

VOTA NOVITII.

18 VOta quę fecit Nouitius ante ingreſſũ , vel in Nouitiatu non poteſt Prælatus irritare.

Eſt

Est cõmunis Doctorũ. Azor. *tom. 1. l. 11. c. 17. quæst.* 20. quia Prælatus circa Nouitium non habet potestatem dominatiuam. Ait tamen Suarez *citato tom. 2. lib. 6. de Voto c. 7. num.* 11. quod si Nouitius vouendo dixit, si Prælatus, vel Magister Nouitiorum consenserit, vel approbauerit, tunc poterit Prælatus, vel Magister irritare. vide suprà *hoc verb. numero* 1.

19 Vota Nouitiorum potest dispensare Prælatus siue facta in sæculo, siue in Nouitiatu. Sanch. *l. 9. de Matr. dis. 39. n. 44.* & Malderus Episcop. *f. 696.* Rodrig. Sylvest. & Angel. qui cùm non distinguant, videntur idem sentire de votis Nouitij factis ante, vel post ingressum: licèt oppositum teneat Suarez *l. 6. de voto. c. 11. n. 9.* cum Nauar. Addit Azor. *citato loco*, & ferè coincidit Suarez, posse etiã Prælatum Nouitiorum vota suspendere pro tempore Nouitiatus, subest enim iusta causa suspendendi, videlicet obsequium Religionis, at facilius erit iuxta prædictos Doctores dispensare, vel commutare, vel vtrumque simul tollendo omni modo quo potuerit, & sit ista eius intentio.

20 Vota quæ Nouitius fecit in sæculo quando per professionẽ non cessarent iuxta dicta *num.* 1. transacta professione potest etiã Prælatus irritare, & similiter de factis in Nouitiatu, post factam professionem. Sanc. *citato loco. n.* 45. cum Sylvest.

21 Possunt Prælati, imò & Confessores Nouitiorum commutare illorum vota facta ante, vel post ingressum, in labores Nouitiatus: hi enim semper excedunt quodcumque votum personale antea factum Rodrig. *lib Sum. mor. 2. par. cap. 79. conclus.* 10. & videtur clara.

Digitized by Google

VOTI SOLEMNITAS
in quo consistat.

22 VOti solénitas nõ est ex iure diuino, sed Ecclesiastico: & hæc cõsistit in hoc, quod vouens tradat sui dominiũ per tria vota communia in manu Prælati acceptãtis vota, vice ipsius Dei, & tanquam Ministri Dei, in Religione approbata ab Ecclesia. Est cõmunis Doctorum, maximè Sanchez *l.7. de Matrimon. disp.* 25. latè, vbi ait, votum simplex, & solemne, non differre specie, sed in hac sola solemnitate, traditione scilicet externa in manu Prælati acceptãtis vota in Religione approbata, vice Dei. Quamuis enim in voto simplici, etiam tradatur Deo dominium, non tamẽ est ibi acceptans minister Dei. Qualis ferè est promissio simplex facta Petro facie ad faciẽ: & promissio facta illi corã Iudice & Notario. Vide Rodrig. *Addit. Sum.* 4. *par. c.* 180. *n.* 4. vbi ait pari modo solemnitatem matrimonij consistere in eo solùm, quod vir se tradat coram Parocho, & testibus, & ipsa fœmina acceptante, & per hanc traditionem, & Dei acceptationem in voto per ministros suos Prælatos, fit, vt Deus qui aliàs erat Dominus vniuersalis personæ, fiat particularis Dominus illius, & non possit illa persona in illis Domino deesse, neque alteri personæ illud dominium tradere.

23 Posse Papam dispensare in voto solemni castitatis, & Religionis, est opinio communior: latè discutitur ac defenditur à Sanch. 8. *de Matrim. tota disp.* 8. vbi pro illa citat turbam Doctorum.

24 Per votum solemne irritatur matrimonium tatũ non consummatum. Est de fide Trident. *sess.* 24. *canon.*

canon.6.de Matrim. & cap. desponsatam 27. *quæst*. 2. Annullat etiam matrimonium subsequens contractum, idque iure naturali, & diuino. Trident. *ibidem canon.9.*

25 Solùm votum castitatis factum in manu Prælati absque voto obedientiæ & paupertatis, etiam si fiat intra Religionem, non est votum solemne. Requiruntur enim tria simul, in quibus radicaliter stat omnis perfectio, & per quæ tanquã in radice consecrantur omnes operationes vitæ Religiosæ. Sanch. ex Abbate, Angelo, & aliis, *li.* 7. *de Matrim. disp.*25.*nu.*21. Vnde votum Tertiariatum, quo vouent solùm castitatem, de quo suprà, *ver.Tertiariæ*, non est votũ solẽne, etiam si fiat in manu Prælati.

VOTA PROFESSORVM simplicia.

26 VOta professi, facta in sæculo potest Prælatus irritare, dispensare, & commutare. Patet clarè ex sæpius dictis, vide suprà *n.*21. & alibi.

27 Religiosus potest validè vouere aliquid in materia aliàs bona, & necessaria, absque licentia Prælati: vtpotè potest vouere se non fracturũ ieiuniũ Quadragesimæ, & similia: neq; in his indiget Prælati licentia, vel illi manifestare. Nã in his Prælato non præiudicat: neque ipse vouens adeo caret suo dominio, vt hæc vouere nequeat, quæ potest licitè exercere, imò quæ debet facere absque præiudicio obedientiæ. Colligitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art* 8. & Sylvest. *verbo Votum* 3. *quæst.* 3. & aliis, & proinde etiam vota circa materiam Regulæ valida erunt. Imò aduerto, quod si præceptũ regulæ aliàs nõ obliget sub mortali, vt fit in multis Regulis religio

ligionum; Religioſus vouens illud, voto particulari, obligabitur ſub mortali. Idem dicendum de bonis, quæ ſunt res meliores, & in Regula neque prohibentur, neque præcipiuntur. Quamuis enim hæc vota ſemper habeant annexam conditionem, ſi Prælatus non repugnet: quia tamen in ſe res bonæ ſunt, & licitæ, neque Prælato, neque Ordini præiudicant, valent, donec à Prælato prohibeantur: ſicut valerent vota ſerui, aut filij familias in ſimili materia cum eiſdem circumſtantiis.

28 Votum factum à profeſſo, circa rem prohibitam in Regula ne fiat abſque licentia Prælati, & fit ſub conditione ſi Prælatus conſentiat: obligat donec Prælatus explicet ſuam voluntatem, verbi gratia, votum peregrinandi ad talem Eccleſiam, quod fieri non poteſt abſque licentia Prælati: debet enim fieri cum expreſſa, vel tacita conditione, ſi Prælatus velit: aliàs fieret de re prohibita. Eſt communis Doctorum. Obligat tamen tale votum ad petendam licentiam à Prælato ſuo tempore, qui ſi repugnet, manet extinctum.

Dicunt verò aliqui, quòd ſubditus petens tunc licentiam peregrinandi, debet manifeſtare Prælato ſe ad illud teneri ex voto, & hoc ſecurius eſt, & verius, licèt Nauar. *in Sum. cap.* 12. *num.* 69. & Caiet. *in Sum. verb. Votum cap.* 3. & alij dicant non eſſe opus, vt explicet Prælato circumſtantiam voti. Sed prior opinio eſt ſecurior, & certior, vide Sanchez *lib.*9.*de matrim. diſput.*43.*num.*8.

29 Votum profeſsi, circa rem in Regula prohibitam, eſt nullum: eſt enim votum de re mala, cùm ſit prohibita. Et præterea eſt votum de minori bono: Regula enim in ſuis præceptis ſemper di-

figit ad melius bonum. Et quamuis Regula id non prohibeat sub mortali, & actus contrarius possit esse aliquando bonus: vix tamen fiet absque vlla culpa veniali: frangere enim Regulam aliqualis semper culpa est. Suarez *lib. 3. de Voto. cap. 6. num. 19.*

30 Votum professi de transitu ad strictiorem Ordinem validum est. Est enim de materia licita non prohibita in Regula, sed superante perfectionem suæ Regulæ, quam suppono esse minus strictam, & proinde vt plurimùm minus perfectam: est communis, & suprà, *verb. Dispensare* diximus, non posse Prælatum hoc votum subditi irritare. Potest tamen Prælatus hoc votum subditi dispensare, vt tenet Nauar. *lib. 3. Consil. tit. de voto & voti Redempt. consil.* 14. Si verò Religio in qua viuit talis vouens, habet prohibitionem Papæ ne fiat transitus de illa ad aliam, tenebitur vouens procurare talem licentiam, vt suprà in materia simili diximus, *num.* 27.

Circa Minoritam aduerto, quando Pater noster Franciscus prohibet 2. *cap. Regulæ*, ne exeant Fratres de ista Religione, solùm prohibet ne exeant ad sæculum: non verò prohibet transitum ad Cartusiam, qui fit cum licentia iuris communis, imò & Episcopus creatus ex Minorita in rigore exit ab Ordine cum licentia Papæ; & proinde votum Minoritæ ad Cartusiam est validum.

31 Potest Prælatus prohibere subdito ne votum aliquod faciat absque sua licentia; & hoc non est prohibere bonum perfectius, sed velle regularem modum, vt debitè fiat: eo modo quo in Religionibus prohibetur, ne fiant tales, & tales pœnitentiæ. Si verò non obstante hac prohibitione Prælati

subditus

ſubditus voueat in materia ſibi licita, iuxta prædicta, votum tenet: quia illa ſimplex prohibitio Prælati non annullat votum: & multa prohibita fiunt, quæ tamen facta, valent. At per Religionem, vel legem Prælati habentis poteſtatem, poteſt fieri lex prohibens omnia vota Religioſi, & annullans ſi fiant. Cùm enim vota Religioſi habeant annexam conditionem, ſi Prælatus non contradicat, ſi Prælatus per legem cõtradicat, & annullet votum ſubditi, iam non valebit. Suarez *tom. 2. de Religio. lib. 3. de voto. cap. 6. num. 25.*

VOTI IRRITATIO
circa profeſſos.
ADDITIO.

32 POteſt Prælatus irritare omnia vota ſui ſubditi (excipe tranſitum ad ſtrictiorem Ordinem, de quo ſuprà) & ſic irritata amplius non conualeſcunt. Eſt communis: habet enim Prælatus poteſtatem dominatiuam ſupra ſubditum, ſicut dominus ſupra ſeruum. Et poteſt etiam irritare vota interna, vt de amando Deo, & ſimilibus, ne ſcilicet fiant cum obligatione peccati. Suarez *lib. 6. de voto, cap. 7. num. 8.*

33 Si ſubditus petat licentiam exequendi votum declarando illud, & Prælatus neget: vel ſi Prælatus ſciens de voto, prohibet ſubdito ne faciat, hæc ſufficiunt vt votum maneat irritum: & clarius irritabitur, ſi dicat Prælatus reſolutè, Nolo vt vnquam hæc facias. Rodriguez *Addit. Sum. tom. 4. cap. 186. num. 3.* cum ibi citatis. Dixi *reſolutè*: ſi enim Prælatus dicat, *nolo, vt pro nunc facias*, vel quid ſimile, non eſt irritatio voti abſoluta, ſed ſuſpenſio voti. Concordat Sanchez *libro 9. de*

*Matrimon.disputatio.43.num.*10.citans alios.

34 Si subditus fecit votum cum licentia Superioris, vel Superior factum votum confirmauit, nõ potest iam Superior sine causa tale votum irritare. Si verò sine causa irritet, peccabit mortaliter: irritatio tamen valebit, ita vt votum non conualescat ampliùs. Rodriguez *citato tomo* 4. *cap.* 136. *numero* 14. *& eodem capite, numero* 5. ait Prælatum successorem, posse irritare vota quæ fecit subditus cum licentia Prælati præcedentis. Et vtrobique militat hæc ratio ad validam irritationem, quia scilicet, neque Prælatus præcedens dans licentiam ad vouendum, neque Prælatus præsens, amittunt iurisdictionem dominatiuam ad irritandum. Ratio verò ob quam peccat Prælatus qui dedit licentiam ad vouendum, si illa iterum irritet absque causa, traditur à Sanchez in simili materia. *lib.* 9. *de Matrimon.disput.*40.*numero* 17. Quia scilicet actus ille, de quo est votum, iam erat Deo consecratus de suo consensu, & proinde non potest absque causa illum Deo subtrahere. Secus de eodem voto, facto absque eius licentia, quia tale votum factum absque licentia Prælati, & ab eius voluntate dependens non erat absolutè Deo consecratus. Vide infrà *num.* 38. *vel* 39. At si post licentiam datam superuenit iusta causa, vt quia valdè molesta erat eius impletio, & sic de cæteris, poterit irritare, secundùm probabiliorem opinionem.

35 Potest etiam Prælatus irritare votum, quod subditus fecit animo illud implendi, cùm subditus fuerit liber: vt pro tempore quo fuerit extra Conuentum, vel extra Ordinem. Probatur, quia tale votum etiam de præsenti cadit sub dominio Prælati,

Digitized by Google

ati, & Prælatus ſupra ſubditum ſemper habet plenum dominium ad irritandum vota. Et taliter nunc irritatum non conualeſcit pro tempore futuro, ſed perdit omnem vim ligandi. Eſt communis Doctorum, & clara.

36 Non poteſt Prælatus irritare votum ſubditi de tranſeundo ad Ordinem ſtrictiorem. Eſt etiam communis, & tacta in præcedentibus.

37 Abbatiſſæ poſſunt irritare omnia vota ſubditarum profeſſarum. Habent enim ſupra illas etiam plenam poteſtatem dominatiuam. Eſt communis Doctorum. Dixi *profeſſarum*, quia vota Nouitiatum, non poteſt Abbatiſſa irritare, quia ſupra illas non habet prædictam poteſtatem. Non tamen poſſunt Abbatiſſæ commutare aliquod votum, vel diſpenſare, circa ſuas ſubditas, vel Nouitias: quia hoc ſolùm poteſt facere habens iuriſdictionem Eccleſiaſticam, cuius fœmina eſt omnino incapax. Hoc tamen poſſunt illatum Prælati; & Confeſſores poterunt omnia vota commutare, non verò diſpenſare.

38 Non peccat ſubditus petens à Prælato irritationem voti, etiam abſque cauſa, eſt communis Doctorum, quia ſic petens vtitur iure ſuo, & ſuum votum habebat dependentiam à conſenſu Prælati: & ſicut non peccat Prælatus irritando, ita nec ſubditus petendo. Hinc etiam vides, quòd non peccat Prælatus irritando votum ſubditi abſque cauſa, niſi quando Prælatus irritat votum factum cum ſua antecedente licentia, vt ſuprà diximus, *num.* 34.

39 Inferior non poteſt irritare votum ſubditi confirmatum à Superiori: poteſt tamen Superior confirmare votum factum ab inferiori: & poteſt

etiam Prælatus Superior irritare votum confirmatum à Prælato inferiori. Ricard. *in* 4. *distin.* 38. *articul.* 4. *quæst.* 3. & alij. Ratio est, quia potestas Superioris, cum sit maior, non potest restringi, vel impediri ab inferiore: & illa potest impedire potestatem inferioris. Adde quod votum est quasi lex posita vouenti, & proinde lex voti confirmata à Superiore non potest reuocari ab inferiori. Bene tamen è contra.

VOTI COMMVTATIO ET *dispensatio erga subditos.*

ADDITIO.

40 PRæcipua circa hanc materiam, dicta sunt iam *verbo Dispensare*, & *verbo Prælatus*. vbi vide. Adde.

41 Possunt Prælati commutare, & dispensare omnia vota subditorum etiam iurata: si sint simplicia: patet ex supradictis, habet enim Prælatus supra subditos omnem potestatem ordinatiam, ad dispensandum, & commutandum, maximè pro foro interno: suprà *verbo Abbas, numero* 6. & alibi, & Suarez *lib.* 6. *de voto. cap.* 10. *numero* 14. *& sequentibus*, & *cap.* 14. *numero* 14. Quando dubitatur an quis vouerit, non tenetur voto; Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. disputatio.* 9 *numero* 11. *& sequentibus*, cum multis ibi citatis. Secus si habet opinionem, & magis inclinet quod vouerit: tunc enim tenetur voto.

42 Votum tamen eundi Hierusalem, Romam, Sanctum Iacobum, Laureranam Domum; non possunt Prælati dispensare cum subditis. Miranda *tom.* 2. *quæstione* 32. *articul.* 1. *conclusio.* 2. Et probatur quia neque Episcopi possunt cum subditis.

tis. Possunt tamen Prælati prædicta hæc vota irritare, negando licentiam, vt patet ex dictis, *numero* 27. Et innuit Miranda, *citato loco, conclusio.* 3. Et præterea, quia multi possunt irritare, qui non possunt dispensare.

43 Non oportet scrupulis agitari, an opus in quod votum commutatur, sit omnino æquale: hæc enim æqualitas non debet esse mathematica: & moraliter loquendo omnimoda æqualitas non est cognoscibilis moraliter: sufficit æqualitas ad arbitrium boni viri secluſa fraude, & graui ignorantia, maximè si commutatio fiat virtute priuilegij. Sylvest. *Votum* 4. *quæstione* 8. *ad finem*, & Rodriguez *in Summ. verbo Votum cap.* 100. *numero* 4. Imò ait Suarez, *lib.* 6. *de Voto*, *cap.* 12. *num* 6. quod quando conceditur commutatio in æquale extenditur ad commutandum in dubio, an sit melius, id in quod fit mutatio. Imò & etiam quamuis dubium sit an sit minus, dummodò non sit certum. Credibile enim est Papam delegantem, aliquam voluisse concedere benignitatem. Et beneficium Principis intra proprietatem verborum, explicandum est cum benignitate.

44. Votum approbatum ab aliquo Prælato, vel de eius licentia factum, quando ab illo licitè irritari non posset, potest ab eodem commutari, & dispensari (exceptis illis positis *num.* 42.) patet quia hæc potestas dispensandi, & irritandi est potestas distincta inter se, & vna non impedit aliam. Suarez *lib.* 6. *de Voto*, *cap.* 10. *num.* 17. *& ibidem num.* 18. ait, votum confirmatum à Superiore, quod Prælatus inferior non potest irritare per potentiam dominatiuam; posse tamen hunc inferiorem illud dispensare, idque per potestatem iurisdictionis,

quæ est diuersa; eò quòd Superior confirmans votum, non reseruauit dispensationem illius.

45 Hæc potestas dispensandi, & commutandi potest delegari, seu committi à Prælatis ordinariis. Est communis, & patet ex suprà dictis: quia Prælatus habens potestatem ordinariam potest illam committere nisi per legem prohibeatur, & restringatur.

46 Concessa alicui per Prælatum, aut priuilegium potestate ad vota commutanda, non censetur illi potestàs dari ad dispensandum; nisi illud exprimatur. Cordub. *lib. 5. de Indulg. quæstion.* 37. Couarr. *in cap. quamuis pactum 1. part. §. 3. num.* 4. & alij communiter. Nam commutare & dispensare sunt actus distincti, & commutatio est quid minus quàm dispensatio. Et prætereà commutare potest quis per seipsum saltem in bonum melius: at dispensare in suo voto nemo potest. Et proinde cùm sint actus adeò diuersi, concesso vno non censetur concedi alius. Et prætereà, quia dispensatio tollit omnino votum: at commutatio non tollit illud omnino, sed mutat onus.

47 Concessa facultate alicui vt dispenset in votis, censetur etiam concedi eidem facultas ad commutanda vota. Hæc est communior sententia, & antiquior. Tenet Sot. 7. *de Iust. quæst. 4. art. 3. vers. Abbates.* Henriq. *lib. 7. de Indulg. cap. 30. num. 5.* cum ibi citatis. Probatur inter alia, *ex Regul. iuris 53. in 6.* vbi dicitur. Cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus: quæ præcipuè verificatur in illis quæ sunt subordinata, qualis est commutatio ad dispensationem, cui subordinatur: nam omnis commutatio voti est dispensatio secundùm quid, seu in parte. Et per potestatem ad dispen-

sandum

fandum potest votum commutari in minus.

48 Qui habet potestatem ad dispensandum, si dubitet de causa iusta, potest iniungere aliquod onus facile ad securitatem: neque enim cogitur absque onere dispensare, vt videmus in multis dispensationibus Pontificiis, cum certis oneribus iniunctis. Azor *tom.*1.*lib.*11.*cap.*11. *quæstione* 4. & Sanchez 8. *de Matrimon. disput.*7. & tunc partim vtitur potestate dispensandi, partim commutandi, idque ad securitatem. Vide *numero sequenti.*

49 Difficilius est cognoscere an subsit causa iusta ad dispensandum; quàm ad commutandum; nam ad dispensandum semper requiritur causa, sed tunc attendendæ sunt circumstantiæ personæ, necessitatis, vtilitatis, temporis, &c. de quibus suprà, *ver. Dispensare.* Ad commutandum verò in melius, vel in æquale, non consurgunt tot dubia: & in vtróque prudentia dispensantis, & commutantis requiritur.

50 Possunt Prælati dispensare vota iurata subditorum. Suarez *lib.*6.*de voto cap.*14.*a num.*14. Quia votum iuratum non est distinctæ speciei: & iuramentum confirmans votum, est ibi accessorium, votum verò est principale. Cùm ergo Prælatus, maximè per priuilegia, possit tollere votum quod est principale, poterit etiam tollere iuramentum quod est accessorium. Quemadmodum homo cui est facta promissio, potest illam remittere, etiam si sit promissio iurata. Et idem ferè probat Suarez *citato loco, num.*19.

51 Quando in Bullis Pontificiis committitur alicui vt dispenset cum aliquo, in voto Religionis, castitatis, vel similibus, idque cum certis conditionibus, & oneribus; si Bulla non dicit,

Digitized by Google

quòd eligat Cófessorem; nó tenetur Confessorem eligere, sed vnum nominatum, qui extra confessionem poterit votum dispensare, vel commutare iuxta formam Bullæ. Si verò Bulla dicat, quòd Confessor id faciat in foro pœnitentiæ, vel audita confessione illius; non potest Confessor extra confessionem id facere. Si vetò nihil horum declaretur, sed tantũ dicatur quòd sit Confessor approbatus, non restringitur vt id faciat intra Sacramentum Pœnitentię: quia ibi tunc nomen Confessoris magis est muneris, quàm actualis exercitij. Suarez *lib. 6. de voto. cap. 16. num. 4.*

52 Tempore Iubilei quando in confessione dispensantur, vel commutantur vota ante impletas conditiones, requisitas à Papa, si commutatio fiat bona fide, & pœnitens habet propositum implendi conditiones: si postea aliquam conditionem omittat, & Iubileum non assequatur quoad Indulgentiam pœnę, commutatio voti valet, & est rata; Henriquez *lib. 7. de Indulg. capit. 9. in principio gloss. & capit. 11. numero 4.* & Cordub. *in Summ. Hispan. quæstion. 21.* & Nauarr. citatus ab Henriques & alij. Peccat tamen grauiter pœnitens si postea sua culpa non implet conditiones, quia peccat contra pactum, & contra obligationem, ex voto relictam.

53. Si Prælatus dicat subdito: *ego dispenso tecum in omnibus votis, quæ habes, vel commuto omnia tua vota, non præcognoscendo, quæ sint illa vota*: talis dispensatio & commutatio non valet: quia dispensatio, & commutatio requirunt ambæ cognitionem voti; & dispensatio debet fieri cum causa, & commutatio fieri debet in æquale; ac proinde ad cognoscendam causam dispensationis, & rem

æqualem

æqualem commutationis, prærequiritur cognitio voti. Eſt clara, & communis. Et Suarez *lib. 6. de Voto. cap. 16. num. 14.* Secus verò puto dicendum, ſi Prælatus dicat: *ego irrito omnia vota tua quæ habes.* Tunc enim valida eſt irritatio, abſque cognitione vororum. Nam irritatio non requirit cauſam, ac proinde non requirit cognitionem voti, cùm poſſit abſque cauſa irritare; excepto voto quod ipſe Prælatus confirmauit iuxta ſupradicta, *num. 34.* Neque etiam irritans neceſſe habet cognoſcere rem æqualem, in quam ſit mutandum votum, quia ad irritationem non hoc requiritur.

54 Neque Papa poteſt diſpenſare validè in aliquo voto abſque iuſta cauſa: & ſi faciat abſque cauſa, diſpenſatio non valet: & à fortiori idem dicendum eſt de Prælatis Regularibus. Eſt communis, & Nauarr. *in Summ. cap. 12. num. 57. & 76.* & aliorum.

55 Cauſæ iuſtæ ad diſpenſandum votum ſunt ſequentes. Prima, ſi fuit factum ex metu, iracundia, vel alia ſubita paſſione non tollente deliberationem. Secunda parua ætas. Tertia, ſi datur cauſa ruinæ attenta materia voti difficili, vel fragilitate vouentis. Quarta, ſi votum impediat maius bonum vouentis. Quinta, ex mutatione notabili ipſius voti, ſi videlicet materia voti facta eſt ſcandaloſa, minus honeſta, nimis difficilis. Sexta, ſi diſpenſatio voti pertineat ad bonum commune. Denique quæcumque alia cauſa iudicata arbitrio viri prudentis, & timorati: vt omnes affirmant; neque enim omnes cauſæ in indiuiduo poſſunt attingi. Vide Suarez *libro ſexto, de Voto, capite 17. à numero octauo, & ſequentibus.*

quentibus. Pari modo dicendum est requiri etiam causam proportionatam ad commutandum votum; quando commutatio facienda est per commutationem in minus bonum: ad hoc enim causa etiam requiritur, est enim hæc commutatio quasi quædam dispensatio. Suarez *num.* 15.

56 Si Prælatus potest occurrere subdito commutando votum, non potest dispensare. Sot. 7. *de Iustitia. quæst.* 4. §. *Hinc ergo.* Et Rodrig. *in Summ.* 2. *par. cap.* 100. *num.* 4. & Suarez vbi proximè *num.* 18. Excipit tamen Suarez si subditus habet multa vota, vel multas obligationes quibus non potest benè satisfacere, vel timet probabiliter ruinam. Quando verò dubium est, an causa ad dispensandum sit vrgens, ex proximè dictis, consulit ibi Suarez *num.* 21. vt cum dispensatione simul iniungat aliquod opus per commutationem.

57 Potest quis commutare suum votum in euidenter melius absque authoritate Prælati, est receptior sententia *ex cap. peruenit. 2. de iureiur. & cap. Scripturæ de voto.* Cordub. *in Summ. quæst.* 149. & alij. Et tunc potest fieri etiam absque causa. Excipe nisi hoc prohibeatur, vt aliquando prohibet Papa transitum à laxiori, ad strictiorem absque licentia Prælati: vt supra vidimus.

58 Ad commutandum votum in æquale, clarè cognitum vt tale, requiritur authoritas Prælati, & causa iusta. Hæc est secutior sententia, & magis recepta: per decem Doctores quos citat, & sequitur Suar. *cap.* 19. *citat. lib. à num.* 3. Inter quos etiam citat Rodrig. & fauet *cap.* 1. *de voto, & 2. & cap. quod super his, etiam de voto.* Vide ibi rationes. Et maximè quòd ibi requiratur causa, probatur, quia mutatio in æquale sine causa interueniente, non ha-

bet

bet rationem honeſtatis, & virtutis; ergo non eſt credendum, quòd Deus contentus ſit tali ſolutione.

59 Quando per priuilegium conceditur Confeſſori, vt commutet votum, ſolùm illi conceditur vt commutet in æquale, non verò, in minus æquale. Ita tenet praxis, & communis. Commutatio enim, propriè ſignificat æqualitatem, & priuilegij verba accipienda ſunt propriè, vnde qui vouit certam Religionem, non poteſt ſuo arbitrio intrare aliam æqualem.

60 Ad commutandum votum in minus æquale multò magis requiritur, & cauſa, & authoritas Prælati: imò, & priuilegium; conſtat ex dictis.

61 Si votum à Prælato, vel à vouente, commutatum eſt in melius, poſt commutationem factam non poteſt vouens ſua ſponte redire ad votum antiquum; poterit tamen ſi facta eſt commutatio in æquale. Ratio primi eſt, quia illa commutatio habet vim noui voti, ſecunda verò non habet. Et ſic manente primo voto poteſt ad illud redire, & fauori renunciare. Suarez *cap.* 20. *numero* 1. & 4. Si verò commutetur in minus æquale, clarius eſt poſſe redire ad prius votum. Si verò poſt commutationem in minus æquale, renunciauit commutationi, iam non poteſt illa vti. Si verò poſt commutationem in æquale illi renuntiauit animo non vtendi, etiam non poteſt illa vti. Suarez *num.* 20.

62 Si votum commutetur in æquale, vel minus æquale, votum prius nunquam redit etiam ſi poſterior obligatio non impletur cum culpa, vel ſine culpa. Nam per commutationem extinguitur obligatio voti, ſicut per irritationem; obligatio autem

tem semel extincta, non reuiuiscit. *cap. si illic* 23. *quæst.* 5. & Doctores communiter.

63 Omnia vota possunt commutari in votum Religionis, etiam si sit Hierosolymitanum, Romanum, & similia reseruata, quia bonum Religionis est euidenter melius cæteris omnibus. Habetur *cap. Scripturæ de voto*, & est communis.

64 Quando Episcopi ex tacita commissione, possunt dispensare in votis Papæ verè reseruatis, castitatis, scilicet, Religionis, &c. propter vrgentissimam causam, quia scilicet, vel sunt vota dubia, vel metu facta, vel imminet graue periculum transgressionis, & non potest haberi recursus ad Papam, vel Nuntium, tunc non possunt Regulares per sua priuilegia in illis dispensare. Rodriguez *in Expositione Cruciatæ.* §. 9. *numero* 118. Nomine enim *votorum Episcopalium.* solùm intelliguntur illa quæ iure Ordinario Episcopi possunt absoluere, non verò hæc, quæ sunt extraordinaria.

65 Dispensatio, vel commutatio impetrata subreptitiè, est, nulla vt omnes fatentur; est enim inuoluntaria ex parte concedentis. Subreptitia verò est, quando in narratione contingit, vel taciturnitas veri, vel admistio falsi: de quo latè Sanchez *toto lib. de matrimon.* & alij alibi.

66 Dispensatio, vel commutatio voti debet fieri à Prælato verbis claris, & verè significantibus quod intendit facere: nulla tamen in hoc est forma præscripta, sed relinquitur arbitrio prudentis, & verbis acceptis in significatione propria, & communi. Verba autem securiora, & clariora sunt: *Dispenso tecum in hoc voto.* Et *commuto hoc votum.*

Digitized by Google

VOTI DISPLICENTIA: SEV *pœnitere de voto facto.*

ADDITIO.

67 QVi pœnitet se vouisse cum animo non implendi votum, vel negligit, vel vltra tempus dilatare proponit, peccat mortaliter in his omnibus, facit enim contra obligationem voti, vt patet.

Si verò quis ex tædio, ob vitæ molestiam, pœnitet, id est, vellet non vouisse, & nihilominus proponit seruare; non peccat mortaliter, Azor. *tomo* 1. *lib.* 11. *cap.* 15. *quæstione* 19. Vbi etiam docet peccare mortaliter illum qui pœnitet de actu, quo primùm vouit; non enim fas est dolere de actu, qui est opus virtutis, & honestatis: qui verò, vt dixi, solùm dolet de pœna, ac labore animo implendi, non peccat, quia non dolet de actu virtutis, neque facit contra votum, sed dolet de molestia.

Addit Suarez *libro* 5. *de voto capit.* 7. *numero* 7. quod per accidens poterit hîc dari peccatum, ratione periculi, cui se opponit sic dolens de voti molestia; quatenus scilicet illa quæ nostræ voluntati nimis displicent, & cum deliberatione sunt exosa, facilè omittuntur: & sic per molestiam illam cogitatam, opponit se periculo violandi votum. Quod considerandum est iuxta proportionem, & qualitatem personæ, & materiæ, maximè si ob id iam aliquando emisit implere votum.

* * *

DE

DE NATVRA, AC MATERIA *voti,& aliquibus votis in particulari.*

ADDITIO.

1 AMentes in vna tantùm materia,vel habentes interualla lucida possunt validè vouere, vel in lucido interuallo, vel in omni materia in qua non sunt amentes. Ista ponitur à Sanchez *lib.de Matrim.disput.8.num.15.* & probatur,quia in illo lucido interuallo, & in illa materia in qua non sunt amentes,possunt habere perfectam deliberationem requisitam ad votum. Sicut habet amens in aliqua tantùm materia, & sobrius in aliis, vt possit validè contrahere matrimonium, vt probat Sanchez *citato loco.*

2 Cùm ad vouendum requiratur sufficiens deliberatio: & aliquando sit dubium an prædicta deliberatio præcesserit: vt hæc cognoscatur,hæc regula statuenda est. Si factum est votum ex metu incusso,à morbo, tempestate, iracundia,vel simili affectione, præsumendum est pro voto, & credendum semper est fuisse sufficientem deliberationem, quia illa prædicta non tollunt sufficientem deliberationem.Vide quæ dixi suprà *hoc eodem verb.num.9.*

3 Si verò sit dubium, an vouens quando vouit haberet plenum rationis vsum ob teneram ætatem,tunc si constet habuisse septennium completum, præsumendum est pro voto, & dicendum quòd valeat, quia in tali ætate præsumit ius sufficientem deliberationem. Si verò constet non fuisse expletum septennium,non obligat votum,quia non præsumitur ibi sufficiens vsus rationis. Si denique dubium sit, an vouens compleuerit septē-

nium,

Digitized by Google

nium, præsumendum est votum valere, quia non solent vota emitti ante septennium. Ita Sanches 4. *Decalog.num.*13.& 14. Et idem ibidem dicendum sentit de iuramento emisso, vel ex passione subita, ex tenera ætate modo proximè dicto.

4 Licèt votum ex sua natura obliget ad mortale, si tamen vouens, cùm vouet solùm intendat se obligare ad veniale, ad id solùm obligatur. Imò si solùm intẽdat se obligare ad pœnam, & ad nullam culpam, ad solam pœnam per se impositam obligabitur. Sed nequit vouens in materia leui obligare se ad culpam mortalem. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim.disputat.9.num.6.* Addit Sanchez 4. *Decalog.lib.*4.*num.* 3. quòd si solùm intendat se obligare ad pœnam non erit propriè votum. Ratio prædicti clara,& optima est: quia votum est lex priuata, quam sibi vouens imponit. At legislator potest intendere etiam in re graui vt sua lex ad solum veniale obliget,vel, vt nec obliget ad veniale,sed ad solam pœnam,vt decernunt statuta Tolletana Minorum reformata *in fine.*

5 Differunt inter se votum,& propositum rei alicuius faciendæ: Nam per votum voluntas resolutè, & cum obligatione proponit:At per propositum non resolutè acceptat. Signa verò an fuerit solum propositum erunt primò, si paulò, ante quàm deliberauit, vel paulò pòst, dubitat an voluerit se obligare: est signum solius propositi. Secundò, si verbo, ore, aut mente prolata indicant solum propositum,& non promissionem: vt si dixit, *Faciam hoc:* Tertiò,quando quis est certus de verbis promissionis, & consideratis omnibus circumstantiis adhuc dubitat,credendum est fuisse verum:vide Valentiam 2.2.*disputat.*6.*q.*6.*puncto* 1. Ad-

dit tamen Nauarr. *lib. 4. consiliorum titul. de Voto primæ Impressionis consil. 8. num. 3. & 2. Impress. consil. 5.* hæc verba, *Da mihi Domine salutem, & seruiam tibi.* Intelligendo de seruitio in statu continentiæ, esse votum, nisi constet mentem dicentis solùm fuisse propositum, non promissionem. Idem colligo si mens dicentis fuit solùm seruire Deo castè in sæculo abstinendo à peccatis antiquis, quæ solet esse intentio ordinaria talia verba dicentium.

6 Factum votum non dicitur proprie votum, nisi fiat Deo. Nã definitio voti ex D. Thom. *2. 2. quæst. 88. art. 1.* est. Votum est promissio Deo facta de bono melioti. Vnde votum factum alicui Sancto re vera est votum, quoniam fit tali Sancto quatenus in ipso honoratur Deus, atque illa promissio tendit in Deum. Vnde si quis alicui Sancto aliquid promittat cum animo expresso quod non intendit se obligare Deo, sed Sancto, non erit votum, quia non est promissio facta Deo: sed facta homini excellenti: Valentia *citat. loco quæst. 11. puncto 5.* Votum verò vt valeat non indiget certis verbis prolatis, vel conceptis, dum constet de animo verè se obligandi Deo.

7 Si vouens non aduertit, nec discurrit circa difficultates inuolutas in materia voti, habens se in hoc merè negatiuè, & postea in materia voti inuenit difficultates, quas si nosset non vouisset, votum obligat: quia illa inaduertentia purè negatiua non deobligat: Nam taliter vouens absolutè, visus est acceptare absolutè, quia quid in materia promissa foret difficile. At si vouens priùs discurrit circa materiam, & putans probabiliter illam esse leuem, vel aliquis sibi dixit esse leuem, & postea inuenit difficultates, quas si sciret non voueret,

tale

tale votum fuit inuoluntarium, & proinde inualidum. Probatur, quia per illam deliberationem præcedentem circa difficultates, iam virtualiter habuit dissensum circa has nimias difficultates quem dissensum non habuit vouens priori modo quia nihil discurrit. Traditur à Sot. *lib. 7. de Iust. quæst. 1. art. 2.* & Lop. 1, *parte Instruct. cap. 5. in fine*, & aliis. Ponit exemplum Sotus in eo qui suasus fuit ab aliquo obseruantiam ciborum, ac cæterorum alicuius ordinis esse facilem, & ille sic credens, vouit ingressum illius, & postea inuenit oppositum, ait tale votum fuisse inuoluntarium, quia iam per illum discursum præcedentem virtualiter dissensit in illis difficultatibus. Quod intellige, primò, dummodò iste secundo modo vouens, ac discurrens, non ignorantia crassa, & magna ignoraret illas difficultates omnibus notas: tunc enim teneretur voto. Secundò excipe nisi vouens hoc secundo modo, & discurrens esset tali animo affectus, vt etiam si sciret omnes illas difficultates adhuc voueret: tunc enim non deobligatur. Ratio est, quia tunc dolus, & error non fuerunt causa voti, & in virtute tales actus vouendi non est excluſus hic casus, imò virtualiter admissus. Ita Vasquez 1.2. *quæst. 7. art. 4. disp. 3. & cap. 4. num. 29.* & hoc procedit de difficultatibus iam inhærentibus materiæ voti, quando actu fuit emissum.

8 Si verò quando vouit prædictæ difficultates, non inerant materiæ voti, sed postea superuenerunt materiæ, tunc si sunt difficultates magnæ, & vouens illas aduertens non voueret, est communis opinio quòd votum non obligat; similiter neque iuramentum. Dixi *si magnæ emergunt difficultates*, quia si sunt paruæ arbitrio boni

viri, obligabit. Ita Nauarrus *in Summa capite* 18. *numer.* 3. & alij communiter. Nam liberalis promissio non est extendenda ad id, quod promittens non intendebat. Quod sic explica: vt omne id, quod ante votum, vel iuramentum reddidisset materiam voti, vel iuramenti inhabilem ad producendam obligationem promissi, & postea superueniat, erit promissio inuoluntaria. Secus si superuenientiam non redderent materiam inhabilem ad obligationem. Ita explicat Caiet. *in Sum. ver. votum cap. penultimum*, & alij. Et ita intellige dictum *num. præcedenti* deobligare votum quando præcedente discursu circa difficultates à principio erant magnæ. Si enim sint paruæ, obligat votum.

9 Qui vouit Religionem quando erat iuuenis, illúdque non impleuit, si modò est senex, & ad professionem inhabilis, non tenetur voto, quia res est valdè mutata. Lopez 1. *part. Instruct. capit.* 44. §. *Sed de illo*, & citat. Victoriam. Et fauet Sot. *lib.* 1. *de Iust. art.* 7. *col.* 6. Sed ego semper consulerem securitatis gratia vt alicuius Prælati præsentiam adiret, si velit eum senem recipere, quia multi senes in Religione recipiuntur. Si verò dubium sit, an materia voti mutata sit ob difficultates emergentes, iudicandum est in dubio votum obligare, quia constat de voto, & dubitatur de materiæ mutatione.

10 Si alicui incutiatur metus grauis iustè, vel iniustè, & post illum incussum, illi offertur libertas, vt si voluerit votum facere Religionis, vel aliud simile, illéque liberè voueat, tale votum obligat: quia talis metus non est incussus ad extorquendum votum, vt suppono: Sed ipse libenter acceptat. Vnde orta est praxis licita, quòd maritus

con

Digitized by Google

cõdonat vxori adulteræ pœnã adulterij, si in Religione professionem emittat. Secus si directè metus grauis incuteretur verbis petendo vt voueret, tunc enim non valeret. Sanches *lib.4.de Matrimon. disput.12.num.12.& seqq.* Dixi *iustè, vel iniustè.* Nam Rodriguez *tom.2.Sum.cap.93. num.3.* & Vega *tom. 2.Sum.cap.129.casu 17.*& Lopez *1.part.instruct. cap. 45.*dicunt etiam si metus incutiatur iustè, & clarè extorqueatur votum, dicunt votum reddi nullum, siue simplex, siue solemne; quos reprobat Sanches *4.Decalog.cap.3.num.22.*cum Medin.& Sà *ibi citatis*: sed mihi videtur probabilior opinio Rodrig. & cæterorum: quia materia voti, maximè solemnis, requirit omnimodam libertatem.

11 Prohibuit Prælatus subdito ne faceret tale votum in materia aliàs licita, & subditus nihilominùs fecit votum: tale votum obligat. Nam multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent, vt videre est in multis exemplis. At in duobus casibus tale votum non valebit. Primò si Prælatus dicat in prohibitione, quod aliàs factum sit irritum, tunc enim clausula apposita irritat factum; & Prælatus potest irritare. Secundò, non valebit si Prælatus prius irritet, vel prohibeat materiam ipsius voti. vt si dicat, mando quòd nemo rem talem faciat, vel, quòd non fiat talis pœnitentia, vel quid simile: tunc enim illa res prohibita à Prælato iam non est materia voti, cùm sit res illicita, & proinde votum emissum circa illam erit nullum, cùm sit de re illicita. Et proinde subditus peccabit contra obedientiam, vel malè vouendo quemadmodum peccabit contra obedientiam, cùm vouet prohibente Prælato ne voueat, etiam si Prælatus non prohibeat materiam voti.

12 Votum de abstinentiis nimiis, si inde resultet periculum mortis, vel grauis morbi ad arbitrium prudentis viri, non valet: si verò dubium sit ante tale periculum resultet, vel non adhuc votum non valet Sot. *lib.* 7. *de iust. quæst.* 1. *artic* 3. Tabiena *votum* 1. *numer. vltimo*, & alij.

13 Votum de non edendo aliquid igni assatum in die sancti Laurentij, est nullum, quia id non conducit ad honorem illius, cùm vouens possit carnes igne coctas tunc comedere, vel pisces coctos. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 5. Valeret tamen votum de abstinendo absolutè à carnibus in honorem alicuius Sancti. Similiter valeret votum de non manducando aliquid igne conditum in vigilia Sancti Laurentij, quia id cùm sit specialis abstinentia pertinet ad honorem Sancti. Est etiam irritum votum agitandi tauros in honorem alicuius Sancti, quia id non spectat ad honorem illius. Habetur in Concil. Tolletano vltimo, *sessione* 3. *decreto* 26. similiter votum non intrandi mare, eo quòd in illo vouens passus sit periculum, vel non equitandi, eo quòd ex equo ceciderit, est irritum, est enim de re indifferenti, & nullus finis honestus adiungitur. Tolledo *lib.* 4. *Sum. capit.* 17. *numer.* 14. Secus si finis honestus addatur, vt quia mare notabiliter nocet complexioni, vel quia nescit equitare.

14 Votum factum directè contra consilia Euangelij sunt irrita. Vt si voueat non ingredi Religionem, non dare eleemosynam, &c. Sunt enim impeditiua maioris boni: & non indigent dispensatione: & est peccatum veniale sic vouere. Erit verò peccatum mortale, si voueat non dare eleemosynam extremè indigenti. Excipe etiam circa votum

tum Religionis non intrandæ posse esse licitum, aut validum si concurrat circumstantia deobligans, vt si Religionis regula ibi non seruatur: si habet impedimentum inhabilitatis, vt sit Religiosus; Si habet parentes in extrema necessitate constitutos, cui ipse solus potest subuenire, & sic de similibus. Sotus *lib. 7. de Iust. quæst. 1. art. 3. dub. 2.*

15. Votum de non petenda dispensatione, irritatione, vel commutatione voti, vt plurimum, est irritum; quia aliquando expediet saluti animæ id petere; idem dic de iuramento Fauet Sot. *lib. 8. de Iust. quæst. 1. artic. 9.* & tenet Sanchez 4. *Decalog. capite 8. num. 21. & sequentib.* Dixi, *vt plurimum*, quia si voueret quis illa non petiturum, nisi quando salubrius esset animæ illa petere, tunc valeret. Si tamen hac limitatione apposita non obstante peteretur à Superiore aliquid ex illis tribus, peccaret petendo contra votum, sed dispensatio, vel commutatio data causa iusta valeret, quia tale votum faciens non ademit Superiori potestatem dispensandi, vel commutandi. Addit Sanchez *citato loco num.* 21. Quòd si quis vouit vel iurauit se non petiturum commutationem voti, istum non posse petere dispensationem, vel irritationem illius: quia commutatio non tollit vinculum voti, sed mutat in aliud vinculum: cum ergo dispensatio, & irritatio tollant omnino vinculum, iam facit contra votum, quia vouens non petere commutationem, vouit non petere aliquid omnino tollens vinculum. Secundò dicit: Quòd si vouit non petiturum se irritationem, vel dispensationẽ, poterit petere commutationẽ puram non admistam dispensationi, vel irritationi. Tertiò addit, quòd si solũ vouit non petere irritationẽ, iste non poterit

petere dispensationem. Neque è contra, si solùm vouit non petere dispensationem, non poterit petere irritationem. Vide ibi causas.

16 Doctè tamen *ibidem* notat *num.* 3. quòd cùm iste vouens non petiturum aliquid ex illis tribus circa votum factum, habeat duo vota, primum de re priori voto promissa, vt votum ieiunandi. Secundò de non petenda dispensatione prioris voti; si velit dispensationem petere, non potest petere dispensationem vtramque simul: tunc enim peccabit contra votum posterius, si petat dispensationem primi, stante secundo voto de illa non petenda. Debet ergo primò, & seorsim petere dispensationem solius secundi, id est, quo vouit se non petiturum: quia hoc petens nondum petit dispensationem prioris circa ieiunium: sed solùm petit dispensationem de non petenda dispensatione. Et obtenta hac dispensatione circa secundum, poterit deinde licitè petere dispensationem primi voti circa ieiunium. Et hæc quidem clara sunt, & perdoctè tradita: & pro iuramento etiam inseruientia.

17 Si quis vouit, se mandaturum dici tot Missas in honorem alicuius Sancti, & inuenit Sacerdotem, qui illas gratis vult dicere, satisfacit voto. Nam ille solùm vouit Missas, non eleemosynam. Et hoc intelligitur etiam si quando vouit, intendit soluere pecunias pro Missis recordatus pecuniarum: dummodò non intenderit voto pecunias soluere in maiorem deuotionem, & tanquam materiam voti. Et in hoc casu adhuc nota, quòd si promisit pecuniam pro illis Missis daturum se designato Sacerdoti, & iste remittat, liberatur à solutione: si verò pecuniam pro eleemosyna Missæ promisit indifferenter cuilibet Sacerdoti dicenti Missas,

Missas, tunc non excusatur isto Sacerdote remittente. Sanches *citato lib. Decalog. cap.* 11. *num.* 33.

18 Sacerdos promittens se dicturum tot Missas, non satisfacit si illas dicat stipendio aliundè accepto: neque item satisfacit laicus, promittens certas Missas, & petens à Sacerdote, vt illas dicat quando habet obligationem dicendi Missam stipendio aliundè. Nam vsus talis voti faciendi non est, vt illi satisfiat opere aliundè debito.

19 Si quis vouit daturum se eleemosynam certo pauperi tanquam opus piùm, & in bonum animæ suæ, eligit tamen hunc pauperem eò quòd esset sibi notus, vel alia quacumque de causa, debetur alteri pauperi non electo. Si verò vouit tantùm in bonum illius pauperis, non ligat votum si iste pauper est mortuus Hoc patet ex regula seruata à Iuristis circa legatum relictum pauperi, seruant enim tunc eandem distinctionem positam: tenet inter alios Mol. *tom.* 1. *de Iust. disputat.* 249. *col. penult.* In dubio verò huius intentionis prior intentio præsumitur, & sic debetur eleemosyna: secus si constet clarè de secunda intentione.

20 De illo qui vouit nunquam bibere vinum, vel abstinere à carnibus, vel à lacticiniis, vide suprà verb. *Ieiunium num.* 4. 5. & 6. ibi enim sufficienter de his dixi.

21 Votum vitandi alicuius peccati venialis, est solum peccatum veniale, vt de non mentiendo. Votum enim ibi confirmatorium obligat solùm sicut obligat ipsa materia voti. At si mendacium esset mortale ex circũstantia, vt quia grauiter nociuum tertio, vel dictum in iudicio, tunc fractio voti esset peccatum mortale. Nauarr. *in Sum. capit.* 12. *num.* 65. Sà *Aphoris. num.* 15. & 22. Idem dicen-

dum si materia illius venialis fiat grauis, vel notabilis ex aliqua circumstãtia, vel posita sub graui præcepto ob aliquam circumstantiam,& sic de cæteris,tunc enim erit mortale.

21 Promittens, seu vouens vnam rem indeterminatam, vt dare vnam eleemosynam, vel vnum animal,non limitando rem certam,tenetur ad votum,sed tunc dabit, vel faciet ad arbitrium prudẽtis viri,attentis,circumstantijs personæ,& cæteris. Azor. 1. *tom. lib.* 11. *quæst.* 2. *cap.* 20. & Molin. *tom.* 2. *de Iust. disput.* 168. *col.* 2. Si autem neque determinauit qualitatem rei dandæ,vel faciendæ, vt si promisit dare modium tritici, non distinguens de bono, meliori, vel infimo, potest dare quodcunque voluerit.Ita Valentia 2. 2. *q. disp.* 6. *punct.* 4. *q.* 3. 22.

22 Non obligatur vouens ad id quod tempore voti cogitauit,vel ad id quod statuisset, si cogitaret:sed ad id solum quod vouit attentis verbis, & animo se obligandi. Nam illa quæ cogitauit extra votum, vel quæ cogitasset, accidentaria sunt voto, & non promissa,& proinde non obligant.

23. Promittens duas res disiunctiuè satisfacit eligendo vnam,quam maluerit. Adde, promisi ieiunare disiunctiuè feria sexta, vel sabbatho: facto voto elegi postea deliberatè ieiunare feria sexta, & inchoaui ieiunium: illud ieiunium fregi illa die, non teneor in sabbatho sequenti ieiunare: quia per illam electionem certam, cessauit obligatio ieiunij sequentis diei. An verò obligetur ieiunare alia die loco illius primi quo nõ ieiunauit, dicendum, quòd si ieiunium fuit promissum in honorem temporis tantùm, postea non obligat ad aliud ieiunium. Si verò non sit promissum ieiunium

iunium in honorem temporis, tenetur alia die ieiunare, vt si vouit ob macerationem carnis: & sic de aliis.

DE TEMPORE QVO IMPLERI DEBET. ADDITIO.

24. SI vouens præfixit terminum temporis in quo votũ impleret, tenetur sub mortali intra illud implere: tunc enim tempus illud cadit sub voto, & in illo includitur. Si verò in voto non incluſit tempus, ſed quando vouit, cogitauit, vel intendit, quòd tali tempore commodiùs impleret. Hoc tempus ſic cogitatum extra votum non obligat: quia ad votum non obligant niſi expreſſè contenta, ſeu intenta in voto vel neceſſariò incluſa in illo. Si verò tempus implendi votum cogitatum tempore voti, fuit contra naturam voti, aſſignatio talis temporis non excuſabit, ſed ſtandum erit dictis in ſequentibus. Si verò dubium ſit an vouens præfixerit tempus voto implendo, credendum eſt non impoſuiſſe.

25. Si vouens non aſſignauit tempus voto implendo, tenetur illud implere vbi primùm id poterit arbitrio prudentis abſque notabili incommodo: aliàs erit tranſgreſſor voti. Probatur inter alia ex *cap. Non eſt de voto*, vbi dicitur non eſſe tranſgreſſorem voti, qui illud dilatat authoritate Apoſtolica, ergo à contrario ſenſu, peccabit qui illud dilatat ſine cauſa, propria authoritate. Et ſecundò probatur, quia quotieſcunque creditor, petit debitum, tenetur reddere debitor: ſed Deus eſt creditor voti, & ſemper petit ſolutionem dato tempore commodo: ergo dato hoc tempore commodo, cùm quis poteſt abſque periculo notabili tenetur ad impletionem voti. Eſt com-

munis

munis Doctorum. Vid Rodr. 2. *tom. Sum. cap.* 99. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 15. *q.* 1. Sà *in Aphoriſ. ver. votum num.* 28.

26 Licitè differtur impletio voti non præfixo tempore, quando ſperatur quòd alio tempore futuro votum deuotiùs, & quietiùs poterit impleri. Quia tunc ea cenſetur poteſtas commodè implendi, & ordinaria intentio voti. Ita Sylueſt. *ver. notum* 2. *q.* 3. & Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. *in fine.*

27 Quæris quamdiu differri poſſit votum ingrediendi Religionem: Rodrig. 2. *tom. Sum. ca.* 95. *num.* 9. ait virum natum annos 12. poſſe dilatare hoc votum vſque ad annum 25. Cordub. *in Sum. quæſt.* 39. §. *El vno es*, ait natum annos 12. poſſe dilatare votum vſque ad annum 17. vel 19. ſi vouit ordinem Minorum. Sanches 4. *Decalog. cap.* 14. magis reſtringit, dicens poſſe dilatare vſque ad annum 15. vel 16. Alij aliter dicunt. Reſolutio ſit, quòd certa regula aſſignari non poteſt in particulari, ſed prudentis arbitrio illud erit declarandum, attentis circumſtantiis perſonæ, ſtatus, & temporis. Erit etiam cauſa dilatandi voti Religionis intrandæ, expectare commodum tempus, vt parentes patienter ferant ingreſſum ordinis. Pax enim parentum, illorúmque quietatio cauſa ſufficiens eſt dilatationis.

28 Si oblata iam commoda opportunitate ad implendum votum, exiſtimet quis bona fide ſe differre, non peccat mortaliter, niſi fortè ignorantia ſit craſſa, & ſupina, & mora valdè notabilis. Probatur quia etiam in executione præceptorum Eccleſiæ excuſat ignorantia ſi non ſit craſſa, & ſupina. In voto autem Religionis implendo, ſi poſt oblatam occaſionem implendi fiat dilatatio per dimidium vniùs anni, cenſet Sanches 4. *Decalog*

Digitized by Google

*leg cap.*14.fore moram ſeu culpam mortalem, vide *ibi.num.* 22. Et ſic in cæteris prudentis arbitrium iudicabit.

29 Si voto dilato timeatur perpetuum impedimentum,voti implendi, dilatio illius eſt mortalis: exponit enim ſe claro tranſgreſſionis periculo. Syluester. *verb. votum* 2. *quæſt.* 3. Tabiena *votum* 3. *quæſt.* 3. *num.* 4. & alij communiter. Addit Petrus de Ledeſma *de Sacramentis,tract.de pœnitent.cap.* 8. *dub.*4.*in fine*, quòd ſi voti impletioni præfixum eſt tempus certum, & hoc tempus nondum aduenit; attamen præuidetur clarum impedimentum pro illo tempore futuro, tunc vouens tenetur præuenire tempus præfixum, & ante illud implere votum.Datur enim ibi eadem ratio,quia ponit ſe periculo tranſgreſſionis,quod periculum poteſt vitari anticipando. Hoc tamen intellige, niſi præueniendo redderetur executio voti notabiliter difficilis:quia non videtur vouens obligandus ad illam tam notabilem difficultatem ſuperuenientem, & non intrinſecam voto.

30 Quæris,promiſit quis ieiunare certa die, vel illa die dicere roſarium:illa die non impleuit:quęris,an alia die teneatur illud implere? Diſtinguendum ſic eſt: vel illud promiſit in honorem, & deuotionem temporis illius, vt quia Aduentus erat, ieiunare:quia feſtum tale erat,vel ieiunare,vel orare,illa enim fiunt in honorem temporis, diei, vel Dei,vel Sancti. Secũdo modo poteſtillud promitti non in honorem talis diei vel temporis;ſed apponitur dies,vel tempus, vt terminus executionis voti intra quem implendum eſt, neque vltrà differre liceat.Hoc poſito dicendum, ſi priori modo fuit promiſſum,& non fuit impletum illa die,peccat

cat mortaliter sed non tenetur alia die implere. Probatur, quia tunc circumstantia temporis fuit ipsa intentio in cuius honorem promittebatur: iam verò illa circumstantia temporis erat intrinseca illi voto per modũ vnius cum re promissa,& proinde transacto illo ieiunio non manet obligatio circumstantiæ intrinsecæ inclusæ in voto ipso iam violato. At quando promittitur, secundo modo apponendo diem certam, tunc illa die transacta & voto in ea non impleto, obligat, vt impleatur alia die: quod probatur, quia tunc currit diuersa ratio, oppositа præcedenti, vt facilè erit applicare. Nam tunc circumstãtia temporis non vouetur per modum vnius cum re promissa, sed virtute sunt duo vota. Ita Caiet. 2.2.*q*.88.*art*.12.*dub. vltimo*, Rodrig. *tom*.2.*Sum.capit*.99.*num*.14. Lopez 1.*part. Instruct. cap*.45.& alij communiter.

31 Vouens recitare aliquid coram aliqua particulari imagine, vel in particulari oratorio, si id vouit ex speciali deuotione ad talem imaginem, vel locum,& detur impedimentum vt illud ibi facere possit, non tenetur alia die id facere. Secus si non voueret ex speciali deuotione imaginis, vel loci: tunc enim transacto impedimento tenetur. Probatur eadem ratione quæ *adducta est.nu.præcedenti.*

32 Quando vouens in voto præfixit tempus non censetur illud apponere intuitu deuotionis, & temporis, sed intuitu se obligandi vt illud exequatur illo transacto. Quando verò attentis omnibus circumstantiis dubium æquale est an vou erit intuitu deuotionis, siue honoris temporis, an verò tempus præfixum fuerit vt terminus executionis voti, censendum est factum votum hoc secundo modo, & proinde obligare etiam transacto illo

tem

Digitized by Google

tempore. Ita Sanch. *citat. cap. 1. num. 8.* & Azor *tom. 1. lib. 11. quæst. 21.*

AD QVID OBLIGET VOTVM *simplex Religionis.*

ADDITIO.

33 VOuens ingredi religionem ſtrictiorem peccat mortaliter ſi ingreditur laxiorē, quia minus dat quàm promiſit: At ſi profiteatur in laxiore ſatisfacit voto, nec tenetur ad reſtrictiorem. Nauarr. *in Sum. cap. 12. num. 48.* & vtrumque definitur *in iure cap. penult. de Regular. in 6.*

34 Vouens ingredi Religionem ſtrictiorem, poteſt hoc votum commutare in votum perſeuerandi in Religione laxiori, & ſic facta commutatione intrare, & perſeuerare in laxiore. Probatur, quia ſic commutat votum in melius: nam melius eſt perſeuerare in Religione laxiori, quàm ſolùm ingredi ſtrictiorem ad experiendum, & poſtea exire, quod poterat facere vouens priori modo, dummodò in mente non includeret in voto etiam perſeuerantiam. Sylueſt. *votum 4. quæſt. 7. d. 3.* Paludan. *in 4. diſputat. 38. quæſt. 3. art. 1. num. 1.* & alij. Imò & poterit intrare laxiorem cum animo perſeuerandi in illa, etiamſi non faciat illam commutationem. Nam adhuc eſt maius bonum cum tali animo ingredi laxiorem, quàm votum ſtrictioris Religionis cum ſolo animo experiendi. Sic innuit Paludan: & Sylueſter citati Hoc limitat, dummodò, quando ingreditur laxiorem cum tali animo, non aduenerit iam tempus, vel aduenturum eſt tempore nouitiatus, ingrediendi ſtrictiorem: quia tunc, cùm iam obliget præceptum ſtrictioris, non poterit iam commutari in votum laxioris intrādæ abſque

obliga

obligatione expreſſa perſeuerandi. Vnde dictum *in principio huius numeri* de vouente, quòd poſſit commutare tale votum modo ibi dicto, intellige, ſi vouit ſtrictiorem ordinario modo non vouendo perſeuerantiam in illa. Si enim hanc vouit, non poterit commutare: ſecundò limita poſſe intrare laxiorem, dummodò iam non aduenerit tempus obligans intrare ſtrictiorem, vt proximè diximus.

35 Votum ſimplex Religionis non poteſt commutari propria authoritate in votum caſtitatis. Nam licèt votum Religionis non obliget ad perſeuerandum: ingreſſus tamen ille cum animo experiendi labores, & ibi manẽdi, ſi ſint tolerabiles, maius bonum eſt quàm ſeruare caſtitatem. Vnde omnes Doctores dicunt, quodlibet votum poſſe commutari in votum ingrediendi Religionem.

36 Colligunt ex prædictis Cord. *quæſt.* 139. *in Sum.* & Rodr. *tom.* 2. *cap.* 95. 3. *fine.* vouentem ingredi conuentum Recollectorum in ordine Minorum, in quo ſtrictius viuitur quàm in Conuentibus eiuſdem Ordinis, vel Prouinciæ qui dicuntur Obſeruantiæ, peccare ingrediendo Conuentus Obſeruantiæ, vbi non viuitur ſic ſtrictè nudis pedibus, & ea. Sed taliter ingreſſum, & profeſſum in Conuentibus Obſeruantiæ poſſe poſtea tranſferri in Conuentus Recollectorum. Sed aduerto Prælatos Minorum gaudere priuilegio conceſſo Camualduẽſibus Mõtis Oliueti, citato à Capucino ſuper Compendium *ver. Nouitius f.* 253. Quibus conceſſum eſt, vt poſſint recipere ad ſuum Ordinem, etiam illos qui vouiſſent intrare alium Ordinem, etiam ſtrictiorem: quo priuilegio gaudent omnes Mendicantes. Vide ibi latiùs. Per quod priuilegium Prælatus Minorum poteſt recipere ad

Ordi

Ordinem vouentem intrare etiam Conuentus Recollectos & vouentes etiam Cartuziam. Sed aduerto, quòd taliter recipiendus cum voto Recollectorum, vel Cartuziæ, tenetur hoc prius manifestare Prælato recipienti, vt dispenset. Prædictum enim priuilegium expresse dicit, vt Prælatus recipiens priùs dispenset, & tunc recipiat. Vnde si habens tale votum Recollectorum, vel strictioris Ordinis, nihil exprimat, peccat: sed professio emissa valebit.

37 Quot modis fieri possit votum Religionis, quibus verbis, & quomodo sit interpretanda eius intentio, & obligatio, dixi sufficienter suprà *à n.* 2. *& seqq.* vide *ibi.* Addo nunc sequentia.

38 Qui vouit Religionem, & petit habitum tali modo, vt nutibus, vel signis, aut verbis innuat se nolle recipi, non satisfacit, voto satisfaciet verò, si id exteriùs minimè significet, etiam si animum haberet vt non reciperetur, & de facto non est receptus. Probatur, quia hic passus sic repulsam non fecit moralem diligentiam requisitam ad voti executionem, sed simulato animo petiuit. Sot. *lib.* 7. *de Iust. quæst.* 2. *art.* 1. & Azor *lib.* 11. *Moral. cap.* 22. *quæst.* 9. Non tamen peccaret qui exponeret Prælato impedimentum morbi, vel imbecillitatis impedientis ingressum, cum animo tamen parato vt etiam sic receptus, velit votum implere. Vide Rodrig. 2. *tom. Sum. cap.* 95. *num.* 5. vbi ait illum qui vouit Religionem D. Francisci habens morbum Gallicum à quo postea verè sanatus est, deobligari ab illo voto, eo quod in Ordine prædicto Minoritæ nudis pedibus incedunt, quod valde nocet illis qui tali morbo aliquando laborauerunt. De vouentibus verò cùm aliquo morbo

laborãt, consulendi sunt medici, an Prælatis illos recipere expediat Religioni. Si autem is, qui vouit Religionem sit malis moribus imbutus, & timeat se non posse continere, sicque suadeant prudentes viri, non ideò excusatur ab ingressu, & tenetur experiri. multi enim sic mali intrantes, euaserunt valdè boni.

39 Qui fecit votum Religionis, non tenetur manifestare Prælato se habere votum Religionis, (secundùm probabilem opinionem) neque tenetur rogato res interponere. Nam qui fecit votum non se obligat ad omnia media iuuantia ad illius executionem. Sufficit adhibere media sufficientia & ordinaria, quale est petere admissionem animo non ficto instanter, &c. Sanchez 4. *Decalog. cap.* 16. *num.* 54. *in fine.*

40 Vouens Religionem cum animo expresso vt sit Sacerdos, si Prælati nolunt recipere, nisi vt sit laicus, liberatur à voto, quia votum non obligat illum vltra vouentis intentionem. *Sot. lib.* 7. *de Iust. q.*2. *art.*1. *ad.* 3. Rodrig. *tom.*2. *Sum. cap.*95. *num.*10. & alij. Si verò quando vouit nihil cogitauit de statu futuro Sacerdotis, vel laici: & tamen habet partes, & conditiones bonas ad sacerdotiũ, & Prælatus non vult illum recipere ad sacerdotium, liberatur à voto. Non verò liberabitur, si carens prædicta sufficientia, recipitur ad solum statum laici. *Azor. tomo* 1. *libro* 11. *quæstione* 4. *cap.* 22.

41 Vouens Religionem non satisfacit voto intrans animo statim exeũdi: non enim hic est mos, vel animus taliter vouentium: sed debet intrare cum animo experiendi an status conueniat ipsius saluti spirituali. *Nauarr. in Summ. cap.* 12. *num.* 47.

Digitized by Google

47. Angelus *votum* 3. *num.* 18. Syluester *verb. Religio* 2. *quæst.* 19. & alij Si verò quando vouit in voto incluſit ſtatim animum exeundi, votum eſt nullum. Secus ſi votum fuit abſolutum intrandi, & ſtatim poſt votum formauit animum exeundi, tunc enim tenetur ingredi, & experiri.

42 Vouens ingreſſum Religionis,& perſeuerantiam, ſeu profeſſionem in illa, ſi exeat iuſta cauſa, vt propter morbum, vel quid ſimile, remoto impedimento non liberatur à voto, ſed tenetur iterùm Religionem intrare, ſi impedimentum nõ eſt perpetuum. Probatur, quia iſte licèt iuſta cauſa exierit, nondum tamen ſatisfecit voto profeſſionis emittendæ. Ita D. Thom. 2. 2. *qu. vlt. art.* 4. & Caet. *ibidem dubio* 1. Azor. *citat. cap.* 21. *q.* 8. Rodrig. *citat. cap.* 95. 2. *tom. Sum. num.* 7. & alij communiter. At ſi taliter vouens perſeuerantiam, tempore nouitiatus inuenit aliquam notabilem difficultatem, quam inuincibiliter ignorabat, aut poſtea ſuperuenit, poterit licitè egredi, vt patere poteſt ex ſupradictis, quia hæc notabilis mutatio rerum excuſat à voto, vt iam ſuprà diximus. Si verò impedimentum, vel difficultas non ſit perpetua, illa ceſſante tenebitur redire. Si verò quis voueat cum animo perſeuerandi, non includens in voto perſeuerantiam, tenetur ingredi animo perſeuerandi, & experiri: ſed non tenetur ex vi huius voti perſeuerare. Ita Ricard. *in* 4. *diſt.* 38. *art.* 8. *qu.* 3. Angelus *votum* 3. *qu.* 18. & alij.

43 Si vouens ingreſſum tantùm inuenit grata omnia contenta in Religione, non poteſt licitè exire, ex illa ſola libertate, quæ conceditur nouitiis, ſed tenetur tunc perſeuerare. Probatur, quia hæc eſt communis mens, & intentio vouentium

Religionem, vt scilicet, si rem sibi gratam inueniant, perseuerent: alias promissio esset simulata, & ridicula, ac proinde Deo displicens. Ita Cajet. 2. 2. *quæst. vitim. art.* 4. *dub.* 3. Tolet. *lib.* 4. *Summ. cap.* 18. *num.* 12. Rodrig. *tract. cap.* 95. *num.* 2. & alij. Et in dubio sic præsumendum est omnes vouere ingressum Religionis. Hinc colligitur discrimen inter ingredientem Religionem cum voto, & ingredientem absque illo. Nam ille peccat mortaliter exiens à Religione absque legitima causa: hic autem peccat solùm venialiter, quia non facit contra votum: sed solùm leuitatis arguitur, deserens statutum tantæ perfectionis.

44 Qui votum castitatis, vel peregrinationis Hierosolymitanæ commutauit in ingressum Religionis, & post ingressum inuenit notabilem difficultatem, vel iustam causam exeundi, non tenetur voto Religionis, nec voto castitatis antiquo: nam votum Religionis legitimè cessauit: & antiqua duo vota etiam cessarunt per legitimam commutationem. Sanchez *cit. cap.* 10. 4. *Decal. n.* 94. Hoc tamen limitat *ibi n.* 97. nimirùm is, cui prædicta vota sunt commutata in ingressum Religionis, fuerit capax ingrediendi talem Religionem. Si enim sit incapax illius ob aliquod impedimentum, & non admittatur, commutatio fuit nulla, quia facta est in materiam illicitam, & proinde vota antiqua non sunt extincta, si ipse non admittatur, vel admissus expellatur, vel iusta causa exeat.

45 Vt ingrediens Religionem ex voto, dicatur exire cum iusta causa, non requiritur causa valdè vrgens, sed sufficiet causa mediocris: qualis sufficeret, vt non argueretur leuitatis ingrediens Ordinem absque voto. Nam vouens perseuerantiam

in

in Ordine illam ſolam perſeuerantiam intendit, quam intendit ingrediens abſque voto. Hic autem ſolam hanc intendit, vt ſi inueniat gratam Religionem, vt illa ſic grata inuenta leuitatis argueretur illam deſerens. Ait vero Sanchez *citato cap.* 16. *num.* 100. fore cauſam ſufficientem vltra iam dictas, ſi nouitius patiatur ſaltem per menſem grauem animi triſtitiam, ſiue ex paſſione naturali, ſiue ex dæmonis tentatione ortam. Prudentis verò arbitrio relinquuntur iudicandæ aliæ cauſæ egreſſus: vt ſcilicet ſi inductus fuit nouitius ad malum per aliquem fratrem: ſi non fuit in morbo curatus ſufficienter: ſi fuit grauiter, & iniuſtè reprehenſus, vel rixatus cum alio: & ſic de cæteris. Hoc, inquam, iudicabit prudentis arbitrium an ſint cauſæ mediocres ad egreſſum. Ait verò ibidem fore ſufficientem cauſam egreſſus, ſi videat nouitius Religioſos communiter non viuere cautè in obſeruatione regulæ; & proinde non expedire ſaluti animæ ſuæ. Vel ſi videat aſperitatem Ordinis ſibi non conuenire: & ſic de cæteris. Eſſet etiam cauſa egreſſus neceſſitas notabilis parentum, aut ſororum, quibus in ſæculo poteſt ſubuenire.

49 Egrediens ab Ordine ex iuſta cauſa temporali, vel expulſus à Religione ſemel ſuſcepta ob morbum, vel impedimentum temporaneum non tenetur redire ad Religionem illis cauſis ceſſantibus, iam enim ſuo voto plenè ſatisfecit. Hoc tamen tripliciter limitatur. Primò, dummodò non vouerit perſeuerantiam in Ordine: tunc enim tenetur redire ceſſantibus illis cauſis temporaneis. Secundò limitandum eſt, vt ſi expellatur ob defectum ætatis requiſitæ per Tridentinum, vel ſta-

tutum Religionis, adueniente tali ætate vel ſublato illo impedimento ſtatuti Ordinis teneatur redire. Tertiò limitandum eſt, niſi culpa ſua expellatur ab Ordine: tunc enim nondum voto ſatisfecit. Vide Tolled. *lib.*4.*Summ. cap.* 17. *num.* 12. Sed Azor.*lib.* 11 *tom.* 1. *cap.* 22. *quæſt.* 9. *in fine* tenet expulſum ab Ordine ſua culpa, non obligari ampliùs redire.Sanchez *cit.cap.* 16.*n.* 108.ſic illos conciliat: vt ſi nouitius habens culpas fecit quod potuit moraliter loquendo ad emendam, nihilominus eiectus eſt: non tenetur redire. Si verò hanc moralem emendationem non appoſuit, & ideò eiectus eſt,tenetur redire.

47 De illo qui vouit ſimul Religionem,& caſtitatem ad quid teneatur, vide quæ dixi ſuprà *ver. Votum n.*16.*& ſeqq.*

48 Si quis ſæcularis voueat obedientiam,caſtitatem, & paupertatem in manu alicuius Prælati Regularis cum animo fruẽdi priuilegiis,vel ſuffragiis iſtius Ordinis: iſte primò non tenetur ad ingreſſum Religionis,quia hoc non promiſit.Secundò tenetur ad ſeruanda illa tria vota domi ſuæ, tanquam vota ſimplicia,fuerunt enim valida,& in honorem Dei promiſſa.Ita reſpondit Nauar. in facti contingentia *lib.* 3. *Conſil. titul. de Voto,conſil.*9. Quamuis autem *ibi* dicat iſtum non teneri ad votum obedientiæ, quia obedientia non fuit acceptata ab illo Prælato; rectiùs tamen probat Sanchez,4.*Decalog.num.vltim* etiam teneri ad obedientiam:nam ſolum votum Religionis requirit acceptationem cùm ſit contractus. At votum obedientiæ cùm non ſit contractus, non requirit acceptationem.Et proinde ait Nauar.*citato conſilio in fine*, vt taliter vouens ſit ſecurus in voto pauperratis promiſ

promissæ, securiùs esse petere dispensationem ab Episcopo. In cuius probationem affert Sanchez *citato loco*, quòd si quis voueret seruare domi suæ regulam alicuius Ordinis, teneretur illam seruare; seruando etiam obedientiam Prælato illius Ordinis.

49 Qui vouit Religionem, & tali voto non obstante contrahit matrimonium animo consummandi, peccat mortaliter consummans, siue petendo, siue reddendo prima vice. At post consummationem non peccat petendo, vel reddendo, etiãsi promiserit perseuerantiam in Religione. At si mortuo coniuge talis superuiuat, tenetur intrare in Religionem. Probatur primum, quia votum Religionis simplex non se extendit ex se ad seruandam castitatem: cùm ergo per consummationem matrimonij impossibilitetur ingressus Religionis, iam pro tunc non tenetur ad castitatem ex vi talis voti. Probatur secundum, quia votum Religionis per consummationem matrimonij non extinguitur, sed suspenditur: ergo sic coniux vouens, & viuens tenetur, voto reuiuiscente. Vide Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 33. à num. 13. & seqq.*

AD QVID OBLIGET VOTVM simplex castitatis, vel virginitatis, & similia vota.

ADDITIO.

50 SI vouens virginitatem clarè solùm intendit abstinere prima vice à coitu carnali, per quem amittitur virginitas propriè dicta, post primum coitũ carnalem, non tenetur ampliùs ex tali

voto virginitatis castitatem seruare, qua id solùm intendit vouere, & actus agentium non extenduntur vltra intentionem agentium. Si verò dubitat, quid intenderit sic vouendo, tenet Sanchez 4. *Decalogi*, *cap.* 21. *num.* 22. taliter vouentem teneri semper ad perpetuam castitatem, quia votum virginitatis ex sua natura obligat ad perpetuam castitatem, sicut votum castitatis. Sed ego ipsi Sanchez obiicio ipsum Sanchez, qui *lib.* 2. *de matrim. disput.* 41. *num.* 33. *ex cap. ex parte de censibus cum gloss. ibidem.* & aliis quos citat, tenet in dubio voti eligendum quod est minus, non quod est tutius: eaque de causa ibi tenet, quòd vouens castitatem, & Religionem, & dubitans an vouerit castitatem dependenter à Religione, vel independenter ab illa quod maius est, non debere obligari ad seruandam castitatem independenter à Religione, ac proinde taliter vouentem non esse obligandum ad castitatem ex vi talis voti ante ingressum Religionis, quamuis id tutius sit: quia, vt probat, in dubio qualitatis voti non debemus obligare vouentem ad id quod tutius est, sed ad id quod minus est, vt ibi latè probat. Cùm ergo vouens virginitatem dubitet ad quid se intenderit obligare, & minus sit obligari ad abstinendum à primo tantùm coitu tollente virginitatem, quàm ad abstinendum perpetuò, videtur talis obligandus solùm ad illud primum quod est minus, non ad hoc secundum, quod est maius, vel tutius. Videtur etiam probari ex ipso Sanchez 4 *Decalog. cap.* 44. *num.* 3. *fin.* vbi ait quòd quando quis vouit virginitatem, & non meminit quomodo ex duobus supradictis, votum non est censendum reseruatum, sed posse dispensare Episcopum: ergo

à simi

à simili, vel in rei veritate potest cogitari quòd sit emissum pro prima tantùm vice. Addo quòd vota sunt accipienda secundùm quod verba sonant in significatione propria, & communi. At virgo propriè loquendo solùm significat illum qui primo coitu, vel nullo coitu amisit virginitatem: si verò primo coitu iam illam amisit, quantumcunque abstineat à venereis, non dicitur virgo, sed castus: ergo in significatione propria, vouens virginitatem, & dubitans quid intenderit, solùm videtur obligandus ad abstinentiam primi coitus. Addo quod ibidem addit Sanchez *ex dicto cap. ex parte*, videlicet, quod æquitas postulat, vt voluntariè oblata benigniùs exigantur. Et hoc votum est voluntariè oblatum: ergo benignè exigendum, vide *citat. num.* 33.

51 Non potest verò vouens virginitatem contrahere matrimonium, quia iam se impossibilitat ad seruandam virginitatem, ac proinde de illo iudicandum est sicut de vouente castitatem, de qua iam dicimus sequentia.

52 Si ligatus voto virginitatis, vel castitatis, vel non nubendi, & similibus quærat à viro docto, an matrimonium initum cum aliquo ex illis votis maneat validum? Aliqui censent debere virum doctum tacere, ne detur occasio peccandi sic quærenti. At veriùs respondet Sanchez 7. *de matrim. disput.* 11. *num.* 12. primò teneri interrogatum exaggerare grauissimum id esse peccatum, sempérque sperari malos euentus: hoc verò præmittens non peccabit detegendo veritatem, ac dicendo fore validum. Tenetur tamen quoad poterit interrogantem à proposito diuertere.

53 Ligatus voto castitatis contrahens matri-

monium,non potest petere debitum,potest tamen reddere.Est communis,vide Azor.*tom.*1.*lib.*11.*cap.* 21.*quæst.* 3. At in primo bimestri reddens debitum primâ vice peccat mortaliter,quia in primo bimestri secundùm ius Canonicum coniux non tenetur reddere,etiamsi careat voto castitatis.

54 Qui post votum castitatis matrimonium iniit non tenetur ingredi Religionem vt castitatem seruet.Quia Religionis ingressum non vouit, nec pro illo voto seruãdo tenetur subire tantum onus, qualis est Religionis ingressus. Sanchez 9. *de matrim.disput.*34. *num.* 3. coniux verò reddere potest debitum alteri coniugi quem scit ligari voto castitatis,& malè petere, quia tunc non cooperatur peccato petentis. Est communis, vide Rodrig.2. *tom.Summ.cap.*9. *num.*4. cætera spectantia ad petitionem debiti inter coniuges, quorum alter, vel ambo ligantur voto castitatis pertinent ad materiam matrimonij.

55 Ligatus voto castitatis tenetur ex vi voti abstinere ab omnibus venereis,cogitatione,tactu,&c. Si verò aliquid horum commiserit,tenetur in confessione explicare circumstantiam voti. Item si ligatus voto castitatis matrimonium contraxit,finito matrimonio superuiuat, non potest inire aliud matrimonium, sed tenetur seruare votum antiquum: & hoc verum habet,licet durante matrimonio cum illo dispensatum sit ab habente potestatem,vt posset petere debitum. Nam illa dispensatio non extinguit votum, neque est dispensatio voti: sed dispensatio circa solam petitionem debiti: in voto enim castitatis solus Papa dispensat.

56 Votum de assumendo Ordine sacro, impedit

dit ne contrahatur matrimonium. At si ineatur, non obligat ad ingressum Religionis, iuxta dicta *num.* 54. & illo inito potest petere, ac reddere debitum etiam priori bimestri. Sanchez 9. *de matrim. disput.* 33. *num.* 15. Et idem à fortiori erit dicendum de voto non nubendi, solùm enim prohibet nubere, non verò reliqua.

DE IRRITATIONE VOTI.

ADDITIO.

57 PRælatus cùm habeat potestatem dominatiuam supra subditum, potest omnia vota illius irritare, ipso subdito inuito. Dispensare verò, vel commutare non potest inuito subdito. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de Voto lib.* 6. *cap.* 1. *ad finem.* Eodem modo dominus potest irritare vota seruorum, qui subduntur illi omnimoda potestate loquendo de votis, quæ domino præiudicant: non verò sic potest irritare vota famulorum, qui non plenè subduntur dominorum potestati. Possunt tamen domini famulorum prædictorum vota suspendere, si suo obsequio præiudicent, quæ suspensio non est irritatio, neque tollit votum omnino, sed ad tempus. Suarez *cit. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 6. & in rigore respectu famulorum non dicuntur dominus, sed paterfamilias. Parentes verò possunt irritare omnia vota personalia, & realia filiorum intra pubertatem, de quo latiùs agere spectat ad materiam de voto.

58 Si aliquis extra Religionem promittat vota in manibus alicuius Prælati, modo iam supra exposito *num.* 48. obligatur votis modo ibi dicto: sed

Prælatus

Prælatus ille non poterit irritare illa vota, cùm per illam promissionem non acquirat Prælatus iurisdictionem dominatiuam circa promittentem, neque possit illius trãsgressionem punire. Vasquez 1. 2. *quæst.* 96. *artic.* 4. *disput.* 165. *cap.* 4. *num.* 25. Si quis verò facilis, & procliuis ad vouendum etiam temerariè, protestaretur coram Deo se nolle suis votis obligari, nisi annuente confessario, vel aliquo viro docto, talis confessarius, vel vir doctus posset illa vota irritare; quia illa vota non obligarunt vltra intentionem vouentis. Suar. *cit. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 8.

59 Potest Prælatus Religionis omnia vota simplicia subditi irritare postquam facta sunt, & præterea idem potest antequam fiant, dicendo, nolo quòd aliquod votum emittas: quòd si emiseris, ex tunc illa irrito, Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de Voto lib.* 3. *cap.* 15. & Sanchez 4. *Decalog. cap.* 24. *num.* 19. Hæc autem omnia quæ diximus de irritatione votorum Prælati erga subditos, non possunt facere Episcopi in votis suorum subditorum etiam si sint Clerici, quia non habent potestatem dominatiuam propriam super illos.

60 Possunt Prælati Regulares delegare alicui subdito non Prælato vt possit irritare vota subditorum talis Prælati. Sicut enim potest illi subdito non Prælato delegare potestatem ad dispensandum, & commutandum: ita potest illi committere vt irritet suo nomine vota suorum subditorum. Sanchez 4. *Decalog. cap.* 24. *num.* 54 citans Leonard. & Suarez.

61 Subditus potest vouere omnia illa, quæ regula non contradicit, neque Superior prohibuit, nec subditum impediunt ab obsequio Religionis:

&

& talia vota ſtatim ligant donec Superior non contradicat: eſt communis, & omnino certa, Rodrig. *tom. Summ. cap. 39. num. 3.* & alij. Vide quæ dixi ſupra de Votis ſimplicibus Religioſorum *à num. 26.* Si verò Religioſus voueat rem expreſsè prohibitam à Prælato, votum eſt nullum, vt iam ſuprà diximus. Quod idem ſentit Sanchez 4. *Decalog. cap. 25. num. 10.* Si fiat votum de re prohibita in regula, etiamſi non prohibeat ſub peccato, vel quia res non eſt mala de ſe, ſed ſolùm prohibita. Credit, inquam, etiam hoc votum eſſe nullum. Quia melius eſt conformari regulæ, quàm petere relaxationem regulæ à Prælato.

62 Si Prælatus dedit ſubdito licentiam ad aliquid vouendum, & ſubditus vouit, ſed tamen nondum votum impleuit, poteſt nihilominus Prælatus Religionis illud votum de ſua licentia emiſſum, irritare. Nam per illam conceſſionem vouendi non abdicauit à ſe poteſtatem irritandi, & idem dicendum de viro circa vota vxoris facta ex licentia viri. Sà *in Aphoriſ. verb. Voti irritatio. num. 2.* Sayro *Clau. Reg. lib. cap. 10. num. 12.* & alij ferè communiter. Idque verum habet etiamſi talia vota fiant ſoluenda pro tempore quo vouens erit plenæ libertatis ſiue etiam dicat Prælatus Regularis ſe illi concedere licentiam irreuocabilem: nam adhuc poterit reuocare: quia neque per illa verba abdicauit à ſe dominium ſupra voluntatem ſubditi.

63 De voto autem, ſeu promiſſione humana facta ex licentia Prælati, dubitas, verbi gratia, promiſit ſubditus de licentia Prælati alicui homini ſe facturum rem certam: an poſſit Prælatus ante impletam promiſſionem, illam irritare? Aragon. 2. 2. *quæſt. 88.*

Digitized by Google

*quæst.*88.*art.*8.*fol.*1020.& Leonard. *lib.*2.*de Iust.cap.* 40.*dubio* 10. *num.* 75. *ad secundum:*dicunt posse reuocare, etiam absque causa, licet reuocans sine causa, peccabit. At meliùs Suarez *tom.*2.*de Religion. lib.*6.*de Voto cap.*8.*num.*3.& Sanchez 4. *Decalog.cap.* 27.*num.*23.dicunt non posse. Addit Suarez, neque Prælatum Superiorem illius posse reuocare. Ratio est,quia firmitas contractuum humanorum petit, vt consentiente Superiore potente consentire,talis firmitas sit perpetua,& irreuocabilis.Si tamen Superior prohibeat subditum, tunc subditus non peccabit non implendo quidquid sit de peccato Prælati indebitè prohibentis.

64 Prælatus æqualis succedens illi, qui licentiam dedit subdito aliquid vouendi, si reuocet licentiam, ante impletionem voti, potest illud irritare. Probatur, quia par in parem potestatem non habet, nec Prælatus præcedens potest ligare manus Superioris succedentis æqualis *cap. innotuit de Electione.* Cùm ergo Prælatus successor sit æqualis in iurisdictione, vt supponimus, poterit facere hoc, quod antecessor poterat ex supradictis.

65 Si Religiosus sit factus Episcopus, vel aliqua quæcunque persona exempta: item si eiiciatur iustè à Religione in perpetuum, non potest Prælatus irritare istorum vota, quæ ante emiserunt in Religione. Probatur, quia isti iam positi sunt extra iurisdictionem dominatiuam Prælati vt patet, ergo illorum vota non possunt irritare, vel dispensare. Si verò eiectus ab Ordine redeat ad illum, tunc poterit irritare, ac dispensare, quia iterum subditur potestati dominatiuæ. At si Episcopus renuntiet dignitati,

&

& redeat ad Ordinem, nunquam ſubditur poteſtati dominatiuæ Ordinis: & proinde illius vota nec diſpenſare poterit Prælatus Religionis. Vide Sánchez 4. *Decal. cap.*30. *à num.* 21. *vſque ad* 27.

66 Vota nouitij emiſſa ante ingreſſum Ordinis, vel in nouitiatu quando per profeſſionem extincta non ſunt, poſſunt poſtea irritari à Prælato poſt profeſſionem, ac ſi emiſſa eſſent poſt profeſſionẽ: Sylueſt. *votum* 4. *q.*7. *dicto* 3. vide quæ dixi ſuprà *ver. Vota nouitij num.* 18. & 19. & præcipuè *ibidem ver. Votum, num.* 1.

67 Non poteſt Prælatus irritare votum ſubditi, de tranſeundo ad ſtrictiorem ordinem. Nam cùm Ius Canonicum *cap. licet de Regularib.* cõcedat cuiuis Religioſo, vt petita, etiam non obtenta licentia, poſſit hunc trãſitum facere, iam manet adempta facultas Prælato Regulari diſpenſandi, vel irritandi illud quod Ius Canonicũ concedit, & ratũ habet. Eſt cõmunis maximè Nauar. *lib.* 3. *Conſiliorum tit. de Voto, conſil.* 30. *num.* 2. Sayro *Clau. Reg. lib.* 6. *cap.* 10. *num* 9. & aliorum. Si verò Religio in qua viuit Religioſus, habeat particulare priuilegium, vt ex illa non liceat tranſire ad aliam abſque expreſſa, & obtenta licentia Superiorum, vt habent aliquæ Religiones, tunc votum de tali tranſitu erit nullum, neque indigebit irritatione, pro quo vide quæ dixi ſufficienter ſuprà, *ver. Tranſire ad alium Ordinem, à n.* 10. *& ſeqq.*

68 Non poſſunt Prælati irritare aliqua vota, quæ in aliquibus Religionibus emittuntur ſimul cum tribus ſolemnibus, & dicitur quartũ votum: quemadmodum PP. Minimi promittunt toto anno cibum quadrageſimalẽ, & alij promittunt obedire ſi mittantur ad longiſſimam nauigationem

Indiæ

Indiæ pro conuerſione fidelium, & ſic de cæteris. Nam hæc vota ſunt emiſſa per Conſtitutiones Generales approbatas à Summ. Pontifice. Et ex conſequenti dici poſſunt vota ſolemnia, quia eadem ſolemnitate emittuntur, & acceptantur atque alia tria ſolemnia. Bene tamen poterit Prælatus irritare votum quod fecit ſubditus de exequendo aliquo conſilio Euangelij, vt de danda eleemoſyna, de parcendo, & orando pro inimicis: & ſimilibus. Item, poteſt irritare votum emiſſum à ſubdito de non violando aliquo præcepto Decalogi, vt de non fornicando, de non furando. Quia in his diſpenſans, ſeu hæc irritans non diſpenſat in præcepto Decalogi: ſed ſolùm tollit maiorem obligationem quam ſubditus ſibi impoſuit de illo ſeruando, quod poteſt facere propter omnimodam dominationem, quam habet ſupra voluntatem ſubditi. Vide Sylueſt. *votum* 3. *quæſt* 3. Durand. *in* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 1. *num.* 7. & Tabiepa *votum* 5. *quæſt.* 4. *num.* 5. & alios dicentes, nullum votum ſimplex eſſe firmum in ſubdito abſque voluntate Prælati. Vnde colliges poſſe etiam Prælatum irritare votum quod fecit ſubditus de ſeruando aliquo præcepto contento in ſua regula, quamuis illud præceptum regulæ obliget ſub mortali, vt ſi Minorita fecit votum ſimplex de non equitando abſque neceſſitate: poterit Prælatus in hoc caſu tale votum irritare; quia ſic irritando non irritat præceptum regulæ, neque in illo diſpenſat, vt proximè diximus de Religioſo vouente non violaturum præceptum Decalogi.

69 Vota Religioſorum poſſunt irritare non ſolùm Prælati conuentuales, & illorum Superiores, qui ſunt ordinarij, ſed etiam Viſitatores Prouin-

Digitized by Google

ciarum, quia præsunt toti Prouinciæ, & habent plenam potestatem delegatam in regimine illius. Secus si illis quoad aliqua potestas fuisset adempta: hæc enim excepta non poterunt.

70 Nouitiorum vota non possunt Prælati irritare, quia nouitij voluntas nondum est subiecta plenæ dominationi Prælatorum. Est communis Nauarr. *in Sum. cap.* 12. *num.* 65. Lopez 1. *part. Instruct. cap.* 46. *col.* 1. siue hæc vota emiserint ante ingressum, siue in nouitiatu. Secus si post professionem illorum recordentur. Possunt tamen Religiosi Prælati suspendere vota nouitij, si sint personalia, & impediant Religionis obsequia, & sic suspensa non obligabunt, donec in professione commutentur, vel extinguantur. Est etiam communis opinio. Dixi, *si impediant*, quia si non impediunt non poterunt. Dixi etiam *personalia*, quia vota realia vt de danda eleemosyna suæ substantiæ, vel quid simile etiam non poterunt, quia quoad hoc nondum sunt subditi illius Prælati: vide Lop. *citat. cap.* & Sayro *Clau. Reg. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 15.

71 Pater nouitius in Religione potest irritare vota filij sæcularis impuberis, vel vota realia filij puberis. Vel è contra, pater sæcularis potest irritare vota filij nouitij. Probatur quia quamdiu pater non est professus, non amisit paternum ius, ac potestatiuam dominationem supra filium, vt patet. Nec filius nouitius exemptus est à patris dominio, cùm adhuc sub Prælati dominio non sit positus. Secus dicendum, si pater, vel filius iam sit professus, tunc enim non poterit irritare ob rationem contrariam. Bene autem notat Sanchez 4. *Decalog. capit.* 35. *num.* 50. *& sequentibus*, quòd si pater professus post professionem eiiciatur ab Ordine non pote-

rit vota filij irritare quia patriam poteſtatem perdidit in profeſſione, neque illam per eiectionem recuperat. Idémque dicendum de filio profeſſo eiecto ab Ordine ob eandem cauſam, qui non redit ad poteſtatem patriam.

VOTI DISPENSATIO.

ADDITIO.

72 PRælati Regulares non ſolùm Superiores, ſed etiam Conuentuales, imò & Præſidentes illorum, quando in abſentia localium Prælatorum habent totam curam Conuentus, poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis reſpectiuè, in votis ad quæ habent iuriſdictionem conſuetam. Hi verò vltimi Præſidentes id non poſſunt, quando ſunt præſentes locales Prælati Sayro *Clau. Reg. cap.* 11. *num.*89. Azor. *tom. lib.* 11. *cap.* 13. *q.* 4. *& lib.* 7. *cap.* 29 *quæſt.* 6.

73 Si ſubditus, ſeu Religioſus iam ſit exemptus à poteſtate Prælati, vt quia eſt factus Epiſcopus vel eiectus ab Ordine, vel exiſtens in triremibus, non poſſunt Prælati Regulares cum illis diſpenſare, quia iam non ſubduntur ſpirituali iuriſdictioni Prælati. Secus ſi prædicti redeant ad antiquam obedientiam Prælati. Hinc conſtat quod dixi ſuprà poſſe, ac debere Prælatum quando expellit aliquem à Religione antequam illi notificet, ſententiam repudij diſpenſare cum illo in cenſuris, & aliis pœnis, quibus poteſt diſpenſare, ne poſtea miſer nimis grauetur quærendo illarum abſolutionem, & diſpenſationem: quòd ſi Prælatus hoc non faciat ante lectam ſententiam, id non poterit facere

facere poſt illam intimatam, quia iam non manet ſubditus illius. Sed poſtea debet cum illis diſpenſare Epiſcopus.

74 Poſſunt Prælati diſpenſare, & commutare vota ſuorum nouitiorum. Nauarr. *in Sum. cap.* 12. *num.* 65. Nam nouitius gaudet priuilegiis profeſſorum, & tradit Molina *tom.* 2. *de Iuſt. diſp.* 139. *col.* 3. Henriq. *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 22. *nu.* 7. & alij, vt Rodrig. *tom.* 1. *qq. q.* 25. *art.* 8.

75 Solus Papa cum ſæcularibus diſpenſat in his quinque votis: Religionis, Caſtitatis Peregrinationis Romanæ ad limina Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Hieroſolymitanæ (quod vocatur Vltramarinum) & Diui Iacobi ad Compoſtellam. Habetur ex *Extrauagan. & ſi Dominici La ſegunda de Pœnit. & remiſſion.* & eſt communis Doctorum. Ex his quinque votis duo priora, Religionis, & caſtitatis nunquã conceditur diſpenſatio, niſi exprimatur etiam in Inbileo magno: imò & in illo ſemper excipiuntur. Cætera tria vota peregrinationũ dicunt aliqui, quòd ſi in conceſſione generali diſpẽſandi non excipiantur, in ea cenſenda ſunt includi. At Sanchez 4. *Decalog. ca.* 40. *nu.* 16. tenet quòd ſi in conceſſione generali, vt Cruciatæ, nõ exprimãtur, non intelligitur concedi illorum diſpenſatio, & ita tenet Suarez *tom.* 2. *de Religion. tract. de Voto l.* 6. *cap.* 25. *num.* 4. *Nam in citata extrauagant. & ſi Dominici*, omnia illa quinque vota æquiparantur, vt indigeãt ſpeciali Pontificis licentia, vt commutentur, vel in eis diſpenſetur. Sed tamen ipſe Sanchez infrà *nu.* 19. concedit clarè, ſi Papa in Cruciata, vel alia generali conceſſione concedat diſpenſare in omnibus votis reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, excepto voto caſtitatis & Religionis, cenſentur con-

ceſſa alia tria Peregrinationis: ita enim praxis obſeruat:& conſtat ex dicto communi, quòd exceptio firmat Regulam.Imò addit *num.*17.quòd ſi Papa concedat omnia vota reſeruata, ſine limitatione, tunc omnia illa quinque reſeruata concedũtur.Sed hoc nuſquam facit in Bulla publica.

76 Dixi ſuprà ex Miranda,& aliis, *hoc ver. num.* 41.poſſe Prælatos illa tria vota Peregrinationis erga ſubditos irritare, non verò diſpenſare. Nunc addo peregrinationem quam ibi dixi ad domum B.Virginis Lauretanæ, etiam reſeruari cum tribus prædictis,non eſſe certum quòd ſit reſeruatum, vt ait Sanchez 4.*Decalog.cap.*40.*num.*10. quia id non conſtat ex aliqua Bulla authentica. Addit *ibidem num.* 23. quòd hodie non viget excommunicatio lata contra Confeſſores diſpenſantes in aliquo voto ex illis quinque,ſicut aliqui exiſtimarunt. Nam Sixtus IIII. qui prædictam excommunicationem poſuit in *citata Extrauagan.*ſolùm excommunicat illos qui diſpenſarent in illis virtute alicuius conceſſionis factæ ab eod.Sixto IIII. Qui ergo hodie diſpenſaret in aliquo ex illis, non virtute alicuius conceſſionis eiuſdem Sixti IIII. peccaret ſi faceret ſcienter,& non valeret diſpenſatio;ſed non incurreret prædictam excommunicationem.

77 Poſſe Epiſcopum diſpenſare in illis quinque votis, vel quouis illorum, quando emiſſa ſunt ex metu etiam leui:& maximè in voto caſtitatis quãdo vrget periculum manifeſtum incontinentiæ, nec poteſt adiri Sum. Pontifex,tenet Rodrid. *in Bullar.Cruc.*§.9.*dubio* 1.*&* 1.*tom.Sum.capit.*243. *nu.* 14.& Sanchez 4.*Decalog.num.*3.& 33.Id verò quod dixi priori loco de voto aliquo iſtorum facto ex metu leui, intellige ſi talis metus ſit factus ad extor

torquendum votum. Si enim fiat ab intrinseco, vel à causa naturali, non poterit. Idem dicendum est de voto triplicis peregrinationis, si enim adsit necessitas morbi, vel paupertatis, & non possit Papa adiri, Episcopus dispensare potest, vt probat Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. disputat.* 9. *num.* 23.

78 Potest Episcopus dispensare in voto virginitatis si vouens clarè solùm intendit abstinere à prima vice tantùm, qua perditur virginitas: hoc enim non est absolutè votum castitatis. At non poterit, si vouens virginitatem intellexit in communi abstinere ab omni coitu in perpetuum, quia tunc est votum castitatis. Potest etiam Episcopus dispensare in voto non nubendi, & in voto non fornicandi, quia hæc non sunt vota castitatis. Sic Doctores communiter maximè Sayro *Clau. Regul. lib.* 6. *capit.* 1. *num.* 47. & alij. Potest item dispensare in voto assumendi Ordinis sacri, quia non est votum castitatis. Potest etiam Episcopus dispensare in modo illarum trium peregrinationum, vt scilicet non vadat mendicando, vel pedestris, vel nudis pedibus, qui sic promisit ire. Sanchez *citat. cap.* 4. *num.* 68. & alij: nam hoc non est dispensare in voto reseruato, sed in qualitate illius. Idem potest dispensare in voto emisso de non petenda dispensatione nisi à Papa, dummodò votum sit de materia non reseruata.

79 Omnia vota quæ possunt Episcopi dispensare cum suis subditis posita in *duobus numeris præcedentibus*, possunt etiam dispensare Prælati Regulares cum suis subditis. Hanc latè probat Sanchez *4. Decalog. cap.* 39. *num.* 4. citans multos: & ratio est, quia erga subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem, imò & in aliquibus habent plura

priuilegia quàm Episcopi.

80 Possunt etiam Prælati dispensare cum subditis in voto transeundi ad strictiorem Religionem: licèt non possint eiusmodi votum irritare. Est enim diuersa ratio in dispensatione, & irritatione. Rodrig. *tom.* 2. *Sum. cap.* 89. *num.* 4. Henriq. *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 22. *num.* 7. Possunt etiam dispensare in voto emisso cum sua licentia, licèt controuersum sit an hoc sic emissum de sua licentia possint irritare. Angelus *votum* 4. *nu.* 8. Sylvest. *votum*, 4. *quæst.* 3. *num.* 9. Aragon 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. Potest etiam Prælatus inferior dispensare in voto emisso de licentia Superioris, licèt illud non possit irritare. Suarez *tom.* 2. *de Religione, libr.* 6. *de voto, cap.* 1. *numer.* 18. Potest item dispensare in voto quo promisit Religiosus non se commissurum aliquod peccatum mortale, quia hoc votum non est reseruatũ.

81 De potestate verò concessa Religiosis circa dispensationem voti circa sæculares, maior dubitatio est, quia materia magis ampla. Ego suprà *ver. Confessor, erga sæculares,* & *verb. dispensatio voti,* dixi aliqua circa hanc materiam, quæ possent sufficere. Nunc addo. Posse Religiosos ex suis priuilegiis dispensare cum sæcularibus in votis Papæ reseruatis, quoties Episcopi in illis dispensant ratione alicuius circumstantiæ occurrentis, quæ efficiat ea deficere à ratione voti reseruati, seu à materia illius. Quæ verò ista sint, vide suprà *num.* 77. & 78. sicut enim diximus *num.* 79. posse Prælatos Ordinum potestate ordinaria circa vota subditorum, quidquid potest Episcopis circa vota suorũm subditorum. Pari modo; Idem possunt in votis sæcularium ex potestate delegata per duos Summ. Pontifices. Primus fuit Innocent. VIII. qui id concessit Mendicantibus, exceptis votis

Digitized by Google

duarum dietarum id est, viginti leucarum) etiam si sint reseruata Episcopis. Secundus fuit Martinus V. quæ refert Sanchez 4. *Decalog.cap.* 43. *num.* 4. & probat late *ibi num.* 7. Sed declarat Sanchez *citat.num.* 7. id non posse Prælatos vel Religiosos quando illæ circumstantiæ occurrentes non efficiunt, vt materia desinat esse verè reseruata, sed sola necessitas non adeundi Papæ cogit dispensare Episcopum, verbi gratia, in voto castitatis, & periculo manifestæ incontinentiæ, nec data occasione adeundi Pontificem, in hon non poterunt Religiosi dispensare, quia semper manet materia reseruata: & Episcopus in his non dispensat, vt Episcopus, sed ex tacita delegatione Papæ, vt etiam dispensat in impedimento dirimendi matrimonij iam contracti, vt iterum contrahatur, si detur periculum incontinentiæ, nec potest adiri Papa. In hoc, inquam, non possunt dispensare Religiosi. Sed in aliis in quibus circumstantiæ faciunt, vt materia non sit reseruata: vt in voto virginitatis, modo suprà expositio, in voto non nubendi, & similibus dictis *in duobus numeris suprà citatis.* Vide quæ suprà diximus *his addit. ver. Confessor.*

82 Si Prælatus dispensat potestate ordinaria, & sit dubiũ an talis potestas se extendat ad hunc casum, potest dispẽsare facta dicta diligẽtia, id est, cũ subdito in quo dispẽsat potestate ordinaria. Ratio est, quia potestas dispensandi est amplè interpretãda, vt latè probat Sanc. 8. *de Matrim. disp. 2. nu.* Et idem dicendũ est de potestate delegata quando dispẽsat cũ sæculari. Hoc intellige si solùm sit dubiũ iuris, verbi gratia, cõstat de voto emisso, sũt tamẽ opiniones an hic casus sit reseruat⁹, & tũc potest dispẽsare, quia tũc casus nõ cẽsetur reseruatus. quãdo verò est dubiũ facti, vt quia cõstat se vouisse, sed dubitat

an fuerit peregrinatio reſeruata, vt Compoſtellæ, vel vouit virginitatem, ſed neſcit an abſolutè, an prima tantùm vice, in his caſibus non cenſetur in rigore votum reſeruatum, quando eſt dubium pro vtraque parte, neque ex verbis, neque ex mente poſſumus veritatem coniicere, & proinde poterit in vtroque diſpenſare. Vide quæ ſuprà dixi *num.* 5.

83 Si Prælatus dubitet an ſit vera cauſa, vt poſſit diſpenſare, & tamen diſpenſat, diſpenſatus manet tutus in conſcientia, Sayro *Clau. Regul. lib. 4. capit. 2. num* 25. Sà *in Aphoriſ. ver. votum, num.* 20. vbi agit de irritat. voti. Ipſe verò Prælatus diſpenſans, ſi id faciat temeré abſque examine cauſæ, peccat mortaliter, quia eſt negligentia in materia graui. Si verò adhibeat moralem diligentiam, & adhuc dubitet, non erit peccatum mortale, ſi deponat dubium practicum. Quia in illo dubio eſt inclinandum in partem benigniorem, & credendum eſt Superiores, & Eccleſiam matrem in tali dubio id concedere. Sylueſtr. *verb. Diſpenſatio, quæſt.* 14. *num.* 20. *in fine*, vbi expreſsè agit de Prælatis Regularibus, & Pallatius *in* 4. *diſputat.* 38. *diſputat.* 3.

84 Quæ verò ſit cauſa iuſta diſpenſandi in votis dixi ſufficienter ſuprà *hoc eod. verb. votum, & verbo diſpenſare.* Denuò dico non poſſe in hoc certam Regulam præſcribi pro tanta varietate vororum in tot materiis. Sed regula ſolùm eſt viri prudentis arbitrium, qui debet conſiderare perſonam, tempus, materiam voti, &c. occurrentes circumſtantias. Vltra verò cauſas generales, quas dixi ſuprà poſſe efficere cauſam iuſtam diſpenſationis, poſſunt per ſummam notari hæc ſequentia.

85 Prima maior cauſa requiritur ad diſpenſandum in voto quàm in lege humana. Secunda, quo votum

votum est maius,eo requirit maiorem causam dispensandi. Tertia, minor causa requiritur in votis pœnalibus,quàm in votis absolutis, quia pœnalia sunt minùs voluntaria.Quarta,si cum dispensatione admiscetur aliqua commutatio requiritur minor causa,quia non omnino tollitur materia voti. Quinta, ex eo quòd votum sit iuramento confirmatum,probabile est non requirere maiorem causam, quàm si non esset iuratum, quia reputatur idem, seu vnum tantùm vinculum. Sexta, votum factum ex imperfecta deliberatione,habet causam vt dispensetur cum minore causa, quia fuit minùs voluntarium.Septima,si sint vota facta cum nimia leuitate,quod ferè in idem recidit : & maximè videre licet in votis impuberum, maximè quando malitia non supplet ætatem.Octaua, vota facta in naufragio,vel simili necessitate naturali,si constet non adfuisse plenam deliberationem, faciliùs dispensantur : Secus si constet adfuisse plenam deliberationem, quia tunc difficiliùs dispensabuntur. Nona, si metus incussus sit ad extorquendum votum,& metus sit cadens in virum constantem,votum est nullum, & non indiget dispensatione. Si verò metus ad illud extorquendum sit leuis, validum est votum,sed est causa dispensandi. Decimò, si votum factum fuit ex dolo, quia scilicet vouenti dictum est aliquid falsum, vt quòd pater, vel vxor essent defuncti, habet iustam causam dispensandi.Vndecima, si ex dispensatione voti speratur maior vtilitas spiritualis vouentis. Duodecima, quando est dubium,si vouerit.Decimatertia,quando est moralis certitudo ruinæ, vel ex difficultate materiæ promissæ, vel ex complexione vouentis. Decimaquarta,ex difficultate magna superuenien-

te ipsi voti. Decimaquinta, si vouens inquietur multis scrupulis, ita vt implere votum illi valdè noceat, illumque inquietet, intellige quando scrupuli, & inquietùdo nascuntur ex impletione voti. Decimasexta, si vouenti Religionem superueniat morbus continuus vnde salus desperetur. Decimaseptima, vehemens ludendi desiderium tantùm, non est causa dispensandi in voto non ludendi si vincatur. Secus si habet experientiam quando sæpiùs violat illud votum. Sed sanum consilium est securitatis gratia semper in his dispensationibus admiscere aliquam commutationem, iniungendo aliquid minus dispensato, quod exequatur. Prædicta omnia, & alia inuenies apud Sayr. *Clau. Reg. li. 6. cap.* 12. & Azor. *tom.* 1. *cap.* 19. *lib.* 11. *& alios.*

86 Aduertunt verò citati Doctores, & nos diximus suprà quòd vt dispensatio voti sit valida explicanda est voti materia in particulari, & causa quæ facit pro dispensatione: idémque faciendum pro commutatione voti obtinenda; aliàs non valebit dispensatio si taceatur verum, vel narretur falsum. Quæ verò taciturnitas veri, & falsi narratio reddant dispensationem nullam, pertinet ad alium locum in materia de voto, & de Matrimonio, quando petitur à Papa dispensatio in impedimento matrimonij. Vbi agitur de causa impulsiua, & finali concurrentibus in voto. Mihi pro Regularibus sufficiat dicere, quòd tenentur Superiori dispensaturo, vel commutaturo verè, & planè declarare voti materiam, & causas ob quas dispensationem, vel commutationem petunt. Qui verò prædictam materiam dispensationum, & de veritate in illa narranda, videre voluerit, legat Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. tot. disputat.* 21. *&* 4. *Decalog.*

*log.toto cap.*47.& alios,in quo *cap.*47.dicit, id quod iam dixi ſuprà *num.*53.Videlicet quòd ad irritationem vororum non requiritur quòd ſubditus dicat qualitatem voti irritandi, vel cauſam illius : quia irritatio voti nihil aliud requirit quàm voluntatem Superioris irritantis. Imò addit quòd Superior ignarus voti ſubditi, ſi ſub conditione dicat, irrito votum,ſi quod habes manebit irritum,etiam ſi votum ſit internum. Ego tamen credo quòd Prælatus id faciens non cognito voto peccabit: quia non eſt dominus abſolutus tollendæ obligationis factæ Deo non cognita cauſa. At ſubditus manebit tutus in conſcientia,vt in caſu ferè ſimili ſuprà diximus de diſpenſatione,quando non conſtat à parte rei defuiſſe cauſam.

87 Addit Sanchez *citato cap.* 47. omnino declarandum eſſe in petitione diſpenſationis circa votum religionis,an ſolùm vouerit ingreſſum illius, vel etiam vouerit perſeuerantiam in illa.Item declarandum eſſe ſi ſit votum factum in fauorem tertij,& ſic de aliis circumſtantiis grauibus, & neceſſariis.

VOTI COMMVTATIO.

ADDITIO.

88 VT votum commutetur in melius euidenter non eſt neceſſaria Prælati authoritas. Ita omnes communiter ſentiunt. Vt verò commutetur in æquale cognitum,datur opinio pro vtraque parte: probabilior dicit,non poſſe fieri propria authoritate ſed requiri authoritatem Prælati : Tertiò ſi commutatio fieri debeat cũ du-

Digitized by Google

bio an sit in æquale manente formidine, an fiat in æquale, tunc non potest fieri, & hoc tertium est communis opinio: solùm enim dubitant Doctores an liceat fieri commutatio propria authoritate in æquale cognitum absque formidine. Ita Valentia 2.2.*quæst.*6.*disputat.punct.*6. Sayro *Clau.Reg.lib.*6. *ca.* 12.*num.*5. & hoc de commutatione voti in dubio si sit in æquale, vel si adsit formido, etiam intelligo nec fieri posse ab ipso Prælato commutante.

89 Promittens eleemosynam certo pauperi, si ipse acceptauit, non potest promittens illam dare alteri pauperiori, quia commutauit votum factum in præiudicium tertij. Si verò pauper prior nondum acceptauit, neque de voto nouit, possum dare alteri pauperiori, quia tunc commuto votum in euidenter melius. Idem dices de illo qui promisit calicem Ecclesiæ alicui: si enim nondum illa Ecclesia nec procurator illius acceptauit, potest quis authoritate propria dare alteri Ecclesiæ pauperiori: quia tunc commutat votum in melius: Si verò iam acceptauit procurator Ecclesiæ, vel alter suo nomine, iam non potest commutare in præiudicium tertij. Si verò Ecclesia cui promisi nondum acceptauit, an possim propria authoritate donare calicem alteri Ecclesiæ æquè pauperi, tunc curret opinio dicentium an possit quis propria authoritate votum commutare in æquale cognitum, propria authoritate. Et iuxta id quod dixi *num. præcedente*, securiùs est vt petatur licentia ab Episcopo, vel à potente commutare: Ita Vega.2.*part. Sum. ver. votum.casu* 115. referens multos dicentes tutiùs esse id fieri per Episcopum, quando Ecclesia est æquè pauper.

90 Non est opus vt commutans votum mathematicè

maticè commutet in materiam æqualem: res enim moralis non est mensuranda mathematicè. Quare si dubium sit an materia in quam commutat sit æqualis, potest commutare, dummodò non sibi certò constet quòd si minor. Nam in moralibus non potest maior certitudo expectari. Sayr. *Clau. Regul. lib. 6. cap. 12. num. 19.* & cæteri communiter.

91 Quoties Prælatus debet commutare votum subditi indiget causa iusta. Probatur, quia cùm id non faciat potestate dominatiua, sed spirituali à Christo Domino tradita, ista committitur illi tanquam fideli, & prudenti seruo dispensanti res Christi Domini, quæ prudentia requirit causam. Colligitur ex Diuo Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. Hæc tamen commutatio si fiat per Iubileum, vel Bullam Cruciatæ, non requirit aliam causam quàm assignatam iam à Summo Pontifice: quæ sunt subsidium belli, vel illius necessitatis ibi expressæ. Vnde Confessor commutans per Iubileum, vel Cruciatam non indiget examinare causam commutationis ex parte vouentis. Extra verò Iubileum & Cruciatam, illi qui commutant vota per potestatem delegatam, verbi gratia, per priuilegium Religionum, debent id facere cum causa.

92 Si vnus Confessor inueniat pœnitentem cui alius Confessor commutauit votum in rem minùs æqualem, & ambo Confessores sint viri docti, poterit vltimus Confessor quietari, & stare opinioni Confessoris prioris, qui fortè aliquam circumstantiam meliùs considerauit. Si verò secundus Confessor est vir doctus, & inuenit priorem Confessorem idiotam errasse omnino in commutatione: tenetur secundus Confessor aduertere pœnitentem, & facere commutationem secundùm regulas

supra

ſuprà traditas. Hoc intelligo,ſi ſit ſpes quòd pœnitens acquieſcat. Si enim intelligat prudens Confeſſor non acquieturum,& illum eſſe in bona fide,faciat quod conſulitur Confeſſori circa pœnitentem coniugem,de quo in confeſſione reperit contraxiſſe Matrimonium cum impedimento dirimenti, de quo moraliter loquendo non poteſt impetrare remedium, & dantur pericula ſolita, neque pœnitens debet acquieſcere : Tunc enim ſi eſt in bona fide,poteſt Confeſſor diſſimulare cum illo,& tacere. Et hoc idem dicendum ſi Confeſſor primus commutauit non habens facultatem,& ſic de cæteris poterit ſecundus Confeſſor ſupplere iniungendo ampliùs illud,quod defuit ad æqualitatem voti commutati.

63 Illi qui poteſtate ordinaria commutant vota,vt ſunt Prælati Regulares erga ſubditos, poſſunt illis commutare omnia illa vota, quæ cum illis poſſunt diſpenſare : idque etiam poſſunt circa vota ſæcularium, quæ poſſunt diſpenſare Religioſi,poſſunt etiam illa commutare. Vnde colliges non poſſe Religioſos per priuilegia ordinaria commutare illa quinque vota Papæ reſeruata,de quibus ſuprà,quia in illis non poſſunt diſpenſare. Idque intellige etiam ſi aliquod votum ex illis quinque commutare velit in aliquid euidenter melius. Nam ipſo facto, quòd Papæ ſunt reſeruata tollitur inferioribus omnis poteſtas illa commutanda Ita Sot. 7. *de Iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3. Suarez *tom.* 2. *de Legibus lib.* 6. *de voto, capitul.* 1. *num.* 17. Neque vnum reſeruatum ex illis quinque poteſt commutari in aliud reſeruatum ex eiſdem quinque,præterquam in votum Religionis. Suarez *citato num.* 18. Dixi *in ſolum votum Religionis poſſe alia quatuor*

reſerua

reſeruata commutari, quia ſic expreſsè habetur *cap. Scripturæ de voto.* Vbi dicitur non ſufficere tunc ſolùm commutari votum in ingreſſum Religionis, ſed ingreſſum cum effectu profeſſionis ſecutæ.

94 Votum ingrediendi Ordinem ſtrictiorem poteſt quis propria authoritate commutare in votum profitendi in ordine laxiori, quia hoc ſecundum magis obligat, & proinde eſt euidenter maius bonum, obligatur enim ad profitendum, quod non obligat primum.

95 Non poteſt Prælatus ſubdito inuito commutare votum. Nam cùm per commutationem tranſeat votum ad aliam materiam hanc ſecundam ſubrogatam non poteſt cogi ſubditus acceptare. Suarez *citato li.6.cap.num.*12. Secus de irritatione, vt iam ſuprà diximus.

96 Cui committitur poteſtas delegata ad diſpenſandum in votis, poteſt etiam illa commutare, ſecundùm probabilem ſatis opinionem, quam retuli ſuprà *ver votum numer.* 47. ex Sot. Henriquez, & aliis: licet alij non pauci, nec contemnendi dicant oppoſitum. At conſtat apud omnes communiter, quòd ſi alicui delegetur facultas ad commutandum, quòd iſte ex vi iſtius commiſſionis non poteſt in illis votis diſpenſare. Nam commutare eſt multò minùs: & diſpenſare eſt maius. Et hoc fulcitur illa regula iuris in 6. Cui licet quod plus eſt, licet vtique quod minus eſt. Non verò è contra.

97 Quando alicui committitur poteſtas commutandi, vel diſpenſandi in voto, poteſt etiam iuramentum commutare, quia cenſetur idem vinculum ſoli Deo exhibitum, atque illud quod reſultat ex voto. Sanchez *lib.8.de Matrimon.diſputat.* 2.

num.

numer. 18. & Sayro *lib. Clau. Regul. lib. capit.* 8. *num.* 9. Et è contra qui ex poteſtate delegata diſpenſat, vel commutat iuramẽta facta Deo, poteſt diſpenſare, vel commutare vota. Sanchez 4. *Decal. cap.* 53. *num.* 10. At ſi iuramentum ſit factum homini, & in fauorem illlus non poterit diſpenſare in præiudicium tertij, quia neque Papa per ſe hoc facere ſolet. Imò & ſi concedatur facultas ad commutanda vota iurata, non poterit commutare ſi ſit factum iuramentum in fauorem tertij. Quam conceſſionem circa vota iurata, conceſſam Patribus Societatis Ieſu adduxi ſuprà *ver. Confeſſor erga ſæculares*, illis factam à Paulo III. intelligitur verò prædicta conceſſio de ſolis votis iuratis Deo factis. Idque ſiue iuramentum fiat ſimul cum voto, ſiue fiat poſt votum ad illius confirmationem.

98 Quando in Iubileo, vel Cruciata conceditur commutatio ad vota non exprimendo iuramenta, poteſt etiam commutari iuramentum, ſiue ſit factum ſimul cum voto, ſiue poſtea ad votum confirmandum: Suarez *tom.* 1. *de Religionibus, lib.* 6. *de voto, cap.* 14. *num.* 19. quia tale iuramentum non mutat materiam voti. Vide Sayro *Clau. Reg. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 9. & Capucin. *Compend. verb. votum notab.* 5.

99 Iubileus, Cruciata, & priuilegia Ordinum de ordinatio non concedunt diſpenſationem voti, ſed ſolam commutationem: Et ex conſequenti per hæc tria vota ſæcularium non poſſunt diſpenſari, vt patet ex tenore ipſorum.

100 Non poſſunt Religioſi virtute ſuorum priuilegiorum, neque Cruciatæ, commutare iuramenta ſæcularium quæ fiunt circa illa quinque vota reſeruata, abſque voto: vt ſi quis iurauit ſe

iugreſſu

ingressurum Religionem, vel quid simile. Nam illæ concessiones solùm exprimunt circa vota, non verò circa iuramenta quando fiunt absque voto. Et Paulus III. in Concessione facta Societati IESV, sola illa iuramenta concessit quorum vota concessit: at non concessit vota illa quinque reseruata: Ergo neque iuramenta de materia illorum quinque votorum. Est enim idem vinculum iuramenti, ac voti: ac proinde si fiat iuramentum in materia reseruata, erit etiam iuramentum ipsum reseruatum. Sanchez 4. *Decalog. capitul.* 54. *num.* 21. *&* 22.

101 Durante Bulla, vel Iubileo possunt commutari vota in illis concessa toties quoties fuerint emissa, vt si durante Iubileo fuit mihi commutatum votum ibi reseruatum, & postea illud idem emisi, potest mihi secundò commutari Iubileo durante, & ita de concesso in Cruciata illa durante. Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 17. *num.* 3.

102 Si transacto Iubileo aliquis immemor voti reseruati, quod habebat, non petiuit commutationem illius, poterit illo transacto petere commutationem ab eodem, vel ab alio confessore. Ita Sayr. *Clau. Reg. lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 17. & Sanch. 4. *Decal. cap.* 54. *num.* 39. citans Henriq. Sà & Stunicam. Rationem assignat, quia sola opera pro indulgentia assequenda alligantur tempori: At pro absolutione à reseruatis, & pro votis acquirens iubileum assequitur priuilegium, vt absoluatur ab omnibus commissis vsque ad tempus Iubilei, & sic transacto Iubileo poterit vti hoc priuilegio. Et confirmat ibi ex verbis Iubilei. Hoc tamen non valebit in Cruciata, quia in illa exprimit Papa, finito anno non valere illius pruilegia.

103 Facultas conceſſa Religioſis ad commutanda vota ſæcularium,non limitatur,vt ſolùm commutent vota illorum qui ſunt illius Diœceſis in qua eſt Confeſſor,ſed extenditur ad omnes vndequaque venientes. Bulla enim Pauli III. non reſtringit,& priuilegia Mendicantium ſunt fauores, & proinde amplianda.

104 Si votum commutandum fuit iuratum,non proinde petit maiorem rem ſubrogari,id eſt,commutari in maius,ratione iuramenti,eſt enim vnum tantùm vinculum.Conſtat ex ſuprà dictis.

105 Denique pro commutando voto frequenti, videlicet peregrinationis,quæ ſint attendenda,ſeu computanda in illo commutando, vt omittam multa,dico per ſummam eſſe computanda ſequentia:Primò,labor ipſe itineris per ſe,abſque expenſis.Secundò,expenſæ faciendæ in itinere,tam eundo quàm redeundo,vt patet ex *cap.magnæ*, *de voto*, vbi iubentur computari vtriuſque itineris expenſæ.Et hæc eſt verior,& ſecurior ſententia : Et iſtæ expenſæ conſiderandæ ſunt iuxta qualitatem vouentis, ſi in propria perſona votum exequeretur. Tertiò, conſideranda ſunt itineris pericula, hæc enim omnia vouens,Deo obtulit: imò,& abſentia rerum ſuarum, & damnum inde illis ſubortum. Quartò,expenſæ faciendæ in loco vbi morabitur, vel debuit votum exequi. Et pro his omnibus computatis debet illi arbitrari eleemoſyna, vel opus quod illis æquiualeat. Ita communiter citati ſuprà Doctores,maximè Sanch.*lib.4.Decal.cap.56.à num.11.vſque ad 23*.Si verò vouit peregrinationem eundo mendicando, ſolùm tenetur computare labores,& pericula itineris. Neque oportet vt pecunia,vel eleemoſyna in quam commutatur, mit-

tatur

tatur ad illum locum, vel Ecclesiam, ad quam debuit peregrinari. At attendendum est, quod ex illa summa eleemosynæ subrogatæ, deducendæ sunt pro rata expēsæ quas domi erat facturus, has enim expensas non obtulit Deo. Vide Sayr. *citat. cap.* 12. *num.* 20. Vbi ait, quod si in itinere erat singulis diebus expensurus sex argenteos, & domi tres: soluet tantùm tres in commutatione. Et ibi ait posse etiã adhiberi ieiunia, orationes, & similia.

Cætera quoad vota Religiosorum, vide suprà, vbi sufficienter de illis dixi, qui verò his non fuerit contentus, videat integros libros de voto apud citatos Doctores. Et hæc omnia subiicio correctioni Ecclesiæ, & Doctorum.

VOX ACTIVA, & passiua.

1 NAuarr. *lib.* 1. *Consil. titulo de elect. consil.* 6. multis capitibus iuris explicat breuiter quid hoc significet, dicens; quòd taliter priuatus per Bullam Papæ, &c. non potest in Capitulo collegialiter iuncto, dare vocem aliquam ad vllum actum ibi tractatum in Capitulo; vnde nec potest dare suffragium pro Nouitio, neque ad aliquid minoris negotij. Secundò, quòd non potest passiuè in eodem Capitulo eligi, vel nominari, ad aliquid, quod sit honoris, & præeminentiæ: posse tamen ibi eligi, vel deputari ad illa, quæ sunt oneris, & pœnæ. Et citat pro hoc Cardinalem, &c.

2 Rigidior pœna est, quando quis priuatur actibus legitimis: hanc verò explicant Statuta Tolletana Generalia Minorum; quod inhabilitat ad omnia officia: & quòd talis non potest esse Diffi-

nitor, discretus ad Capitulum Generale, vel Prouinciale, Lector, Confessor, Magister Nouitiorum, neque eligere, neque eligi. Poterit verò taliter priuatus exercere Ordines sacros, vel illos recipere, si aliàs non impeditur aliqua censura.

3 Priuatio verò officiorum Ordinis in Ordine Minorum priuat, ne sit Generalis, Commissarius Generalis, Visitator, Prouincialis, Guardianus, Vicarius, Præses, & Confessor Monialium: cætera potest sic priuatus habere.

***

LAVS DEO.

FINIS.



Digitized by Google

INDEX ALPHABETICVS CONTENTORVM IN HOC OPERE.

A

Abbas, Prior, Guardianus, & ſimiles Superiores Conuentuales. fol. 1. Additio. fol. 5.

Abbatiſſa, Priorisſa. 12

An Monialis quæ fuit vidua poſſit eſſe Abbatiſſa. 15. Additio. 22

Abbatiſſa admittens ſæculares intra clauſuram. 27

Abbatiſſa vidua. 30

Abortus. 31. Addit. 40

Abſoluere. 44

Accuſatio. ibid.

Ædificare. ibid.

Alienare bona Eccleſiæ. 44. Addit. 46

Appellare. 48. Add. 50. Add. ad Add. 54

Altare. 64

Annus, dies, tempus. 66

Apoſtata. 70. Add. 72

B

Baptizare. 75

Benedicere. 76. Add. 78

Bona. 80. Add. 81

Bulla Cœnæ.84. Add. 85
Bulla Cruciatæ. ibid.

C

CAnonica portio.86. Add. 89
Cardinalium declarationes. 92
Carcer. 93
Casus reseruati.94. Add.101. Add.ad Add. 105
Cappellæ Monasteriorum. 107
Celebrare.Vide verb. Missa,& verb. Altare.
Clausura Monachorum.108. Add. 109
Clausura Monialium. 118
Egressus Monialium à Clausura.123. Add. 126
Cuius ætatis puellæ recipi possint in clausura Monialium. 129
Egressus Monialiũ à clausura.134. Add.ad Add. 136
Commissarius Prouinciæ.139. Add. 140
Communicare.Vide verb.Sacramenta.
Communicatio priuilegiorum. 142
Conceptio Deiparæ Mariæ. 147
Concilium Tridentinum. Vide in littera T, verb. Trid.
Confessor Regularis,eiúsque præsentatio. 156
Confessor erga Religiosos. 158
Confessor Regularis erga sæculares. 165
Confessor Regularis circa censuras, & irregularitates sæcularium.169. Add. 172
Confessor dispensans cum coniugatis ad petendum debitum. 177
Confessor regularis aperiens litteras Papæ ex commissione sui Generalis. 182
Conseruatores,& forma illos creandi. 196
Correctio Fratrum. 200
Correctio fraterna,& secreta. 201
Denunciatio. 202
Testis. 106

Digitized by Google

Exceptiones Teſtium. 210
Semiplena probatio. 212
Citatio rei. 213
Accuſatio. 215
Reus. *ibid.*
Iudex, ſententia, pœna. 218. *Add.* 220

D

Denunciatio. 224
Teſtis. 230
Reus. 233
Iudex. 238
Decimæ. 247
Diffinitores. 249
Diſpenſare. 250
Diſpenſatio. 254. *Add.* 259

E

Ecclesiæ Fratrum. 270
Eccleſiæ immunitas. 272. *Add.* 276
Eccleſiæ reconfirmandæ forma. 279
Eccleſiæ res non alienandæ. 285
Eiicere, ſeu expellere ab Ordine. 287. *Add.* 291
Electio, eligere. 298. *Add.* 306. *Add. ad Add.* 312
Eleemoſyna. 314
Epiſcopus. 315. *Add.* 319
Excommunicare. 326. *Add. Excommunicatio.* 329
De Excommunicatione lata à iure, vel ab homine. 337
Exemptio, & Additio. 343
Exerciſmus. 344

F

Falſarius. 245. *Add. ad Addit.* 350
Fama. *ibid.*
Famuli, ſeu familiares Fratrum. 351
Feſti dies. 352. *Add.* 355

Digitized by Google

G

Generalis Ordinis.357.Addit. 359
Guardianus.360.Addit. 361

H

Habitus.365.Addit.367.Addit.ad Addit. 369
Hæreditas. 370
Hæresis.372.Addit. 373
Communicatio cum hæreticis. 383
Homicidium. 387. de Homicidio voluntario.388. de casuali.398.ob defensionem vitæ. 406
De irregularitate Iudicis damnante ad mortem. 410
De irregularitate militum in bello iusto, vel iniusto. 412
Horæ Canonicæ.417.Addit.421.Add.ad Add. 426

I

Ieunium.428.Addit. 429
Ignorantia,& inaduertentia. 435
Illegitimus,vel legitimus.453.Addit. 457
Impetrare indulta absque licentia. 458
Indulgentia. 459
Circa Indulgentias,& Iubileum,alia.465.Add. 470
Pro Iubileo & Indulgentia. 484
Inhabilitas. 488
Interdictum, & omnia ad illum pertinentia,per titulos varios,ac distinctos. 492.vsque ad 524
Inuocare brachium sæculare. 524
Irregularitas 525.Addit. ibid.
De ablatione Irregularitatis. 538
Itinerantes Fratres. 540
Iudæi,Hæretici,Sarraceni. 541
Iuramentum.541.Addit. 542

L

Laborare. 567.Addit. ibid.
Laici Fratres. 568

Legatum. ibid. Addit. 570
Lex, siue Leges. 574. *Add.* 579
Librorum prohibitio, seu impressio. 590. *Add.* 593
Libellus famosus. 601
Licentia. 608. *Add.* 609
Literæ, vel Epistolæ. 612. *Add.* 613
Ludus, seu ludere. 619

M

MAnus *violentæ.* 621. *Add.* 627
Matrimonium. 630. *Add.* 632
Minister prouinciais. 637. *Add.* *ibid.*
Missa. ibid. Add. 643
Monasterium. 650. *Add.* 653
Moniales. 657. *Aid.* 662. *Add. ad Addit.* 674

N

NOtarius. 676. *Addit.* 678
Punitio Religiosi extra Conuentum publicè delinquenti retente Episcopo. 679
Nouitia. 680. *Add.* 682
Nouitius. 687
Nouitij informationes. 689
Nouitij quaitates. 694
Nouitij abplutio ante ingressum, & post illum. 703
Nouitiorum, ac Nouitiarum donationes. 708
Nouitij annus in probatione. 710. *Add.* 713
Nouitius maculatus ob parentum genealogiam. 722

O

OBedientia. 728. *Add.* 732
Officia Ordinis. 735. *Add.* 737
Opinio eligenda. 761
Ordinis Sacri. 772
Ordins sacri suspensio. 777. *Add.* 783

Pactum.785.Add. 786
Parentes Fratrum.788.Add. 790
Parochus Frater.795.Add. 796
Peculium.796.Add. 797
Pœna.797. Add. 803
Pœnitentia imposita à Confessore. 804
Præceptum. 808
Prædicatores. 813
Prælatus. 820
Prælatorum electio. 822
Prælati iurisdictio pro foro extern. 822
Prælati potestas ad absoluendos sublitos. 827
Prælati potestas ad dispensandum.833.Add. 835
Præscriptio contra bona Regularium 850
Præscriptio quoad crimina. 851
Priuilegium quid,& quotuplex. 852
Priuilegij forma. 856
Priuilegij communicatio. 860
Priuilegij confirmatio. 864
Priuilegij vsus. 871
Priuilegij extensio,seu restrictio. 873
Priuilegij cessatio.876.& seqq.vsque ad fi. 888
Priuilegij declaratio,vel prohibitio.889.Ald.890.Add.
ad Addit. 893
Processiones.ibid.Add. 897
Procurator Monialium. 898
Professio Fidei. 899
Professio Nouitij. 901
Professio nulla ex iure naturali. 905
Professio nulla ex defectu ætatis,& anni integri. 908
Professio ex iure communi. 911
Dubia circa valorem professionis. ibid.
Professio coniugati. 914

Professionis nullæ remediam. 919
Professionis nullæ reclamatio. 922. Add. 926. Add. ad Additionem. 926
Professio Hermaphroditi. 937
Prouincia, Prouincialis. 950. Addit. 951. Addit. ad Addit.

R

Redditus annualis. 962
Regula Religionum. 965
Religiosi translati ad alium ordinem, cuius sint bona. 965
Religiosus, seu Regularis. 978. Addit. 982
Reliquiæ Sanctorum. 984
Reseruati casus. 994
Restitutio in integrum. 994

S

Sacramentorum administratio. 996. Addit. 1001
Scriptura. 1002
Scrupulus. 1003. Addit. 1006
Sepultura. Addit. 1011
Simonia. 1012
Solicitare fœminas in Sacramento pœnitentiæ. 1015
Statutum. 1036. Addit. 1045
Stygmata Patris N. Francisci. 1046
Subornatio. 1049
Suspensio. 1050
Syndicus Minorum. 1057. Addit. 1061

T

Tertiarij. 1061. Addit. 1065
Testamentum 1069. Addit. 1075
Testis. 1077. Addit. 1080
Tortura. ibid.
Tributum, Vectigal, Gabella. 1804. Addit. 1088
Tridentinum Concilium. 1098. Addit. 1108

Velum

INDEX.

V

VElum Monialium. 1112
Veneficia, incantationes, sortilegia. 1114
De Veneficiis in particulari. 1115
De Incantatione solo verbo facta. 1120
De Sortilegiis. 1122
Vicarius. 1133. Addit. ibid.
Vicarius in capite. 1133
Viua vocis oracula. 1136
Vnctio extrema. 1138
Votum simplex Religionis. ibid.
Vota Nouitij. 1147
Voti solemnitas in quo consistat. 1149
Vota Professorum simplicia. 1150
Voti irritatio circa professos. 1153
Voti commutatio, & dispensatio erga subditos. 1156
Voti displicentia, seu pœnitere de voto facto. 1165
De natura, & materia voti, & aliquibus votis in particulari. 1166
De tempore quo impleri debet. 1177
Ad quid obliget votum simplex Religionis. 1181
Ad quid obliget votum simplex castitatis, vel virginitatis, & similia vota. 1189
Voti dispensatio. 1200
Voti commutatio. 1209
Vox actiua & passiua. 1217

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6-4

Digitized by Google

IHS